
VIRIDARIVM



BVSAEI


CHARITAS
FIDES
SPES
PRVDENTIA
FORTITVDO
VIRIDARIVM
CHRISTIANARVM
VIRTVTVM,
Ex sacrosanctæ SCRIPTVRÆ
Sanctorumq PATRVM senten:
tijs, quasi lectissimis Stirpibus,
constructum
ET
IN GRATIAM CONCIONATORVM
et Religiosæ Vitæ Cultorum editum
A
IOANNE BVSÆO SOCIETATIS
IESV THEOLOGO.
MOGVNTIÆ.
APVD IOANNEM ALBINVM
M.DC.X.
Cum gratia et priuilegio Cæs. M.tis
GRATIA
FONS AQVÆ SALIENTIS IN VITAM ÆTERNAM
IVSTITIA
TEMPERANTIA



SERENISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, Dn. LEOPOLDO EPISCOPO ARGENTINENSI ET PASSAVIENSI, ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, CARINthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Landgrauio Alſatiæ, Comiti Habſpurgenſi, Goritiæ, Tirolis, &c. Domino ſuo Clementiſſimo.

JOANNES BVSÆVS SOCIETATIS JESV.



QVONIAM huic Lucubrationi meæ, Sereniſſime, ac Reuerendiſſime Princeps, Viridarii, vel Horti Chriſtianarum Virtutum nomenclaturam attribui, neceſſe eſt, vt Hortulanum me profitear, ſi non corporalem, ſaltem ſpiritualem: vtinam ſolertem & nauum. Solerti ſiquidem hortorum cultori gemina incumbit functio. Altera, noxias hortenſi ſolo ſtirpes eximendi: altera probas in vicem atq; ſalutares inſerendi. *Sicut in rudibus agris*, ait Cœl. Lactantius Firmianus in diuinarum inſtitutionum Epitoma, *prius quam ſerere incipias, euulſis ſentibus, & omnium ſtirpium radicibus amputatis arua purganda: ſic de noſtris animis prius vitia detrahenda ſunt, de quibus ſeminatæ per Verbum Dei fruges immortalitatis oriantur.* Cui monito conuenienter Apoſtolus

ita

ita ſcribit ad Epheſios. *Deponite ſecundùm priſtinam cō-uerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Et ad Coloſſenſes. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum.*

Prioris certè functionis, quæ in exſtirpandis vitiis occupata eſt, proximo ſuperiore anno ſpecimen aliquod dare conatus ſum in Panario, hoc eſt, Arca Medica, quam antidotis variis aduerſus animi morbos, ex diuinis Scripturis, priſcorumq; Patrum libris inſtructam diuulgaui, & Reuerendiſs. Sereniſſimoq; Principi Ferdinando, Colonienſi Coadiutori dedicaui. Reſtabat ergo, vt Poſterioris quoque functionis hoc anno debitum exoluerem, & profligationi vitiorum Virtutum decora atq; ornamenta, ex iiſdem deriuata fontibus, hoc ſpiritali Viridario concluſa, ſubiungerem, eaq; cuſtodienda, non peruigili Draconi, vt olim in Heſperidum hortis mala Aurea, ſed S. Eccleſiæ Angelo, id eſt, Illuſtriſs. Sereniſs. T. commendarem, cui & cum omni reuerentiæ ſignificatione commendo, dico & conſecro. Non quod exiſtimem Opus dignum eſſe Excellentiſs. Nomine tuo, quo tum in Sereniſs. Archiducum Auſtriacorum auito Stemmate, tum inter Eccleſiæ Catholicæ Reuerendiſſimos Antiſtites duplici throno, Argentoratenſi & Paſſauienſi cum ſumma virtutis, & raræ Doctrinæ laude præfulges: ſed quod officii noſtri

ſtri partes exigerent, inſignis beneficentiæ tuæ in ſocietatem noſtram, tum in Auſtriacæ Prouinciæ, tum noſtræ Rhenanæ Collegiis demonſtratæ, non obliuiſci. *Ingratus eſt,* inquit, L. Annæus Seneca tertio de Beneficiis, *qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit. Ingratus eſt, qui diſsimulat. Ingratus qui non reddit. Ingratiſsimus omnium qui oblitus eſt.* Vix ſummam nobiliſſimæ Argentinenſis Sedis Præfecturam adieras: vix pedem in Diœceſin Tuam intuleras, cum ad Collegium Societatis IESV, quod erat MOLSHEMII, aduolaſti; omnibus Sociis, beneuolentiæ ergo, manus humaniter porrexiſti, menſæq́; eorundem frugali accumbere voluiſti: tutelam omnem & patrocinium Nominis noſtri in te recepiſti, ac deniq; exemplo deceſſoris tui Caroli Cardinalis Lotaringiæ Ducis, qui ſtudioſæ Iuuentuti laxiſſima auditoria pridem erexerat, eiuſdem Doctoribus ampliſſimum domicilium, veteri diſturbato, impenſa maxima, opere admodum viſendo, ex templo ad faſtigium eduxiſti. Pro qua inſigni munificentia, quia par nihil rependere poſſumus, hunc duntaxat Virtutum Chriſtianarum Paradiſum, grati animi noſtri velut hypothecam & pignus Seren. T. relinquere voluimus: cuius inſpectionem confidimus in tantis curis, laboribus, ſudoribusq;, quos non tuo nutu, ſed Sacræ Cæſareæ Maieſtatis arbitratu, poſthabitis etiam propriis ditionum tuarum commodis, hactenus exantlaſti, aliquod ſolatium, alleuamentumue, quaſi è diuerticulo, S. T. allaturum. Facile enim pro ſua eximia ſapientia animaduertet, quicquid in ampliſſimis diuini Verbi,

ſanctorumq́; Patrum codicibus, de Virtutum natura, proprietate, dignitate, fructu, mediiſq́; ad eas parandas opportunis exſtat, id in hoc Viridarium, velut Breuiarium quoddam eſſe contractum, & quidem ordine Alphabetico: nempe vt in optimi Lectoris oculos è veſtigio incurreret, quod de quaq́; virtute, eiuſue conditionibus diſcere collibuiſſet. Quod ſi hoc inſtitutum Votumq; noſtrum pergratum extitiſſe cognouerimus Illuſtriſs. Seren. Veſtræ, immenſas diuinæ Maieſtati gratias agemus, eiuſq́; æterno Numini, pro ſarta tecta præſtanda eius incolumitate, contra infeſtos Eccleſiæ hoſtes, ſupplicare non deſiſtemus. MOGVNTIÆ ad XVIII. Kalend. Octob. qui S. Cruci exaltatæ dicatus eſt, ANNO M. DC. X.

ODE

ODE PARÆNETICA

Syncero CHRISTIANARVM VIRTVTVM cultori.

VIdes, vt Orbem nubilet horrido
Dis inferorum chaſmate, turbines
Formidoloſos euaporans
Sulphureo Babylonis antro.
Ah! in gemendas hæreſis hæreſis
Trahit ruinas; ſanguine decolor
Malè obſtinata Chriſtiano
Impietas, fera bella frendet.
Exploſa priſcis finibus exſulat
Auita Virtus, vndiq; pellitur
Jniurioſa hoſtilitate,
Ambroſios lacerata vultus.
Ergo ad receſſus ſydereos, fugâ,
Exſpes ſalutis, nititur arduâ;
Cœloq; nata, exoſa terras,
Cœlo ierat fugitiua terris:
In Chriſtianæ ni VIRIDARIVM
Virtutis, aſtrorum æmula lumina
Vibraſſet, exſultans honoro
Diua iterum radioſa fœtu;
Qualis Syenes per iuga torrida,
Putris ſenectæ cum vitium exuit,
Gaudetq; odoratas reſumens
Exuuias, Nabathæus ales.
Hinc, quæ euirato viſcera pharmaco
Intoxicauit belua ſepticeps,

Deſi-

Desideratæ sospitati
Subsidio dabit efficace,
Surgetq́; primis aucta nitoribus
Clarum tenebris expediens caput:
Dispendiorum mille luctus.
Lætitiæ oppositu facessent.
Tantum citatis passibus aduolent,
Non indecoro quos rapit impete
Magistra laudum, Augusta Virtus,
Pæonios peragrare campos.
Non sic recenti dædala iugere
Florum renidet pompa, fugacium
Propter susurros riuulorum
Suaueolens fauitore Phœbo:
Sacratiorum vt flumina codicum,
Venusta Patrum dicta, per ordines
Discriminata litteratos
Aurifluo hîc resonant meatu.
Hîc Facta Auorum heroa, perennibus
Dictata fastis, tramite præuio
Nos antecedunt, posterorum
Degeneri rediuiua sæclo.
Quæ funeratis per mala plurima
Vitam ac salutem mentibus inuehent,
Et succiplenum tabefactis
Restituent animis vigorem.
Nam carpta tali germina pascuo,
Et Christiano consita pectore,
Perennitate indeprehensa,

Cor-

Corpora post cinefacta viuent.
Viuent, virebunt, versicoloribus
Baccata gemmis, donec ea in suam
Semper beatæ opimitatis
Areolam Deus adrogabit.

ALIUD.

IVcundo vtile fœderare amico
Nexu difficile est. Venusta quisquis
Concinnat, fere futilem laborem
Rectis consiliis, lucrisq; nauat.
Totis dissidiosa castra signis
Ductant hæc duo, COMMODVM, atq; HONESTVM.
Tamen funera post tot, & tot arma,
Blando, nescio, quo prehensa philtro
Ridenti sociauit in VIRETO
OSOR sanguineæ BVSÆVS iræ.
Non est quod mare iam leui lacessas
Alno, & carbasa verberanda vtroq;
Exponas latere Æoli procellis,
Quo Lydum reuehas lutum, Indicasue
Conchas, Cœcuba vel Latini Iacchi:
Nunc Phæacius obsolescat hortus,
Atque aurum nemorale Atlantiarum,
Tibur Telegoni, cruenta regis
Iugera Antiphatæ, & domus Lucrinæ,
Irritamina fœtidæ voluptæ.
Vnum hoc delicias parit VIRETVM,
Iunctas DELICIAS DECORO HONESTI,
Iunctum DELICIIS DECORVM HONESTI.
Malis auriferis comatur arbos,
Herbescit viror vndiq; à pyropis.
Lux argentea bracteis coruscat.
Fas aurum hinc fodicare CARITATIS,
Fas captare ligustra CASTITATIS.
VIVE hoc, ô HOMO, si SAPIS, VIRETO:
VIVENS frustra sine hoc SAPIS VIRETO.

CATA-

CATALOGVS

VIRTVTVM IN HOC VIRIDARIO EXPLICATARVM.

A.

ABNEGATIO SVI.
Affabilitas.
Amicitia.

B.

Beneuolentia.

C.

Caſtitas.
Catecheſis Chriſtiana.
Charitas Dei & proximi.
Cogitatio præſentiæ Dei.
Cognitio ſui.
Cognitio DEI.
Confeſsio peccatorum.
Conſcientia bona.
Conſcientiæ examen.
Contemplatio.
Correctio proximi.

D.

Deuotio.
Diffidentia ſui.

E.

Eleemoſyna.
Euchariſtiæ communio.

F.

Fama bona.
Familiaritas cum Deo.
Fides Catholica.
Fortitudo.

G.

Gaudium ſpirituale.
Gratiarum actio Deo debita.

H.

Honeſtum.
Hoſpitalitas.
Humilitas.

I.

Ieiunium.
Intentio Recta.
Iuſtitia.

L.

Laudatio Dei.
Liberalitas.

M.

Manſuetudo.
Martyrium.

O.

Obedientia.
Oblatio ſui Deo facta.
Opera bona.
Oratio.

P.

Pax.
Perfectio Chriſtiana.
Pietas in parentes.
Pœnitentia.
Profectus ſpiritualis.
Prudentia.

R.

Religio Chriſtiana.

S.

Sapientia.
Satisfactio.
Sepultura.
Simplicitas.
Spes, vel Fiducia.

T.

Timor DEI.
Temperantia.

V.

Verecundia.
Veritas.
Virtus.

Z.

Zelus.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Prouinciæ Rhenanæ Societatis Iesu.

VM Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus serio firmiterq; inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterum edendos, intra Sacri Romani Imperii regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam seu palam citra iudicium, ac testimonium supradictorum Patrum audeat vel præsumat: Concedo ego HENRICVS SCHERENVS Societatis Iesu per RHENI Prouinciam Prouincialis IOANNI ALBINO Moguntinensi Typographo Facultatem excudendi VIRIDARIVM Christianarum Virtutum, ex variis diuinæ Scripturæ, sanctorumq; PATRVM sententiis velut stirpibus constructum, & à P. IOANNE BVSÆO Societatis nostræ Theologo conscriptum, atq; à deputatis ad id Patribus approbatum. IN QVORVM fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum & sigillo munitum dare voluimus. MOGVNTIÆ in peruigilio Deiparæ in cœlum assumptæ, ANNO reparatæ salutis M. DC. X.

HENRICVS SCHERENVS P.



VIRIDARIVM CHRISTIANARVM VIRTVTVM, ORDINE ALPHABETICO CONSTRVCTVM.

A

ABNEGATIO SVI.

CAPVT I.

Quid nomine Abnegationis sui in diuinis literis intelligatur.



ABNEGATIONIS nomen sumptum est ex illo CHRISTI Saluatoris apud B. Matthæum dicto. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Quid autem Christus Dominus voce abnegationis intellexerit S. PATRES diligenter explanarunt. Matt. 16. 24.

Nam S. BASILIVS in Regulis fusius disputatis instituens perfectioris vitæ cupidos. *Oportet*, inquit, *vt nos ipsos primum abnegemus & crucem sustollamus, ac tum demum Christum sequamur. Nihil est autem aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris obliuio, atq; à suis ipsius voluntatibus recessio, quam in vita communi assequi longe est difficilimum, ne dicam ab omni prorsus vt fieri possit facultate remotissimum.* Et iterum. *Cum Dominus noster IESVS* Bas. q. 6. Ib. q. 8.

Matt.16.24. *Christus post multa documenta ad omnes loquatur, ac dicat. Si quis venit ad*
Luc.14.33. *me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. & item.*
Sic igitur, quicunque ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet non
potest meus esse discipulus. Nos præceptum hoc ad plura arbitramur pertine-
re, quorum necessaria alienatio sit. Nam & diabolo renunciamus impri-
mis, itemque affectionibus carnis, qui abdicauimus occulta dedecoris, con-
sanguinitatibusq́; ac familiaritatibus, quæ cum hominibus nobis sint, simi-
literq́; consuetudini etiam vitæ, quæ perfectioni Euangelij satis aduersatur.
Et quod his omnibus magis necessarium est, quilibet sibimetipsi renunciat;
qui exuit veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundum
Col.3.9. *desideria erroris.* Et S. HIERONYMVS in Matth. exponens verba
H lib.3.c.16. Christi, *Qui deponit,* inquit, *veterem hominem cum operibus suis, dene-*
Col.3.9. *gat semetipsum, dicens. Viuo autem non ego, viuit vero in me Christus, tol-*
Gal.2.20. *litq́; crucem suam, & mundo crucifigitur.* Cui expositioni in epistola ad
Id.q.3.ex 151. Algasiam addit aliam. *Cuius,* inquiens, *exhortationis,* (si quis vult
post me venire) *hic sensus est. Non est delicata in Deum & secura confes-*
sio; Qui in me credit, debet suum sanguinem fundere: Qui enim perdi-
derit animam suam in præsenti, lucrifaciet eam in futuro. Quotidie, cre-
dens in Christum tollit crucem suam, & negat seipsum. Qui impudicus
fuit versus ad castitatem, temperãtia luxuriam negat. Qui formidolosus &
timidus assumpto robore fortitudinis priorem se esse nescit. Iniquus si sequa-
tur iustitiam, negat iniquitatem. Quod scientes, nõ solum persecutionis tem-
pore, & necessitate martyrij, sed in omni conuersatione, opere, cogitatione,
sermone negemus nosmetipsos, quod ante fuimus, & confiteamur eos, qui in
Chry.hom.56. *Christo renati sumus.* S. Ioan. Chrysost. scribens in Matthæum *Si intel-*
ligis, ait, *quid sit alium abnegare, tunc recte percipies, quid sit abnega-*
re teipsum. Qui alium abnegauit, fratrem puta, aut seruum, aut quemuis
alium, si cædi eum virgis videat, si arceri vinculis, quicquid aliud mali pati
eum conspexerit, non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus vllo
modo mouetur, ceu ille qui penitus ab illo alienatus est. Sic igitur nullo nos pa-
cto corpori nostro parcere vult, vt neq; si cæditur, neq; si pellitur, neq; si vritur,
nec si quid aliud huiusmodi patitur ei parcamus. Quid dixit, non parcamus,
cum id profecto sit verè parcere. Nam etiam tunc Patres maxime filiis
parcunt cum magistris tradentes, maximè rogant, ne parcant. Sic igitur Chri-
stus non dixit, tamen non parcas, sed significantius ac expressius. denega tei-
psum, pericula subi, certaminibus te offer, & quasi alius hæc patiatur, sic affi-
ciare. Nec dixit, neget, sed, abneget, vt hac adiunctiuncula plurimum addat,
G.Hom.32. *quum abnegare multo plus, quam negare profecto sit.* S. Gregorius in Eu-
angelia. *Tunc nos ipsos relinquimus, tunc nosipsos abnegamus, cum vita-*

mus,

mus, quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur, quod per nouitatem vocamur Pensemus, *quomodo Paulus se abnegauerat, qui dicebat. Viuo autem iam non ego. Extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profecto non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat vnde est, quod sancta verba per doctrinā veritatis clamat? Protinus subdit. viuit verò in me Christus. ac si aperte dicat. Ego quidem à memetipso extinctus sum, quia carnaliter non viuo, sed tamē essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter viuo.* S. Bernardus de S. Andrea Apostolo. *Cum S. Andrea vt simul crucifigamur & nos, attentius auribus cordis audiamus vocem dicentis. Qui vult venire post me, abneget semetipsum. ac si dicat. Qui me desiderat, se despiciat: qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam.* Gal. 2.20. B. Greg.

CAPVT II.

De dignitate huius virtutis.

DIGNITAS virtutis Abnegationis sui, duobus ex capitibus intelligi potest. Alterum est, quod sit fundamentum perfectionis Christianæ. Id duplici parabola apud B. Lucam Dominus declarauit: nam cum affirmasset in numero discipulorum suorum censeri posse neminem, qui non modo parentes aliosque sibi coniunctissimos, verum etiam animam, hoc est, vitam suam odisset, & abnegasset, mox subiunxit. *Quis enim volens ex vobis turrim ædificare, non prius sedēs computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiēdum, ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes. Quia hic homo cœpit ædificare & non potuit cōsummare? Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus.* Quasi dicat Nemo verus perfectusque Christianus esse potest, qui non sit paratus pro Christo, eiusq; fide non solum facultates suas, verum etiam vitam suam profundere. ALTERVM caput est, quod in quo tam perfectæ abnegationis fundamentum iactum est, necesse sit erectum quoque esse ædificium caritatis, de qua Christus apud Ioannem. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Etsi enim HIERONYMVS & GREGORIVS non male exponant verba Christi. *Si quis vult post me venire, abneget, &c.* de abnegatione veteris hominis, morumque prauorum, tamen κατὰ λέξιν Luc. 14. 26. Ioan. 15. 13.

verius exposuit Chrysostomus, de abnegatione vitæ, & sanguinis profusione pro Christo, vt enim indicaret Christus de tali abdicatione se loqui, cũ dixit. *Si quis vult venire, &c.* mox subiecit. *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Quocirca & S. Basilius accuratius ponderans consequentiam verborum Christi, tandem loco supra allegato scripsit. *In summa denique,* inquiens, *cui propter Christum mundus totus crucifixus est & ipse Christo, qui possit amplius particeps esse eorum, quæ in mundo sunt? cum Dominus noster IESVS Christus rem ipse ad summum prorsus FASTIGIVM perducat, nempe odium animæ, & suimetipsius abnegationem, quando dicit, si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam, tumque subiunxit; & sequatur me. Et rursus. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & & filios, & fratres, & sorores, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus. Perfecta igitur renunciatio (abnegatio) in eo consistit, si quis id assecutus fuerit, vt ne de vita quidem sua quidquam affectus sit omnino, est habeat mortis responsum ita vt nihil sibi confidat.*

Matth 16.24. Quæst. 8.

CAPVT III.

De necessitate & difficultate eiusdem.

NECESSITAS virtutis huius inde liquet, quod Christus Dominus cum apud Apostolos suos sermonem instituisset de passione sua, in hunc modũ locutus sit. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Eodem pertinet, quod apud Lucam dixit. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres & sorores, adhuc autẽ & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et quod Paulus Apostolus ad Colossenses. *Si consurrexistis,* inquiens, *cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis & vita vestra est abscondita cum CHRISTO in DEO. Mortificate ergo membra membra vestra, quæ sunt super terram. &c expoliantes vos veterẽ hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum:* Et ad Ephesios *In ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu, deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate*

Matth. 16.24. Luc. 14.26. Col. 3.1. Ephes. 4.21.

stitate veritatis. IDÆAM huius abnegationis expressit in seipso idem Gal.2.19.
Apostolus, dum ita scribit ad Galatas. *Christo confixus sum cruci. Viuo*
autem, iam non ego, viuit verò in me Christus. Et. *Mihi autem absit gloria-* Ib.6.14.
ri, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus
est, & ego mundo.

QVOD ad difficultatem huius Abnegationis attinet, eam Domi-
nus non obscurè indicauit, cum apud Matthæum & Lucam abne- Matt.16 24. Luc.9.23.
gationi crucem adiunxit, dicens. *Si quis vult post me venire, abneget*
semetipsum; & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Si enim tan-
ta difficultas est in deserēdis pecuniis, si tanta in aspernandis mun-
di honoribus, in respuendis carnis voluptatibus, quanta erit in no- G.Hom.4.
bisipsis abnegandis & deserendis? eo videlicet maior, quo perpe-
tuo nobis inhærens *Amor sui, vehementius*, vt loquitur S. Gregorius in
Ezechielem, *claudit oculum cordis*; & quo nihil est morte formidabi-
lius. Quid enim aliud est, abnegare seipsum, quàm sibi quodammo- Gal.2.& 6.
do mori? quam imitari Apostolum dicentem. *Viuo ego, iam non ego,*
viuit verò in me Christus. Et. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo?*
Quare hanc difficultatem perspiciens S. Basilius, loco supra alle-
gato non dubitauit scribere, abnegationis virtutem *in vita communi*
assequi longe esse difficillimum, imò ab omni prorsus vt fieri possit, facultate
remotissimum. NEQVE est, quod idcirco à perfectione eius conse-
quenda deterreare: nam vt vulgare dictum habet, Δύσκωλα τὰ καλά.
Virtus omnis per se ardua est, & inaccessa; difficultates reposcit
Christiana professio. *Arcta* siquidem *via est*, docente Christo, *quæ* Matt 7.14. Matt.11.12.
ducit ad vitam. Et. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt il-*
lud. Hoc augustiora parata tibi erūt præmia in cœlis, quo plures dif-
cultates in cultu pietatis deuoraueris in terris. *Id enim quod in præ-*
senti momentaneum est & leue tribulationis nostræ, spondet è cœlo voca- 2.Cor.4.17.
tus Apostolus, *supra modum, in sublimitate æternum gloriæ pondus ope-*
ratur in nobis.

CAPVT IV.

De vtilitate.

PRIMA est, quod vt Amor sui est fons & seminarium omnium vi-
tiorum & malorum, vt fusè tradit S. Augustinus in libris de ci- A.lib.22.c.22.
uitate Dei, sic abnegatio, odium vel contemptus sui, ei è diametro
opposita, sunt radix & parens omnium virtutum atq; bonorum, te-
ste eodem. *Fecerunt*, inquit, *ciuitates duas amores duo: terrenam scili-* Id.l.14.c.28.

cet amor sui vsque ad contemptum Dei: cælestem verò amor Dei vsque ad contemptum sui: illa in seipsa, hæc in Domino gloriatur. Et rursus. *Si perit homo amando se, profectò inuenitur negando se.* II. Vtilitas est, quod abnegationis beneficio gradus proximus fiat ad consequendam nobilissimam virtutem amoris vel caritatis Dei: Sicut enim in catena putei, quo vna situla magis deprimitur, hoc altera altius sursum attollitur; sic quo quis se demiserit & abnegauerit amplius, hoc procliuius in amore Dei exardescit, conuenienter dicto Christi. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Cuius causam reddit S. Gregorius in Euangelia. *Quia,* ait, *nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est non appropinquat, nec valet apprehendere, quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Sic olerum plantæ transponuntur, vt proficiant, atque vt ita dixerim eradicantur, vt crescant. Sic semina rerum in terra admixtione deficiunt, vt in reparatione sui generis vberius assurgant. Vnde enim videntur perdidisse quod erant, inde accipiunt apparere quod non erant.* III est, quod nihil æquè valeat ad expugnandas Satanæ fraudes & tentationes quam humilis sui abnegatio. Id S. Catharinam Senensem, vt est in vitæ eius historia apud Surium, docuit Christus Saluator dicens. *Ego sum, qui sum: tu es quæ non est. Hoc si scis, omnes laqueos inimici frangis.* Quid enim aliud est, fateri se non esse, quam se abnegare? Quod autem sine mendacii nota ita loqui potuerit, inde liquet, quod & Apostolus Paulus sic de se alicubi locutus est. *Nihil,* inquiens, *minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum.* Imò in epistola ad Galatas seductorem sui appellat, qui existimet se aliquid esse. *Qui,* ait, *existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Huc spectat quod in S. Antonii eremitæ gestis apud S. Athanasium legitur, cum enim per visum mundum vidisset refertum laqueis, & per contatus esset, quo antidoto tot laquei euadi possint, respondit Dominus, posse solo antidoto humilitatis. IV est, quod sit efficacissimum, præsentissimumque remedium ad sanandos permultos animi morbos, vt ambitionis, amoris sui, curiositatis, gloriæ vanæ, immortificationis passionum, inobedientiæ, iudicii & voluntatis propriæ, superbiæ & præsumptionis, aliorumque, de quibus suis locis copiose egimus in nostro Panario.

Id. serm. 47. de diuersis.

Luc. 14. 11.

Gr. hom. 32.

Balin. in vita.

2. Cor. 12. 11.

Gal. 6. 3.

* * *

CAPVT

CAPVT V.

MEDIA *ad eam comparandam.*

PRIMVM sit Notitia sui; quomodò enim abnegare, odisse, contemnere se potest, qui sui vilitatem non agnoscit? *Homo cum in honore esset*, inquit psaltes regius, *non intellexit, ideo comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis*. hoc est, idcirco omni sapientiæ & virtutis amore, instar bestiæ, destitutus est, quia nullam sui ipsius notitiam habuit. Si enim vel solius corporis humani statum perspectũ haberet, nulla magnificè de se sentiendi causa ei suppeteret. meminisset siquidem se ex puluere, luto & argilla confictum. DEVS enim primo homini ADÆ dixit. *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Et sapiens hac nomenclatura superbiam retundit dicens. *Quid superbis terra & cinis?* Hac consideratione in conspectu Dei se abiicit credentium pater. *Loquar*, inquiens, *ad Deum cum sim puluis & cinis.* Hac rex Dauid placandum sibi Deum putauit, dum ait. *Memento, quia puluis sumus, homo sicut fœnum dies eius.* Et ante eum Iob. *Memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in puluerem deduces me.* Vnde S. Basilius in hexæmeron exponens verba ad Adamum dicta. *Quo ergo,* inquit, *tempore tui obliuisci poteris? tui tum obliuiscere, cum te è terra submoueris. Quod si ne momento quidem à terra te subducis, confictus enim es ex terra super terram ambulas, in terra te oblectas, litigas pro terra, quicquid demum magnum vel paruum facis, in terra facis, nimirum è vicino habes, quod te moneat humilitatis. Iniuria affectus es? vocatus ignobilis? ira efferbuisti? Demitte oculos, & conquieuit indignatio. Inspecta humo fac tecum reputes, me qui è terra factus sum, dixit ignobilem: minus obiecit, quam ipse sum. nec enim exprobrauit terram, ex qua sumptus sum, sed hominem, qui me genuit. In eam mihi antiquam matrem, nempe terram, intendo oculos: quo fit, vt non iam contumeliæ loco habere debeam, quod è seruo sim prognatus.* ALTERVM Medium est, Totum se offerre Deo, quod opus est Deo gratissimum, & homini saluberrimum. Vnde S. HIERONYMVS ad Lucinium. *Aurum deponere, incipientium est, non perfectorum. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes. seipsum offerre DEO propriè Christianorum est & Apostolorum, & merentur audire. Sedebitis super duodecim solia, iudicantes duodecim tribus Israhel.* S. AVGVSTINVS, in Soliloquiis *Constanter Deo crede, eiq́; te totum committe, quantum potes. Noli esse velle quasi proprius & in tua potestate, sed eius clementissimi & vtilissimi Domini te seruum esse profitere: ita enim te*

Psal.48.13. Gen.3.19. Eccl.9.10. Gen.18.28. Psal.102.14. Iob 10.9. Bas.hom.12. H.ep.26. Matt.19.28. A.lib.1.c.15.

ad se subleuare non desinet, nihilq; tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. Et libro de quantitate animæ, *Vellem, vt nihil aliud agerem, quam reddere me, cui me maxime debeo atq; ita Deo fieri, quod ait Horatius, amicum mancipium Domino.* TERTIVM Medium est, totum se offerre non solum DEO, sed etiam homini tanquam DEI Vicario in approbata Religione. Hoc enim opus & præstantius est, & Deo gratius, (vt quo holocaustum Deo offertur in odorem suauitatis) & perfectiorem requirit sui abnegationem. Etenim qui ita se offert, non modo se omni iure priuat quoad corpus & animam, sed etiam quoad vsum omnium vtriusq; actionum, sic vt deinceps non sua voluntate vel iudicio, sed solius superioris sui voluntate & iudicio, tanquam regula in omni vitæ instituto vti velit. Quare S. Basilius in cõstitutionibus monasticis tradit monachos nõ secus obedire debere, quam oues pastoribus, & instrumenta artificibus, quę ad quemcunq; vsum tractanda se præbent. *Monachus*, inquit, *ne ad punctum temporis quidem potestatem sui habere debet, vt faciat priuata negotia: nam & instrumentum sine artifice, & manus resecta à corpore sua sponte non mouetur.*

d.c.28.

H. serm. 2. sat. 7.

Bas. c. 20. & 23.

PLVRA *vide V. Cognitio sui. Humilitas. Et in Panario V. Immortificatio passionum & Voluntas propria.*

AFFABILITAS.

CAPVT I.

De natura Affabilitatis.



S.Tho. 22. q. 113.

M. lib. 1.

Eccli. 13. 19.

A. 4 Eth. c. 6.

Eccli. 4. 7.

AFFABILITAS non est aliud, quam comitas, & suauitas quædam morum atque sermonum externa in hominum consuetudine cum hominibus vsurpata. Macrobius refert eam ad iustitiæ virtuté, non alio sensu, quam quod homo, quâ animal sociale est, homini videatur quodammodo debere hanc exteram facilitatem, humanitatemque, siue notus sit siue ignotus, vt habet in Ethicis Aristoteles, siue domesticus, siue peregrinus, siue locuples, siue pauper. Vnde Ecclesiasticus. *Congregationi*, inquit, *pauperum affabilem te facito.*

QVALIS autem, hæc affabilitas esse debeat, vt sit Christiano homine digna, nomenq; veræ virtutis sibi vindicet, describit altero de officiis

officiis libro S. Ambrosius. *Hanc*, inquiens, *affabilitatem volumus esse synceram ac sobriam sine vlla adulatione, ne simplicitatem ac puritatem alloquii dedeceat sermonis adulatio. Forma enim esse debemus ceteris, non solum in opere, sed etiam in sermone, in castitate, ac fide. Quales haberi volumus, tales simus: & qualem affectum habemus, talem aperiamus. Neque dicamus in corde nostro verbum iniquum, quod abscondi putemus silentio ab eo, qui audit in occulto dicta, qui occulta facit & cognoscit secreta viscerum.* Talis erat Apostolus Paulus, & ideo non dubitat ad Thessalonicenses in hæc verba scribere. *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neq; enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ. Deus testis est.* 1. Thes. 2. 5.

CAPVT II.

De effectis Affabilitatis.

EFFECTVS affabilitatis primarius est, conciliare sibi hominum beneuolentiam, iuxta illud sapientis. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis* (gratiosa) *in bono homine abundat.* Eccli. 6. 5. Quibus verbis significat orationis suauitatem non modo valere ad conciliandam hominum beneuolentiam, sed etiam ad alliciendam eorum comitatem, vt vicissim ipsi se erga nos humaniter gerant. nam cum apud Terentium quidam dicat, *si male dixeris, peius audies*: hic contrà accidit, vt sermonis gratia & comitas, aliorum summa in nos voluntate, verborumq; affabilitate compensetur. Eundem affabilitatis fructum agnouit M. Tullius secundo officiorum, dum ait. *Difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasq; sermonis.* & mox addit. *Extant epistolæ & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Cassandrum, & Antigoni ad Philippum, trium prudētissimorum, quibus præcipiunt, vt oratione benigna multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant militesque blando appellando sermone deliniant.* Cicero lib. 2. Latius eundem depinxit libro ante citato S. AMBROSIVS. *Popularis*, inquiens, *& grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumq; honore, patienti quoq; sermonum vice, modestiæque adiuuetur gratia, incredibile, quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim non solum in priuatis, sed etiam in ipsis regibus, quantum facilitas blandæ affabilitatis profuerit, aut superbia, verborumque obfuerit tumor, vt regna ipsa labefactaret, & potestatem solueret.* Subiicit A. l. 2. off. c. 7.

Exempla duo. iicit deinde bina illustria exempla. Primum est de Moyse. *Quantas*, inquit, *Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias, & cum Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem subduceret. Quam miti sermone post iniurias appellabat populũ, solabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fouebat operibus, & cum Deo constanter loqueretur, homines tamen humili & grata appellatione affari solebat.* ALTERVM est de rege Dauide. *Quid eius imitator*, ait, *sanctus Dauid, electus ex omnibus ad plebem regendam, quam mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu? Ante regnum se pro omnibus offerebat, rex cum omnibus æquabat suam militiam, & patiebatur laborem: fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in conuitio, ferre magis promptus, quam referre iniurias. Ideo tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam inuitus peteretur, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam illum pro omnibus. Ita sibi gratis officiis plebem obligauerat, &c.*

ADDO ego tertium exemplum, non minus illustre, S. Pauli Apostoli. Quid enim res ab eo gestæ, & in Apostolorum historia à B. Luca descriptæ, aliud spirant, quam admirandam mansuetudinem & comitatem? Quid totæ eius epistolæ declarant nisi incredibilem sermonum morumque affabilitatem & suauitatem? Id liquido apparet, vt capita pauca attingam, ex salutationibus officii plenis ad calcem epistolarum adscriptis, vt in epistola ad Romanos. *Salutate Epe-*
Rom. 16. 5. *nætum dilectum mihi, qui est primitiuus Asiæ in Christo. Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. Salutate Persidem carissimam, quæ multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius & meam, &c.* Tum ex rogandi, hortandiq; formulis; vt est illa ad Philippenses. *Si qua ergo*
Phil. 2. 1. *consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem.* Et ad Philæmonem. *Multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi propter charitatem magis obsecro. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis. Tu autem illum vt mea viscera suscipe. Forsitan enim ideo discessit ad horam à te, vt æternum illum reciperes, iam non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrem maximè mihi, quanto autem magis tibi, & in carne, & in Domino. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa, &c.* Denique apparet ex generali descriptione morum suorum in priore epistola ad Corinthios, dum ait,

ait. *Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem, Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: ijs qui sine lege erant* (gentilibus) *tanquam sine lege essem, vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* 1. Cor. 9. 19.

VIDE. *V. Beneuolentia. Charitas in Deum & proximum. Mansuetudo.*

AMICITIA.

CAPVT I.

De nomine & definitione amicitiæ.

QVOD ad nomen attinet, *ab amare*, inquit S. HIERONYMVS in Michæam, *amicus dicitur.* Quod ad rem, B. Augustinus contra Academicos, & ad Martianum è gentili factum catechumenum ita scribit. *Nosti vt definierit amicitiam Romani, vt ait quidam, maximus auctor Tullius eloquij. Dixit enim & sanctissimè ac verissimè dixit. Amicitia est rerum humanarum & diuinarum cum beneuolentia & caritate consensio.* Quoniam autem inter ipsum & Martianum amicitia olim inita erat, cum ambo essent à vera religione alieni, mox subiicit. *Tu autem mi charissimè aliquando mihi consentiebas in rebus humanis, porrò in diuinis, quarum mihi illo tempore nulla luxerat veritas, vtiq; in maiore illius definitionis parte nostra amicitia claudicabat. Erat enim rerum tantummodo humanarum, non etiam diuinarum, quamuis cum beneuolentia & charitate consensio, &c. Nunc verò quantum de te gaudeo, quibus explicem verbis, quando eum, quem quoquo modo habui diu amicum, habeo iam verum amicum: accessit enim etiam rerum consensio diuinarum, quoniam qui mecum temporalem vitam quondam iucundissima benignitate duxisti, nunc spe vitæ æternæ mecum esse cœpisti. Ita fit, vt inter quos amicos non est rerum consensio diuinarum, nec humanarum plena esse possit ac vera. Necesse est enim, vt aliter quàm oportet humana æstimet, qui diuina contemnit, nec hominem rectè diligere nouerit, quisquis eum non diligit, qui hominem fecit. Proinde non dico nunc mihi plenius amicus es, qui eras ex parte, sed quantum ratio indicat, nec ex parte eras, quando nec in rebus humanis mecum amicitiam veram tenebas. Rerum quippe diuinarum, ex quibus rectè humana pensantur, socius mihi nondum eras, siue quando nec ipse in eis eram, siue postea quam ego eas vtcunque sapere cœpi, à quibus tu longe abhorrebas. Nolo autem succenseas, nec tibi videatur absurdum, quod illo tempore, cum*

H. l. 2. c. 7.
A. l. 3 c. 6. & ep. 155.
Lucanus.
Cic. de amicit.

in vana huius mundi æstuarem, quamuis me multum amare videreris, nondum eras amicus meus, quando nec ipse mihi amicus eram, sed potius inimicus: diligebam quippe iniquitatem, & reuera, quia diuina sententia est, qua scri-
Psal. 10. 5. *ptum est in sanctis libris. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Cum ergo odissem animam meam, verum amicum quomodo habere poteram, ea mihi optantem, in quibus ipse meipsum patiebar inimicum? Gratias itaq; Deo, quod te mihi amicum facere tandem aliquando dignatur: nunc enim nobis est rerum humanarum & diuinarum cum beneuolentia & charitate consensio in Christo Iesu Domino nostro verissima pace nostra.* Hucusq; Augustinus.

CAPVT II.

De varijs Amicitiæ generibus.

Cass. col. 16. c. 2. PATRES veteres varia descripserunt amicitiæ genera. Ioan. Cassianus ex collatione Abbatis Ioseph. *Amicitiarum,* inquit, *ac sodalitatis multa sunt genera, quæ diuersis modis humanum genus dilectionis societate connectunt. Quosdam enim præcedens commendatio primum notitiæ, post etiam amicitiæ fecit inire commercia. In quibusdam vero contractus quidam, seu dati acceptiue depactio, charitatis fœdera copulauit. Quosdam negotiationis seu militiæ, vel artis ac studij similitudo atq; communio amicitiarum vinculis nexuerunt, &c. Est etiam dilectionis aliud genus, quod instinctu naturæ ipsius, & consanguinitatis lege connectitur, quo vel contribules, vel coniuges, vel parentes, seu fratres, ac filij naturaliter ceteris præferuntur, quod non solum humano generi, verumetiam omnibus alitibus atq; animantibus inesse de-*
Cap 3. *prehenditur.* Et paulo post. *In his cunctis vnum genus est insolubile caritatis, quod coniungit sola similitudo virtutum, Dominus enim inhabitare facit*
Psal. 67. 7. *vnius moris in domo.* S. Augustinus in Homiliis L. in hunc modum ea
Aug. hom. 38. describit. *De amicitia videte quid dicam. Sunt amici ex certa amicitia, quæ nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia. Sunt enim homines, qui pariter mala committunt, & ideo videntur sibi coniuncti. Excepta illa, est quædam amicitia carnalis per consuetudinem cohabitandi, colloquendi, simul conuersandi, vt contristetur homo, quando deseritur ab amico. Est ista amicitia consuetudinis, non rationis. Habent illam & pecora. Est & alia superior amicitia non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem &*
Chrys. hom. 1. *mutuam beneuolentiam in ista vita mortali.* Clarius S. Chrysostomus in epistolam Pauli ad Colossenses. *Multæ, ait, sunt causæ, ex quibus nascitur amicitia: & turpes quidem præteribimus, quia malæ sunt, naturales & temporales in medium adducemus, vtpote beneficio quis affectus est, ab ipsis maioribus suis acquisiuit amicum, aut ex mensæ, aut peregrinationis communione,*

aut

aut est vicinus, bonæ sunt & ipsæ. Aut eiusdem factus est artificij. Ista quidem non est sincera, æmulationem enim quandam habet & inuidentiam. Naturales verò sunt, vt patris erga filium, filij erga patrem, fratris erga fratrem, nepotis erga auum, matris erga liberos, vxoris erga virum. Nam omnes coniugales amicitiæ temporales sunt & terrenæ. Igitur istæ quidem illis vehementiores esse videntur: videntur, inquam, quia sæpenumero illis inferiores sunt. Nam alicubi visi sunt amici germanius affecti quam fratres, etiam quam filij erga parentes, & natus quidem nihil opis attulit, alienus verò adfuit & adiuuit. Spiritalis verò dilectio omnes reliquas excellit tanquam regina quædam suorum dominium habens & splendido conspicua est habitu. Nihil enim terrenum hic est, vnde ista nascatur, sicut temporalis illa non ex consuetudine nascitur, non ex beneficentia, non ex natura, non ex tempore, sed è supernis descendit, ex ipso cælo. Figulus fig. odit

CAPVT III.

De Amicitiæ veræ legibus.

PRIMA amicitiæ lex est, vt non ineatur, nisi à virtute præditis & ob virtutem. *Ea enim amicitia probabilis*, inquit Ambrosius, *quæ honestatem tuetur, præferenda sane opibus, honoribus, potestatibus.* Et iterum. *Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Pietatis custos amicitia est, & æqualitatis magistra.* Hieron. ad Paulinum. *Vera illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor & diuinarum Scripturarum studia conciliant.* Basilius in Psalmum 44. *Nemo improborum aut stultorum amicus est; nam amicitiæ probitas in prauum nequaquam cadit affectum, quoniam nihil turpe aut inconcinnũ in amicitiæ concordiam venire potest.* Augustinus ad Macedonium. *Nemo potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis.* IDEM gentiles Philosophi agnouerunt, licet illi veram colere amicitiam non potuerint, quia non erant amici veritatis, id est, veræ religionis. Plato in Lysia, inquit Clemens Alexandrinus, docuit in iniustitia & improbitate nunquam potuisse seruari amicitiam. Aristoteles in octauo Ethicorum tradit eam veri nominis & perfectam esse amicitiam, quæ non commodi, aut voluptatis sed virtutis causa tantum conciliatur. Lælius apud Ciceronem ita loquitur. *Hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse.* Bonos autem vocat, *qui ita se gerunt, ita viuunt, vt eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas, nec in eis sit vlla cupiditas, vel libido vel audacia.* Et paulo post. *Sine virtute amicitia nullo pacto esse potest.* Seneca in libris

A. l. 3. offi. c. 15. & 16.
H. ep. 103.
Aug. ep. 52.
Clem. 5. strom.
Ar. c. 3.
Cic. de amicit.
Sen. l. 6. c. 1.

in libris de beneficiis vult amicitiam tantum esse inter Sapientes, quod Cicero loco citato inficiatur.

II. Lex Amicitiæ est, *idem velle & nolle*, quam legem præstabant primi Christiani, quorum, vt est in historia Apostolica, *erat cor vnum & anima vna*, & post eos S. BASILIVS, & GREG. Nazianzenus. Sic enim scribit Nazianz. *Vna vtriq; anima videbatur duo corpora ferens. Vnum hoc ab vtroq; nostrum agebatur, vt virtutem coleremus, atq; ad futuras spes vitæ nostræ rationes accommodaremus. Vterq; alteri norma atq; amussis eramus, qua rectum à prauo discernitur.* HIERON. epist. ad Demetriadem. *Eadem velle*, inquit, *& eadem nolle ea demum firma amicitia est.* Et in apologia aduersus Ruffinum. *Si vnum credimus, si idem & volumus & nolumus, ex quo firmas nasci amicitias etiam Catilina testatur.* Et ad Castrutium. *In amicis non res quæritur, sed voluntas, quia alterum ab inimicis sæpe præbetur, alterum sola caritas tribuit.* AVGVSTINVS in sermonibus de tempore. *Amicos coniunctio animorum facit, Idem velle & nolle sapiens huius mundi ait, ea demum firma amicitia est.*

Act. 4. 32.

N. orat. in laudem Bas.

H. epist. 8. de virg. seru.

Ephes. 33.

A. ser. 46.

III. Lex est, amicum esse alterum ipsum. *Pythagorica*, scribit Hieronymus in Ruffinum, *& illa præcepta sunt; Amicorum omnia sunt communia, & amicum seipsum esse alterum.* Et commentario in Michæam Prophetam. *Interrogatus quidam, quid esset amicus? respondit. Alter ego. Vnde Pytagoræi duo vades se inuicem tyranno dederunt.* Meminit huius legis & M. Tullius. *Ipse se quisque*, ait, *diligit, non ut aliquam à se ipso mercedem exigat charitatis suæ, sed quod per se sibi quisq; carus est. Quod nisi, idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquã reperietur: Est enim is amicus quidem, qui est tanquam alter idem, alterum enim acquirit, cuius animum ita cum suo commisceat, vt efficiat pæne vnum ex duobus.*

H. in Apol.

Mich. 7.

Cic. de amic.

IV. Lex, vt amicorum omnia sint communia, quæ, vt iam dictum, ex eadem Pythagoræ Schola profecta est, sed perfectissimè in Schola Christi & Apostolorum primum obseruata, cum fideles pecuniam omnem ex diuenditis agris, domibusue conflatam ante Apostolorum pedes deponerent, *nec quisquam eorum aliquid suum esse*, inquit B. Lucas, *dicerent, erant enim illis omnia communia:* quam viuendi formulã, deinceps monachi, religiosæq; vitæ cultores omnes in hunc vsq; diem retinuerunt. Nam Possidius in vita S. Augustini ita scribit. *Augustinus factus presbyter monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum seruis Dei viuere cæpit secundum modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam, maxime vt nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia.* Perfectio autem huius communionis in eo vertitur, quod illis communia sint, non externa modo præsidia, & habitationis, victus & conuictus, conuersationisq; quotidianæ

Act. 4. 32.

Possid. 5. 5.

Vide Panar. de Propriet. relig.

næ & colloquiorum, verum etiam interna, vt consiliorum optimorũ & consolationum, in quibus etiam Aristoteles animaduertit præcipuam veræ amicitiæ munus esse locatũ. Accedit communio precum, bonorum operum, ac quod summũ est, voluntatum & iudiciorũ conformatio cum voluntate & iudicio superiorum & moderatorum, quibus tanquam Christo in omnibus obsequuntur, quo nullum antidotum ad pacem veramq; consensionem animorum, atq; amicitiam sartam tectam retinendam efficacius est. Legem hanc non ignorauit Cicero sic scribens primo Officiorum. *In græcorum prouerbio est, amicorum omnia esse communia: communia autem videntur ea, quæ sunt generis eiusdem, quod ab Ennio positum in vna re transferri per multas potest.* A. 8. Eth. c. 5. & l. 9. c. 12.

Vt homo, qui erranti comiter monstrat viam;
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Ve nihilo minus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Vna enim ex re satis percipitur, vt, quicquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur cuiq; vel ignoto: ex quo sunt illa communia non prohibere aquam profluentem: pati ab igne ignem capere, si quis velit. Et de Amicitia. *Inter amicos omnium rerum, consiliorum, & voluntatum sine vlla exceptione sit communitas.* Et Seneca ad Lucilium. *Consortium rerum omnium facit amicitia. Et amico crede quantum tibi. Tam audacter cum illo loquere, quam tecum. cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce.* Et libro de beneficiis sexto. *Non mihi sic cum amico communia omnia sunt, quomodo cum socio, vt pars mea sit, pars illius, sed quo modo patri matriq; communes liberi sunt.* Sen ep. 48. & 3. Id. c. 12.

V. Lex, vt amor idem sit syncerus & fidus, ab omni fraude & fuco alienus: qua de re multa sunt monita Spiritus sancti in diuino Verbo, vt apud Ieremiam. *Vnusquisq; se à proximo suo custodiat, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Et in Prouerbiis Salomonis. *Homo qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* Et in Ecclesiastico. *Amicus fidelis, protectio fortis qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Et Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum, neq; in amicum similiter facias.* Et Dilige proximũ, & coniungere fide cum illo. Vnde Gregorius Nazian. in orat. ad Gregor. Nyssenum. *Amico fideli nullum est in rebus humanis par pretiũ, nec bonitas illius pondere vllo æstimari potest. Amicus fidelis, protectio fortis, & munitum palatium. Amicus fidelis viuus thesaurus. Amicus fidelis super aurum & lapidem pretiosum multum. Amicus fidelis hortus clausus, fons obsignatus, quæ opportunè aperiuntur, & communicantur.* Ambrosius tertio officiorum. *Aperi pectus tuum amico, ut fidelis sit tibi, & capias ex eo vitæ* Ierem. 9. 4. Prou. 29. 5. Eccle. 6. 14. Eccl. 7. 13. Ib. 27. 18. Amb. c. 19.

tuæ

Eccli.6.16. H.ep.66. A.ep.15. *tuæ iucunditatem. Fidelis enim amicus medicamentum eſt vitæ, & immortalitatis gratia.* Hieron. epiſt. ad Ruffinum. *Vera amicitia, quod ſentit, diſſimulare non debet.* Auguſtinus ad Hieronymum. *Cum hominem Chriſtiana charitate flagrantem, eaq; mihi fidelem amicum factum eſſe ſentio, quicquid ei conſiliorum meorum cogitationumq; committo, non homini committo, ſed illi in quo manet, vt talis ſit. Deus enim charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet.* Chryſ. hom. 2. Chryſoſt. in priorem ad Theſſalonicenſes. *Reuera vitæ pharmacum eſt fidus amicus, reuera protectio fortis eſt fidus amicus. Quid enim non efficeret germanus amicus? quantam voluptatem non generaret, quantam vtilitatem quantam ſecuritatem? Et ſi mille theſauros dixeris, nihil tamen germano correſpondebunt amico.* His Patribus conſentiunt & Ethnici. Cic. M. Tullius in Lælio. *Cum omnium rerum,* ait, *ſimulatio eſt vitioſa (tollit enim iudicium veri, idq; adulterat) tum amicitiæ nomen valere non poteſt.* Sen. libr. 6. c. 34. & Seneca de beneficiis. *In pectore amicus, non in atrio quæritur; illo recipiendus, illic retinendus, & in ſenſibus recondendus.*

VI. Eſt, vt amicitia ſit conſtans æquè in aduerſis ac proſperis. nam Prou. 17. 17. Salomon. *Omni tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur.* Et Eccleſiaſticus. Eccl. 6. 7. *Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum, & ne facile credas ei.* Ib. 8. 10. Et: *Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die neceſſitatis.* A. l. 3. offi. c. 19. Ambroſius ita loquitur de hac lege. *Si amici ſecundæ res amicos adiuuant, cur non & in aduerſis amici rebus amicorum adiumentum ſuppetat? Iuuemus conſilio, conferamus ſtudia, compatiamur affectu, ſi neceſſe eſt, toleremus propter amicum etiam aſpera. Quam pulcrè in aduerſis poſitus Iob dicit.* Iob. 19. 21. *Miſeremini mei amici mei, miſeremini. non quaſi abiecta vox iſta eſt, ſed quaſi cenſoria.* Naz. ep. 64. Nazianzenus ad Philagrium. *Quæ tibi moleſta ſunt, vtiq; & nobis. Amicorum enim communia omnia cenſemus, tàm proſpera, quam aduerſa, eaq; amicitiæ lex eſt.* A ſerm. 21. Gal. 6. 2. Auguſt. ſcribens de verbis Apoſtoli. Alter alterius onera portate, ſic adimplebitis legem Chriſti. *Nihil,* ait, *ſic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.*

VII. Lex eſt, vt cum opus eſt, amicus amicum corripere non negligat. Eccli. 19. 13. ait ſiquidem ſapiens *Corripe amicum, ne forte non intellexerit & dicat. Non feci. aut ſi fecerit, ne iterum addat facere.* Clem. c. 8. Et Clemens Alexandrinus in Pædagogo. *Beneuolentiæ,* inquit, *non odij ſignum eſt, reprehendere. Ambo enim probrum obiiciunt, & amicus & inimicus: ſed inimicus quidem irridens, amicus autem bene volens.* A. 3. offic. ca. 16. Ambroſius loco ſæpe citato. *Amicus neq; noxio gratificari debet, neq; innocenti inſidiari, ſed ſi quid in amico vitii cognouerit, corripere occultè: ſi non audierit, corripere palam. Sunt enim bonæ correptiones, & plerunq; meliores, quàm tacita amicitia. Et ſi lædi ſe putat amicus, tu tamen corripe. Et ſi amaritudo correptionis animum eius vulneret,*

ret, tu tamen corripere ne verearis. tolerabiliora sunt enim amici vulnera, quam adulantium oscula. Chrysost. de laudibus apostoli Pauli. *Gratiam habeo his, qui me arguunt. Amici enim, siue iustè, siue iniustè arguunt, non opprobrare volunt, sed emendare. Inimici autem etsi iure reprehendant, hoc tamen agunt, non vt corrigant, sed vt exsibilent. Verum quomodocunque reprehensio contingat, bonum magnū est, si ferantur reprehensiones, & non detur vel sic locus exasperationi. Qui enim odit redargui, ait, insipiens est. Non dixit, sic redargui. Nam si quidem iustè arguit amicus, agit vt peccatum corrigat; sin immeritò, iam laudanda est voluntas eius & mentis intentio bona; non enim reprehenderet, nisi multum diligeret. Quod si omnes ita affecti essemus, vt & argueremus peccantes, & lapsi libenter ferremus reprehensiones, quanta hinc vitæ nostræ accederent commoda? In peccatis enim hoc operantur reprehensiones, quod in vulneribus remedia.* Lælius quoque apud Ciceronem in eandem sententiam philosophatur. *Monendi amici sæpe sunt & obiurgandi & hæc accipienda amicè, cum beneuolè fiunt, sed nescio quomodo verum est quod in Andria familiaris meus Terentius dixit. Obsequium amicos, veritas odium parit.* Et paulo post. *Cuius aures clausæ veritati sunt, vt ab amico vera audire nequeant, huius salus desperanda est: scitum est enim illud Catonis, multo melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos qui dulces videantur: illos verum sæpe dicere, hos nunquam. Vt igitur & monere & moneri proprium est veræ amicitiæ, & alterum liberè facere, non asperè: alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est nullam in amicitiis pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditias, assentationem.*

Prou. 27.6. Chrys. hom. 9. Eccli. 21.7. Cic. de amic.

IIX. est, vt amicus arcana sua amico patefaciat; quam indicauit Christus Dominus cum discipulis dixit. *Iam non dico vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Vnde Ambrosius. *Ipse nos Deus amicos ex seruulis facit sicut ipse ait. Iam vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Dedit formam amicitiæ, quam sequamur, vt faciamus amici voluntatem, vt aperiamus secreta nostra amico quæcunque in pectore habemus, & nos illius arcana non ignoremus. Ostendamus illi nos pectus nostrum, & ille nobis aperiat suum. Ideo, inquit, vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Nihil ergo occultat amicus, si verus est: effundit animum suum, sicut effundebat mysteria Patris dominus Iesus.*

Ioan. 15.15. A. 3. offic. ca. vlt.

Huc pertinet alia cognata lex, sed contraria, vt arcana amici non patefiant extraneis, de qua multa in Scripturis. nam Salomon ait. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est animi, amici cœlat commissum.* Et: *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles.* Et. *Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commisceaeris.* Et: *Qui denudat arcana, amici fidem perdet*

Prou. 11.13. Ib. 25.9. Eccli. 20.19. Eccli. 27.17.24.

H.li.2.in Prou. c.20. *est animæ infelicis.* Ita & S. Hieronym. exponens illud Salomonis. Ei qui reuelat mysteria. *Si quis,* inquit, *voluerit tuis misceri amicitiis, & hunc videris prioris amici pandentem secreta, hunc veluti perfidium caue.* Et in

A.cap.3. AVGVST. auctor libri de Amicitia *Secretorum reuelatione inter amicos nihil turpius, nil execrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos, sed omnia replens amaritudine indignationis & odij.* Vnde Salomon.

Eccli.27.17. *Qui denudat arcana amici perdit fidem.*

IX. Vt nihil turpe, nihil mali, quo Deus offendi possit, alter ab altero postulet. *Quid enim est amicus,* ait AMBROSIVS, *nisi consors amoris,*

A.3.off.c.vlt. *cui te tanquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas nisi ipse commodi tui causa inhonestum petas? Non enim vectigalis amicitia est, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est enim amicitia, non quæstus.* Et Cicero præ-

Cic.in Lælio. clare in libro de Amicitia. *Hæc prima lex in amicitia sanciatur, vt neq; rogemus res turpes, nec faciamus rogati: turpis enim excusatio est, & minimè accipienda, cum in ceteris peccatis, tum si quis contra Rempubl. se amici causa fecisse videatur.* Et multo post. *In talibus stabilitas amicitiæ confirmari potest, cum homines beneuolentia coniuncti, primum cupiditatibus iis, quibus ceteri seruiunt, imperabunt: deinde æquitate, iustitiaque gaudebunt, omniaq; alter pro altero suscipiet, neq; quidquam vnquã nisi honestum & rectum alter ab altero postulabit: itaque in ijs perniciosus est error, qui existimant libidinum, peccatorumq; omnium patere in amicitia licentiam: virtutum enim amicitia adiutrix à natura data est, non vitiorum comes.*

X. Lex, vt externa comitatis & humanitatis officia imprimis sibi mutuo declarent. Ac primò in conformandis moribus. *Deus enim* in-

Psal.67.7. quit regius Psaltes, *inhabitare facit vnius moris in domo. Amicitia, æqua-*

Amb.l.cit. *litatis,* auctore Ambrosio, *magistra est, vt superior inferiori se exhibeat æqualem, inferior superiori. Inter dispares enim mores non potest esse amicitia.*

C.coll.16.c.3. Et Cassianus. *Amicitia sola virtutum parilitate fœderatur, Dominus enim*

Cic.in Lælio. *facit habitare vnius moris in domo.* Et M. Tullius. *Vt ij qui sunt in amicitia superiores, exæquare se cum inferioribus debent: sic inferiores dolere non debent, se à suis amicis, aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari: dispares enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias.* 2. in

Eccl.22.31. affabilitate exhibenda, vnde Syracides. *Amicum salutare non confundar,*

Prou.18.24. *à facie illius non me abscondam.* Et Salomon. *Vir amabilis ad societatem ma-*

Cic.in Lælio. *gis amicus erit, quam frater.* Et Tullius. *Accedat suauitas quædam oportet sermonum atq; morum haud quaquam mediocre condimentum amicitiæ, tristi-*

Cle.in pœd. c.8. *tia autem & in omni re seueritas absit.* Clemens Alexandrinus notauit suo æuo Christianos sobriis haustibus amicitię ergo consuesse bibere. 3. beneficentia & hospitalitate. *Qui tollit ab amico suo misericordiam,* inquit

Iob.6.14. Iob, *timorem Domini derelinquit.* Et Sapiens. *Ne dicas amico tuo vade*

Prou.3.28. *& re-*

& reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare. Et Clemens Alex. 2. stromatæo. *Adhæret charitati & hospitalitas, quæ est artificium amicitiæ circa vsum hospitum. Hospites autem sunt, qui etiam dicuntur* ἐπίξενοι, *id est, amici.* Ch. hom. 2. 1. Thess. 2.
Tum Chrysost. *Qui amat, beneficium magis impendere, quam accipere cupit. non ita gaudet sibi benefieri, vt aliis benefacere.*

XI. Lex est, vt amicus paratus sit pro amico vitam profundere. *Maiorem hac dilectionem*, inquit Dominus apud S. Ioannem, *nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. 13.
Et ipse Ioannes in epistola prima. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere.* 1 Ioan. 3. 16.
S. Avgvstinvs tractatu 84. in Ioannem cum hæc duo testimonia citasset *Hoc*, addit, *beati martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum memorias celebramus.* A. in c. 15. Ioan.
Hoc optauit facere & Apostolus Paulus, cum in epistola priore ad Thessalonicenses scribit in hæc verba. *Ita desiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.* Chr. ho. 2. & lib. 2. de Sacerdotio de Basilio.
Vbi Chrysostom. *Ita enim oportet amantem amare, vt etsi anima ab eo postuletur, & possibile sit non prohibeat. Non dico postuletur, sed vt & ipse vltro tali dono accurrat. Nihil enim nihil tali dilectione dulcius esse poterit, nihil illic triste accidet, &c. Et de germanis amicis loquor, qui eiusdem sunt animi, qui & mortem inuicem alius pro alio subire cupiunt, qui feruenter amant.* Et infra. *Talis erat Paulus, qui animam suam libenter, etiam non rogatus dedisset, & in gehennam quoque cupidè descendisset.* nempe cum scripsit Romanis. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Rom. 9. 3.
Idem fecere pro salute S. Pauli Prisca & Aquila, Epaphroditus, Galatæ & alii, de quibus idem Chrysostomus homilia in verba illa. *Salutate Priscam & Aquilam.* N. orat in Basil.
Tales amici erant Gregorius Nazianzen. & Basilius, de quibus ipse Nazianzen. *Nec nobiscum*, inquit, *gentiles, Orestes suos & Pylades vllo modo conferendos putabant, nec Molionidas illos Homerico versu celebratos, quos calamitatis societas atque ars egregie aurigandi nobilitauit eodem tempore fræna & verbera inter se patientes.* Verum nec Ethnicorum Philosophi huius legis ignari fuere. Seneca enim stoicus Sen. ep. 9.
sic scribit ad suum Lucilium *In quid amicum paro? vt habeam pro quo mori possim: vt habeam, quem in exilium sequar. Detrahit amicitiæ maiestatem suam, qui illam parat ad casus.* Et Lælivs apud Ciceronem. *Si quando aliquod officium existit amici in periculis aut adeundis aut communicandis, quis est qui id non maximis efferat laudibus? qui clamores tota cauea nuper hospitis & amici mei M. Pacuuij in noua fabula? cum, ignorante Rege, vter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se*

esse diceret, vt pro illo necaretur: Orestes autem, ita vt erat, Orestem se esse perseueraret? stantes autem plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? facile indicabat ipsa natura vim suam, cum homines, quod facere ipsi non possent, id rectè fieri altero iudicarent. Si verum exemplum apud Ethnicos quæritur, id commemorat LACTANTIVS libro quinto de iustitia, vt probet posse innocentem cum laude mori pro Deo. *Quid*, inquit, *illi Pythagorei familiares laudantur à vobis, quorum alter se tyranno vadem mortis pro altero dedit, alter ad præstitutum tempus, cum iam sponsor eius duceretur, præsentiam sui fecit, eumque interuentu suo liberauit? quorum virtus in tanta gloria non haberetur, quod alter pro amico, alter etiam pro fide mori voluit, si stulti putarentur. Denique ob hanc ipsam virtutem tyrannus his gratiam retulit, vtrumq; seruando, & hominis crudelissimi natura mutata est. Quinetiam deprecatus esse dicitur, vt se tertium in amicitiam reciperent non vtiq; tanquam stultos, sed tanquam bonos & sapientes viros.*

Lact.c.17. Amb.l.2.de virgin. vocat Damonem & Pythiam.

XII. & postrema, vt amicitia sit indissolubilis & æterna. Vnde sapiens ridet amicum temporarium. *Est*, inquit, *amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* S. Hieronym. dictum est. *Amicitia, quæ desinere potest, vera nunquam fuit.* Et AMBROSIVS. *Constans debet esse amicitia, perseuerare in affectu, non puerili modo amicos mutare vaga quadam debemus sententia. Quam boni amici Hebræi pueri, quos à sui amore nec fornacis ardentis flamma diuisit?* Et Chrysostom. *Qui caducis instabilibusq; de causis amicitiam ineunt, eorum coniunctio perpetua esse non potest, sed vel contemptus, vel pecuniarum iactura vel liuor, vel gloriæ cupiditas, vel aliud huiusmodi amicitia dissoluta dissidium induxit. Vbi si spiritalis esset radix nulla res secularis eam euelleret. Ea certe charitas, quæ Christi causa fundatur firma, stabilis atque inuicta est, nec vlla obtrectatione, non periculis, non morte, non alia re temporali conquassatur. Idcirco Paulus quoque dicebat. Charitas nunquam excidet. Omnia enim quæ seculares amicitias tollunt, spiritalem amorem magis confirmant.* Lege de hoc argumento homiliam primam eiusdem in epistolam ad Colossenses. Chrysostomo subscribit discipulus eius CASSIANVS. *Hæc amicitia sola similitudine virtutum iuncta est, quæ in nullis vnquam casibus sciinditur, quam non solum dissociare, vel delere locorum vel temporum interualla non præualent, sed ne mors quidem ipsa diuellit. Hæc est vera & indirupta dilectio, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concrescit. Cuius semel initum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum.* Hanc quoq; legem vti rationi consentaneam agnouerunt gentiles philosophi, vt Aristot. in octauo Ethico, & Cicero in Lælio, dum ait. *Erit amicitia*

Eccl.6.8. H.ep.ad Ruf.41. A.3.off.c.16. Ch.hom.61.in Matt. 1.Cor.13.8. Cass.16.col.c.3. Ar.cap.3.

citiæ ortus à natura, quam ab imbecillitate grauior & verior: sed quia natura mutari non potest, iccirco veræ amicitiæ sempiternæ sunt. Seneca item in epistolis sugillat amicitias temporarias. Sen. epist. 9.

CAPVT IV.

Quam nobilis, necessaria, salutaris, & iucunda sit Amicitiæ Virtus.

PRIMVM nobilitas & præstantia virtutis Amicitiæ hactenus suis notis descriptæ inde liquet, quod nihil discrepare videatur ab ipsa Charitate proximi, quam Apostolus Paulus omnibus virtutibus donisq; cælestibus prætulit. (1. Cor. 13. 1.) Gregorius Theologus in Apologetico, (G. post reditum ex fuga.) *nihil,* inquit, *amicitia venerabilius. Quid amicitia,* ait Ambrosius, *preciosius est, quæ angelis communis & hominibus est?* (A. 3. off. c. 16.) Et Hieron. in Michæam. (H. l. 2. c. 7.) *Scripsit Theophrastus tria de amicitia volumina omni eam præferens charitati, & tamen raram in rebus humanis esse contestatus est.* Chrysost. quoq; in Apostolum. (C. hom. 2. in 1. Thes. 2.) *Amici excellunt Patres & filios, amici iuxta Christum. Nec mihi dicas hoc bonum nunc cum alijs plerisq. in Ecclesia cessasse, sed cogita quomodo apud Apostolos non coryphæos dico, sed ipsos credentes omnium fuerit anima vna & cor vnum, & nemo quicquam suorum bonorum suum esse dixerit,* (Act. 4. 32.) *non erat inter eos Meum ac tuum. Magnum quid est amicitia, & quam magnum nemo potest cognoscere, neq. sermone consequi præter ipsam experiētiam. Hoc hæreses fecit, hoc Græcos fecit esse græcos, &c. Sicut si de plantula quapiam in India crescente dicerem, cuius nemo haberet experientiam, nullo sermone illam exprimere possem, ita & nunc quicquid dixero, frustra dixero, nemo intelligere valebit. In cælo plantata est hæc planta ramos habens non margaritis, sed vita recta ac solida, illis multo nobiliore, onustos.* Consentit & hic S. Patribus eloquentiæ Princeps. (Cic. in Lælio.) *Ego hortari tantum possum, vt amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. nihil est enim tam naturæ aptum, tam conueniens ad res vel secundas, vel aduersas.* Et infra. *Haud scio, an, excepta sapientia, quidquam melius homini sit à dijs immortalibus datum.*

2 NECESSITAS huius virtutis inde probatur, quod cum hæc amicitia à germana proximi dilectione proximi diuelli non possit, æquè eam videri necessariam atq; dilectionem. *Qui enim non diligit fratrem,* ait B. Ioannes, *manet in morte.* (1. Ioan. 3. 14.) Et B. Paulus. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* (1. Cor. 13. 13.) Vnde Augustinus ad Martianum veterem amicum. (Aug. epist. 155.) *Gratias Deo, quod te mihi amicum facere tandem aliquando dignatur. Nunc enim nobis est rerum humanarum & diuinarum cum beneuolentia & charitate consensio in Christo*

Matth. 22. 17.

IESV Domino nostro verissima pace nostra. Qui duobus præceptis cuncta præconia diuina conclusit dicens. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum tanquam teipsum. In ijs duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. In illo primo, rerum diuinarum, in hoc secundo rerum humanarum est cum beneuolentia & charitate consensio. Hæc duo si mecum firmissimè teneas, amicitia nostra vera ac sempiterna erit, & nos non solum inuicem, sed etiam ipsi Domino sociabit. Eandem necessitatem, licet temporalem professus est Lælius hic verbis apud sæpe dictum M. Tullium.

Cic. de amic.

Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt, qua nihil à Dijs immortalibus melius habemus, nihil iucundius. Et multo post. *De amicitia omnes ad vnum idem sentiunt, & ij qui ad Remp. se contulerunt, & ij qui rerum cognitione, doctrinaque delectantur, & ij qui suum negotium gerunt otiosi: postremò ij, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam, si modo velint aliqua ex parte liberaliter viuere.* Immò Peripateticorum princeps ab hoc necessitatis Loco disputationem de amicitia duobus libris comprehensam inchoauit. Necessitati affinis est Vtilitas.

A. lib. 8. & 9. Eth.

3. VTILITATEM diuinæ litteræ nobis prædicare non prætermisere. *Beatus,* inquit Sapiens, *qui inuenit amicum verum.* Et. *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dominum inuenient illum.* Et Ecclesiastes. *Melius est duos esse simul, quam vnum, habent enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur.* In quæ verba sic HIERONIMVS. *Hic dicitur quid boni habeat amicorum contubernium, & commune solatium, quia & alterius ruina, alterius auxilio subleuetur, & curas domesticas, ipsius quoque noctis requiem melius exigat ille, qui fidum habet amicum, quam qui solis opibus incubat acquisitis. Et si robustior inimicus quis contra vnum surrexerit, imbecillitatem alterius amici solatio sustentari.* Et S. CHRYSOSTOMVS. *Reuera,* inquit, *vitæ pharmacum est fidus amicus, reuera protectio fortis est fidus amicus, Quid enim non efficeret germanus amicus? Quantam vtilitatem, quantam securitatem ingenerat? si mille thesauros dixeris, nihil tamen germano correspondebunt amico.* Et infra. *Cum amico & paupertas tolerabilis est: Sine illo & sanitas & diuitiæ intolerabiles sunt. Alium pro seipso habet qui amicum habet. Præstringor, & veluti præcludor faucibus, non valens exemplo aliquo rem istam exprimere. Noui ego quendam, qui cum sanctos viros amici sui causa obsecraret, primum pro illo, & tum demum pro se orare obsecrabat. Apud Deum verò tanta est amicitiæ merces, quanta dici nequit.* Multa de hoc capite noster TVLLIVS. *Res splendidiores,* ait, *facit amicitia, & aduersas partiens communicansque leuiores. cumque plurimas & ma-*

Eccli. 25. 12.
Ib. 6. 16.
Eccle. 4. 9.
H. in Eccle.
Chr. hom. 2. in 1. Thess.
De amicit.

& maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod bona spe prælucet in posterum, nec debilitari animos, aut cadere patitur. Verum etenim amicum qui intuetur tanquam exemplar aliquod intuetur sui, quocirca & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & quod difficilius dictu est, mortui viuunt, &c. Superest Iucunditas.

4. Iucunditatem huius virtutis indicauit Salomon, dum in Prouerbiis ait. *Vnguento & varijs odoribus delectatur cor, & bonis amici consilijs anima dulcoratur.* Et regius Vates longe prospiciens vitæ religiosæ suauitatem exclamat. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam Aaron.* Vbi enim est perfectior sociorum amicitia, constantiorq; quam in sodalitate religiosorum, vbi omnium est cor vnum & anima vna, vbi vt in primo Apostolicæ Ecclesiæ cætu, omnia sunt communia? *Ita sonus huius psalmi,* inquit AVGVSTINVS in commentario illius, *dulcis est, vt & qui psalterium nesciunt ipsum versum cantent. Tam dulcis est, quam dulcis est charitas, quæ facit fratres habitare in vnum. Iste dulcis sonus, ista suauis melodia tam in cantico, quam in intellectu monasteria peperit. Ex voce huius psalmi, appellati sunt & monachi.* Voluptatem autem germanæ amicitiæ, sed Spiritualis graphice depingit AVREVM os in commentariis Paulinis. *Est,* inquiens, *reuera amicus ipsa luce iucundior; germanum dico, & ne mireris. Est enim nobis solem hunc extingui iucundius, quam amicorum consuetudine priuari, iucundius in tenebris agere, quam sine amicis esse. Et quomodo? dicam. Quia multi solem istũ videntes in tenebris sunt: qui verò amicorum copiam adepti sunt, nec in afflictionibus quidem tristitiam habent. De Spiritalibus amicis dico, qui nihil amicitiæ præponunt.* Et infra. *Quam mihi voluptatem oppones, siue turpem, siue honestam? Omnes excellit ea, quæ amicitiæ est, etiamsi eam dixeris, quæ mellis est. Fit enim fastidiosum mel, amicus verò nunquam, quin magis crescit illius desiderium, ita vt illius voluptas nunquam fastidium patiatur.* Hæc Chrysostomus. Concludo cum Lælio Ciceronis. *Quis potest esse vita vitalis, vt ait Ennius, qui non in amici mutua beneuolentia conquiescat? quid dulcius, quam habere quocum omnia audeas sic loqui vt tecum? qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æquè, ac tu ipse, gauderes?*

* * *

Prou. 27.9. Psal. 132.1. Act. 4. 32. Ch. hom. 2. in 1. Thess. Cic.

CAPVT

CAPVT. V.

Quibus modiis amicitia ineatur, conseruetur & augeatur.

ETsi hactenus satis multa de Amicitia dicta, media tamen non videntur omittenda. Vt enim S. Hieronymus se legisse in cuiusdam controuersia testatur, *Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile seruatur.* Principio ergò ad amicitiam cum viris bonis contrahendam hæc cautio præeat, vt explores vitam moresq; futuri amici, iuxta consilium S. Ioannis Apostoli. *Probate Spiritus si ex Deo sint*: Et Senecæ ad Lucilium. *Omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. Si amore dignus fuerit.* Medium primum sit Amor: nam cum amicitia nomen suum, teste Tullio, ab amore mutuata sit, merito eiusdem beneficio rem nomini subiectam venabitur. 2. Beneuolentia. *Amicitia* siquidem, auctore S. Ambrosio libro primo officiorum, *ex beneuolentiæ fonte procedit.* 3. Affabilitas, de qua supra dictum. 4. Liberalitas. vnde Romani, teste S. Augustino in libris de ciuitate DEI, magis dandis, quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. 5. Virtus, nec enim nisi ob virtutem initur. Hoc medium tradit Chrysost. homilia. 40. in Acta Apostolorum. *Quid,* inquit, *facit amatorem corporum? Corporis luculentia & formositas itaq; & animas faciamus pulcras & luculentas & erimus inter nos mutuo amatores. Non enim solum oportet amare, sed etiam amari. Primum hoc curemus vt amemur, eritq; secundum factu facillimum. Simus pulcri ac boni, & ita semper habebimus amatores.* Haud secus Lælius. *Nihil,* ait, *est amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum, quippe cum propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.* 6. Medium est, facilitas in admittendo alio ad amicitiam. Quod tradit S. Augustinus de verbis Apostoli. *Nullius,* inquiens, *repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam, non vt statim recipiatur, sed vt recipiendus optetur, atq; ita tractetur, vt recipi possit. Illum enim receptum in amicitiam possumus dicere, cui omnia consilia nostra refundere audeamus. Et si sit quisquam, qui se non audet ingerere ad amicitiam faciendam, cum aliquo nostro temporali honore aut dignitate reuocatur, descendendum est ad eum, & offerendum illi quadam comitate & submissione animæ, quod petere per semetipsum non audet.*

H.in.c.7. Mich. & epist. 41. — 1 Ioan.4.1. — S.epist.3. — C.de amic. — A.c.13. — A.lib.3.c.10. — Cic.de amic. — A.serm.23.

II. Conseruari & augeri eadem amicitia potest, primo mediis iam numeratis. 2. plerisq; amicitiæ legibus. 3. tolerantia leuiorum defectuum amici. nam vt loco iam citato idem Augustinus subiunxit, *Admo-*

A.ser.23.

Admonet Dominus noster IESVS Christus, qui nos vult effici imitatores suos, vt eius infirma toleremus, vt ad quædam sana, in quorum delectatione acquiescamus per charitatis tolerantiam perducamur. ait enim. Non est opus sanis medicus sed ægrotantibus. Dixi, *leuiorum*, nam si grauiores sint defectus & incorrigibiles, dissuenda magis, auctore Catone, quam discindē, da est amicitia, *nisi quædam admodum intolerabilis iniuria exarserit, vt neq; rectum, neq; honestum sit, neq; fieri possit, vt non statim alienatio, disiunctioq; facienda sit. Cauendum tamen erit, ne non solum amicitiæ depositæ*, ait Lælius, *sed inimicitiæ etiam susceptæ videantur: nihil enim turpius, quam cum eo bellum gerere, qui cum familiariter vixeris.* Ioan. Cassianus collatione *16.* monachis suis pro sarta tecta præstanda amicitia ac societate aliquot media singillatim præscribit. I. vt firmum fundamentum iaciant in contemptu substantiæ mundialis & omnium rerum etiam vilissimarum, quas habent, despectione. 2. vt ita suas vnusquisq; resecet voluntates, ne suis malit, quam proximi definitionibus obedire. 3 vt sciat omnia etiam quæ necessaria & vtilia æstimat postponenda bono caritatis & pacis. 4. vt caueat iracundiam, quæ mater est discordiæ. 5. vt iracundiam fratris aduersus se etiam sine ratione conceptam curare, æquè ac suam, desideret. 6. vt se de hoc mundo credat quotidie migraturum, quod generale vitiorum omnium peremptorium est. 7. vt etiam in opinionibus ad intellectum pertinentibus fugiat contentiones. 8. vt nunquam suo plusquàm fratris iudicio fidat, ne decipiatur à diabolo, & seruet illud Apostoli. *Honore inuicem præuenientes.* Nam Paulus ipse, licet de cælo vocatus non fidens prædicationi sui Euangelii, Hierosolymã abiit, vt cum coapostolis Secreta examinatione illam conferret, vt est in epistola ad Galatas. Hæc de Amicitia cum hominibus. nam de Amicitia cum Deo, agemus titulo, de Familiaritate cum Deo.

Matth. 9. 12.
Cass. c. 6.
Cap. 8. 9. 10. 11. & 12.
Rom. 12. 10.
Gal. 2. 2.

* * *

VIDE. V. Beneuolentia. Charitas in Deum & proximum Familiaritas cum Deo.

B

BENEFICENTIA. Vide V. Liberalitas.

BENEVOLENTIA.

De nomine beneuolentiæ, origine, dignitate, necessitate, effectis & mediis, quibus augeatur.

Clem.c.11. Vod ad nomen attinet, *Beneuolentia*, auctore CLEMENTE Alexandrino libro primo Pædagogi, *nihil aliud est, quam voluntas boni proximi sui propter illum.* S. Thomas Aquinas vult non esse specialem virtutem, sed actum charitatis internum, quo volumus benefacere proximo, sicut beneficentia est actus externus eiusdem, quo reipsa benefacimus. Cætera sumemus ex libro primo Officiorum D. Ambrosii.

Tho.22.q.31.a.4.

Amb.c.30.32.33.34.

ORIGINEM his verbis describit. *Beneuolentia à domesticis primum profecta personis, id est, à filijs, parentibus, fratribus per coniunctionum gradus in ciuitatum peruenit ambitum, & de paradiso egressa mundum repleuit. Deniq. cum in viro & femina beneuolentem Deus posuisset affectum, dixit. Erunt ambo in vna carne & in vno Spiritu. Vnde se Eua serpenti credidit: quoniam quæ beneuolentiam acceperat, esse maleuolentiam non opinabatur.*

Gen.2.24.

DIGNITAS indeliquet, quod quicquid præstantiæ est in benificentia vel liberalitate, ea à beneuolentiæ laude sumitur. *Beneuolentia*, inquit idem, est *fons beneficentiæ vel liberalitatis: nec enim satis est benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est, ex bona voluntate proficiscatur. Hilarem enim datorem diligit Deus Nam si inuitus facias, quæ tibi merces est? Si volens hoc ago,* ait Paulus, *mercedem habeo. Affectus diuitem collationem, aut pauperem facit, & pretia rebus imponit. In reddendo quoq. beneficio plus animus, quam census operatur, magisq. præponderat beneuolentia, quam possibilitas referendi muneris. Magna igitur beneuolentia, quæ etiamsi nihil conferat, plus exhibet, idq. facit sine ullo sui dispendio & lucro omnium. Et ideo beneuolentia præstat supra ipsam liberalitatem: ditior hæc moribus, quam illa muneribus. vbi deest liberalitas, beneuolentia manet.* Haud secus Philosophatus est, L. Annæus Seneca libro primo de beneficiis. *Non potest*, inquiens, *beneficium manu tangi, animo cernitur. Multum interest inter materiam beneficij & beneficium. Itaq. nec au-*

c.30.

2.Cor.9.7.
1.Cor.9.17.

Sen.c.5.

uum, nec argentum, nec quicquam eorum quæ à proximis accipiuntur, beneficium eſt, ſed ipſa tribuentis voluntas. Et paulo poſt. *Quid eſt ergo beneficium? Beneuola actio, tribuens gaudium, capiensq́ tribuendo, in id quod* Cap. 6 *facit prona, & ſponte ſua parata. Itaq́ non quid fiat, aut quid detur, refert, ſed qua mente & animo. Animus eſt, qui parua extollit, ſordida illuſtrat, Sicut nec in victimis quidem, licet opimæ ſint, auroq́ præfulgeant, Deorum eſt honos, ſed pia ac recta voluntate venerantium.* Hæc ille. Sequitur neceſſitas.

NECESSITATEM Ambroſius probat ex quotidianis hominum officiis, ad inſtituendam vitam neceſſariis. *Tolle,* inquit, *ex* Cap. 32. *vſu hominum beneuolentiam, tanquam ſolem è mundo tuleris, ita erit: quia ſine ea vſus hominum eſſe non poteſt, vt peregrinanti monſtrare viam, reuocare errantem, deferre hoſpitium, aquam de aqua profluenti dare, lumen de lumine accendere. Eſt etiam illa beneuolentiæ liberalitas, vt ſi quod habes debitoris chirographum ſcindens reſtituas, nihil à debitore conſecutus debiti. Non igitur mediocris virtus, de qua ſibi plaudebat Iob dicens. Foris autem, non habitabat hoſpes, ianua mea omni venienti patebat. Exemplo quoq́ ſui,* Iob. 31. 32. *(in debitoris chirographo) reſtituendo, facere nos debere Iob ſanctus admonet. Nam qui habet, non mutuatur: qui non habet, non liberat Syngrapham. Quid igitur etiamſi ipſe non exigas, auaris hæredibus reſeruas, quam potes cum beneuolentiæ laude ſine damno pecuniæ repræſentare?*

EFFECTVS beneuolentiæ ſunt hi, eodem auctore. Bene- Ib. uolentia, vt *communis quædam parens omnium,* ait, *amicitiam connectit & copulat, in conſilijs fidelis, in proſperis læta, in triſtibus mœſta, vt vnusquisq́ beneuolentis ſe magis quam ſapientis credat conſilio: vt Dauid cum eſſet prudentior, Ionathæ tamen iunioris conſilijs acquieſcebat.* 2. *Habet* 1. Reg. 19. *in ſe beneuolentia etiam fortitudinem. nam cum amicitia ex beneuolentiæ fonte procedat, non dubitat pro amico grauia vitæ ſuſtinere pericula. Etſi* Ariſ. 9. eth. c. 5. Eccli. 22. *mala mihi, inquit, euenerint per illum ſuſtineo.* 3. *Beneuolentia etiam* Cap. 34. *gladium iracundiæ extorquere conſueuit.* 4. *facit, vt amici vulnera vtilia magis, quam voluntaria inimici oſcula ſint.* 5. *facit vt vnus fiat ex pluribus: quoniam etſi plures amici ſint, vnum fiunt, in quibus vnus Spiritus & vna ſententia eſt.* 6. *Simul aduertimus etiam correptiones in amicitia gratas eſſe, quæ aculeos habent, dolorem non habent. Compungimur enim cenſorijs ſermonibus, ſed beneuolentiæ delectamur ſedulitate.* 7. *Ad ſummam, non omnibus eadem ſemper officia debentur, nec perſonarum ſemper, ſed plerunq́ cauſſarum & temporum prælationes ſunt, vt vicinum quis interdum magis, quàm fratrem adiuuerit.* Prou. 27.

 Quo-

Prou.27.10. *Quoniam & Salomon dicit. Melior est vicinus in proximo, quàm frater longe habitans. Et ideo plerunq; amici se beneuolentiæ quisq; committit quàm fratris necessitudini. Tantum valet beneuolentia, vt plerumq; pignora vincat naturæ.* Restant Media.

1. MEDIA ad augendam, conseruandamq; beneuolentiam idem Sanctus non tacuit. *Augetur,* ait, *beneuolentia cætu Eulotiæ, fidei consortio, initiandi societate, percipiendæ gratiæ necessitudine, mysteriorum communione. Hæc enim etiam appellationes necessitudinum, reuerentiam filiorum, auctoritatem & pietatem Patrum, germanitatem fratrum sibi vindicant. Multum igitur ad cumulandam spectat beneuolentiam necessitudo gratiæ. 2. Adiuuant etiam parium studia virtutum: Siquidem beneuolentia* 1.Reg 19.1. Psal.17.26. *etiam morum facit similitudinem. Deniq; Ionathas filius regis imitabatur Sancti Dauid mansuetudinem, propter quod diligebat eum: Vnde & illud. Cum Sancto sanctus eris, non solum ad conuersationem sed etiam ad beneuolentiam deriuandum videtur. Nam vtiq; & filij Noe simul habitabant, & non erat in his morum concordia. Habitabant etiam in domo patria Esau & Iacob, sed discrepabant. Non enim erat beneuolentia inter eos, quæ sibi præferret alterum: Sed magis contentio, quæ præriperet benedictionem. Nam cum alter prædurus, alter mansuetus esset, inter dispares mores & studia compugnantia beneuolentia esse non poterat. Adde quia sanctus Iacob paternæ degenerem domus virtuti præferre non poterat. 3. Nihil autem tam consociabile, quàm cum æquitate iustitia, quæ velut compar & socia beneuolentiæ facit, vt eos, quos pares nobis credimus, diligamus.* Deniq;, quæ media ad amicitiam colligendam, valent, eadem valere poterunt ad beneuolentiam.

VIDE V. Affabilitas, Amicitia, Charitas. Hospitalitas. Liberalitas.

C

CASTITAS.

CAPVT I.

Quid castitatis, vel quod idem est, pudicitiæ, aut continentiæ nomine intelligamus.



CASTITATIS nomine generatim intelligimus virtutẽ quãdam temperantiæ omnibus Christianis ad salutem necessariam, nempe eam quæ repugnat vitio libidinis vel luxuriæ, quam Apostolus vocat sanctificationem, vel sancti-

1 Thes.4.3. moniam. *Hæc est voluntas DEI,* inquit in priore ad Thessaloni-

cen-

censes, *sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat* Heb.12.14.
vnusquisq; vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore, T.de exhor. castitatis.
non in passione desiderij. Et ad Hebræos. *Pacem sequimini cum omnibus, &*
sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum. Vnde Tertullianus. *Aspice epistolas* Pauli, *omnes pro pudicitia, pro castitate, & sanctitate prætendunt, omnes*
in luxuriæ, & lasciuiæ, & libidinis negotia iaculantur. Quid deniq; & Thes-
salonicensibus scribit? Aduocatio enim nostra non ex seductione, nec ex immun- Cas.lib.6.c.15.
ditia. Et hæc est voluntas Dei, sanctimonia nostra, abstinere vos à fornicatio-
ne, &c. Et Ioan. Cassian. in libris institut. monast. *Ne forte* Apostolus
dubium nobis relinqueret, vel obscurum, quidnam sanctificationem voluerit
appellare, vtrum iustitiam, an caritatem, an humilitatem, an patientiam? in o-
mnibus enim istis virtutibus creditur acquiri sanctificatio, infert & manifestè
designat, quid propriè sanctificationem voluerit appellare. Hæc est voluntas
Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos, inquit, à fornicatione & honore,
&c. Vide quibus eam laudibus prosequatur, honorem vasis, id est, corporis no-
stri, & sanctificationem eam appellans. Igitur econtrario, qui in passione desi-
derij est in ignominia & immunditia consistit, & alienus à sanctificatione ver-
satur. Tertio quoque post pauca infert, rursus sanctimoniam eam pronunci-
ans. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Et
paulo post. *Aliud adhuc simile huic prætermissum eiusdem Apostoli testimo-*
nium ponam. Ad Hebræos namq; scribens: Pacem, inquit, sectamini cum o- Heb.12.14.
mnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Hic quoque euiden-
ter sine sanctimonia, quam solet integritatem mentis, vel puritatem corporis
appellare, pronunciauit Deum penitus videri non posse. Siquidem & hic simi- Chrys in 1. Thess hom 5.
liter infert, eundem sensum explanans, Ne quis fornicator, aut profanus, vt Heb.12.
Esau. Eadem verba ante eum exponens S. Chrysostom. ita scribit.
Vide quomodo Paulus nusquam de alia quapiam re adeò vehementer, obscurè,
ac latenter loquitur, atq; de ista. Quemadmodum & alibi scribens dicit. Pa- 1.Tim.2.2.
cem sectemini cum omnibus, & sanctificationem, sine qua nemo Deum vide-
bit. Et quid miraris, quod vbiq; discipulis de hac re scribit, quando & Timotheo
scribens dixerit: in multa tolerantia, in ieiuniis, in castitate & puritate. Et in
multis locis hoc inuenire licet, & in ea, quæ ad Romanos est & passim in omni-
bus vbique epistolis. Reuera namque quosuis hoc malum corrumpit ac perdit.
Et quemadmodum porcus in cœno volutatus, quocunque ingressus fue-
rit, omnia fœtore replet, ac sensus graueolenti stercore
imbuit, ita & scortatio malum est quod
difficile abluatur.

* * *

CAPVT II.

De Conditionibus castitatis, quatenus vera & salutaris virtus est.

Arist. 7. Ethic. PHILOSOPHI gentiles virtutē castitatis non agnouerūt, ne Aristoteles quidem, qui nimis angustis terminis eam circumscribēs tantum agnoscit viam esse ad virtutem. Prima causa est, quia fide caruerunt, sine qua impossibile est, teste Apostolo, placere Deo. Vnde Tert. de cultu feminarum. *A feminis nationum abest conscientia veræ pudicitiæ, quia nihil verum in his, quæ Deum nesciunt præsidem & magistrum veritatis. Nam & si qua in gentilibus pudicitia credi potest, vsq; adeo eam imperfectam & inconditam constat, vt licet animo aliquatenus tenax sui agat, in habitus tamen licentia sese dissoluat.* Et Augustin. lib. 1. de nuptiis c. 4. *Cum virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes etiam, quæ per corpus operatur, in animo habitent, quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur? Quam fornicationem sanctus ille psalmus accusat, vbi dicit. Ecce enim, qui longè se faciunt à te peribunt, perdidisti omnem, qui fornicatur abs te. Vera igitur pudicitia, siue coniugalis, siue vidualis, siue virginalis dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur. Cum enim recte iudicio præferatur nuptiis sacrata Virginitas, quis non sobria mente Christianus etiam non vni viro Christianas Catholicas nuptas, non solum Vestalibus, sed etiam hæreticis virginibus anteponat? Tantum valet fides, de qua dicit Apostolus, omne quod non est ex fide peccatum est. Et de qua item scriptum est ad Hebræos Sine fide impossibile est placere Deo.*

Heb. 11. 6. Tertul. initio. Rom. 14. 23. Psalm. 72. 27.

ALTERA, quia caruerunt caritate, sine qua nihil omnia alia opera bona eodem Apostolo teste, prosunt. *Quantalibet*, inquit S. Bernardus ad Senonensem Archiepiscopum Henricum, *venustate sui castitas eminere appareat, sine charitate tamen nec precium habet nec meritum. Nec mirum. Quod enim absque illa bonum suscipitur? fides? sed, nec si montes transferat. Scientia? sed ne illa quidem, quæ lingua loquitur angelorum. Martyrium? nec si tradiderō, inquit, corpus meum ita vt ardeā. Nec absq; illa quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quālibet exiguum respuitur. Castitas sine charitate lampas est sine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas non placet.*

1. Cor. 13. 3. Bern. ep. 42.

TERTIA causa est, quia vmbram tantum & speciem quandam externam castitatis, non internam virtutem habuerunt, vt bene Cheremon apud Cassianum philosophatur dicens. *Primum Philosophos nequaquam credendum est talem animi castitatem, qualis à nobis exigitur, assecutos; quibus iniungitur, vt non solum fornicatio, sed ne immunditia quidem*

Cass. coll. 13. c. 5.

comi-

nominetur in nobis. Habuerunt autem illi quandam μέριδα, id est, portiunculã castitatis, id est, abstinentiam carnis, vt tantum à coitu libidinem coercerẽt: hanc autem internam mentis perfectam, ac perpetuam corporis puritatem, non dicam opere assequi, sed nec cogitare potuerunt. Deniq; famosissimus ille ipsorum Socrates, hoc, vt ipsi concelebrant de se non erubuit profiteri. Nam cum intuens eum quidam Physiognomon dixisset ὄμματα παιδεράστου: *oculi corruptoris puerorum, & irruentes in eum discipuli eius vlcisci illatum magistro vellent conuitium indignationem eorum hac dicitur compressisse sententia.* παύσασθε ἑταῖροι εἰμὶ γὰρ ἀλλ᾽ ἀπέχω, *id est, quiescite, sodales: etenim sum, sed contineo me. Apertissime igitur non solum assertione nostra, sed etiam ipsorum professione mõstratur, consummationem tantum impudicitiæ, id est, commixtionis turpitudinem violenta ab illis necessitate compressam, non tamen desiderium de cordibus eorum, & oblectationem illius passionis exclusam.* Quod autẽ castitas vel pudicitia potius sit animi virtus quam corporis, cum aliis Patribus clarè non semel docet S. August. vt in libris de ciuitate Dei, cum agit de iis quorũ castitas vi à lasciuis violata est. *Quis tandẽ,* inquiens, *sana mente putauerit se perdere pudicitiã, si forte in apprehensa & oppressa carne sua exerceatur & expleatur libido non sua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non erit, nec pertinebit ad ea bona, quibus bene viuitur, sed in bonis corporis numerabitur: qualia sunt vires, pulcritudo, sana integraq; valetudo, ac si quid huiuscemodi est: quæ bona etiamsi diminuantur, bonam iustamq; vitam omnino non minuunt. Quinetiam sanctæ continentiæ bonum est, cum immunditiæ carnalium concupiscentiarum non cedit, & ipsum corpus sanctificatur: & ideo cum eis non cedere inconcussa intentione persistit: nec de ipso corpore perit castitas, quia eo sanctè vtendi perseuerat voluntas, & quantum in ipso est, etiam facultas.*

Eph.5.

A.lib.1.c.18.

QVARTA causa est, quia intentio eorum pura & sincera non est: omnia.n. faciunt, vt videãtur ab hominibus, & nõ vt placeant Deo. Vnde S. August lib. 4. in Iulianum. *Non erat in Ethnicis vera iustitia,* ait, *quia non actibus sed finibus pensantur officia.* Et infra exponens verba Christi. *Si oculus tuus nequam est, totum tuum corpus tenebrosum erit. Hunc oculum,* inquit, *agnosce intentionem, qua facit quisq; quod facit, & per hoc disce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bona, hoc est eius quæ per dilectionem operatur totum quasi corpus, quod illis velut membris operibus constat tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum.* Cum hac doctrina conuenit, quod Clemens Alexandrinus, cum quædam Ethicorum exempla recitasset; qui à Venere abstinuissent, in hæc verba concludit. *Quare nec castitas est bonum & ex virtute, nisi fiat propter dilectionem in Deum.* Et quod S. BERNARDVS in Cantica scripsit. *Continentia non habet meritum apud DEVM, quæ gloriam requirit humanam:*

Aug.c.3.

Matt.6.23.

Clem.lib.3. strom.

B.serm.8.

ideoq;

ideoq; maximè opus est etiam puritate intentionis, qua soli mens vestra Deo & placere appetat, & valeat inhærere.

CAPVT III.

De triplici genere Castitatis.

S. PATRES tria fere faciunt genera castitatis; primam vocant Vir-
Cypria. ginalem, secundam vidualem, tertiam coniugalem. S. Cypria-
nus de Bono pudicitiæ. *Pudicitia,* inquit, *primum locum in virginibus te-
net, secundum in continentibus, tertium in matrimonijs. Verum in omnibus
gloriosa est cum gradibus suis. Nam & matrimoniorum fidem tenere laus est
inter tot corporis bella: & matrimonio de continentia modum statuisse, maio-
Amb. lib 3. ris virtutis est, dum etiam l cita reiiciuntur.* S. Ambrosius, de Virginibus.
*Est Ecclesiæ ager diuersis fæcundus copijs. Hic cernas germina virginitatis flore
vernantia: illic tanquam in campis syluæ viduitatem grauitate pollentem, a-
libi tanquam vberi fruge coniugij Ecclesiæ segetem replentem mundi horrea ac
veluti maritatæ vineæ, fœtibus torcularia Iesu Domini redundantia, in qui-
bus fidelis coniugii fructus exuberat. Nec improbum igitur, nec nouam inte-
gritatis est studium.* Et libro de Viduis. *Docemur triplicem castitatis esse
virtutem. Vnam coniugalem, aliam viduitatis, tertiam Virginitatis. Non e-
nim aliam sic prædicamus & excludamus alias: Suis quibusque pro essionibus
ista conducunt. In hoc Ecclesiæ opulens disciplina, quod quos præferat habet,
quos reijciat non habet. atque vtinam habere nunquam possit. Ita igitur vir-
ginitatem prædicamus, vt viduas non reijciamus: ita viduas honoramus, vt su-
Hier. in c. 13. us honos coniugio reseruetur.* S. Hieronymus exponens parabolam Chri-
Matth. sti de fructu seminis, cuius aliud quidem centesimum, aliud sexagesi-
mum, aliud vero tricesimum protulit. *Centesimum,* inquit, *fructum vir-
ginibus, sexagesimum viduis & continentibus, tricesimum casto matrimonio
Lib. 1. deputamus.* Et in Iouinianum. *Centesimus, & sexagesimus & tricesimus
fructus, quanquam de vna terra & de vna semente nascatur, tamen multum
differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias. Nam & ipsa digitorum
coniunctio, quasi molli se complexans osculo, & fœderans maritum pingit &
coniugem. Sexaginta verò ad viduas, & quod in angustia & tribulatione
sunt positæ Vnde & superiori digito deprimuntur: quantoq; maior est diffi-
cultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est præmi-
Vide Marian in um. Porrò centesimus numerus, diligenter quæso lector attende, de sinistra
schol. transfertur ad dextram, & eisdem quidem digitis, sed non eadem manu, qui-
bus in læua nuptæ significantur, & viduæ, circulum faciens exprimit virgini-
Aug. c. 45. tatis coronam.* Addo S. Augustinum de S. Virgintate ita scribentem, de

codem

eodem fructu. *Quicquid significet fœcunditatis illa diuersitas, viderint, qui melius hæc, quàm nos, intelligunt: siue virginalis vita in centeno fructu sit in sexageno vidualis, in triceno autem coniugalis siue centena fertilitas martyrio potius imputetur, sexagena continenti & tricena connubio: siue virginitas accedente martyrio centenum fructum impleat, sola verò in sexageno sit, coniugati autem tricenum ferentes ad sexagenum perueniãt, si martyres fuerint: siue quod probabilius mihi videtur, quoniam diuinæ gratiæ multa sunt munera, & est aliud alio maius ac melius. vnde dicit Apostolus: Æmulamini autem dona meliora,* 1.Cor.12 31. *intelligendum est plura esse, quam vt in tres differentias distribui possint, &c. Sed Dominum tres arbitror voluisse fructificationis* Matt 13.23. *commemorare differentias, cæteras intelligentibus reliquisse.* Hæc ille. Quæ expositio Augustini verissima est, nam præter castitatem Virginum, viduarum & Coniugum, certũ est dandam esse castitatem Clericorũ, & Monachorum, quæ ad virginalem & vidualem referri non queunt, quia S. Patres vtramq; tantum fere attribuunt fœminis Deo dicatis. Deinde perfectior est castitas clericorum religiosorum, quàm non religiosorum clericorum, vt sunt qui cœnobiticam vitam non elegerunt, & voto castitatis non adiunxerunt votum paupertatis & obedientiæ. Nam Augustinus loco citato Virginalem castitatem sancti monialium præferens castitati virginum sacrarum in seculo manentium ita loquitur. *Deinde vbi ponimus quod multi ac multæ ita custodiunt continentiam virginalem, vt tamen non faciant, quæ Dominus ait. Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum* Matt.19.21. *in cœlis, & veni sequere me. Nec audeant eorum cohabitationi sociari, in quibus nemo dicit aliquid proprium sed sunt eis omnia communia.* Act 4.32. *Nihilné putamus fructificationis accedere virginibus Dei cum hæc faciunt? Multa ergo sunt dona, & alijs alia clariora ac superiora singulis singula.*

CAPVT IV.

De dignitate & præstantia Virtutis Castitatis.

DIGNITATEM virtutis Castitatis ob oculos ponit Spiritus sanctus in diuinis Scripturis. Primò dum ait apud Ecclesiasticum. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Eccli.26 20. Secundo, dum castitatem numerat inter dona Dei. *De continentia*, ait Ambr. vel potius B. Prosper P.lib.1.c.9. de Vocatione gentium, *quod ex Dei habeatur munere, eadem scriptura sic loquitur. Vt sciui quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det: & hoc* Sap 8.21. *ipsum erat sapientiæ scire, cuius esset hoc donum. Cui sententiæ Pauli Apostoli doctrina concordat in prima ad Corinthios hæc scribentis. Volo autem omnes* 1.Cor.7.7. *homines esse sicut meipsum sed vnusquisq; proprium habet donum ex Deo, alius*

sic, alius verò sic. Dominus verò in Euangelio secundum Matthæum hæc de continentiæ dono insinuasse narratur. Dicentibus namque discipulis suis si ita est causa viri cum vxore non expedit nubere. Dicit illis Iesus. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est à Patre nostro Hæc ille. Ad hæc Paulus in epist. ad Galatas continentiam & castitatem numerat inter fructus spiritus. Quem locum exponens S. Hieron. libro I. in Iouinianum. *Omnes virtutes*, ait, *Spiritus, quasi solidissimum fundamentum & sublime culmen continentiæ sustentat & protegit.*

Matt. 19. 11. Gal. 5. 23.

Eandem fusè amplificant S. PATRES. *Pudicitia*, inquit Cyprianus, *est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia solicita non est, cui placeat nisi sibi. Pudicitia semper verecunda, dum innocentiæ mater est. Pudicitia semper ornatur solo pudore, bene sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet. Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo, beata ipsa & beatos efficiens apud quoscunque habitare dignatur: quam nunquam accusare possunt, nec qui eam nõ habent: venerabilis etiam hostibus suis, dum illam multo magis mirantur, qui eam expugnare non possunt.* S. Ephrem sermone de Castitate. *O castitas mater dilectionis, & angelicæ vitæ ratio. O castitas, quæ mundo es corde, ac dulci gutture, hilarique aspectu. O castitas, quæ homines angelis similes reddis. O castitas quæ Dei amicum ita exaltasti in patria externa, vt & eos qui emerant ipsum redimeret. O castitas, donum Dei, benignitatis, disciplinæ, cognitionisque plena O castitas portus tranquillus in summa pace ac securitate constitutus, &c.* Greg. Nazian. de pauperum amore. *Præclara res est castimonia & virginitas, fidem arroga Paulò de his rebus leges instituenti, ac matrimonii & virginitatis causam iustè incorrupteque disceptanti ipsique etiam Iesu ex virgine nascenti, vt & procreationem honore afficiat & virginitatem honore præferat. Præclara res est continentia. moueat te Dauidis auctoritas, qui vt aquẽ Bethleemitici putei copia ipsi facta est bibere noluit, sed eam tantũ libauit, nec sitim suam per aliorum cruorẽ explere sustinuit.* Et in laudem Basilii *Eximia res est virginitas & cœlibatus, atque in angelorũ naturæ singularis ordine debet censeri: vereor enim dicere, Christi, qui cum propter nos procreatus procreandus esset, ex virgine procreatur, virginitatem lege præscribens, vt hinc abducentem, ac mundum contrahentem vel potius mundum ad mundum transmittentem, præsentem nimirum ad futurum* Lactant de vero cultu, agens de castitate virginali, *Quod continentiæ genus, inquit, quasi fastigium est, omniumque consummatio virtutum Ad quã si quis eniti, atque eluctari potuerit, hunc seruum Dominus, hunc discipulum magister agnoscet, hic terram triumphabit, hic erit consimilis Deo, qui virtutem Dei cœpit. Hæc quidem difficilia videntur, sed de eo omnibus terrenis iter in cœlum paratur.* Ioan. Cassian. lib. 6 institut.

Cyp de bono Pudic. Tert. l. de pudi. Ephr. tom. 1. Gen. 39 45. Nazianz. 1. Cor. 7. 2. Reg. 23. 17. Lact. li. 6. c. 23.

ſtitut.monaſt. *Nulla virtute tàm propriè carnales homines ſpiritalibus ange-
lis imitatione conuerſationis æquantur, quàm merito & gratia caſtitatis, per
quam adhuc in terra degentes habent ſecundum Apoſtolum municipatum in* Phil.3.20.
*cœlis, quod depoſita corruptela carnali habituros ſanctos promittitur in fu-
turũ, hic iam in carne fragili poſſidentes.* S. Auguſt. in libris de ciuitate Dei. A.lib.2.c.26.
*Tanta vis eſt probitatis & caſtitatis, vt omnis, vel pœnè omnis eius laude mo-
ueatur humana natura: nec vſq; adeo ſit turpitudine vitioſa, vt totum amittat
ſenſum honeſtatis.* S.Bern.epiſt.42. *Quid caſtitate decorius? quæ mundum de
immundo cõceptum ſemine, de hoſte domeſticum, angelum deniq; de homine fa-
cit. Differunt quidem inter ſe homo pudicus & angelus, ſed felicitate, non vir-
tute. Sed etſi illius caſtitas felicior, huius tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt
caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore ſtatum quendam immorta-
lis gloriæ repræſentat.* CAVSAS huius dignitatis & præſtantiæ accuratè
exponit Baldeſanus in Stimulo virtutum lib.2.c.1.2.3 7.8.&9.

CAPVT V.

De vtilitate virtutis Caſtitatis generatim.

S. CYPRIANVS libro de ſingularitate Clericorum, agens de caſtita-
te Clericorum videtur in vnũ quaſi faſcem comportaſſe omnes
caſtitatis vtilitates, ſiue in malis auertendis, ſiue in bonis conciliandis.
Caſtitas, inquit, *numen inuictũ eſt ſanctimoniæ, & expugnatio fortis infamiæ,
fortitudinis firmitas, & laſciuiæ petulantis infirmitas. probitatis præſidium, &
improbitatis excidiũ, animæ victoria & corporis præda, vbertas gloriarum, &
ſterilitas criminum. pronuba ſanctitatis & repudium turpitudinis, ſinceritatis
indicium, & abolitio ſcandalorum. exercitium continentiæ, & euacuatio totæ
luxuriæ. pax ſecura virtutum, & debellatio inquieta bellorum, puritatis cul-
men, & libidinis carcer: honeſtatis portus, & ignominiæ naufragalis locus:
virginitatis mater, & hoſtis immunditiæ, lorica pudoris, & ſpolium probroſita-
tis, & corruptionis exitium, murus rigoris, & deſtructio vulgaritatis, ſeuerita-
tis gladius, triumphator & diſſolutionis occiſor. armatura viriũ & exarmatu-
ra fluxorum, integritatis dignitas, & fornicationis addictio, claritatis faſtigiũ,
dedecoris præcipitum: voluntas bonorum operum, & afflictio vitiorum, refri-
gorium pudicitiæ, pœna petulantiæ: acquiſitio triumphorum, & facinorum
detrimentum: requies ſalutis, & perditionis exilium: vita ſpiritus & carnis
interitus: ſtatus qualitatis angelicæ, funus humanæ ſubſtantiæ. Huius re-
tinaculis omnis obſcœnitas frenatur, & compedibus eius calces furentis libi-
dinis ſtatuuntur.* S. Ephræm ſermone de Caſtitate. *O caſtitas ocu-* Ephr.tom.2.
*lorum frænum quæ è tenebris ad lucem totum corpus transfers. O Caſtitas
quæ carnẽ caſtigas, & in ſeruitutem redigis, ac cœleſtia velociſſimè penetras O
caſtitas, quæ cor poſſidentis te lætificas, & animæ ad cœleſtia alas adiun-*

 gis. O

tis. O castitas quæ spiritale gaudium paris & mœrorem aufers. O castitas, quæ passiones minuis, & animum à perturbationibus liberas. O castitas, quæ iustos illuminas, & diabolo tenebras offundis. O castitas, quæ pigritiam depellis, & patientiam affers. O castitas currus spiritalis possessorem suum in sublime euehens. O castitas, quæ rosæ instar in medio animæ & corporis flores, vniuersamq; domum odoris fragrantia reples. O castitas præcursor atq; cohabitator Spiritus sancti. S. Hieronymus aduersus Iouinianum. *Doctissimi viri vox est, pudicitiam imprimis esse retinendam, qua amissa omnis virtus ruit. In hac muliebrium virtutum principatus est. Hæc pauperem commendat, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram bene meretur de maioribus, quorum sanguinem furtiua sobole non vitiat: bene de liberis, quibus nec de matre erubescendum, nec de Patre dubitandum est: Bene imprimis de se, quam à contumelia externi corporis vindicat. Captiuitatis nulla maior calamitas est, quàm ad alienam libidinem trahi.* S. Augustinus in sermonibus de tempore. *Gloriosum & insignem inter cæteras virtutes castitas & munditia locum tenet, quia ipsa sola est, quæ mundas mentes hominum præstat videre Deum. Vnde ipsa veritas ait. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ac si è contrario diceret. Illi verò miseri sunt, quorum corda sunt carnali concupiscentia polluta, quia æternas merguntur in pœnas. Castitas enim angelica est vita, castitas cum humilitate Spiritus sancti meretur habitationem, quam expellit immunditia libidinum, dicente scriptura. Cor. us peccatis subditum Spiritus sanctus effugiet. Assuescat iuuenis ad castitatem, vt sit dignus sapientia Dei.* Et paulò post. *Similiter & B. Apostolus admonet nos. Bonum est, inquiens mulierem non tangere, quasi statim in tactu periculum esset Pulchra est enim casta iuuenum pudicitia, & Deo amabilis, & ad omne bonum vtilis.* S. Bernardus de assumptione B. V. Mariæ. *Qui ergo protegente patientia continenter viuunt, ipsi bene cum Apostolo protestantur & dicunt. Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Vides, quàm solidus sit continentium murus? quos neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; fortitudo, neq; profundum, neq; creatura aliqua potest separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.*

1. Cor. 3. H. lib. 1. in fine. A. serm. 249. Matt. 5. 8. Sap. 1. 5. 1. Cor. 7. 1. B serm. 5. Rom. 8. 35.

CAPVT VI.

De vtilitate castitatis speciatim eorum, qui abstinent à coniugio.

VTILITATEM castitatis eorum, qui à coniugio abstinent, vt sunt clerici & monachi, satis indicat Apostolus in epistola priore ad Corin-

Corinthios, dum ait. *Bonum est homini mulierem non tangere*, id est, vt 1.Cor.7.1.
S. Patres exponunt, vtile & salutare est homini vxorem non ducere, vel si duxerit, ab eius contactu abstinere. Eandem sententiam habent verba illa. *Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permaneant sicut & ego.* Ib. 8. Paulus enim vxorem non habebat. Et illa, de vidua. *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium* id est, Ib. 40. dignior in futuro seculo, vt exponit Ambrosius.

CAVSAS autem huius vtilitatis Apostolus eodem loco fere perstringit senas, quibus, vti Corinthios, se quoq; in exemplum proposito inflammat ad sectandum cælibatum, ita non obscurè à coniugio deterret, vt notauit B. Chrysostomus & Augustinus in libris de virginitate editis. Chr. c. 28. Aug. c. 16. Prima causa est, quia per coniugium vir redigitur in summam seruitutem mulieris, & contra. *Mulier*, inquit, *sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quam seruitutem exponens Chrysostomus. Chr. l. cit. *Paulus*, inquit, *proprij etiam corporis iure adempto omnem ipsius principatum dat vxori, cuius imperio subiectum virum magis esse vult, quam puerum emptum pecunia. Seruo enim si quando comparata pecunia pretium, quanti emptus est Domino persoluere potuerit, plerunq́ libertatem omnino recuperare licet: at vir, quamuis omnium difficillimam nactus sit vxorem, seruitutem tamen perferre necesse habet, quippe qui nullam inire potest viam qua solutus eiusmodi dominatu liberetur.* Et infra alludens ad illa verba Apostoli. Id. c. 41. Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. 1.Cor.7.27. *Quemadmodum*, ait, *serui fugitiui singuli separatim vincti à suis dominis, rursumq́ tenui quadam catena inter se constricti vniuersi quod compedibus catenæ vtrinq́ affixis, alius alium sequi cogitur, liberam non habent abeundi facultatem: sic coniugum animæ, cum propriam sui curam sustinent, tum altera etiam premuntur necessitate à communibus coniugij vinculis imposita: quæ & grauius vrget omnibus vinculis, & hoc ipso ab vtroq́ libertatem aufert, quod alteri ne semel quidem principatum defert, sed vtriq́ distribuit.*

II. Causa est, quia qui à coniugio liberi sunt crebrius & facilius ieiunio & orationi, aliisq; exercitationibus spiritalibus vacare possunt, coniuges verò non item, cum citra mutuum consensum non possint. *Nolite fraudare inuicem*, ait ad coniuges, *nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum.* 1.Cor.7.5. Et infra causam reddens cur Corinthios hortetur ad cælibatum. *Propter vtilitatem*, inquit, *vestram dico, quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Eodem pertinet quod ibidem sic loquitur. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & Spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi quomodo placeat viro.*

Cur enim innupta potius cogitat quæ Domini sunt, nisi quia, vt notat Oecumenius, per crebras preces maiorem apud Deum obtinuit familiaritatem, atq; ideo Deo magis placere possit quam nupta; maiorẽ quoq; corporis & Spiritus consequi sanctitatem: nam vt benè notauit S. Augustinus libro de viduitate, & coniugati, si salui esse velint, & orare debent, & cogitare quæ Domini sunt, & placere Deo, & sancti esse corpore & Spiritu, licet inferiore gradu, quàm cælibes.

Aug. c. 6.

III. Causa est, quia coniuges magis obnoxii sunt tentationi Satanæ, quam cælibes. *Iterum*, inquit, *reuertimini in idipsum*, nempe ad officia coniugalia, *ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Nam etsi Apostolus antidoti loco incontinentibus indulgeat coniugium, ad coercendã quadantenus libidinem animo inhærẽtem, non ignorauit tamen id omnibus non sufficere. *Est enim voluptatũ appetitio*, vt habet Aristoteles in tertio Ethico, *insatiabilis*, vsuq; & exercitio magis augescit. Io. Cassianus comparat flammæ ad tempus inclusæ, quæ obiecta materie facile foras erumpat. *In lege*, inquiens, *in qua coniugiorum iura seruantur, quamuis cohibita luxuriæ euagatio vni tantum, feminæ tamen, mancipatur, tamen nequaquam possunt carnalis concupiscentiæ aculei non vigere, & difficile est, vt ignis, cui etiam studiosè pabula suggeruntur, ita præfixis terminis includatur, vt non etiam extrauagatus amburat quicquid attigerit.* Vnde S. Chrysost. in libris contra monasticæ vitæ vituperatores scriptis, posita quæstione, sitne apud coniuges pronior lapsus ad incontinentiam, quàm apud cælibes, his verbis respondet. *Pudicitiam quidem is qui vxorem habet facile seruare posse videtur, quippe solatio non minimo suffultus, ceterum in reliquis nulla comparatio est: verum sic quoq; plures longe videas lapsos ex coniugatorum, quam Monachorum ordine. Neq; enim tàm multi ex monasterijs ad matrimonia accedunt, quam ex iugali thoro se ad scorta recipiunt.*

1. Cor. 7. 5.

Arist. c. ult.

C. coll. 21. c. 33

Chr. lib. 3.

IV. Caussa est, quia non licet viro post initas semel nuptias ab vxore discedere. *Iis autem*, inquit, *qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Et vir vxorem non dimittat.* Hoc præceptum Domini exstat apud Matthæum, vbi cum discipuli à Domino rogassent, liceretne homini dimittere vxorem suam quacunq; ex causa, dißertè respondet, non licere nisi ob fornicationẽ, alioquin mæchari. Quo responso audito dixerunt discipuli, *Si ita est caussa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Intelligebant nimirum, quantæ sæpe difficultates & contentiones in coniugiis vxorum vitio interueniant. *Melius est*, inquit Sapientissimus mortalium, *habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda.*

1. Cor. 7. 10.

Matt. 19. 9.

Prou. 21. 19.

V. Causa est, quia coniuges etiam voluptates carnales quas quærunt,

runt, rarò inueniunt. *Si acceperis*, ait, *uxorem, non peccasti, Et si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* In quæ verba HIERON aduersus Iouinianum. *Nos ignari rerum, putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiam. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias, quid erit reliquum propter quod nubant? cum & in Spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit.* 1. Cor. 7. 28. H. lib. 1.

VI. et postrema causa, quia coniuges nimiis impliciti sunt curis huius mundi, vt rarò possint vacare Deo, cælibes non item. Vnde Apostolus suadens cælibatum. *Volo*, inquit, *vos sine sollicitudine esse. Qui cum uxore est solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Idem intelligit B. Chrysostomus per verba antegressa. *Existimo hoc bonum esse*, id est, virginitatis consilium, *propter instantem necessitatem. Sed quænam*, inquit, *est ista necessitas? humanarum rerum, negotiorumq; conuersio. Is enim est concursus curarum, & solicitudinum oppressio, ea varietas casuum, vt qui connubio iunctus, vel inuitus multum sæpe peccare, & errare necesse habeat.* Et paulo post. *Verum etiam si sit uxor moribus facilibus, tamen moles curarum, quæ nobis circumfunduntur propter ipsam vxorem, ac liberos eius: ne minimum quidem cælum suspicere patiuntur, vndiq; animum quasi quadam vertigine contorquentes & obruentes: quod si vir priuatorum hominum tutam atq; tranquillam vitam viuere voluerit, nullo modo id assequi queat: cum videat enim circum se stare liberos, & vxorem, cui multa in sumptum eroganda sint; vel inuitus demittit ipse se in fluctum ciuilium negotiorum: quo vbi inciderit, non dici possit, quanta illi deinceps peccandi necessitas imposita sit, in iracundia, in iure iurando, in conuitio, in simulatione, multa gratiæ, multa simultatis causa faciendo, &c.* Quam parùm autem coniugati possint vacare ob quotidianas curas precibus ac Deo, egregiè depingit S. Hieronymus. *Inde*, inquit, *infantes garriunt, familia perstrepit, liberi ab osculis & ore dependent, computantur sumptus, impendia præparantur. Hinc cocorum accincta manus carnes terit: hinc textricum turba commurmurat: nunciatur interim vir venire cum socijs. Illa ad hirundinis modum lustrat uniuersa penetralia, si torus rigeat, si pauimenta verrerint, si ornata sint pocula, si prandium præparatum. Responde quæso, inter ista vbi sit Dei cogitatio? Et hæ felices domus. Ceterum, vbi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concrepat, quis ibi Dei timor? Hic infelix vxor aut lætatur & perit, aut offenditur, & maritus in iurgia concitatur. hinc discordia, seminarium repudij. Aut si aliqua inuenitur domus, in qua ista non fiant, quæ rara auis est, tamen ipsa dispensatio domus, liberorum educatio, necessitates mariti, correctio seruulorum, quam à Dei cogitatione non auocent?* 1. Cor. 7. 32. Ch. de Virgin. H. contra Heluid.

CAPVT

CAPVT VII.

De Mediis, vel adiumentis, quibus parari vel conseruari poßit castitas.

HOc studiosius homo Christianus, laborare debet pro mediis vel adiumentis ad parandam seruandamue castitatem necessariis, quo infestiorem hæc virtus habet hostem, nempe libidinem vel luxuriam, hostem nempe domesticum. *Nulla maior est victoria*, inquit B. Cyprianus, *quam ea quæ de cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit, fortior fuit, sed altero: qui libidinem repressit, seipso fortior fuit. qui inimicum prostrauit, externum hostem percussit: qui cupiditatem depressit, hostem domesticum superauit. Malum omne facilius vincitur, quam voluptas quia illud quicquid est, horridum est: hoc blandum est.*

Cyp. de bono pudic.

I. MEDIVM est Oratio. Hoc Spiritus sanctus ipse per sapientem præscripsit. *sciui*, inquens, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & idcirco adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordijs meis. Deus Patrum meorum, &c.* Nec dubium est Christum Dominum cum iussit nos orare. *Et ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos à malo*, maximè respexisse ad tentationem domesticam incontinentiæ. Paulus quoq; Apostolus cum tentatione carnis agitaretur refugium habuit ad preces. *Datus est*, inquiens, *mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphiset. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me.* Quibus & gratiam ei resistendi impetrauit. Nam à Domino responsum est. *Sufficit tibi gratia mea* Vocem stimuli carnis ita intellexere Primasius, Haymo, & S. Anselmus. IDEM medium velut præcipuum tradidere prisci Patres. Nam Cyprianus loco supra citato, cum aliquot media pro castitate tradidisset, tandem concludit. *Sed inter hæc, immò & ante hac contra turbas & vitia omnia de diuinis castris auxilium petendum est.* Et Cassianus in institut. monasticis. *Reuera*, inquit, *cum in omnibus virtutum profectibus, & cunctorum expugnatione vitiorum Domini sit gratia atq; victoriæ, in hoc præcipue peculiare beneficium Dei ac speciale donum & Patrum sententia & experimento purgationis ipsius manifestissimè declaratur his, qui eam meruerint possidere. Quodammodo enim exire de carne est in corpore commorantem & vltra naturam est fragili carne circumdatum carnis aculeos non sentire. Et idcirco impossibile est hominem suis, vt ita dixerim pennis ad tam præcelsum cæleste præmium subuolare, nisi eum gratia Domini de terra cœno munere euexerit castitatis.* Certe S. Augustinus summum & extremum ad orationem perfugium habuit pro consequendo dono castitatis, & ideo in

Sap. 8. 21.

Matth. 6.

2. Cor. 12. 8.

C. lib. 6. c. 6

Aug. c. 29.

10. Con-

10. Confessionum libro sic orat. *Tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua. O amor, qui semper ardes & nunquam extingueris, Charitas Deus meus accende me. Continentiam iubes. Da quod iubes, & iube quod vis.* S. THOMAS quoq; Aquinas, vt est in eius vita, non modo scortum in cubiculum immissum beneficio orationis ad Christum & B. Virginem fusæ fugauit, verum etiam perpetuæ castitatis donum postquam angeli duo eius lumbos constrinxissent fascia, (quæ adhuc extat Vercellis apud Dominicanos) impetrauit. Sur.tom.

II. MEDIVM est Humilitas. *Nec enim,* inquit Cassianus libro 6. institutionum monast. *sufficit solum corporale ieiunium ad conquirendam vel possidendam perfectæ castimoniæ puritatem, &c. nisi ante omnia fundata fuerit humilitas vera, sine qua nullius penitus vitij poterit vnquam triumphus acquiri.* Et infra. *Etenim hanc* (castitatem) *seniores aiunt apprehendi non posse, nisi prius humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata.* Et S. GREGORIVS libro 21. moralium. Si, inquit, *vel castitatem humilitas deserat, vel humilitatē castitas relinquat apud authorem humilitatis & munditiæ prodesse quid præualet vel superba castitas, vel humilitas inquinata? Sanctus igitur vir, Iob, vt ab auctore suo in bonis reliquis possideri mereatur, cordis munditiem custodiens dicit. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet Deus in me desuper, & hæreditatem omnipotens in excelsis? Ac si apertè fateatur dicens. Habere me possessionem suam cælorum conditor renuit, si mens mea ante conspectum illius in infimis desiderijs tabescit.* Et libro vndecimo in verba. *Baltheum regum dissoluit. Qui,* ait, *membrorum suorum motus bene regere sciunt, non immerito reges vocantur. Sed cum de ipsa continentia elatione mens tangitur, plerunq; omnipotens Deus eius superbiam deserens hanc in immunditiam operis cadere permittit. Regum itaq; baltheum dissoluit, quando in his qui bene regere membra sua videbātur propter elationis culpā, castitatis in eis cingulū destruit.*

Cass.c.
Id c.18.
Greg. c.
Iob.31.
Id.c.9.
Iob.12.

Et S. AVGVSTINVS Libro. de S. virginitate, cum multa de humilitate disseruisset, *maximè,* inquit, *huius virtutis sectatores & conseruatores eos esse cōuenit, qui magno aliquo bono ceteris eminent, vt magnopere curent illud, quod primitus posui. Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, & corā Deo inuenies gratiam. Proinde quia perpetua continentia, maximeq; Virginitas magnum bonum est in Sanctis Dei, vigilantissimè cauendum est, ne superbia corrumpatur.* Et paulo post. *Da mihi profitentem perpetuam continentiam, atq; carentem omnibus & vitiis & maculis morum, huic superbiam timeo, huic tam magno bono ex elationis tumore formido; quo magis inest vnde sibi placeat, eo magis vereor, ne sibi placendo illi displiceat, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Certe præcipuum magisterium, & virginalis integritatis exemplum in ipso Christo contuendum est. Quid ergo amplius*

A. c.
Eccli.3. 20.
Id.c.35.
c.36.

Matt.11.29. *continentibus de humilitate præcipiam, quam quod ille qui omnibus dicit. Discite à me quoniam mitis sum & humilis corde? cum magnitudinem suam supra commemorasset.* Si præcipuum magisterium continentiæ in Christo Augustino contuendum est, certe proximum contuendum est in Deipara virgine. de qua ita S. AMBROSIVS in Lucam. *Didicistis virgines pudorem Mariæ, discite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem* (Elizabeth)*: nec solum venit, sed etiam prior salutauit. Decet enim, vt quanto castior virgo, tanto humilior sit. Nouerit deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis: est & causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim, quia superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur, Maria ad Elizabeth, Christus ad Ioannem.*

Aug.lib.2.c.1.

III. Medium est. Castigatio tum externa corporis per ieiunia, vigilias, chameunias, flagellationes, tum interna per contritionem spiritus, & mortificationum perturbationum & cupiditatum animi. IV. Fuga occasionum delinquendi contra castitatem, vt otii, commorationis vel colloquiorum cum feminis, conuiuiorum spectaculorum. V. custodia sensuum, maximè visus, gustus & tactus. VI. Confessio & communio frequens. VII. meditatio nouissimorum. VIII. recursus ad Patrem spiritualem, quem maximè vrget Greg. Nyssen. lib. de Virginitate cap. 24. De quibus multa habes in Panario nostro. V. *Gula, Luxuria. Mulierum commoratio cum clericis vel monachis. Peccatum. Immortificatio passionum. Tentatio. Voluptas carnis, &c.* IX. & postremum Medium sunt exempla. *Plus enim proficitur,* inquit S. Cyprianus libro de bono Pudicitiæ, *cum in rem præsentem venitur, nec de virtute dubitatur, quando quod præcipitur etiam exemplis signatur,*

Exempla illustria Castitatis.

PRIMVM exemplum sit Patriarchæ Ioseph, ab omnibus fere Patribus descriptum. *Exemplum pudicitiæ*, ait loco allegato Cyprianus, *à Ioseph cœpit. Adolescens Hebræus generosus de patre, generosior de innocentia, ob inuidiam reuelationum distractus à fratribus Ismahelitis in domum deuenerat hominis Ægyptij, obsequio & innocentia, & tota seruitutis fide facilem & beneuolum in se animum sui prouocauerat Domini, cuius faciē tam sermo liberalis, quàm ætas omnibus cōmendauerat. Sed ista generositas ab vxore Domini aliter quam decebat accepta est. in domus parte secreta, & sine arbitris alta & facinoribus accōmoda putauit se pudicitiam adolescentis incontinens mulieris impudicitia, nunc promissis, nunc minis posse superare. Et cum retentus est vestibus, eo quod moliretur fugam, propter tanti facinoris audaciam ipsas vestes relinquens, & corporis nudi sinceritatem habiturus innocentiæ testem ad crimen impudicitiæ suæ, impudens mulier adiicere non dubitauit calumniam, &*

Bas. orat. in Gordianum marty. Amb. de parad. cap. 2. Aug. ser. 84. de temp. Chry. ep. ad Olympiam. Gre. 27. mor. c. 7. Gen 33. 39. 40. 41.

am, & ceteris, & marito, squalida & feruens, spreto desiderio suo conquesta est dolore simulato, quod Hebræus adolescens vim sibi molitus fuisset inferre, quam ipsa conata fuerat irrogare. Maritalis ardor rerum inscius, ut uxoris accusatione grauiter inflammatus incenditur. Pudicus verò iuuenis, quia delicto conscientiam non miscuit in imum carceris truditur. Sed sola non est in carcere pudicitia: nam est cum Ioseph Deus, & nocentes dantur in manu eius, quia innocens fuerat. Somniorum præterea obscura dissoluit, quia spiritus in tentatione vigilabat, & per Dominũ liberatur à vinculis. Qui in domo minor cum periculo fuerat, regia domus sine periculo Dominus effectus est: generositati suæ redditus fructum pudicitiæ & innocentiæ Deo iudice, à quo meruerat, accepit.

Cyp. de pudicit. bono. Aug. serm. 118. de temp. Dan. 13.

ALTERVM est de Susanna, ab eodem ibidem descriptum. *Fuit* inquid, *ut legimus Susanna filia Helciæ, uxor Ioachim pulcherrima, pulchrior moribus. Hanc nullum ad dedecorem commendabat species simplex enim erat. Excoluerat pudicitia, ut cum pudicitia, sola natura. Hanc ex senioribus duo cœperant deperire, nihil memores nec diuini timoris, sed nec suæ annis iam marcescentis ætatis: ita illos in flagrantiæ transactæ iuuentutis incendia rediuiuæ libidinis flamma reuocabat. Pudicitiæ latrones amorem profitentur, sed oderant. Resistenti minatur calumnias, adulterii se dicunt accusatores, voto adulteri. Inter duos libidinis scopulos auxilium de Domino petebat, quia viribus corporis repugnare non valebat. Et exaudiuit de cœlo clamantem ad se pudicitiam Dominus, & cum iniquitate oppressa duceretur ad pœnam, vidit inimicorum liberata vindictam. Bis victrix, & in periculo suo tam funestè totiens consepta & libidinem euasit & mortem. His duobus exemplis contentus sum,* addit, *cum omnibus sit viribus per istos pudicitia defensata.*

TERTIVM sit Christi Domini, quod S. Ambrosius libro primo de Virginibus describit, posita quæstione vbi sit patria castitatis? *Si ibi est patria,* ait, *vbi genitale domicilium, in cœlo profectò est patria castitatis. Itaq. hic aduena, ibi incola est. Quid autem est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? Atq. eius auctorem quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei filium, cuius caro non vidit corruptionem, diuinitas non est experta contagionem? Videte igitur quanta virginitatis merita sint. Christus ante virginem Christus ex virgine, à Patre quidem natus ante secula, sed ex virgine natus ob secula Illud naturæ suæ, hoc nostræ vtilitatis est. Illud erat, semper, hoc esse voluit. Spectate aliud virginitatis meritum. Christus virgo virginis sponsus, & si dici potest Christus virgineæ castitatis. Virginitas enim Christi, non virginitatis est Christus. Virgo est ergo, quæ nupsit, virgo quæ nos suo vtero portauit, virgo quæ genuit, virgo quæ proprio lacte nutriuit.*

QVARTVM B. Virginis Mariæ Dei matris, quam idem Ambrosius omnis

Amb. lib. 2 de virg.

omnibus castis in exemplum proponit his verbis. *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaq; Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis.* Hinc *sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit? Nam de ceteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat, non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum.* Corde *humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens. intenta operi, verecunda sermone, arbitrũ mentis solita, non hominẽ, sed Deum quærere, nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? eos solos solita cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neq; præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis.*

Casti mores V. B.

QVINTVM exemplum sit B. Pauli Apostoli, qui & ipse castus fuit, & suo exemplo omnes in priore ad Corinthios hortatur ad castitatẽ, dicens. *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum.* Imò omnium Apostolorum, qui conuenienter consilio Christi dato Matth. 19 cap. cum Petro exclamarunt. *Ecce nos reliquimus omnia,* inter quæ omnia etiam numerantur ibidem vxores.

1. Cor. 7. 7.

Matt. 19. 27.

SEXTVM sit primorum Christianorum qui mox post Apostolos vixerunt, quorum plurimi iuxta consilium Christi ab vxoribus se continuerunt, vti nominatim testatur PHILO in libro de vita contemplatiua de Marci Euangelistæ discipulis.

SEPTIMVM sit sanctarum virginum Martyrum vt Theclæ, Agnetis, Ceciliæ, Catharinæ, Luciæ, & aliarum quæ pro tuenda castitate sanguinem suum profuderunt.

VIII. Eorum Sanctorum qui in ipso coniugio ex mutuo consensu perpetuam continentiam seruarunt, inter quos fuit S. Henricus I. Imperator cum vxore Kunigunde. Edouardus rex Angliæ, Elzearius comes Ariani, Boleslaus rex Poloniæ. Alphonsus II. rex Castiliæ & complures alii.

IX. Omnium Episcoporũ, Sacerdotum & Diaconorũ, qui à primis Ecclesiæ incunabulis vsq; in hunc diẽ cõgruẽter doctrinæ Paulinæ in episto-

epiſtolis ad Timotheũ & Titum, Traditioni Apoſtolicæ ſummorumq́; Pontificum & Synodorum ſanctionibus in cælibatu vixerunt.

X. Omnium Religioſorum, qui inde à Pauli eremitæ S. Antonii, Baſilii, & Auguſtini temporibus vel in ſolitudine, vel monaſteriis aut cænobiis continentiſſimè vixerunt.

QVANTA autem vis ſit huiuſmodi exemplorum, vt homo tandem emergat ex cæno libidinis, oſtendit ſuo exemplo S. Auguſtinus octauo Confeſſionum libro, dum ait. *Aperiebatur ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo tranſire trepidabam, caſta dignitas continentiæ ſerena, & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens, vt venirem, neq; dubitarem, & extendens ad me ſuſcipiendum, & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exẽplorum: ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipſa continentia nequaquã ſterilis, & irridebat me irriſione exhortatoria, quaſi diceret. tu nõ poteris, quod iſti & iſtæ? an verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac nõ in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis. quid in te ſtas & non ſtas? proiice in te eum, noli metuere. non ſe ſubtrahet, vt cadas, proiice te ſecurus, excipiet te, & ſaluabit te.* Aug.c.11.

VIDE in PANARIO, *V. Luxuria Mulierum commoratio cum clericis. Voluptas carnalis.*

CATECHESIS.

CAPVT I.

Quid nomine Catecheſis intelligatur.

CATECHESIS græcè, latinè eſt inſtitutio, vel inſtructio; nos hoc loco Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutionem intelligimus cum Apoſtolo ita ſcribente ad Galatas. *Communicet autem qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat in omnibus bonis.* Hinc & vox *Catechumenorum*, hoc eſt, Chriſtianæ religionis Candidatorum, qui ante baptiſmi ſacramentum in fide Chriſtiana inſtituebantur. Tertullianus & Cyprianus vocant *audientes* vel *auditores*, quia illis inſtructor vel Doctor olim præficiebatur, vt habet idem Cyprianus libro tertio epiſtolarum. epiſt. 22. Gal.6.6. T.lib de Pœn C.lib.3.ep.17.

DVPLEX autem poteſt, vt idem Apoſtolus non ſemel indicauit, eſſe catecheſis; altera rudis & ſimplex, quam comparat lacti, in qua præcipua tantũ capita, eaq; maximè cognitu neceſſaria, ex vniuerſa Theologia Chriſtiana explicantur. Altera accuratior & vberior, ad capaciores, & doctiores de ſublimioribus myſteriis, quam comparat ſolido cibo. Ita enim ſcribit ad Corinthios. *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis* 1.Cor.3.1.

stis: adhuc enim carnales estis. Et ad Hebræos. *Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur.* (Heb.5.12.)

De hac bipartita catechesi vaticinatus fuisse videtur longe ante ortum Christi Isaias propheta. Nā de lactea ita loquitur. *Pro eo quod fuisti derelicta & odio habita, ponā te in superbiam seculorū, gaudium in generatione in generationem, & suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis, & scies quia ego Dominus saluans te.* (Isa.60.16.) Et paulo ante. *Leua in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati venerunt tibi, filij tui de longè venient, & filiæ tuæ lac sugent.* In quæ verba S. Hieronymus: (H.li. 17. comm.) *Filiæ tuæ lac sugent,* inquit, *illud significat, quod animæ in Christo lactentes & in baptismate paruulorum, de quibus & Petrus Apostolus loquitur. Quasi modo nati paruuli, rationale, & absque dolo lac desiderate, sugant lac Apostolorum.* (1.Pet.2.2.) *Quibus paruulis atque lactentibus loquebatur & Paulus. Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis.* (Gal.4.19.) Et in alio loco. *Quasi nutrix fouens filios suos, sic desiderantes vos cupimus impertire non solum Euangelium Christi, sed & animas nostras.* (1.Thes.2.7.) De altera vero solidi cibi ita idem Isaias scripsit. *Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* (Isa.28.9.) nam ita idem Hieronymus verba illa exponit. (H.lib.9. comm.) *Quis dignus est doctrina Domini, quis verbis Saluatoris dicentis. Qui habet aures audiendi audiat,* (Matt.13.9.) *vt quod auribus hauserit, corde intelligat? Quinam illi sint, sequens versus ostendit. Ablactati à lacte, appulsi ab vbere, qui nequaquam lacte nutriuntur infantiæ, sed solido vescuntur cibo, qui appulsi sunt ab vbere cum Isaac, propter quam lætitiam fecit Abraham grande conuiuium.* (Gen.21.8.) *Hi merentur Domini audire mysteria.* Eodem modo interpretatur B. Cyrillus in Isaiam. (C.lib. 3. comm.) Vtraque ratio tradendæ Catechesis Christianæ, quoniam hoc æuo vsitata est, (prior quidem in institutione puerorum & adolescentulorum passim iam in Germania, multoque magis in Italia, Gallia, Hispania, Polonia & Indiis vigente; posterior verò pro concione ad populum) de vtraque hoc loco agemus.

CAPVT

CAPVT II.

De nobilitate doctrinæ Christianæ.

NOBILITAS Catechesis Christianæ, ex nobilitate doctrinæ Christianæ sumitur. Constat autem doctrinam Christianam excellentiorem esse omnibus doctrinis inde à condito orbe traditis, siue auctorem eius spectemus, qui est Christus Dominus, filius Dei homo factus, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, vt loquitur, Apostolus Col.2.3.&9.
fuere reconditi, siue spectemus materiam quæ in ea pertractatur: non enim agitur in ea de verbis, vt in arte grammatices & Rhetorices, nec de rebus naturalibus, vt in vniuersa Philosophia Aristotelea, sed supernaturalibus & diuinis, quæ omnem humanæ intelligentię captum excedunt, vt de sanctissima Trinitate, de Christo incarnato, de sacrosancta Eucharistia, de sanctissimis sacramētis, de prædestinatione nostra ad vitã æternam ante conditum mundum peracta, de resurrectione mortuorum, felicitate perpetua nostra & angelorum, de omnibus Dei legibus, donis & virtutibus, ac demum de omnibus quæ in veteri æque ac nouo testamento explicantur. Hęc enim omnia in catechesi velut in compendio vel breuiario quodam, continentur.

ITAQVE quicquid generatim in laudem doctrinę salutaris in sacris Bibliis dicitur, id ad præconium Catechesios pertinet: vt quod Salomon de ea dixit in Prouerbiis. *Accipite disciplinam meam & non pecuniam: doctrinam magis, quam aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis o-* Prou.8.10.
pibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari. Et Ecclesiastes, *Ecce,* inquit, *magnus effectus sum & præcessi omnes sapientia: dedique* Eccl.1.16.
cor meum, vt scirem prudentiã atq; doctrinam. Et Ecclesiasticus, *Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quasi brachiale in brachio dextro.* Et S. Eccl.21.24.
Matthæus nominatim de doctrina Christi. *Admirabantur*, ait, *turbæ* Matt.7.28.
super doctrina eius. & S. Marcus. *Et stupebant super doctrina eius erat enim* Matt.22.c. 33.
docens eos (Iudæos in Synagoga) *quasi potestatem habens, & non sicut Scri-* Marc.1 22.
bæ. Et S. Paulus de Euangelica doctrina. *Non enim erubesco Euangelium* Luc.4.31. Rom.1.16.E.
Virtus enim Dei est in salutem omni credēnti, Iudæo primum & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. ex fide veteris testamenti in fi- Psal.32.11.
dem noui. Ps.116.2.

2. Quicquid in encomium Verbi Dei, vel Scripturæ sacræ in Biblii- Ps.118.89. Isa.40.8.
is dicitur. vt est illud toties in vtroq; testamento repetitum. *Verbũ Dei* Isa.51 6.
manet in æternum. Et illud Salomonis Prouer.30 *Omnis sermo Dei ignitus,* Matt.5.18. Matt.24 35.
clypeus est, sperantibus in se, & ne addas quicquam verbis illius, & arguaris Mar.1.31.
inueniarisque mendax. Et Psaltis regii. *Eloquia Domini, eloquia casta, ar-* 1.Pet.1 25. Prou.30.5.
gentum

gentum igne examinatũ,probatum terræ,purgatum septuplum. Et rursus. *I-*
Psal.11 7. Ps.118.140. *gnitum eloquium tuum vehementer.* Et Christi Domini de Patre cœle-
Ioan.17 17. sti. *Sermo tuus veritas est.* Et D. Petri: *Habemus firmiorem propheticum ser-*
2.Pet.1.19. *monem, cui bene facitis attẽdentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, do-*
Apoc.22.18. *nec dies elucescat.* Et S. Ioannis in Apocalypsi. *Contestor omni audienti ver-*
ba prophetiæ libri huius. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum
plagas scriptas in libro isto.

3. Quicquid in commendationem Legis dicitur. Christus enim
non venit in mundum aboliturus legem, sed perfecturus. *Nolite puta-*
Matt.5.17. *re,* inquit, apud Matthæum, *quoniã veni soluere legem aut prophetas: non*
veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum &
terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Et
Rom.3.31. D. Paulus ad Romanos. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem*
statuimus. Maxima autem Legis encomia & elogia habemus in psalmis
Dauidis regis, vt in decimo octauo. *Lex Domini,* inquit, *immaculata,*
Ps.18.8. *conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.*
Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & la-
pidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Etenim seruus tuus
Prou.6.23. *custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.* Deinde Salomon in pro-
Rom.7.7. uerbiis. *Mandatum,* ait, *lucerna est & lex lux.* Et S. Paulus Apostolus.
Quid ergo dicemus, lex peccatum est? absit. Sed peccatum non cognoui nisi per
legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupisces. Et
paulo post. *Itaq; lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bo-*
nũ. Hinc verò liquet eundem scopum esse Legis & catechesis nostræ,
vt enim olim legis beneficio homines cognoscebant quando pecca-
rent, vel delinquerent, sic nunc beneficio catechismi rudiores discũt,
quando peccent.

4. Quicquid in laudem singularum virtutum, vt sapientiæ, fidei,
spei, caritatis, humilitatis, castitatis, patientiæ, & ceterarũ in hoc ipso
opere, ad ostendẽdam earum dignitatem & præstantiam dictum est,
hoc etiam cedit in laudem Catechesis Christianæ, quæ eas commen-
dat & imitandas proponit.

Ioan.10. DENIQVE non parum dignitatem huius institutionis amplificat
Heb.5. & illustrat, quod in Scripturis passim, qui eam tradunt, appellentur
Tit.1. 1.Thess.3. pastores, sacerdotes, presbyteri, ministri Dei, dispensatores mysterio-
1.Cor.4. rum Dei, cooperatores Dei, Doctores, Prophetæ, Euangelistæ, Epi-
1.Cor.3. Eph.4. scopi, Pontifices, Apostoli, angeli, Dii. Deus siquidem Moysen
1.Tim.3. Exo.7. constituit in Exodo Deum Pharaonis. Et in Psal-
Psalm.81. mis dicit. *Ego dixi Dij estis.*

* * *

CAPVT

CAPVT III.

De proprietatibus Doctorum Catechesis.

IN Catechesi Christiana, quia alii sunt Doctores, alii auditores, vtriusque proprietates sunt indagandæ. Quod ad priores attinet, docendi prouincia maximè propria est Episcoporum & sacerdotum. Nam ad Aaron, eiusque filios iam olim in Leuitico ita locutus est Dominus. *Habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceatisq́; filios Israhel omnia legitima mea.* Et apud Ezechielem ad Sacerdotes & Leuitas. *Populum meum docebunt, quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum ostendent eis.* Et apud Malachiam. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* S. PAVLVS ad Episcopum Timotheum. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, prudentem, doctorem. Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione. attende lectioni, exhortationi & doctrinæ: attende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Et rursum. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Prædica verbum, insta opportunè importunè, argue, obsecra, increpa in omni patiētia & doctrina, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.* Et ad Titum Episcopum. *Oportet*, inquit, *Episcopum sine crimine esse, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.* Vnde S. Hieronymus ad Fabiolam, de veste sacerdotali. *Tanta debet esse scientia & eruditio Pontificis Dei, vt & egressus eius & motus, & vniuersa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu, vt quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina populorum. Absque tintinnabulis enim, & diuersis coloribus & gemmis floribusque virtutum nec sancta ingredi potest, nec nomen antistitis possidere.* Et S. Augustinus de baptismo contra Donatistas. *Iam verò cum dicit* (Cyprianus) *Episcopum docibilem esse debere, & adiungit: docibilis autem ille est, qui est ad discendi patientiam lenis & mitis: oportet enim Episcopos non tantum docere, sed & discere, quia & ille melius docet, qui quotidie crescit, & proficit discendo meliora. His vtique verbis indicat vir sanctus, &c.* Et S. Ambrosius initio primi libri de Officiis, agens de se ad Episcopatum compulso, *Iam effugere non possumus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit sacerdotii necessitudo.* Et S. Cyprianus de bono Pudicitiæ. *Quid aliud*, inquit, *in Ecclesia Domini vtilius geri, quid accommodatius officio Episcopi*

Leu.10.10. Ezech.44.23. Mal.2.7. 1.Tim.3.2. 1.Tim.4.12. Ib.v.16. 2.Tim.2.2. 2.Tim.4.2. Tit.1. H.ep.128. A.lib.5.c.26. A.lib.1.c.1.

ſcopi poteſt inueniri, quam vt doctrina diuinorum per ipſum inſinuata, collataque verborum poſſiut credentes ad repromiſſum regnum peruenire cœlorum?

Rom.2.19. II. Proprietas Doctoris eſt, vt ſe primum doceat, quæ alios docere conatur, ne in illum congruat quod catechiſtis Iudæorum exprobrat Apoſtolus. *Si confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipſum non doces. Qui*
Act.1.1. *prædicas non furandum furaris.* Vnde S. Lucas de Chriſto domino initio Actuum Apoſtolicorum ſcripſit. *Primum quidem ſermonem feci de*
Matt.5.19. *omnibus, quæ cœpit Ieſus facere & docere.* Et Chriſtus apud Matthæum. *Qui fecerit & docuerit vnum de mandatis iſtis minimis, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Et Apoſtolus ſupra Timotheo dixit. *Attende tibi*
1.Tim.4.16. *& doctrinæ.* Et Clemens Alexandrinus agens de Chriſtiani hominis
Clem.c.1. pædagogo. *Nobis igitur*, inquit, initio ſecundi libri Pædagogi, *à nobis ipſis incipiendum eſt, & quomodo nos componere ac moderari oporteat.* Et primo Stromatum. *Neceſſe eſt vtroſq.* (doctorem & auditorem) *probare ſeipſos, illum quidem an dignus ſit, qui doceat & monita relinquat, hunc verò an iure poſſit audire. Firmum autem eius fundamentum eſt recta vita, cum ea*
A.Serm.1. *quæ conuenit doctrina.* Et S. Ambroſius in pſalmum 118. initio. *Ante vita, quam doctrina quærenda eſt. Vita enim bona & ſine doctrina habet gratiam, doctrina ſine vita integritatem non habet: in maleuolam enim a-*
Ch.in pſal.49. *nimam non cadit ſapientia.* S. Chryſoſtomus exponens illud pſalmiſtæ. *Peccatori autem dixit Deus. Quare tu enarras iuſtitias meas. Vidiſti*, inquit, *lyram perfectam, citharam bene compoſitam, diuerſis modis vnum edere concentum. Nam Apoſtoli, Prophetæ, & Paulus ipſe docet, nihil prodeſſe alios docere, niſi quis ſeipſum prius doceat. Acrius enim Romanos inſectans di-*
Rom.2.19. *cit. Qui ergo alium doces teipſum non doces?* Et infra. *Quocirca Chriſtus illum laudat doctorem, qui verbis & factis perfectam doctrinam oſtenderit.*
Matth.5.19. *Qui enim fecerit, inquit, & docuerit, hic vocabitur magnus in regno cœlorum. Habeat ergo vita tua claram vocem eadem quæ dicis docentem.* Huc
B.ſerm.18. pertinet, quod S. BERNARDVS monet in Cantica, eum qui alios docere vult, ſimilem eſſe debere conchæ, non canali. *Quamobrem*, inquit, *ſi ſapis, concham te exhibebis, & non canalem. Hic ſiquidem penè ſimul & recipit & refundit. Illa verò, donec impleatur, expectat, & ſic quod ſuperabundat ſine ſuo damno communicat, ſciens maledictum qui ſuam partem facit deteriorem. Verum canales multos hodie habemus in Eccleſia, conchas vero perpaucas multi enim loqui quam audire paratiores, & prompti docere, quod non didicerunt.*

III. Proprietas, vt accommodet ſe ad auditorum captum exemplo

plo Apoſtoli, qui paruulis in Chriſto, vt eſt in epiſtola ad Corin- 1.Cor.3.2.
thios lac doctrinæ Christianæ hoc eſt rudiorem expoſitionem myſte- Heb.5.13.
riorum fidei, viris vero & prouectis ſolidum cibum ſublimiorum
myſteriorum apponebat, factus Iudæis tanquam Iudæus, gentilibus 1.Cor.9.20.
verò & iis qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſet, infirmis infir-
mus, omnibus denique omnia factus, vt omnes faceret ſaluos. *Non
enim vna,* inquit S. GREGORIVS libro Moralium 30. *eademque cun-* G.c.6.
*ctis exhortatio conuenit, quia nec cunctos par morum qualitas aſtringit. Sæ-
pe enim alijs officiunt, quæ aliis proſunt. Nam & plerunque herba, quæ hæc
animalia reficiunt alia occidunt: & lenis ſibilus equos mitigat, catulos in-
ſtigat: & medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires iun-
git: & panis, qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro quali-
tate igitur audientium formari debet ſermo doctorum, vt & ad ſua
ſingulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte nunquam re-
cedat.*

Et B. ISIDORVS libr. 3. de ſummo bono. *Prima prudentiæ virtus eſt* Iſid.c.[illegible]
*eam quam docere oporteat æſtimare perſonam. Rudibus populis, ſeu carnalibus
pl[illegible]na atque communia, non ſumma atque ardua prædicanda ſunt, ne immenſi-
tate doctrinæ opprimantur potius, quam erudiantur. Vnde & Apoſtolus ait* 1.Cor.3.1.
*non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Carnalibus
quippe animis nec alta nimis de cœleſtibus, nec terrena conuenit prædicare,
ſed mediocriter, vt vita eorum moreſque deſiderant edoceri.*

Et S. AVGVSTINVS de catechizandis rudibus. *Quia,* inquit, *de ru-* A.c.15.
*dibus imbuendis nunc agimus, de meipſo tibi teſtis ſum aliter atque aliter me
moueri, cum ante me video catechizandum eruditum, inertem, ciuem, peregri-
num, diuitem, pauperem, priuatum, honoratum, in poteſtate aliqua conſtitu-
tum, illius aut illius gentis hominem, illius aut illius ætatis aut ſexus, ex illa aut
illa ſecta, ex illo aut illo vulgari errore venientem, ac pro diuerſitate motus mei
ſermo ipſe & procedit, & progreditur, & finitur. Et quia cum eadem omni-
bus debeatur charitas, non eadem eſt omnibus adhibenda medicina: ipſa i-
tem charitas alios parturit, cum alijs infirmatur, alios curat ædificare, alios
contremiſcit offendere, ad alios ſe inclinat, ad alios ſe erigit, aliis blanda, alijs
ſeuera nulli inimica, omnibus mater.*

IV. Proprietas eſt, vt non plus æquo ſectetur elegantiam & fu- 1.Cor.2.4.
cos ſermonis. *Sermo meus,* inquit Apoſtolus, *& prædicatio mea non in
per ſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & vir-
tutis.* Et rurſus. *Non enim eſt in ſermone regnum DEI, ſed in virtu-* 1.Cor.4.20.
te. Vnde S. PROSPER libro 1 de vita contemplatiua *Pontifex non in* P.c.23.
verborum ſplendore, ſed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat,

non vocibus delectatur populi acclamantis sibi, sed fletibus, nec plausum à populo studeat expectare, sed gemitum. Tam simplex & apertus, etiamsi minus latinus, disciplinatus, tamen & grauis sermo debet esse Pontificis, vt ab intelligentia sui nullos, quamuis imperitos excludat, sed in omnium audientium pectus cum quadam delectatione descendat. Et S. Augustinus libro 4. de doctrina Christiana. *Prorsus hac est in docendo eloquentia, qua fit dicendo, non vt libeat, quod horrebat, aut vt fiat, quod pigebat, sed vt appareat quod latebat. Quod tamen si fiat insuauiter, ad paucos quidem studiosissimos suus peruenit fructus, qui ea quæ discenda sunt, quamuis abiecte inculteq; dicantur, scire desiderant. Quod cum adepti fuerint, ipsa delectabiliter veritate pascuntur: bonorumq; ingeniorum insignis est indoles, in verbis virum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus nisi patere, quod clausum est.* Et Ambrosius in primam epistolam ad Corinth. *Prædicatio Christiana non indiget pompa & cultu sermonis, ideoq; piscatores homines imperiti electi sunt, qui Euangelizarent, vt doctrinæ veritas ipsa se commendarent teste virtute, ne hominum versutia & calliditate humanæ sapientiæ acceptabilis videretur, non veritate.*

Aug. c. 11. | 1. Cor. 1.

V. Vt cum omni hilaritate & lenitate animi doctrinam suam omnibus impertiat. *Hilarem enim datorem*, tam spiritalis, quam corporalis eleemosynæ, *diligit Deus*, inquit Apostolus ad Corinthios; & ad Galatas. *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Et ad Titum. *Oportet Episcopum hospitalem esse, benignum, sobrium.* Vnde S. Augustinus de catechizandis rudibus vt probet hilariter esse tradendam doctrinam excluso omni tædio, etiam rudibus & pueris, ita loquitur. *Et re quidem vera multo gratius audimur, cum & nos eodem opere delectamur: afficitur enim filum locutionis nostræ ipso nostro gaudio, & exit facilius atq; acceptius. Et præceptum quidem huius rei in promptu est. Si enim in pecunia corporali, quanto magis in spiritali, hilarem datorem diligit DEVS. Sed hæc hilaritas ad horam vt adsit, eius est misericordiæ, qui ista præcepit.* Et infra subiicit antidotum pro iis quibus nonnunquam tædium obrepit, cum puer vel alii auditores non capiunt quæ volumus. *Si causa*, inquit, *illa contristat, quod intellectum nostrum auditor non capit, cogitemus, quid nobis prærogatum sit ab illo, qui demonstrauit nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius, qui cum in forma Dei esset semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, &c. vsque ad mortem crucis. Quam ob causam, nisi quia factus est infirmis infirmus, vt infirmos lucrifaceret? Audi eius imitatorem alibi etiam dicentem: Siue enim mente excessimus, Deo, siue temperantes simus, vobis. Charitas enim Christi compellit nos, iudicantes hoc*

2. Cor. 9. 7. | Gal. 6. 1. | Tit. 1. 8. | Aug. c. 2. | 2. Cor. 9. 7. | Id. c. 10. | 1. Pet. 2. 21. | Phil. 2. 7. | 1. Cor. 9. 20. | 2. Cor. 5. 13.

hoc quia vnus pro omnibus mortuus est. Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum, si eum pigeret inclinari ad aures eorum? Hinc ergo 2.Cor 12.
factus est paruulus in medio nostrum tanquam nutrix fouens filios suos. Num 1.Thess.2.7.
enim delectat, nisi amor inuitet decurtata & mutilata verba immurmurare? Et tamen optant homines habere infantes quibus id exhibeant. Et suauius est matri minuta mansa inspuere paruulo filio, quam ipsam mandere ac deuorare grandiora. Non ergo recedat de pectore etiam cogitatio gallinæ illius, quæ languidulis plumis teneros fœtus operit, & susurrantes pullos confracta voce aduocat, cuius blandas alas refugientes superbi præda fiunt altilibus. Matt.23.47.

VI. Vt non lucrum suum quærat, sed animarum, iuxta consilium Christi. *Gratis accepistis gratis date.* & exemplo Pauli, qui cum potestatem haberet de Euangelio viuendi, ea tamen non est vsus, vt plures animas lucrifaceret. *Quæ est ergo,* inquit, *merces mea? Vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio. Nam cum liber essem ex omnibus omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem.* Vnde CLEMENS Alexandrinus primo stromatum. *Qui per litterarum monimenta loquitur apud Deum sacramenti religione obstringitur, hæc in scriptis vociferans, nec lucri gratia, nec inanis gloriæ causa non vinci ab affectione, non quæstui seruire, spe expectans eam quæ omnino reddenda est retributionem ab eo qui operarijs pollicitus est se redditurum mercedem pro meritis. Oportet autem Dominum, quoad eius fieri potest, imitari. Is autem fuerit, qui Dei voluntati inseruit: qui cum gratis acceperit, dat gratis, satis magnam recipiens mercedem ipsam vitæ institutionem.* Et S. Augustinus libro 2. de Sermone Domini in monte. *Quid intersit inter bonum quod appetendum est, & necessarium quod sumendum est hac sententia Christus declarauit, cum ait. Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis. Regnum ergo & iustitia Dei bonum nostrum est, & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia facimus, quæcunque facimus. Sed quia in hac vita militamus, vt ad illud regnum peruenire possimus, quæ vita sine his necessarijs agi non potest. Apponentur vobis hæc, inquit, sed vos regnum Dei & iustitiam eius primum quærite. Cum enim dicit, illud, primum, significauit quod hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate. Illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium nostrum, necessarium autem propter illud bonum. Neque enim verbi gratia ideo debemus Euangelizare, vt manducemus: sed ideo manducare vt Euangelizemus: nam si propterea euangelizamus, vt manducemus, vilius habemus Euangelium, quam cibum, & erit iam bonum nostrum in manducando, necessarium autem in Euangelizando. Quod etiam Apostolus prohibet, cum dicit, licere sibi quidem, & permissum esse à Domino, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant, id est, de Euangelio habeant ea*

Margin notes: Matt. 10 (at "VI. Vt non lucrum"); 1.Cor.9.18. (at "plures animas lucrifaceret"); A.c.14. (at "Et S. Augustinus"); Matt.6.33. (at "sententia Christus declarauit"); 1.Cor.9.14. (at "prohibet, cum dicit")

quæ huic vitæ sunt necessaria, sed tamen se non esse abusum hac potestate. Similia habet B. Gregorius lib. 19. Moralium cap. 11.

Gal.5.24. VII. est, vt mortificet & crucifigat carnem suam cum vitiis & concupiscentiis, exemplo Apostoli, qui cum multa de functione alios docendi
1 Cor.9.26. & Euangelizandi dixisset, tandem subiecit. *Ego sic curro non quasi in incertum, sed castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Hanc proprietatem & Chri-
Luc.12.35. G.hom.13. stus suis discipulis commendauit, cum apud Lucam ad illos dixit. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Quæ verba tractans B. Gregorius in Euangelia. *Duo,* inquit, *sunt quæ iubentur, & lumbos restringere & lucernam tenere, vt & munditia sit castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori enim nostro vnum sine altero placere nequaquam potest, si aut is qui bona agit adhuc luxuriæ in-
Iob.38. quinamenta non deserit, aut is qui castitate præeminet, necdum se per bona opera exercet.* Et explanans verba illa Iob *Gallus succinctus lumbos, & aries. Gallus,* ait, *succinctus lumbos, id est, prædicatores sancti inter huius noctis tenebras verum mane nunciantes: qui succincti lumbis sunt, quia à membris suis Luxuriæ fluxa restringunt in lumbis quippe luxuria est. vnde &
Luc.9.62. ijsdem à Domino dicitur. Sint lumbi vestri præcincti.*

VIII. Vt sit firmus & constans in fide Catholica. Si enim discipulus debet esse firmus & constans in fide, cui dicitur à Christo. *Ne-
Heb.3.14. mo mittens manum ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno DEI:* Et ab Apostolo, *Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius* (fidem) *vsque ad finem firmum retineamus*: quanto magis
Luc.14.30. Magister & Doctor fidei, in quem si constans non sit, detorqueri potest illa apud Lucam illusio. *Quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare.* Hanc proprietatē Doctoris vt insinuaret Christus, Eccle-
Matt.16.18. siam suam ædificare non voluit nisi super Apostolorum coryphæi Pe-
Luc.22.32. tri fide immota & constanti. Christus enim ipse de ea dixit. *Ego Petre
Gal.1.8. pro te rogaui, vt non deficeret fides tua.* Doctor vero gentium Paulus quam firmam fidem habuerit ostendit primum in epistola ad Galatas dum ait ad nutantes in fide. *Sed licet nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Et in
2.Tim.4.6. altera epistola ad Timotheum dum exitu vitæ iam impendente de se
2.Tim.3.14. ita contestatur *Tempus resolutionis meæ instat: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.* Vbi & Timotheum ad eandem constantiam adhortatur dicens, *Tu verò permane in ijs, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo IESV.*

IX. Vt

IX. Vt flagret zelo animarum, exemplo, primo Christi, qui vnicus est verus Magister & Doctor cœlestis doctrinæ. Hic enim ardens zelo vindicandi honoris diuini in profanatione Hierosolymitani templi ementes & vendentes templo exturbauit: Deinde Petri Apostolorum Principis, qui post acceptum Spiritum sanctum zelo maximo doctrinæ Christi diuulgandæ accensus vno die tria millia, altero quina millia hominum oratione sua CHRISTO adiunxit, ac alia multa zeli sui testimonia vt liquet ex Euangelio & Actis Apostolicis reliquit. Adhæc Apostoli Pauli, cuius historia in iisdem Actis descripta, cuiusque epistolæ nihil aliud spirant quam zelum ardentissimum animarum, sic vt ad Romanos non dubitauerit in hæc verba scribere. *Veritatem dico in CHRISTO, non mentior. Optabam ego ipse anathema esse à CHRISTO pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Et ad Corinthios. *Ego autem libentissimè impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Alibi verò ad eundem zelum imitandum inuitat & alios Doctores, vt Timotheum Episcopum. *Testificor*, inquiens, *coram DEO & IESV CHRISTO, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius & regnum eius, prædica verbum, insta opportunè, importune, arguè, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.* Hoc zelo quia destitutus erat Episcopus Laodicenus, Spiritus Sanctus eum sugillat velut tepidum, miserum & miserabilem, dignumque qui ex ore Dei euomatur, suadetq; vt à se emat *aurum ignitum*, hoc est, zelum ardentem animarum.

Ioan.2.15. Act.2.41. Act.4.4. Act.9. Rom.9.1. 2.Cor.12.15. 2.Tim.4.1. Apoc.3.16.

X. Vt à prædicatione, & institutione doctrinę Christianæ non cesset, quamuis fructus exiguus sequatur. Sic enim loquitur Dominus ad Ezechielem prophetam. *Si annunciante te ad impium vt conuertatur à viis suis, non fuerit conuersus à via sua ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti.*

Ezech.33.9.

Quæ verba expendens B. PROSPER libro primo de vita contemplatiua. *Hic certe*, inquit, *satis euidenter ostenditur, quod siue proficiant, siue non proficiant auditores, tacere eis non debeant Sacerdotes, nec ideo rei sint, si forte eorum verba populi non audiant, vel audita contemnunt: sed si ab eis corrigendis absistunt, quia si nec exemplo vitæ præpositorum suorum, nec verbo doctrinæ populi contumaces emendati proficiunt, ipsi sibi causa suæ perditionis existunt, & doctores suos, quorum exempla simul & verba despiciunt, inuoluere criminibus suis omnino non poterunt.* CHRISTVS Dominus mittens discipulos suos ad prædicandum.

P.c.22.

Intran-

Intrantes, inquit, *in domum, salutate eam, dicentes. Pax huic domui. Et*
Matt.10.12. *si quidem domus illa fuerit digna, veniet pax nostra super eam, si autem non*
fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos. Quem locum tractans S. Au-
gustinus libro primo contra Cresconium Grammaticum. *Sicut*, ait,
A. c.5. *malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, merito pœnam deceptoris in-*
currit: ita fidelis iustitiæ prædicator, etiamsi ab hominibus respuatur, absit, vt
apud Deum sui officij mercede fraudetur. Res enim certa fit ad incertum. In-
certum autem dico non præmium facientis, sed animum audientis. Incertum
est enim nobis, vtrum assensurus sit, cui veritas prædicatur, sed certum est
etiam talibus veritatem prædicari oportere, & certum est fideliter eam
Matt.10. *prædicantes retributionem manere, siue suscipiantur, siue spernantur, siue eti-*
am propterea qualibet temporaliter aduersa patiantur. Dominus dicit in Euan-
gelio. Cum ingressi fueritis, dicite. Pax huic domui: Si digni fuerint, qui ibi
sunt, requiescet super eos pax vestra: Si quo minus, ad vos reuertetur. Nun-
quid eos certos fecit, quod essent eorum pacem suscepturi, quibus eam prædica-
rent? certos tamen fecit, vt eam sine cunctatione prædicarent. Demum
A. c.8. Christus exemplo suo ostendit non esse cessandum à prædicatione
propter obstinationẽ auditorum. *Quid* inquit idem Augustinus ibi-
dem, *toties aduersus Iudæos, Pharisæos, Sadducæos, non solum minimè credi-*
turos, verum etiam maximè contradicturos & persecuturos in eos eorum quã
multa locutus est? Nonne ab eis vltro cum voluit, quod voluit inquisiuit, vt
eorum illos responsione conuinceret? Nonne illis dolose tentando quærentibus,
cum redarguti obmutescerent, sine vlla ambiguitate respondit? Quod cum
faceret nullus ex his legitur ad eum sequendum fuisse conuersus, &c. plura.

XI. Vt paratus sit animam pro auditoribus, si opus sit, ponere.
Bonus enim pastor, inquit, Christus, *animam dat pro ouibus suis.* imo qui-
Ioa.10. uis bonus Christianus deberet animam ponere pro proximo. Nam
S. Ioannes in epistola prima. *In hoc*, ait, *cognouimus charitatem Dei,*
quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus ani-
1.Ioa.3.16. *mas ponere.* Vnde S. CHRYSOST. homilia 6. de laudibus S. Pauli.
Neq; saltem attingere quisquam debet præclari huius muneris functionem
(prædicationis) *nisi paratus sit millies animam suam tradere in mortem atq;*
discrimina. Dicit enim ipse Dominus IESVS si quis vult post me venire, abne-
get semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et paulo post. *Non*
solum autem eum qui prædicationi accingitur, sic oportet parari, sed quem-
cunq; vel simpliciter Christianum, nam crucem tollere & sequi Christum, o-
mnibus imperatur. Si autem cunctis, multo magis doctoribus populi atq; pa-
storibus.

XII. Vt non dedignetur se ad puerilem institutionem, licet in
speciem abiectam, demittere. Primo, quia & sapiens pueros ad se
audi-

audiendum inuitat in Prouerbiis Salomonis. *Si quis est paruulus,* inquit, *veniat ad me.* Et. *Qui est paruulus declinet ad me.* Et Ioel clamat. *Vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos & sugentes vbera.* Ieremias verò queritur eis subtrahi panem doctrinæ spiritualis. *Paruuli,* inquiens, *petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* 2. Christus Dominus, testibus tribus Euangelistis grauatim tulit à suis discipulis submoueri paruulos, qui à parentibus ei offerebantur. S. Marcus ita narrat. *Offerebant illi paruulos, vt tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Iesus, indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.* 3. Apostolus Paulus non semel testatur, se factum cum paruulis paruum. *Cum possemus vobis oneri esse,* inquit ad Thessalonicenses, *vt Christi Apostoli, sed facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos, quoniam charissimi nobis facti estis.* Et ad Corinthios. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Et ad Galatas. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* S. Petrus denique omnes optat repuerascere. *Deponentes,* ait, *omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.* Quod ad Patres veteres attinet, habemus apud Eusebium libro Ecclesiasticæ historiæ sexto, quemadmodum catechumenis instruendis præfuerint in Alexandrina Ecclesia Pantænus, Clemens, Origenes Heraclas, S. Hieronymus iam senex cum multa præcepta in epistola ad Lætam pro recta institutione filiæ dedisset, tandem his verbis eam claudit. *Ipse si Paulam miseris, & magistrum me, & nutritium spondeo. gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multo gloriosior mundi Philosopho, qui non regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed ancillam & sponsam Christi erudiam regnis cœlestibus offerendam.* De S. Vincentio Ferrerio Ordinis S. Dominici ita scribit Petrus Ranzanus. *Neq; duntaxat ætate prouectos sublimium rerum capaces erudiebat, sed etiam pueros certis ad se horis euocatos instituebat, docens eos, quemadmodum cruce se signarent, orationem Dominicam & angelicam salutationem, atq; fidei Symbolum enuntiarent, Deum colerent, amarent, parentibus & proximis quibusq; honorem haberent, & debita officia persoluerent.* Eodem æuo Magnus ille Academiæ Parisiensis Cancellarius Ioannes Gerson non dubitauit se ad puerilem catecheseos institutionem demittere, omnibusq; ob singularem vtilitatem, quæ inde in Christianam Remp. dimanaret eam commendare. Quæ ingens vtilitas & nostræ Societatis parentem & fundatorem

Pro. 9. 4. & 16.
Ioel. 2. 16.
Thren. 4. 4.
Matth. 19. 13.
Marc. 10. 13.
Luc. 18. 18.
1. Thess. 2. 7.
1. Cor. 9. 22.
Galat. 4. 19.
1. Pet. 2. 2.
Euseb. c. 3. 5. 16.
Hier. c. 7.
Apud Sur. 5. April.

B. Ignatium permouet, vt eandem institutionem inprimis à sui Ordinis hominibus frequentari voluerit: qua de re multa noster Petrus Ribadineira in eius vita. Ribad. lib. 3. c. 24.

Capvt IV.

De proprietatibus Auditorum catechesis.

Psal. 110. 10. Prouer. 1. 7. Eccli 32. 18. PRIMA proprietas est timor Domini. *Initium enim sapientiæ timor Domini*, vt Dauid & Salomon testantur. *Qui timet Dominum*, ait Ecclesiasticus, *excipiet doctrinam eius.* Et alibi. *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius. Qui timent Dominum inquirent quæ beneplacita sunt ei.* Vnde S. August. libro de catechizandis rudibus suadet vt catechumeni, ne fictè accedant, initio terrore aliquo Dei percellantur. *De ipsa*, inquiens, *seueritate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est, vt ab eo quem timet, amari se gaudēs, eum redamare audeat, eiusq; in se dilectioni, etiamsi impunè posset, tamen displicere vereatur. Rarissimè quippe accidit, imò verò nunquam, vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui nō sit aliquo timore Dei perculsus. Si enim aliquod commodum spectādo ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum deuitando, quorum offensionem, aut inimicitias reformidat, vult fieri Christianus, non fieri vult potius, quam fingere: fides enim non est res saluandi corporis, sed credentis animi.* (Eccli. 1. 18. August. c. 5.)

Prouer. 11. 2. II. Proprietas est humilitas. *Vbi enim est humilitas*, inquit Sapiens, *ibi & sapientia.* Vnde S. Augustinus in prologo librorum de doctrina Christiana grauiter inuehitur in eos, qui iactabant, se humano Doctore non indigere, & posse à Spiritu S. intelligentiam scripturarum assequi, sicut Apostoli, & S. Antonius eremita eam consecuti sunt. Redarguit autem illos, primo exemplo Apostoli Pauli, qui licet diuina & cœlesti voce prostratus & instructus, tamen ab Anania doctus est. 2. Cornelii Centurionis, qui, licet angelus ei nunciasset orationes exauditas & eleemosynas respectas Petro traditus est imbuendus. 3. Eunuchi regis Syriæ Isaiam non intelligentis, cui non angelus, sed Philippus missus est, cuius opera dictum Prophetam intelligeret. 4. Moysis, qui licet doctus à Deo, tamen soceri sui, licet alienigenæ consilium de regendo tam magno populo minimè superbus accepit. (Actor. 9. 11. Actor. 10. 5. Actor 8. 30. Exod. 18. 24.)

Deuter. 5. 1. III. Proprietas est, audita præstare & exequi. Nam in Deuteronomio Deus agens de præceptis suis. *Discite*, inquit, *ea & opere complete.* Et iterum. *Audientes discant, & custodiant.* Et Christus Dominus *Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.* Et *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Deinde S. Paulus. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustifi-* (Deuter 32. 46. Matth. 7. 25. Luc. 11. 28. Rom. 2. 13.)

stificabuntur. Et B. Iacobus. *Estote factores verbi, & non auditores tantum.* Iacob.1.22.
Vnde S. August. in serm. 3. de verbis Domini agens, de officio commu- Aug. in Matth.
ni magistris & discipulis. *Quamuis,* inquit, *dissimile sit doctoris discentisq́ officium, tamen vtrinsq́ debet sanctarum legum obsequium, vt iungantur factis, qui separantur officiis, copulentur opere, qui diuersi sunt nomine, & quos vocabula ab inuicem separant, eos obseruantia praeceptorum deuotè ac fideliter coniungat. Neq enim perfectio in legum est notitia constituta, cum sit scriptum.* Rom.2.13.
Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, &c. Neq enim, inquam, is religiosus & sanctus est, qui nouit legem cessantibus factis, cum expediat facere magis quam docere, quia molestum est docere & non facere. Vos amici mei estis, in- Ioan.15.14.
quit, *si feceritis ea, quae mando vobis.*

IV. Proprietas, erigere aures ad doctorem, mentem verò ad Deum, iuxta illud Salomonis *Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuae ad* Prouer.23.12.
verba scientiae. Et iterum *Fili mi inclina aurem tuam, & audi verba sapienti-* Prouer.22.17.
um: appone autem cor ad doctrinam meam. Vnde S. August. de verbis Do- August. ser.11.
mini. *Erigite itaq fratres, erigite ad me aures, ad Dominum erigite mētes.* Cuius dicti causam reddit tractat. 3. in epist. 1. Ioan. exponens verba illa. 1. Ioan. 2. 27.
Quia vnctio ipsius docet vos de omnibus. Videte, inquit, *magnum sacramentū fratres, sonus verborū nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite putare quenquam hominē aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostrae, si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster; propterea ait & ipse in Euangelio. Nolite vobis dicere magistrū in terra: vnus est magister* Matth.23.8.
vester Christus. Ipse vobis ergo intus loquitur, quādo nemo hominum illic est. Et S. Greg. 29. moral. *Quia quilibet praedicator verba dare auribus potest, corda* Greg c.16.
verò aperire nō potest, & nisi per internam gratiam solus omnipotens Deus praedicātium verbis ad corda audientium inuisibiliter aditū praestet, incassum praedicatio aure audientis percipitur, se Dominus viam sonantis tonitrui dare asserit, qui cū praedicationis verba tribuit, per terrorem in corda cōpungit. Vnde Paul. *Neq qui plantat est aliquid, neq qui rigat, sed qui incrementū dat Deus.* 1. Cor 3. 6.

V. Proprietas est communicare Doctori suo necessaria ad victum & amictum, vt docet Apostolus in epist. ad Galat. *Communicet autem is,* Galat.6.6.
inquit, *qui catechizatur verbo ei qui se catechizat in omnibus bonis.* Quorū verborum, auctore S. Hieron. lib. 3. Commentariorum, hic sensus est. Hier. in epist. ad Galat.
Quia superius spiritualibus praeceperat, vt eos qui praeoccupati fuerāt in aliquo delicto instruerent in Spiritu lenitatis, & alter alterius onera portarent, nunc econtrario his qui adhuc imbecilliores, & discipuli & carnales erant praecipit, vt quomodo ipsi à magistris spiritualia metunt, sic magistris carnalia praebeant. Bona autem in praesenti loco iuxta vulgi cōsuetudinem, moremq communem, victum & vestitum & caetera, quae homines inter bona numerāt, appellauit. Habentes enim victum & vestitum his contenti sumus. Et paulo post subiūgit. 1. Tim. 6. 8.

Præuidens autem spiritu Apostolus, *eos qui docētur, & debent magistris sumptus & vitæ necessaria ministrare, posse obtendere paupertatem & dicere. Ager meus hoc anno aruit siccitate, vineam grando contriuit, non habeo, vnde tribuam, adiecit. Nolite errare, Deus non irridetur: Scit, inquit, corda vestra, non ignorat facultates. Excusatio verisimilis, hominem potest vtcunq; placare, Deum non potest fallere.* Eodem pertinent quæ Apostolus prolixius disputat in capite nono prioris ad Corinthios de stipendio debito Ecclesiasticis ministris, atque imprimis verbi diuini prædicatoribus.

VI. Proprietas est, puerorum mores quàm proximè imitari, vt innocentiam, simplicitatem, humilitatem: idcircò enim Christus Dominus in medio discipulorum paruulum constituit, dixitq;: *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Vnde Petrus. *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes. sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite.* Et S. Ambrosius sermone de innouatione fidelium. *Ad Apostolos*, ait, *iam seniores & maiores natu dicit Dominus. Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut puer iste, non introibitis in regnum cælorum? Reuocat igitur eos ad originis suæ fontem, & retrorsum ad infantiam redire compellit, scilicet vt qui corpore fragili senuerant, innocentiæ moribus renascantur.* Et rursus. *Habet & Christiana simplicitas infantiam suam: sicut enim infans nescit irasci, fraudare non nouit, referire non audet, ita vt Christianitatis infantia lædentibus non irascitur. spoliantibus non resistit, cædentibus non repugnat. Deniq; sicut Dominus iussit, etiam orat pro inimicis auferenti tunicam relinquit & pallium,* &c. Similiter S. Hieronymus in verba Christi. Quicunque ergo humiliauerit se, sicut paruulus *iste*, hic est maior in regno cœlorum. *Sicut iste paruulus*, inquit, *non perseuerat in iracundia, non meminit læsus, non videns pulchram mulierem delectatur: non aliud cogitat. & aliud loquitur: sic & vos nisi talem habueritis innocentiam, & animi puritatem, non poteritis regna cælorum intrare.*

Matth. 18. 2. Marc. 9. 35. Luc. 9. 46. 1. Pet. 2. Ambros. ser. 53. Matth. 25. 44. Matth. 18. 2.

Capvt V.

De necessitate & vtilitate Catechesios.

Necessitatem Catechesios Christianæ probant & confirmant omnia, quæ in ea traduntur, vt sunt inprimis fidei dogmata, quorum notitia eo magis hoc æuo necessaria est, quo plures ab hæreticis peruertuntur, & in Tartarum præcipitantur. *Sine fide enim*, inquit Apostolus ad Hebræos, *impossibile est placere Deo. At quomodo*, ait ad Romanos, *credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?* Fidei ergò capita cognosci

Heb. 11. 6. Rom. 10. 14.

gnosci nequeunt, nisi à Doctore aliquo legitimè misso (vti sunt illi soli qui in Catholica Ecclesia docent) exponantur.

DEINDE diuina Scriptura hortatur nos ad hanc doctrinam, velut ad salutem necessariam. Salomon enim in Prouerbiis sic loquitur in sapientiæ persona. *Doctrinam magis quam aurum eligite. Melior enim est* Prou. 8. 11. 33.
sapientia cunctis opibus pretiosissimis. Nunc ergo filij audite me, Beati, qui custodiunt vias meas. Qui me inuenerit inueniet vitam. Et rursus. *Non cesses* Prou. 19. 27. Prou. 22. 18.
audire fili doctrinam, nec ignores sermones scientiæ. Et. *Appone cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi, cum eam seruaueris in ventre tuo, & redundabit in labijs tuis vt sit in Domino fiducia tua.* Et Ecclesiasticus. *In mul-* Eccli. 6. 35.
titudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire. Et iterum. *Non te prætereat* Eccli. 8. 11.
narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à Patribus suis. quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. Et. *Fili à iuuentute tua* Eccli. 6
excipe doctrinam & vsque ad canos inuenies sapientiam. Quasi is qui arat, & qui seminat, accede ad eam, & bonos fructus ab ea expecta.

EADEM Scriptura grauiter incusat eos, qui doctrinam omnem notitiamque pietatis repudiant. De impiis enim agens B. Iob, eorumq; Iob. 21. 11.
liberis. *Egrediuntur*, inquit, *quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Qui dixerunt Deo Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Et Salomon in Prouerbiis. *Qui altam facit domum suam,* Prou. 17. 16.
quærit ruinam, & qui euitat discere, incidet in mala Et Sapiens. *Vani autem* Sap. 13. 1.
sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. Isaias prophetiam Isa. 1. 3.
suam ab hac reprehensione inchoauit *Cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui, Israhel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, &c.* & Ieremias. *Stultus populus meus me non* Ier. 4. 22.
cognouit filij insipientes sunt & vecordes: sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt. Et Apostolus ad Corinthios. *Si quis videtur pro-* 1. Cor. 14. 37.
pheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur.

DENIQVE si nulla ars, nulla scientia est, vel vnquam fuit quæ non necessario requirat doctorem, hæc sola doctrinæ Christianæ scientia, omnium præstantissima, & ad salutem necessaria Doctorem & Magistrum non postulabit? S. Hieronymus in epistola ad Paulinum agens H. ep. 103.
de S. Scriptura, ex qua doctrina Christiana, qua de loquimur, sumpta est; *Taceo*, ait, *de grammaticis, rhetoricis, philosophis, geometris, dialecticis, musicis, astronomis, astrologis, medicis quorum scientia mortalibus vel vtilissima est, & in tres partes scinditur τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Ad minores artes veniam, & quæ non tam lingua, quàm manu administrantur: agricolæ, cementarij fabri metallorum, lignorumue cæsores, lanarij quoq; & fullo-*

nes, & ceteri, qui variam supellectilem, & vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicent. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant.

QVOD ad VTILITATEM Catechesios, etsi satis illa colligatur ex necessitate & dignitate iam explicatis, atq; adeo ex quotidiana experientia, tamen pauculas aliquas breuiter hic subiiciam. Prima sit; quod Christianum populum, vindicet ab innumeris erroribus, & hæresibus hoc tempore grassantibus. 2. quod aditum in vtroq; sexu, maximè autem fœmineo præcludat veneficiis aliisque curiosis superstitionibus. Nec enim alia certior causa est cur in quibusdam prouinciis omnia plena sint sagarum, & magorum, quam quia homines, ab ineunte ætate in doctrina Christiana, ritibusque sacris Ecclesiæ non rectè sint instituti. 3. quod ea institutio efficiat, vt homines vitam ducant Christiano homine dignam, præceptisq; Dei & Ecclesiæ consentaneam.

Vnde S. CHRYSOSTOM. contra Anomæos. *Coniungamus*, inquit, *rectitudini dogmatum diligentiam vitæ & operum, vt ne dimidiatim quæ ad salutem nostram spectant, curentur. Vitæ autem diligentiam & puritatem nihil sic efficit, vt continua in templis conuersatio, & alacre ad audiendum verbum Dei studium. Quod enim corpori est cibus, hoc animæ diuinorum eloquiorum doctrina. Non enim in solo pane viuit homo, sed & in omni verbo, quod procedit per os Dei.* 4. quod in iis qui libenter eam, & conciones omnes sacras audiunt, & auditas præstant, sit admodum probabile signũ æternæ prædestinationis, vti S. BERNARDVS probat ex Christi dicto apud B. Ioannem. *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Magna*, inquiẽs, *mihi consolatio est fratres mei in verbo illo Domini: propterea enim vos libenter auditis, quia ex Deo estis Vnde & inuenies ab eodem Ioanne in epistola sua scriptum. Omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio cœlestis conseruat illum. Non peccat, inquit, id est, non permanet in peccato, quia conseruat illum, vtique vt perire non possit ea quæ falli non potest generatio cœlestis. Sed generationem istam quis enarrabit? Quis potest dicere. Ego de electis sum ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc dicere potest, reclamante, nimirum Scriptura. Nescit homo si sit dignus amore an odio. Certitudinem vtique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam & indicia manifesta salutis, vt indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint. Porro inter eæ quæ fiduciam præ-*

Bern. serm. 1. de septuag.
Ioann. 8. 47.
1. Ioan 5. 18.
Eccl. 9. 1.

præstant, & materiam spei, vnum illud maximum est, de quo nunc cœpimus loqui. Qui de Deo est, verba Dei audit. 5. & postrema vtilitas, quod omnes Doctores, institutoresque aliorum excellens maneat remuneratio in cœlis. Diuini siquidem oraculi apud Danielem prophetam vox est, *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiā erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Christi quoque Domini verba sunt. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & sic homines docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Non enim sibi ipsi tantum,* ait Chrysostom. in hunc locum, *vnusquisq; vtilis esse debet, sed etiam ceteris. Neque æqua merces est eius, qui solummodo seipsum regit, & illius, qui etiam alios acquirit.*

Ioan.8.47. Dan.12.3. Matt.5.19. Ch.hom.16.in Matt.

CHARITAS.

CAPVT I.

De Nomine & definitione Charitatis.

QVOD ad nomen attinet, diuinæ litteræ promiscuè fere vtuntur vocibus amoris, dilectionis & charitatis velut idem significantibus, vsitatius tamen charitatis, quando de virtute sermo est, teste S. Augustino libr.14. de ciuitate. Eam verò sic definit idem libro tertio de doctrina Christiana. *Charitatem voco motum animi ad fruendū Deo propter ipsum & se atq; proximo propter Deum.* Rectius hoc loco definias per habitū, vel virtutem. Charitas est virtus diuinitus infusa, qua homo diligit Deum propter ipsum, & proximum propter Deum: cōuenienter sanè Apostoli dicto ad Romanos, dum ait *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctū qui datus est nobis.* In quæ verba ita scribit Aug. lib. de spiritu & litera. *Charitas Dei dicta est diffundi in cordib. nostris, nō qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos, sicut iustitia Dei, qua iusti eius munere efficimur, & Domini salus, qua nos saluos fecit, & fides Christi, qua nos fideles facit.* Neque de actuali dilectione exponi queunt. Hæc.n non diffunditur à Deo in cor nostrum, sed effunditur potius à corde nostro in Deum iuxta illud. *Finis præcepti charitas de corde puro. OB duplicem autem causam,* inquit S. Bernardus in tractatu de diligendo Deo, *Deum dixerim propter seipsum diligendum: siue quia nihil iustius, siue quia nihil diligi fructuosius potest. Meretur amari propter seipsum*

Aug c.7. Id. c.10. Rom.5.5. A.c.32. 1.Tim.1.5. S.Bernard.

Deus & ab infideli, qui etsi nesciat Christum, scit tamen seipsum. Clamat nempe intus ei innata & non ignota rationi iustitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Proximum quoque diximus eadem charitate diligendum, sed propter Deum. Nomine autem proximi intelligendus est omnis homo, vti Christus apud Lucam integra parabola exposuit. Vnde S. Augustinus. *Proximus*, inquit, *est omnis homo. Omnes proximi sumus conditione terrenæ natiuitatis, & mortalitatis & etiam spe cœlestis hæreditatis, quia nescimus quis quid futurus sit, quoniam aut Iudæus, aut hæreticus, aut paganus, forte enim per misericordiam Dei conuertetur ad Deum, & inter sanctos primum locum habere merebitur.*

Luc. 10. 30. A. serm. 59. de temp.

Caput II.

De gemina Charitate, Dei & proximi.

Dvo Charitatis genera numerari solent secundum duo charitatis pręcepta in Lege veteri à Deo tradita, & in noua à Christo Domino repetita. *Diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ.* Quæ extrema Christi sententia est eadem cum illa Apostoli. *Plenitudo legis est dilectio.* Et. *Finis præcepti est charitas.* Sensus vero est. Omnia mandata huc tendere & collimare, vt *Deum diligamus ex toto corde*, id est, quantum possumus, quod Lucas dicit, *ex omnibus viribus*, & *proximum sicut nosipsos*, omnia bona, quæ nobis optamus, optando & illis, idque propter Deum. Varia quidem in hunc locum exstant commentaria Patrum, at breuitatis causa vnico tantum D. Augustini ero contentus. Is libro primo de doctrina ita scribit. *Hæc regula dilectionis diuinitus constituta est. Diliges, inquit, proximum tuum sicut teipsum: Deum verò ex toto corde, & ex tota anima & ex tota mente, vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, quasi alia re velit frui, sed quicquid aliud diligendũ venerit in animũ, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente, diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se riuulum duci extra patitur, cuius deriuatione minatur.*

Deut. 6. 5. Leu. 19. 18. Mat. 22. 37. Rom. 13. 10. 1. Tim. 1. 5. Luc. 10. 27. Aug. c. 22.

Quoni-

Quoniam verò fortassis aliquis mirari potest, quare Deus non constituerit tertium præceptum charitatis de diligendo seipso, cum tamen præceperit proximum diligi, sicut seipsum Respondet paulo inferius idem Augustinus, non opus fuisse præcipere, quia *quin se diligat & prodesse sibi velit dubitare dementis est, cum certa sit sententia Apostoli, vbi ait, nemo enim vnquam carnem suam odio habuit. sed nutrit & fouet eam sicut Christus Ecclesiam Ergo,* subdit *quoniam præcepto non est opus, vt se quisque & corpus suum diligat, id est, quoniam id quod sumus, & id quod infra nos est (corpus) ad nos tamen pertinet, inconcussa naturæ lege diligimus, quæ in bestias etiam promulgata est: nam & bestiæ se atque corpora sua diligunt, restabat vt & de illo quod supra nos est, & de illo quod iuxta nos est præcepta sumeremus. Diliges inquit, Dominum Deum tuum, &c. in his duobus præceptis vniuersa lex pendet & prophetæ. Finis itaq. præcepti est dilectio & ea gemina id est, Dei & proximi. Quod si te totum intelligis, id est, animam tuam & corpus tuum, & proximum totum, id est, animam & corpus eius (homo enim ex anima constat & corpore) nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. Cum enim præcurrat dilectio Dei, eiusque dilectionis modus præscriptus appareat, ita vt cetera in illum confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur. Sed cum dictum est. Diliges proximum tuum tanquam teipsum, simul & tui abs te dilectio non prætermissa est.* Hucusq; Augustinus. Quod ad ordinem autem horum præceptorum attinet non omittenda est illa eiusdem commonefactio in caput quintum B. Ioannis Euang. *Semper,* inquit, *omnino cogitate diligendum esse Deum & proximum: Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, & proximũ tanquam teipsum. Hæc semper cogitanda, hæc meditanda, hæc retinenda, hæc agenda, hæc implenda sunt, Dei dilectio prior est ordine præcipiendi, proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. Neque enim qui tibi præciperet dilectionem, istam in duobus præceptis, prius tibi commendaret proximum, & postea Deum, sed prius Deum, postea proximum. Tu autem quia Deum non vides, diligendo proximum promereris quem videas: diligendo proximum purgas oculum ad videndum Deum, euidenter Ioanne dicente. Si fratrem, quem vides non diligis, Deum quem non vides, quomodo diligere poteris?*

Ib. c. 25. — Eph. 5. 29. — Ib. c. 26. — Ioan. 5. Aug. tract. 17. — 1. Ioan. 4. 20.

CAPVT III.

De dignitate & excellentia Charitatis.

DIGNITATEM virtutis charitatis declarant imprimis sacræ literæ. Nam Christus Dominus in Euangelio mandatum caritatis vocat primum & maximum, quo aliud maius non sit. cui Scriba apud Marcum addidit. *Et diligere proximum tanquam teipsum, maius est omnibus*

Matt. 22. 37. Marc. 12. 33.

holocautomatibus & sacrificiis. Deinde Apostolus eam refert inter dona Spiritus sancti. *Caritas,* inquit ad Romanos, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et ad Galatas. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, &c.* Tum anteponit omnibus donis & virtutibus, vt in epistola ad Corinth. *Æmulamini, inquit, charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam* (caritatis) *vobis demonstro.* Et iterum *Nunc autem manent, fides, spes, charitas: maior autem horum est charitas.* Et ad Colos. post enumeratas præcipuas virtutes. *Super omnia aũt hæc,* ait, *caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Adhæc S. Ioan in priore epist. *Deus,* inquit, *charitas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Deniq; Scriptura tribuit caritati ea quæ sunt gratiæ. Gratia enim facit nos *diuinæ consortes naturæ,* vt loquitur B. Petrus, *filios Dei, hæredes Dei & cohæredes Christi,* vt loquitur Paulus. At S. Ioannes in epistola prima ait. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* 2. facit nos Deo dilectos. at Salomon ait *Ego diligentes me diligo,* & Ioannes. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* 3. dicitur vita animæ. at in prima Ioannis dicitur. *Qui non diligit, manet in morte: & nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* 4. facit hominem è peccatore iustum. At Lucæ 7. dicitur. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* 5. coniungit hominem Deo. at apud Ioannem dicitur. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Vnde Theologorum schola fere docet charitatem re ipsa non distingui à gratia gratum faciente, congruenter illi dicto S. Augustini libro de natura & gratia. *Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaq; iustitia.*

Rom. 5. 5. Gal. 5. 22. 1. Cor. 12. 31. 1. Cor. 13. 13. Col 3. 14. 1. Ioan. 4. 16. 2. Pet. 1. 4. Rom. 8. 16. 1. Io. 4. 7. Prou. 8. 17. Ioan. 14. 21. 1. Ioa. 3. 14. Luc. 7. 48. 1. Ioan. 4. 16. Au. c. 42.

Prisci PATRES oraculis Spiritus sancti subscribunt Tertullianus vocat *summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurum, quam Apostolus totis viribus Spiritus S. cõmendat.* Clem. Alex. *præcipuũ hominis Christiani munus.* Cypr. *fundamentum pacis, tenacitatẽ, ac firmitatẽ vnitatis, quæ & opera & martyria præcedit.* Bas. *radicem mandatorũ.* Naz. *doctrinæ nostræ caput.* Hiero. *cunctarum virtutum matrem.* Ephr. *omnium virtutum columnã.* Chrys. *antecellere omnib. Dei donis.* Aug. *arcem omnium virtutum.* B. Prosp. *affectionum omniũ potentissimam, in omnibus semper inuictam, actionũ bonarum summam salutem morum, finem cœlestium præceptorum, mortem criminum, vitam virtutum, &c.* Cyril. Alex. *omni virtute constantẽ.* Greg. Magnus, *matrem & custodem omnium bonorum.* Bern. *hominum matrem & angelorum, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cœlo sunt pacificantem.*

T. de patient. Cl. in paræn. Cyp de patient. Bas. orat. de 3. diis N. ep. 20. ad Eus. H. ad Theoph. in Ioan. Hiero. Ephr. doctr. de humil. Chry l. 1. de Sacerd. A ser. 53. de tem. P. l 3. v. cõt. c. 13. Cy in 13. Ioa. G. 6. l. 6. ep. 60. Bern. ep. 2.

CAPVT IV.

De fructu spirituali virtutis Charitatis.

CUm Charitas inter spiritus sancti fructus apud Apostolum principem locum obtinuerit, non potest nõ optimos spirituales fructus progi-

Gal. 5. 22.

progignere. Inter quos primus sit, quodamet omnium virtutum so-
cietatem vt clarè indicat in priore ad Corinth. B. PAVLVS, dum ait.
Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, 1.Cor.13.4.
non inflatur, non ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat
malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert,
omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. S. CYPRIANVS libro de patien Cypr. de pat.
tia exponit, quomodo *patiens sit.* CLEM. Alexandr. quomodo *omnia* Clem. 4. strom.
suffert. Amb. ad Horontianum, & Augustinus de spiritu & littera, quo- Amb. l. 9. ep. 74.
modo *omnia credat.* Cassianus collatione I. quomodo *nō æmuletur,* &c. Aug c. 32.
Greg. Magnus, omnia. II. fructus est, quod ceteræ virtutes, immò & do- Cass. c. 6.
na supernaturalia caritate destituta nō possint nobis prodesse ad salu- G. 10. mor. c. 8.
tē. Sic .n. idem Paulus ibidē deserte scripsit. *Si linguis hominum loquar &* 1.Cor.13.1.
angelorum charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut
cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, &
omnem scientiam, & si habuero omnem fidem; ita vt montes transferam,
charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pau-
perum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt
ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. S. CY-
PRIANVS in libro de vnitate Ecclesiæ, & AVGVSTINVS,
libro primo de baptismo contra Donatist. cap. 8. & 9. exemplum
afferunt de hæreticis & schismaticis, quibus etiam perpessum pro
fide martyrium non prodest, eo quod charitatis iacturam fecerint,
separando se ab Ecclesia. *Exhibere se non potest martyrem,* ait Cypr. *qui*
fraternam non tenuit caritatem. Et Augustinus. *Si dispertiant ipsi etiam*
substantiam suam pauperibus sicut multi non solum in Catholica, sed etiam
diuersis hæresibus faciunt: si aliqua ingruente persecutione tradant ad
flammas nobiscum corpus suum pro fide, quam pariter confitentur: ta-
men quia separati hæc agunt, non sufferentes inuicem in dilectione, neque
studentes seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, charitatem vtique non
habendo etiam cum illis omnibus, quæ nihil eis prosunt, ad æternam salutem
peruenire non possunt. Idem habet de Monachis fidelibus Ioan. Cas-
sianus collatione 3. cap. 7. si post distributas facultates suas in pau-
peres charitatem monasticam læserint. III. FRVCTVS est, quod
valeat ad expianda peccata & imperfectiones. nam B. Petrus in pri-
ore epistola sic loquitur. *Ante omnia mutuam in vobismetipsis cha-* 1. Pet. 4. 8.
ritatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem pecca-
torum. Quam sententiam mutuatus videtur à Salomone in Pro-
uerbiis dicente; *Odium suscitat rixas, & vniuersa delicta operit cha-*
ritas. Eandem vsurpauit B. Iacobus Apostolus, qui agens de præ- Prou. 10. 12. Iac. 5. 20.

cipuo charitatis opere. *Qui conuerti*, inquit, *fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinum peccatorum*, Exemplum huius fructus præbuit apud B. Lucam mulier peccatrix,
Luc.7.47. de qua Christus dixit. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit*
Vide Ambr. in apol.Daui.c.9. *multum*. Charitate autem operiuntur, vel teguntur peccata, sicut emplastro vulnera, non vt maneant, sed vt tollantur, quemadmodum ex-
A conc.2. ponit S. Augustinus verba illa psalmi 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. IV. Frvctvs est, quod charita-
Rom.8.28. te præditis nihil mali, aduersiue euenire possit. *Scimus*, inquit Aposto-
A.c.17. lus, *quoniam diligētibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quid est omnia*, ait Aug. lib. de gratia & libero arbitrio, *nisi & ipsas terribiles, sæuasq; passiones? Sarcina quippe illa, quæ infirmitati grauis est, leuis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit esse suam sarcinam leuem, qualis Petro fuit, quando passus est pro Christo; non qualis fuit, quando negauit Christum*. Causa huius fructus videtur, quod diligentibus Deum non solum vita æterna,
1.Cor.2.9. sed protectio diuina peculiariter permissa sit. *Oculus, non vidit*, ait ex I-
Iac.1.12. saia Paulus, *quæ præparauit Deus ijs qui diligunt eum*. & B. Iacobus. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coro-*
Prou 8.17. *nam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Et Salomon vel sapientia
Ioan.14 21. diuina. *Ego diligentes me diligo*. Et Christus, *Qui diligit me, diligetur à*
Psal.144.20. *Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Et Dauid. *Custodit Dominus omnes diligentes se*.

V. Frvctvs est, quod excludat omnem timorem, si perfecta sit,
1.Ioan.4.18. vt disertè testatur B. Ioannes, *Timor*, inquiens, *non est in charitate, sed per-*
Amb.serm 9. *fecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet*. In quæ verba S. Ambrosius scribens in psalmum 118. *Generaliter quidem*, ait, *charitas excludit timorem vt miles, qui imperatorem diligit, bella pro imperatore suscepta nō metuit: vt seruus amans Dominum, quamuis per dubia & prærupta mittatur, tamen omnia pericula Domini amore contemnit, ac si quis Dominum petat, seipsum offerre non trepidat: vt qui trans mare positos filios videre desiderat, non metuit naufragia liberorum, charitate ingreditur maris fluctus, subit incerta nauigii, sed metum discriminis leuant desideria filiorum. Quam pulchrè etiam de martyribus dicitur, qui verè militant Christo, qui persecutiones, vngulas, gladios, incendia non timentes, infestis se regibus obtulerunt*. Hunc fructum perceperat, qui dixit.
Rom.8.35. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum? an persecutio, an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neq; angeli, neq; principatus, neque virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo neq; altitudo, neq; profundum, neque creatu-*

creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Eodem pertinere putat S. Augustinus dictum sponsi in Canticis. *Fortis est vt mors dilectio. Magnum,* inquit, *verbum fratres. Valida est sicut mors dilectio. Magnificentius exprimi non potuit fortitudo charitatis. Quis enim resistit morti? Resistitur ignibus, vndis, ferro, resistitur potestatibus, resistitur regibus. Venit vna mors, quis ei resistit? nihil est illa fortius. Propterea viribus eius charitas comparata est. Quia enim ipsa charitas occidit, quod fuimus, vt simus quod non eramus, facit in nobis quandam mortem dilectio. Ipsa morte mortuus erat, qui dicebat. Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Ipsa morte mortui erant, quibus dicebat. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et S. Gregorius in Euangelia. *Rectè per Salomonem dicitur: Fortis est vt mors dilectio, quia videlicet sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerũ corporalium æternæ vitæ charitas occidit. Nam quem perfectè absorbuerit ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Nec enim sancta hæc* (Agnes) *cuius hodie natalitia celebramus, mori pro Domino potuisset in corpore, si prius à terrenis desideriis mortua non fuisset in mente. Erectus namq; in virtutis culmine animus tormenta despexit, præmia calcauit: ante armatos reges & præsides inuicta stetit, feriente robustior, iudicante sublimior.*

Cant. 8. 6. Aug in Psal. 12. Gal. 6. 14. Col. 3. 3. Greg. hom. 11.

CAPVT V.
De modo diligendi Deum.

MODVM vnum diligendi Deum præscripsit per Moysen ipse Deus. *Diliges,* inquiens, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua,* quem in Euangelio iterauit Christus Dominus, Ecclesiasticus autem breuiter expressit, dicens. *In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit.* Hunc modum sic exponit in Cantica mellifluus S. Bernardus. *Mihi videtur (si alius competentior sensus in hac trina distinctione non occurrit) amor quidem cordis ad zelum quendam pertinere affectionis: animæ verò amor ad industriam, seu iudicium rationis: virtutis autem dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia & circumspectione; dilige & tota virtute, vt nec mori pro eius amore pertimescas, sicut scriptum est in consequentibus, quoniam fortis est vt mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Sit suauis & dulcis affectui tuo Dominus Iesus contra malè vtiq; dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clauum clauus expellit. Sed sit nihilominus intellectui præuia lux, & dux rationi, non solum ob cauendas hæreticæ fraudis decipulas, & fidei puritatem ab eorum versutiis custodiendam: verum vt cautus quoq; sis*

Deu. 6. 5. Matth. 22. 37. Marc. 12. 29. Luc. 10. 27. Eccli 7. 32. Bern. serm. 21. Cant. 8. 6.

nimiam & indiscretam vehementiam in tua conuersatione vitare. Sit etiam fortis & constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Ergò amemus affectuosè, circumspectè & validè, scientes amorem cordis, quem affectuosum dicimus, absq; eo qui dicitur animæ, dulcem quidem, sed seductibilem: istum verò absq; illo qui virtutis est, rationabilem sed fragilem. Et multo inferius. Ergo non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec iniuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. Hæc Bernardus. S. Basilius in regulis breuioribus, posita quæstione, Quis sit modus caritatis in DEVM, breuiter respondet. Assidua vsque vltra vires animi ad exequendam DEI voluntatem contentio cum proposito ac desiderio gloriæ ipsius. AVCTOR operis imperfecti in Matthæum. Quid est, inquit, diligere DEVM ex toto corde? Id est, vt cor tuum non sit inclinatum, ad vllius rei dilectionem amplius, quàm ad DEI, nec delecteris in aliqua specie mundi amplius, quàm in DEO, non in honoribus, non in auro, vel in argento, &c. sed hæc omnia existimes tibi esse in DEO, vt præ his omnibus DEVM ames. Sic ergo & omnis anima Christiana, quæ sponsa est CHRISTI, ita diligere debet DEVM, vt nihil sit in mundo, quod amplius amet quam DEVM, aut in tantum. Pro quanta autem parte plus amauerit, tanta parte minus amat DEVM. Quid est in tota anima diligere DEVM? Id est certissimum animum habere in veritate, & firmum esse in fide. Puta si didicisti vnum DEVM, ex quo omnia, & vnum DEVM, per quem omnia: si iterum intellectus tuus per alicuius doctrinæ seductionem percursus cœperit dubitare de substantia DEI, in tota anima non diligis DEVM. Item, qui putat incantationes aliquid posse, aut auguria & diuinationes. Quid est in tota mente diligere DEVM? Id est, vt omnes sensus tui, qui pertinent ad te DEO vacent, cuius intellectus DEO ministrat, cuius sapientia circa DEVM est, cuius cogitatio ea, quæ sunt DEI, tractat, cuius memoria, quæ sunt bona, recordatur, tota mente diligit DEVM, sicut ait Apostolus. Psallam spiritu, psallam & mente. S. Ambrosius de dignitate humanæ conditionis. Licet vnius naturæ anima sit, tres tamen in se dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem & memoriam. Quod idem, licet aliis verbis, in Euangelio designatur, cum dicitur. Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, id est, ex toto intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memoria. Nam sicut ex patre generatur filius, & ex patre filioq; procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas & ex his item ambobus procedit memoria sicut facilè à sapiente quolibet intelligi potest. S. Augustinus verò in libro de Spiritu & littera existimat hunc modum diligendi Deum ex toto corde, anima & mente, vel viribus in hac vita obseruari non posse; tum quia non esset alius perfectior modus in altera vita, quod absurdum est, ibi enim plus, inquit, non esse poterit, quam ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente:

Basil. quæst. 211.

Chrys. hom. 42.

1. Cor. 14. 15.
Amb. cap. 2.

August. c. 36.

neq; enim restat in nobis aliquid, quod addi possit ad totum, quia si restabit aliquid, illud non erit totum. 2. Quia ad hanc supereminentissimam perfectionem charitatis Dei requiritur, vt homo *omnes motus terrenæ libidinis absorbuerit atq; consumpserit, nec opus habeat dicere. Dimitte nobis debita nostra* Si quæras, cur ergo præceptum sit nobis in hac vita eo modo diligere? Respondet, *vt admoneremur, quid fide exposcere, quo spem præmittere, & obliuiscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.* Si iterum quæras, an peccet, qui præceptum hoc in hac vita non præstat, respondet, non peccare: *neq; enim*, ait, *si nondum esse potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæq; debetur, iam culpæ deputandum est: aliud enim est totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamuis lõgè minus amet Deum, quàm eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum: sicut etiam in his, quæ adiacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamuis non possit in fulgentissima luce defigi.* S. Bernardus in Cantica scribens, quamuis non improbet hanc expositionem Augustini, si sermo sit de charitate affectuali, magis tamen probat, vt de charitate actuali intelligatur iuxta expositionem supra commemoratam, ne dicamus Deum aliquid impossibile nobis mandasse.

Phil. 3. [illegible]

Bern. ser. 50.

Caput VI.

De indiciis charitatis in Deum.

Spiritus sanctus in sacris litteris docet indicio obseruationis diuinorum mandatorum, bonorumq; operum prodi charitatem in Deum animo inhærentem. Nam Ecclesiasticus ait. *Qui diligunt illum, conseruabunt viam illius.* Et. *Qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.* Et Christus ipse apud Ioannem. *Si diligitis me, mandata mea seruate. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Et B. Ioannes in epist. prima. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* Et. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Vnde S. Augustinus tractatu 82. in Ioannem. *Dilectio facit præcepta seruare, an præcepta seruata faciunt dilectionem? Sed quis ambigit, quod dilectio præcedit? Vnde enim præcepta seruet, non habet, qui non diligit. Quod ergo ait, Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, ostendit, non vnde dilectio generetur, sed vnde monstretur, tanquam diceret. Nolite vos putare manere in dilectione mea, si non seruaueritis præcepta mea: si enim seruaueritis, manebitis, hoc est, hic apparebit, quod in dilectione mea manebitis, si præcepta mea seruaueritis.* Et B. Gregorius in Euangelia. *Sed ecce, si vnusquisq; vestrum requiratur, an diligat Deum.*

Eccli. 2. 19. [illegible]

Ioan. 14. 15.

1. Ioan. 5. 3.

1. Ioan. 2. 4.

Augustin. [illegible] Ioan.

Greg. hom. 30.

Deum? tota fiducia & secura mente respondet, diligo. In ipso autem lectionis exordio audistis, quid veritas dicit. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. probatio ergo dilectionis exhibitio est operis. Verè enim diligimus, si ad mandata eius à nostris nos voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit. Et paulo post. *Ad vosmetipsos ergo fratres charissimi introrsus redite, si Deum verè amatis exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quicquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione conditoris lingua, mens & vita requirantur. Nunquam est Dei amor otiosus. Operatur etenim magna, si est: si verò operari renuit, amor non est.*

II. Indicium est dilectio proximi. *Si quis enim dixerit*, ait S. Ioannes, *Quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere. Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Quibus extremis verbis non obscure B. Ioannes indicat causam, cur dilectio proximi sit nota & symbolum dilectionis Dei, nempe, quia is, qui mandauit, diligi Deum, mandauit & diligi proximum. Vnde S. Augustinus in eundem locum ita scripsit. *Ipse Christus dixit, Dedi vobis præceptum vt diligatis inuicem: quomodo diligis eum, cuius odisti præceptum? Quis est, qui dicat: Diligo Imperatorem, sed odi leges eius? In hoc intelligit Imperator, si diligis eum, si obseruentur leges eius per prouincias. Lex Imperatoris quæ est? Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. Dicis ergo te diligere Christum? serua mandatum eius, & fratrem dilige. Si autem fratrem non diligis, quomodo eum diligis cuius mandatum contemnis?* Addo aliam causam, quia dilectio proximi nunquam potest diuelli à dilectione Dei: vbi ergo constat esse dilectionem proximi (quod facile constare potest, quia sensui visus subiecta est) constabit esse & dilectionem Dei. Quod autem diuelli non possit, inde probat S. Augustinus libro octauo de S. Trinitate, quod dilectio proximi contineat in se dilectionem Dei tanquam causam, quia nemo vera dilectione diligit proximum, nisi qui ipsum in Deo & propter Deum diligit.

[Margin: can. 1. epist. 4. 20.]
[Margin: August. tract. 9. in epist. Ioan.]
[Margin: August. c. 8.]

CAPVT VII.

De modo diligendi proximum.

MODVM diligendi proximum & ipse Deus in formula præcepti indicauit, dicens. *Dilige proximum tuum SICVT teipsum.* Quod cõuenit cum illo alio generali Christi dicto, naturæ consentaneo. *Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Pro-*

[Margin: Leu 19. 18. Matth. 22. 39. Matth. 7. 12. Luc. 6. 31.]

& prophetæ. Et alio S. Tobiæ. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Quem modum accuratè expendens B. Gregorius, ita libro moralium decimo scribit. *Proximi dilectio ad duo præcepta deriuatur, cum & per quendam iustum dicitur. Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per semetipsam veritas dicit. Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quibus duobus scilicet vtriusq; testamenti mandatis per vnum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur, vt malum quod pati non vult quisque non faciens, cesset à nocendi opere, & rursum bonum quod sibi fieri appetit impendens erga vtilitatem se proximi exerceat ex benignitate* Quoniam verò non exigua difficultas est in rectè exequendo vtroque mandato, propterea quod sicut seipsum diligere non licet nisi in rebus licitis & salutaribus, ita nec proximum, subiungit. *Sed hæc nimirum duo dum solicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum ministeria tenditur, ne vel ad inferenda quæ non debet, desideriis inquieta mens ferueat, vel erga exhibenda quæ debet otio resoluta torpescat. Nam cum cauet alteri facere, quod nequaquam vult ab altero ipse tolerare, solicita se intentione circumspicit, ne superbia eleuet, & vsque ad despectum proximi animum deijciens exaltet, ne ambitio cogitationem dilaniet: cumq; hanc ad appetenda aliena dilatat, angustet: ne cor luxuria polluat, & subiectum desideriis per illicita corrumpat: ne ira exasperet, & vsque ad proferendam contumeliam inflammet; ne inuidia mordeat, & alienis felicitatibus æmula sua se face consumat. Rursus cum cogitat, vt ea alteri faciat, quæ ipsa sibi ab altero fieri expectat, pensat nimirum vt malis bona, & bonis meliora respondeat, vt erga procaces mansuetudinē longanimitatis exhibeat, vt malitiæ peste languētibus gratiam benignitatis impendat, vt discordes pace vniat, & concordes ad concupiscentiam veræ pacis accingat, vt indigentibus necessaria tribuat, vt errantibus viam rectitudinis ostendat, vt afflictos verbo & compassione mulceat, vt accensos in huius mundi desideriis increpatione restringat, vt minas potentum ratiocinatione mitiget: vt oppressorum angustias quanta præualet ope leuet: vt foris resistentibus opponat patientiam, vt intus superbientibus exhibeat cum patientia disciplinam: vt erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus à iustitiæ studio non eneruet: sic ad vltionem zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem ferendo trāscendat: vt ingratos beneficijs ad amorem prouocet: vt gratos quosque ministeriis in amore seruet: vt proximorum mala cum corrigere non valet, taceat: vtq; cum corrigi loquendo possunt silentium consensum esse pertimescat: vt sic ea quæ tacet toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet: vt sic maleuolis manus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam à iure rectitudinis excedat vt cuncta proximis quæ præualet impendat, sed hæc impendendo non tumeat vt sic in bonis quæ exhibet tumoris præcipitium paueat, ne tamen à boni exercitio torpescat: vt sic quæ possidet*

Tob. 4. 16.
G c. 6.
Tob. 4. 16.

tribuat, quatenus quanta sit largitas remunerantis attendat, ne cum terrena largitur, suam plusquam necesse est inopiam pertimescat, & in oblatione muneris hilaritatis lumen tristitia obscuret.

G.hom.38.in Euang. AD eundem modum pertinet, vt sicut nosipsos diligere debemus propter Deum, ita & proximum propter Deum diligamus. Vnde alibi idem Greg. ita scribit. *Sed nemo cum quempiam diligit, habere se protinus charitatem putet, nisi prius ipsam vim suæ dilectionis examinet. Nam si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se putat. Charitas autem vera est, cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos quos diligit, qui iam & eos diligere, à quibus non diligitur, scit. Probari enim charitas per solam odij aduersitatem solet. Vnde & per semetipsum Dominus dicit. Diligite inimicos* Matt.5.44. *vestros benefacite his qui oderunt vos. Ille ergo securus amat, qui propter Deum illum amat, à quo se intelligit non amari.* Et S. Bernardus in tractatu de diligendo Deo. *Vt perfecta iustitia sit diligere proximum, Deum in causa habere necesse est: alioquin proximum purè diligere quomodo potest, qui in Deo non diligit? Porro in Deo diligere non potest, qui Deum non diligit. Oportet ergò Deum diligi prius, vt in Deo diligi possit & proximus.*

Hinc verò clarè intelligimus, cur & Christus Dominus apud Matthæum loco citato, & D. Paulus in epistola ad Romanos & Galatas in- Matt 7.12. Rom.13.8.10. Gal 6.2. dicent vna dilectione proximi totam legem perfici. *Qui*, inquit, *diligit proximum, legem impleuit.* Et. *Plenitudo legis est dilectio.* Et. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Causa nempe illa est, quia dilectio proximi cum sit propter Deum includit etiam dilectionem Dei, & quidem tanquam potiorem. Si enim proximum propter De- Arist.1.post analyt.c.2. um diligis, Deum magis diligis. *Propter quod enim vnumquodq; tale, illud magis tale est*, iuxta Aristotelicum axioma.

CAPVT VIII.
De diligendis inimicis.

AD præceptum diuinum de diligendo proximo, pertinere præceptum de diligendo inimico, inde primum liquet, quod supra docuerimus nomine proximi, quemlibet hominem intelligi siue Iudæũ, siue gentilem, siue Christianum siue hæreticũ, siue pium siue impium, siue amicum, siue inimicum. Secundo, quia disertè ita mandauit Christus Dominus. *Ego autem*, inquit apud Matthæum, *dico vobis, Diligite i-* Matt 5.44. *nimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis*

eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne & publicani hoc faciunt?
Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nonne & Eth-
nici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus
est. Eodem collimant illa quæ in eodem sermone Christus di-
xit de offerente munus ad altare, vt non ante illud offerat, Matt 5.24.
quam reconciliatus fuerit fratri offenso. Et de remittendis mu- Ib.6.14.
tuo offensis. *Si enim dimiseritis*, inquit, *hominibus peccata eorum: dimittet* Rom 12 20.
& vobis pater vester cælestis delicta vestra Si autem non dimiseritis homini- Prou.25 21.
bus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Deinde quod Aposto-
lus ex Salomonis Prouerbiis allegauit. *Si esurierit inimicus tuus*
ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super
caput eius. Cuius Salomonis hæc quoque dicta sunt. *Cum ceciderit ini-* Prou 24.17.
micus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum. Et. *Noli de ini-*
mico tuo mortuo gaudere. Et. *Memento nouissimorum, & desine inimicari.* Eccl 8.8.
Adhæc Moyses in Exodo. *Si occurreris*, inquit, *boui inimici tui, aut asino* Ib 28.6. Exo.23.4.
erranti, reduc eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non per-
transibis, sed subleuabis cum eo.

Obicies videri impossibile, aut certe æquo grauius obseruatu
hoc præceptum. Verum vna voce S. Patres omnes id inficiantur, si
modo intelligamus, quod vnus ex antiquissimis Theologis monuit
Clemens Alexandrinus, non iuberi, vt inimicos, qua inimici sunt, sed Clem. 4. strom.
qua proximi sunt, id est, homines diligamus, inimicitiam siquidem vt
alia omnia vitia tenemur odisse. *Diligere*, inquit, *inimicos, non dicit ma-*
lum amare, neque impietatem vel adulterium, vel furtum, sed furem & impium
& adulterium, non quatenus peccat, & aliqua actione inquinat hominis appel-
lationem, sed quatenus est homo, & opus Dei. Peccare certe inter actiones poni-
tur, non inter substantias: quamobrem nec Dei est opus. Dei autem inimici dicti
sunt peccatores, qui sunt inimici mandatorum quibus non obediunt: sicut ami-
ci qui audiunt. Augustin ergo pro possibilitate ita differit in serm. quo- A. serm. 59.
dam de tempore. *Multi præcepta Dei sua imbecillitate, non sanctorum viri-*
bus æstimantes putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere vir-
tutibus, non odisse inimicos, ceterum diligere plus præcepit, quam humana natura
patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere sed perfecta, quæ
Dauid fecit in Saul & Absalon. Stephanus quoque martyr pro inimicis se lapidan- 1. Reg. 24.
tib. deprecatus est, & Paulus anathema esse cupit pro persecutorib suis. Hæc autem 2. R. 18.
Iesus & docuit & fecit dicens, Pater ignosce illis. In reliquis operib. bonis interdum Act. 7.60.
potest aliquis qualemcunque excusationem prætendere, in habenda verò dilectione Rom. 9 3. Luc. 23.34.
nullus se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere non possum ieiunare: nunquam
potest dicere non possum amare. Potest dicere, propter infirmitatem corporis mei non pos-
sum à vino & carnibus abstinere, nunquid potest dicere, non possum diligere?

Potest aliquis dicere. virginitatem non possum seruare. potest dicere, non possum res totas vendere, & pauperibus erogare: nunquid potest dicere, non possum diligere inimicos? Non enim ibi aut pedes laborant currendo, aut aures audiendo, aut manus operando lassantur. Non nobis dicitur. Ite ad Orientem, & quærite charitatem: nauigate ad Occidentem, & inuenietis dilectionẽ. Intus in corde nostro est, vbi redire iubemur dicente Propheta. Redite præuaricatores ad cor. *Non enim in longinquis regionibus inuenitur quod à nobis petit. Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Quid aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc, quod ait Apostolus. Vt det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur.* Et sermone quinto de S. Stephano. *Grandis,* ait, *labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare? nec nos negamus fratres: non paruus quidem labor est in hoc seculo, sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficeris amicus Dei, immo nõ solum amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dixit Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est. Si te aliquis homo diues in hoc seculo vellet adoptiuum filium facere, quomodo seruires, quas ei dignitates impenderes, & seruorum eiusque seruitia durißima, & aliquoties etiam turpißima sustineres conuitia, vt ad caducam & fragilem eius hæreditatẽ peruenires? Quod ergo ille sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam. Conuincimur enim certißima ratione, quia propter Deũ possumus quidem, sed nolumus iniuria sustinere. Denique si nobis aliqua potẽs persona iniuriam facit, si nos etiam in faciem maledicit, nec respondere aliquid asperum, non dicam vicem reddere ausi sumus. Quare hoc? ne ab illa persona potente adhuc maiora, quam pertulimus, patiamur. Quod à nobis extorquet hominis timor deberet à nobis exigere Christi amor.* S. BASILIVS verò in regulis breuioribus ita respondet. *Sine dubio DEVS non præcepisset diligi inimicum, nisi facultatem largitus fuisset id faciendi: quam quidem etiam in natura insitam videri voluit. Bene enim meritos etiam bestiæ naturaliter diligunt. At maius nobis non potest contingere beneficium, quam quod ab inimicis nobis datur, nempe vt beatitudinem assequamur. Beati, inquit Dominus, estis, cum maledixerint vobis, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me, gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Idem respondet CHRYSOSTOMVS in homiliis ad populum Antiochenum. Plura de hac re habes in PANARIO V. Odium. & V. Vindicatio iniuriæ.

Marginal notes: Mal.46.12. — Mat.5.45. — 2.Tim.2.26. — In serm. de sanctis. — B.q.176. — Chry.hom.73.

* * *

CAPVT

CAPVT. IX.

De Medijs acquirendi vel conſeruandi virtutem Charitatis.

PRIMVM medium acquirendi Charitatem Dei eſt conſideratio diuinorum beneficiorum, quod tradit S. Baſilius in regulis breuioribus his verbis. *Charitas erga Deum conficitur datis ab eo beneficiis recto iudicio,* Baſ.q.212. *æquitateq́ æſtimandis, iiſque grato animo proſequendis. Quod quidem etiam naturaliter ineſſe in brutis animalibus videmus: ſiquidem animaduertimus etiam canes eos diligere, qui ſibi panem modo ſubminiſtrant. Intelligimus autem hoc etiam ex iis quæ criminatoriè dicta ſunt ab Iſaia propheta, hoc modo. Filios genui & exaltaui, ipſe autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem* Iſai.1.1. *ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Iſrahel autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Quemadmodum enim boui & aſino ex beneficio eius, vnde aluntur, naturaliter ſua ſponte aduerſus ipſum amor excitatur: ſic nos quoque ſi recto iudicio, gratoque animo Dei in nos beneficia tot tantaq́ ſuſceperimus, fieri non poterit quin ipſum eorum auctorem diligamus, quod ſecundum naturam, vt ita dicam, & ſine vlla doctrina per ſe huiuſmodi affectio ſanis animis ingeneretur.* S. Bernardus in ſermonibus in Cantica tradit B.ſerm.20. nullo beneficio Chriſtum æquè nos ad amorem ſui allicere ac beneficio redemptionis, dum ait. *Sed eſt quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi Ieſu bone calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis. Hoc omnino amorem noſtrum facile vendicat totum ſibi. Hoc inquam eſt, quod noſtram deuotionem & blandius allicit, & iuſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius. Multum quippe laborauit in eo ſaluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor aſſumpſit, &c.*

II. MEDIVM ex parte proximi eſt, conſideratio, quod quicquid boni præſtamus proximo, id Chriſtus ſibi fieri declarauerit. Eſt eiuſdem S. Baſilii in regulis fuſius diſputatis. *Chriſtus dicit: In hoc cogno-* Baſ.q.3. *ſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Ioan.13.35. *Et ſic vbiq́ præcepta hæc duo* (caritatis) *ſemper copulat, vt quod proximo quiſq́ bene fecerit, id habeat perinde, ac ſi ipſi factum fuiſſet. Eſuriui enim, inquit, & dedi-* Matt.25.40. *ſtis mihi manducare, &c. tum addit. Quatenus autem feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Ex quo ſane intelligi poteſt, qui primum ſeruet, eum ſecundum quoq́ per illud ipſum poſſe ſeruare, viciſſimque per ſecundi obſeruationem reditum aperiri ad primum, vt videlicet & qui Dominum diligat conſequens ſit eum proximum etiam diligere. Qui enim diligit me, in-*

quit Dominus, mandata mea seruabit. Idem autem. Hoc mandatum meum est inquit, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Similiterq; vicissim in quo charitas aduersus proximum sit, eum quoq; charitati satisfacere, quæ est aduersus Deum, quippe cum ipse beneficium illud perinde accipiat, ac si in se propriè fuisset collatum.

Aug serm. 10. de verbis dom. III. est Humilitas. *Cogitas magnam*, ait quidam, *fabricam construere celsitudinis?* (charitatis in Deum) *de fundamento prius cogita humilitatis. Charitas enim non inflatur, non est ambitiosa teste Apostolo.* Hoc medium

1. Cor. 13. 5. tradit S. Ambrosius, epistola ad Demetriadem, quæ ab aliis B. Prospero tribuitur. *Vt*, inquit, *à charitate possit esse alienus, qui in alimoniam*

A. ep. 84. l. 10. *pauperum suas distribuerit facultates, incredibile videretur, nisi beatus Paulus hoc diceret, qui tamen cum doceret qualis esset hæc virtus. Charitas, inquit, patiens est, non inflatur, non est ambitiosa. Inflatio ergo & ambitio possunt destruere eleemosynas, possunt euacuare martyria. Huic autem ruinæ nihil subuenit, quia aut difficile peccatum suum superbus agnoscit, aut etiamsi intellexerit non currit ad medicum. Hunc autem pestilentiæ flatum spiritus veræ humilitatis & veræ charitatis excludit. In nullo enim hæ virtutes ab inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, vt qui in vna earum construitur, simul vtraq; potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas ita pars humilitatis est charitas. Et si illa recolamus quæ sine bono charitatis infructuosa esse Apostolus definiuit, inueniemus eadem similem habere caritatem, si eis humilitas vera defuerit. Quem enim fructum habebit, aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides, aut cum iactantia largitas, aut cum elatione martyrium?*

IV. Medium est mortificatio prauarum cupiditatum, vel amoris sui. Charitati enim in Deum è diametro repugnat cupiditas; & amor Dei, amori sui. Vnde August. ita scribit libro 14. de ciuitate Dei. *Fecerunt ciuitates duas amores duo: terrenam scil. amor sui vsq; ad contemptum Dei, cœlestem vero, amor Dei vsque ad contemptum sui. Denique illa in seipsa hæc in Domino gloriatur. Illa enim quærit ab hominibus gloriam, huic au-*

A. c. 28. *tem Deus conscientiæ testis maxima est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum: hæc dicit Deo suo. Gloria mea, & exaltans caput meum. Illi in principibus eius, vel in eis, quas subiugat nationibus dominandi libido dominatur: in hac seruiunt inuicem in charitate, & præpositi consulendo &*

In Pan. V. Amor sui. *subditi obtemperando.* Hæc ille. Quo ergo plus compresseris amorem tui, qui omnium prauarum cupiditatum fons est, vt alibi ostendimus, hoc maiores progressus feceris in amore Dei iuxta illud eiusdem Augustini libro 83. questionum, q. 36. *Nutrimentum caritatis est imminutio cupiditatis; perfectio nulla cupiditas. Quisquis igitur eam nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus.*

V. Me-

V. Medivm eſt, obſeruare gradus virtutum, quos Chriſtus in prolixo illo ſermone in monte ad diſcipulos habito indicauit, donec ad faſtigium charitatis, nẽpe dilectionem inimicorum, perueniatur, & Chryſoſtomus caput V. Matthæi exponens in hæc verba collegit. *Vidiſti*, inquit, *quantis Dominus Ieſus in ſermone gradibus ad perfectionem aſcenderit, & quemadmodum nos ad ipſum virtutis cacumen eduxerit. A ſuperioribus igitur ad inferiora deſcende numerando. Primus gradus eſt, ne prior iniuriam ordiare. Secundus, vbi eſt iniuria cœpta, ne tu illam eodem pacto propellas. Tertius ne par pari referas, ſed quieſcas. Quartus, vt etiam præbeas te promptum ad iniuriam ſuſtinendam. Quintus, vt etiam ad maiora paratum te præbeas, quam vult ille qui fecit. Sextus, non odiſſe à quo iſta perpetitur. Septimus, etiam diligere lædentem. Octauus beneficiis quoq; eum libenter afficere. Nonus, etiam Deum pro aduerſario deprecari. Perſpexiſti celſitudinem philoſophiæ, & idcirco tam claro eſt digna præmio, quia tam magno eſt ſubiecta præcepto, quodque ingentem ſemper animam, & ſtudium omninò multum requirat. Nam & præmium illi tale proponit, quale priorum omnino nulli. Neque enim terræ hic meminit, ſicut in mitibus: nec conſolationis ac miſerationis, ſicut in lugentibus atque miſerentibus: neque regnum cœlorum memorat ſicut in pauperibus ſpiritu, perſecutionemq; patientibus, ſed quod hic erat longe ſublimius, vt ſcilicet fierent ſimiles Dei, prout tamen id hominibus eſſet poſſibile. Vt ſitis, inquit, ſimiles Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Chryſ. hom. 18. Matt. 5. 45.

VI. Medium ad conſeruandam Charitatem eſt Patientia, & ideo forte Apoſtolus primam & extremam ei comitem attribuit patientiam dicens *Charitas patiens eſt*. Et. *omnia ſperat, omnia ſuſtinet*. Vnde S. Cyprianus *Tolle charitati patientiam, & deſolata non durat. Tolle ſuſtinendi tolerandiq; ſubſtantiam, & nullis radicibus ac viribus perſeuerat. Apoſtolus denique cum de charitate loqueretur, tolerantiam illi & patientiam iunxit. Oſtendit inde illam perſeuerare tenaciter poſſe, quod norit omnia ſuſtinere. Et alio in loco. Suſtinentes, inquit, inuicem in dilectione, ſatis agentes, ſeruare vnitatem Spiritus in coniunctione pacis, probauit nec vnitatem ſeruari poſſe, nec pacem, niſi ſe inuicem fratres mutua tolerantia foueant, & concordiæ vinculũ patientia intercedente cuſtodiant. Quid deinde vt non iures, neq; maledicas, vt tua ablata non repetas, vt accepta alapa & alteram maxillam verberãti præbeas, vt fratri in te peccanti non tantum ſeptuagies ſepties, ſed & omnia omnino peccata dimittas, vt diligas inimicos tuos, vt pro aduerſarijs & perſecutoribus precem facias, poteriſne iſta perficere, niſi patientiæ & tolerantiæ firmitate?* Cyp. de bono patient. 1. Cor. 13. 4. Eph. 4. 2.

VII. Medivm eſt Conſideratio exemplorum veteris & noui teſta-

menti, hoc est, eorum qui in virtute charitatis maxime autem in dilectione inimicorum excelluerunt, de quibus multa in PANARIO. V. *Vindicatio iniuriæ.*

VIDE *V. Amicitia. Beneuolentia. Correctio proximi Gratia Dei, Hospitalitas. Martyrium. Oblatio sui. Perfectio Christiana. Et in* PANARIO *V. Amor sui. Odium. Vindicatio iniuriæ.*

COGITATIO PRÆSENTIÆ DEI.

CAPVT I.

Quemadmodum Spiritus sanctus in verbo diuino, sanctiq; Patres nos cohortentur ad cogitationem præsentiæ Dei.

AD cogitationem diuinæ præsentiæ, & quidem iugem atq; continuam imprimis nos hortatur vir secundum cor Dei rex Dauid,
Psal. 104. 4. dum ait in psalmis suis. *Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper. Quæ est facies Domini?* inquit in eundem locum S. Augustinus, *nisi præsentia Dei? Sicut facies venti, & facies ignis. Dictum est enim. Sicut stipulam ante faciem venti, & sicut fluit cera à facie ignis. Et multa talia ponit Scriptura, nihil aliud quàm earum rerum præsentiam volens intelligi, quarum nominat faciem.* Deinde Salomon in Prouerbiis. *In omnibus*
Prou. 3. 6. *viis tuis cogita illum,* (Deum) *& ipse diriget gressus tuos.* Et Tobias adfi-
Tob. 4. 6. lium suum. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Michæas quo-
Mich. 6. 8. que propheta. *Indicabo tibi,* inquit, *ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Idem iam olim & Abrahæ commendarat
Gen 17. 1. Deus dicens. *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.*
Luc. 18. 1. Eodem respexit Christus Dominus, cum ait apud Lucam *Oportet semper orare & non deficere.* & Apostolus ad Thessalonicenses. *Sine intermissione orate.* quid enim est orare, nisi cum Deo colloqui? Sic exposuit
1. Thes. 5. 16. Bas. orat. in martyrē Iulittam. & Aug ep. 121. ad Probam. CVM Spiritus
Naz. orat. 1. sancti doctrina merito conspirant & sancti ab eo afflati Patres. vt Gregorius Nazianzenus in oratione de Theologia. *Neque verò,* inquit, *hæc quisquam ita accipiat, quasi Deum perpetua memoria colendum esse negem. Nec enim tam sæpe Spiritum ducere, quàm Dei meminisse debemus: imò si dici*

hoc

hoc potest aliud nihil, quàm hoc faciendum. Nam & ego inter eos nomen meum profiteor, qui eam legem probant, quæ die ac nocte iubet meditari: vespere & mane & meridie narrare, ac benedicere Dominum in omni tempore, (siue vt verbis Moysis vtar, dormias, siue à somno exurgas, siue iter facias, siue aliud quid agas) memoriaq́; ipsa ad puritatem informari. Itaq; Deum quidem semper in animo habere per me sane licet cuiq;. Et alibi in orat. de cura pauperibus præstanda. *Non tam sæpe respirare oportet, quam Dei meminisse Deus enim perpetuo & continenter nobis benefacit, in esse conseruare, & necessaria ministrans. Nam si vel minimo momento oculos à nobis remoueret, in nihilum redigeremur, sicut imago nostri in speculo apparens in nihilum redigitur, quam primum nos loco mouemus: & sicut calor ab aqua recedit, quoties ab igne vel Sole remouetur. Vt corpus animæ, rami arboris trunco, solares radii soli vniti, vt ab illis virtutem suam trahant, esse debent: ita mente semper Deo vniti esse deberemus Accedite ad eum, ait Propheta, & illuminamini, & facies vestra nō confundentur.* S Bernardus in epistola ad Fratres de monte Dei exponens verba illa Apostoli ad Timotheum. *Exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio, ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est.* Pietas, inquit, *hæc est iugis Dei memoria, continua intentionis actio ad intelligentiam eius, indefessa affectio in amorem eius, vt nulla vnquam inueniat seruum Dei, non dicam dies sed hora, nisi vel in exercitii labore & proficiendi studio, vel in experientiæ dulcedine, vel fruendi gaudio.*

Deut. 6. 8. | Psal. 33. 6. | 1. Tim. 4. 7.

CAPVT II.

Quam nobile & præstans sit hoc Exercitium cogitationis præsentiæ Dei.

NOBILITAS, præstantiaq́; huius Exercitii inde elucet, quod hominem multis modis angelis similem reddat. I. Quia angelorum proprium est, vt apud S. Matthæum indicauit Christus, continenter contemplari faciem Patris, qui in cœlis est. Vnde B. Nilus Chrysostomi auditor in Hecatontade de Oratione. *Angelis*, inquit, *efficitur similis, qui per veram orationem cupit videre faciem Patris, qui in cœlis est.* 2. Quia cum teste S. Gregorio angelorum alii sint assistentes Deo, alii ministrantes, iuxta illud Danielis. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, homo assistentium, qui sunt summi & interni Dei aulici, potius munere fungitur, quam ministrantium. Vnde Elias & Elisæus Prophetæ hac loquendi formula, vt est in Regum historia, vti consuêrunt *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, vel, ante cuius vultum sto.* Et Deus ipse apud Ieremiam *Si conuerteris, conuer-*

Matth. 18. 10. | Nil. c. 107. | Greg. 17. mor. 7. Et hom. 34. in Euang. | Dan. 7. 10. | 3. Reg. 17. 1 & 18. 15. | 4. Reg. 3. 14. | Ierem. 15. 19.

tam te, et ante faciem meam stabis. 3. quia vt angelorum domicilium est cœlum, sic homo qui assiduè in animo contemplatur præsentem Deum, vel mentem suam facit cœlum, teste B. Ephræm in sermone parænetico de secundo aduentu Domini ita monentis. *Semper Dei memineris, & cœlum mens tua euadet*: vel locum in quo degit, exemplo Patriarchæ Iacob, qui cum per quietem Dominum vidisset innixum scalæ, in qua Angeli ascendebant & descendebant, euigilans dixit: *Verè Dominus est in loco isto, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli*. Quod considerans S. Bernardus loco nuper citato in hæc verba solitarios Carthusianos consolatur *Secundum formam propositi vestri, habitantes in cœlis potius, quam in cellis, excluso à vobis toto sæculo totos vos inclusistis cum Deo. Cellæ siquidem & cœli habitatio cognatæ sunt, quia sicut cœlum & cella ad inuicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis. A cœlando enim cœlũ & cella habere videntur, vt quod cœlatur in cœlis, hoc & in cellis. Quod geritur in cœlis, hoc & in cellis. Quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cum secundum ordinem piè & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, Sancti Angeli Dei cellas habere pro cœlis, & æquè delectantur in cellis, ac in cœlis. Nam cum in cella iugiter cœlestia actitantur, cœlum cellæ, & sacramenti similitudine, & pietatis affectu, & similis operis effectu proximum efficitur: nec iam spiritui oranti, vel etiam à corpore exeunti à cella in cœlum longa vel difficilis via inuenitur. A cella enim in cœlum sæpè ascẽditur, vix autem vnquam à cella ad infernũ descenditur*. 4. Quia sicut Angeli, quãdo nobis conspicui redduntur eximia luce sunt circumfusi; vnde B. Matthæus de angelo loquens, qui lapidem reuoluerat à monumento Christi Domini, *Erat autem*, inquit, *aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix*. Sic animus humanus quodam fulgore spirituali, dum præsentem Deum assiduè contuetur, illustratur, haud secus quàm corporalis vultus Moysis ex *consortio* diuturnioris *sermonis Dei*, vt Scriptura in Exodo commemorat, tam admiranda luce perfusus est, vt populus Israeliticus aciem oculorum in eius obtutum coniicere non valeret: nec ad populum ei quicquam loquendi copia fieret, nisi facie prius obuelata.

Gen. 28. 12.
Bern. ad frat. de monte Dei.
Matth. 28. 3.
Exod. 34. 29.

CAPVT III.

De multiplici huius exercitii fructu.

PRIMVS fructus est, quod qui Deum menti impressum gerit, non facile lapsurus sit in peccatum. Quis enim seruus conscius se à Domino spectari delinquat? Vnde Dauid. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos*. Et rursum, cũ de impio dixisset. *Non est Deus in cõspectu eius*, subiecit illicò, *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempo-*

Psal. 24. 15.
Psal. 9. 27.

tempore. S. Ignatius ad Heronem Diaconum. *Memento Dei, & non pecca-* Ignat. epist. 9.
bis. Clemens Alexandrinus libro tertio pædagogi. *Hac solum ratione fit,* Clem. cap. 5.
vt quis nunquam labatur, si Deum sibiipsi semper adesse existimat. Hierony- Hier. l. 7. c. 22.
mus in Ezechielem. *Memoria Dei excludit omnia flagitia.* S. Ephræm libr. Eph. tom. 2. c. 19
de virtute. *Nihil peius grauiusq́ est, quam ipsius Dei obliuionem capere. Con-*
tinua enim Dei recordatione turpes animæ passiones recedunt, instar malefico-
rum Prætore accedente, vnde & mundum Spiritus S. habitaculum efficitur. Vbi
vero memoria Dei abest, ibi tenebræ cum fœtore dominãtur, omnisq́ res impro- Met. in eius vi-
ba exercetur. Refert Simeon metaphrastes ipsum S. Ephræm hoc anti- ta.
doto scortum quoddam publicum ex sordibus superioris vitæ ad vir-
tutis studium reuocasse. Nam cum impudẽter eum ad secum dormi-
endum solicitasset, illeq; respondisset, se contentum, modo id fieret in
medio ciuitatis; atq; illa contra obtendisset id sine summo pudore co-
ram hominibus fieri non posse, Ephræm respondit. Quanto minus fi-
eri debet coram Deo, qui omnia etiam occultissima intuetur. Quo re-
sponso meretrix perculsa, veniam supplex petiit facti, & consilio E-
phræm monasticæ vitæ in perpetuum se addixit. Vnde Ambrosius in Amb. serm. 11.
psalmum 118. scribens, copiosè & sapienter inuehitur in eum, qui ex-
istimabat impunè se posse fornicari, si nullus adsit. *Putas,* inquiens, *te*
solum esse cum fornicaris, & non recordaris, quia oculi Domini vident orbem
terrarum? Adest pater, adest & filius, adsunt angeli ministri, adsunt Cherubin
& Seraphin, qui dicũt Sanctus, Sanctus, Sanctus Plena est terra maiestatis tuæ.
Plenus est orbis terrarum remediis, quia plenus est laqueis. Putas, quod in lupa-
nari Christus te non videat, quem videt lupanar ingredientem? Putas, quod in
adulterio te non deprehendet, quem videt adulterium cogitãtem? Addam hic Senec. ep. 11.
Senecam, Philosophum licet Ethnicũ, qui tale præceptum dedit Lu-
cilio. *Accipe vtilem & salutarem clausulam, quam te affigere animo volo. Ali-*
quis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquã
illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc mi Lu-
cili Epicurus præcepit, custodem nobis & pædagogum dedit; nec immeritò. Ma-
gna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat ani-
mus quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O
felicem illum, qui non aspectus tantum sed etiam cogitatus emendat, &c. Opus
est aliquo, ad quem mores nostri ipsi se corrigant, Nisi ad regulam praua non
corriges. Hæc ille. Quod si tam vtile est ad non delinquendum cogi-
tare hominem grauem nobis præsentem, quanto magis cogitare
præsentem DEVM, qui vt ipse Seneca alibi fatetur, *prope est à te, tecum* Idem epist. 41.
est, intus est. Et quandam epistolam his concludit verbis. *Sic viue* Epist. 10.
cum hominibus tanquam DEVS videat: sic loquere cum DEO tanquam ho-
mines videant.

ALTER fructus huius exercitii est, quod hominis pii pectus muniat egregiè aduersus omnia impendentia pericula, tentationesque dæmonis, carnis & mundi. Vnde Sanctus ille Iob metu omni posito ad
Iob 17. 3. Dominum clamabat. *Libera me, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pu-*
Psal. 22. 4. *gnet contra me.* Et Dauid *Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hac cõsideratione corroborata quondam
Dan. 13. 20. B. Susanna grauissimam tentationem lapsus carnis vicit. Nam cũ scelesti duo senes eam solam in pomerio deprehendissent, diceréntq; *Ecce ostia pomerii clausa sunt, & nemo nos videt, ingemuit Susanna & ait: Melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Eadem cogitatione armatus gloriosus populi Iudaici dux IV-
2. Mach. 15. 26. DAS Machabæus, omni fiducia in Deum proiecta clarissimam ex potentissimo hoste Nicanore victoriam retulit. Ita enim loquitur Scriptura. *Iudas, & qui cum eo erant, inuocato Deo per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes prostrauerunt non minus triginta quinq; millia præsentia Dei magnificè delectati.* S. Antonio, teste Athanasio in eius vita, in quodam spirituali conflictu, quo & ipse vapulando, & dæmones eum dirissimè penè vsq; ad necem verberando pariter defatigati fuerunt, hoc vnum dolori erat, quod Deum sibi in certamine præsentem non fuisse existimaret. Nam mox vt Dominus se visendum præbuit, & duelli se spectatorem fuisse professus est, omnis mœror recessit, viresq; animi cumulatiores redierunt. Idemq; fratribus suis affirmare solebat in auertendis omnibus Satanæ telis firmissimum esse in Deo præ oculis habendo præsidium.

III. Fructus est, quod exercitatione hac maximè hominis animus inflammetur ad amorem Dei, diuinorumq; mandatorum obseruatio-
Basil. quæst. 5. nem, vt præclarè docet S. Basilius in regulis fusius disputatis. *Omni,* inquiens, *custodia custodiendum est cor nostrum, neq; patiendum, vt assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur, neuè eorum quæ mirabiliter ab eo facta sunt memoria contaminetur per futiles cogitationes: contraque illud agendum assiduè; vt ex perpetua ac purissima recordatione impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem, velut indelebile aliquod signum circumferamus. Siquidem hæc est ratio, per quam erga Deum acquiri caritas cõsueuit, quæ simul cum ad obseruanda ipsa Dei mandata nos excitet, tum vicissim quoq; ab iisdem ipsa ad perpetuitatem stabilis conseruetur. Quod ita esse docet Dominus*
Ioan. 14. 15. *ipse, qui quidem modo dicit. Si diligitis me, mandata mea seruate, modo verò. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: & quod efficacius*
Ioan. 15. 10. *etiam posset commouere. Sicut ego mandata patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione.* Et paulo post. *Vt enim faber ferrarius, verbi gratia, quandocunque dolabram aliquam, siue asciam cudit, si assiduè illius memor*

sit,

ſit, vnde inſtrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, & præſcriptam ſibi ab illo formam & magnitudinem animo verſat, & ad eius voluntatem qui condixit opus dirigit, quod facit: ſic Chriſtianus quoque, ſi actiones ſuas omnes, ſiue maiores, ſiue minores ad Dei voluntatem direxerit, is ſine controuerſia, & egregiè opus illud perficit, & ſimul aſſiduam illius in animo ſibi memoriam conſeruat, à quod id iuſſus eſt facere, vereq́; illud dicere poterit. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear; item Pauli præcepto illi ſatisfaciet. Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Pſal.15 8. 1.Cor.10.31.

IV. Fructus eſt, quod eximiam quandam lætitiam ſpiritualem conciliet homini pietatis ſtudioſo. Vnde pius Dauid cum dixiſſet. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper*, ſubiunxit. *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea.* quaſi diceret. Quoniam ob oculos perpetuo habui Dominum meum tanquam ducem, directorem & defenſorem meum, ſpem deſperantium, vindicem oppreſſorum, tanto perfuſus ſum gaudio, vt lingua erumperet in hymnos, aliaſque diuinas laudes: Rex Ioſias, quoniam populum Dei multis affecerat beneficiis, cultumque diuinum maximo ſtudio promouerat, iucundiſſimam nominis ſui apud poſteros reliquit memoriam, ſic vt Eccleſiaſticus hoc q. Epitaphium ei ſcripſerit. *Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarij. In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria & vt muſica in conuiuio vini.* S. Bernardus, vt primum religioſam vitam eſt complexus, quemadmodum ipſe fatetur, ſolo ſodalium religioſorum conſpectu, vel etiam recordatione eorundem cum longius abeſſent, vel vita defuncti eſſent, tantopere exultabat, vt mēte omni ſuauitate delibuta oculi à lacrymis ſe continere non poſſent. Si igitur memoria hominis iuſti, aſpectuſue, tanto gaudio hominem perfundit, quod videatur ſibi cernere eximias virtutes donaque cœleſtia, quibus ille à Deo fuit ornatus, quid non efficiet ſpiritualis intuitus, recordatioq́; Dei, qua anima contemplatur in eo immenſam ſapientiam, omnipotentiam, bonitatem, pulchritudinem, aliaſque innumeras perfectiones? At, proh dolor, vitio noſtro ſæpenumero fit, vt plus voluptatis ex conſpectu hominum ad imaginem Dei conditorum, quam Dei ipſius capiamus. *Pudet nimirum*, inquit B. Bernardus ibidem, *magis ad hominis, quam ad Dei moueri memoriam: & tunc cum gemitu clamo. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Exiſtimo*, addit, *& aliquos veſtrum idem eſſe expertos, & experiri interdum adhuc. Qua in re quid ſentiendum, niſi quod noſtra aut ſuperbia conuincitur, aut humilitas cuſtoditur, aut fraterna caritas nutritur, aut deſiderium excitatur?* Pſal.15.8. Eccli.49.1. B.ſerm.14 in Cant. Pſal.41.3.

V. FRVCTVS eſt, quod hoc Exercitium ſit medium efficax ad conſequen-

sequendam breui tempore Christianæ vel Religiosæ vitæ perfectionem. Quęcũq; enim suppetunt media vel exercitia spiritualia ad perfectas virtutes assequendas, in hoc vno, quasi in compendio quadantenus continentur. Huius opera omnia vitæ spiritualis antidota obtineri queunt. Hoc vnum seruum Dei incitat, excitat & inflammat, vt cætera omnia media reipsa exerceat, vt salutaria, vel necessaria ad veras solidasq; virtutes comparãdas subsidia requirat, vt lumen ad illustrandam mentem & robur ad impellendam voluntatem à diuina maiestate, quam præsentem continenter cernit, impetret. Quẽadmodum enim cœlestia sydera à præsente Sole, in quẽ obuersa sunt, omnem mutuantur splendorem quo & in se fulgent, & aliis fulgorem subministrant ad certos effectus producendos in terris: sic homines iusti & pii, qui instar stellarum in Ecclesia Dei collucent, ex perpetuo Dei O.M, quem præsentem oculis mentis contemplantur, conspectu lumine quodã diuino illustrantur indiesq; in virtutum studio progressus faciunt, omniumq; virtutum verarum solidarumq; splendorẽ aliis communicant, de quibus merito dixit sapiens. *Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.* Enoch & Elias Thesbites cur perfectionis suæ spiritualis remunerationem etiam in hac vita per translationem miraculosam in paradisum sunt consecuti, nisi quia ille in Genesi legitur ambulasse cum Deo, hic vero in historia Regum dicitur in Dei conspectu stetisse? Et Abraham iam nonagenario, quem omnium fidelium Patrem & Principem Deus destinarat, dictum est. *Ambula coram me, & esto perfectus.* nemo sane ambulat coram alio, vel cum alio, nisi cui fuerit præsens. Voluit ergo Deus Abrahamum sui in reliqua vita perpetuo esse memorem, sibi familiarẽ & obsequentem, quo citius peruenire posset ad virtutum perfectionem. Nam & Christus Dominus apud Matthæum cũ discipulos hortatus esset ad imitandum Deum in summo dilectionis gradu, hoc est, diligendis inimicis, si vellent in numero filiorũ eius censeri, mox subiecit. *Estote ergo & vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* REFERT S. Dorotheus Abbas se carissimo discipulo suo, cum vitam monasticam arripuisset, hoc præceptum dedisse aureis litteris describendum. *Nunquam Cordi tuo Deus excidat: cogita semper Deum tibi præsentem, & te coram illo stare.* Fecit hoc Dositheus sedulò, adeo vt nec in ægritudine quidem licet grauissima & extrema cogitationem tàm salutarem dimiserit. Atq; hac exercitatione consecutus est, vt quinquenni spatio, ex milite nobili, adolescentulo, dissoluto, vitiis ante cooperto & luxu seculi perdito, sanctissimus iuuenis, & monachus perfectus euaserit,

Eccli.14.22.
Gen.5.22.
3.R.17.1.
Gen.17.
Matt.5.48.
In vita Dosithei.

ſerit, & poſt obitum quibuſdam ſanctitate claris per viſum inter beatos anachoretas tum in cœlo regnantes conſpectus fuerit.

VI. Fructus eſt, quod valeat ad amoliendas omnes animi diſtractiones, tum in oratione mentali vel vocali, vt docet alicubi S. Baſilius. tum in aliis occupationibus externis, vti ſuo exemplo probauit S. Catharina Senenſis, quæ teſte Raimundo, cor ſuum loco cubiculi vſurpabat in quo aſſiduè Deum inter domeſticos labores cerneret. Valet ad conſeruandam animi corporiſq; caſtitatem & virginitatem teſte Baſilio in libro de vera Virginitate. Valet ad refrenandos iræ motus, teſte eodem. Valet ad ſupplendas & compenſandas omnes preces, quas vel grauitate morbi, vel occupationum quotidianarum impediti perſoluere non poſſumus.

B.in reg breu. q.21.201 306. Raim.in vita.

B.reg breu. q.127.

CAPVT IV.

Quibus medijs huius exercitij conſuetudo parari poßit.

PRIMVM Medium ſit, ſedulo expendere, cum quanto ſalutis diſcrimine hoc exercitium temerè negligatur. ſiquidem in Pſalmo quodam cum rex Dauid de impio dixiſſet: *Non eſt Deus in conſpectu eius*, mox adiunxit, *inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*, Angelorũ princeps Lucifer quamdiu oculos à Deo ſuo non deflexit ſaluus & ſecurus conſtitit: vt primum verò eos in ſe conuertit, ilico ad inferos detracta eſt ſuperbia eius, ignibus addicta ſempiternis. Adam & Eua primi parentes noſtri quãdiu aſſidui fuere cum Deo felices fuere. quamprimũ vero Eua in ſerpentem ſe obuertit, & Adam in mulierem, ambo verò in pomũ vetitum, ſe poſteroſq; ſuos in has ærumnas deturbarunt. Palladius in hiſtoria ſua Lauſiaca cõmemorat ſe cum aliquando adiũcto comite monachum quẽdam religioſiſſimũ inuiſeret nomine Dioclẽ, inter alia hoc documentum ab eo accepiſſe, hominem pium quamprimum à diuinæ præſentiæ contemplatione ceſſarit, continuo fieri vel dæmonem vel beſtiam: beſtiam quidem, ſi cum Adam & Eua ſuccumbat tentationibus carnalium illecebrarum; dæmonem verò, ſi arrogantiæ, iracundiæ, inuidiæ & ſimilium.

Pſalm. 9. 27.

Pal. c. 98.

II. MEDIVM eſt Oratio. Quemadmodũ n. à Chriſto ſaluatore noſtro omnia alia ſubſidia ſpiritualia ad ſalutem opportuna & neceſſaria poſtulamus, ita merito & hoc donũ longè nobiliſſimũ per eius infinitam miſericordiã, paſſioniſq; merita efflagitandũ eſt, propter eximios fruct⁹ quos hęc iugis Dei memoria, vt iã vidimus, parit, deinde ob difficultatẽ, quã homo in hoc exercitio experitur. ¶III. MEDIVM eſt, vti

aliquo signo externo ad refricandam Dei memoriam. Hoc medium Deus ipse præscripsit Iudæis ad recolendam mandatorum memoriam Nam in Numeris ita loquitur ad Moysen. *Loquere filijs Israhel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes.* Quidam in hanc rem inscribere solent cubiculi parietibus sententiam illam vulgatam. NOLI PECCARE, DEVS VIDET. Alii illam Tobiæ. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Alii illam Solomonis. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Alii certis imaginibus Christi sanctorumue, se commonefaciunt. B. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus, vt est in vita eius apud Surium, eburneam B. Virginis icunculam, in cuius ambitu descripta erant vitæ & passionis Christi mysteria semper è collo suspensam gestabat, ne Dei Deiparæ obliuio inter literarias occupationes aliquando obreperet. Laudandi sunt & illi qui ad sonum auditæ horæ memoriam renouant nudatione capitis, consignatione crucis in pectore, & aliquando adiecta breui precatiuncula.

Num. 15. 38. Deut. 22. 12. Tob. 4. 6. Prou. 15. 3. Sur. in Nouẽb. c. 12.

IV. Medium est Examen conscientiæ, quo semel atque iterum maximè sub vesperam transacti diei rationem à nobis exigamus, ac sigillatim ad calculos reuocemus quoties præsentiæ diuinæ memores fuerimus: si sæpe, gratias Deo agamus: sin secus, doleamus, & emendatione proposita, pœna aliqua voluntaria noxam expiemus. Quod examen quanti fiat à S. Patribus videre licet in titulo de *Conscientiæ examine.*

V. Medium est moderata quædam cura & solicitudo huius Exercitii continuandi. Videmus enim si exempli causa, cuipiam insit solicitudo domum ædificandi, vel opes augendi, ab illa eius quotidie memoriam quasi excitari, vt rem exequatur, nullam quietem relinqui ne in somnis quidem, adimi etiam sumendi cibi copiam. Vt verò eundem ad hanc curam impellit amor ingens commodæ habitationis, vel diuitiarum, sic nos ad curam huius exercitii vehementer impellere potest verus & flagrans in Deum amor. Hic enim vbi in serui Dei corde radices egit, continenter vrget & exstimulat, vt cogitationes suas, piaque desideria in Deum conijciat, & amato toto pectore adhærescat. Amanti enim nihil difficile. Et amoris ea natura est, vt si ardens sit, magna vi amantem transferat in rem amatam, ac vnum quid cum ea efficiat, secundum illud Apostoli. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Quoniam verò anima suis est instructa facultatibus intelligendi, volendi & memorandi, hinc fit vt semper quoq;

1. Cor. 6. 13.

complectatur. Qua de causa dixit Christus. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Matt.6.21.

VI. Medium sunt iaculatoriæ orationes eæque breues olim apud Ægyptios monachos frequentatæ, & à S. Augustino in epistola ad Probam laudatæ, quibus tanquam faculis amor in Deum accenditur & si sæpius iterentur, continuatur. cuiusmodi sunt illæ prophetæ regii. *Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis, Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Et illæ D. AVGVSTINI. *Nouerim me, nouerim te. Da quod iubes & iube quod vis. Quia fecisti nos ad te, inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

A.ep 121. Ps.69.1. Ps.41.2. Ps.50.12. Psal 122.1. A.l.2.soliloq c.1. Et 10.confes. cap.29. Et 1.conf.c.1.

VII. Medium est consideratio exemplorum, hoc est, eorum sanctorum qui in hoc exercitio excelluerunt. Exempla enim sæpe plus mouent quam verba, vt dicit S. Gregorius. De prophetis, Enoch, Elia, Elisæo, Abraham, Dauide satis diximus. De S. Abel scribit Iosephus libro primo Antiquitatum, eum idcirco Dei, gratissimum exstitisse, quod in omnibus actionibus suis Deum præsentem reputarit. NOE vir iustus & perfectus in Genesi dicitur, quia cum Deo ambulauit. Moyses *maiores diuitias æstimauit thesauro Ægyptiorum improperium Christi, fideque reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis, inuisibilem enim,* inquit Apostolus in epist. ad Hebræos, *tanquam visibilem sustinuit.* Nec dubium, quin idcirco meruerit à facie ad faciem cum Deo loqui, *Sicut amicus cum amico*, vt est in Exodo, *loquitur.* Rex Ezechias morti vicinus, cum in hæc verba Dominum orasset. *Obsecro Domine memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* promeruit miraculosam vitæ suæ prorogationem in quindecim annos, & à seruitute regis Assyriorum liberationem. Ioannem Baptistam, vt est apud S. Lucam angelus Domini stans à dextris altaris incensi, magnum fore coram Domino, prędixit, Christique præcursorem in spiritu & virtute Eliæ. Zacharias quoque repletus Spiritu sancto, cum dixisset nos Christo seruituros, *in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris*, mox addidit. *Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Qui magnus erat coram Domino, qui similis erat Eliæ semper stanti in conspectu Domini, qui ante faciem Domini parabat vias eius, nonne debebat assiduum præsentem Dominum contueri? Habemus & angelicum testimonium pro gloriosissima Dei matre virgine Maria. Angelus enim Gabriel à Deo missus, vt refert idem

G.in proœmio dial. Ios.c.4. Gen.6.9. Heb.11.26. Exo.33.11. Isa.38.3. Luc.1.15. Luc.1.75.

Lucas, simulatq; ad eã ingressus est dixit. *Aue gratia plena, Domin⁹ tecũ.* Si .n. Dominus cũ eo erat, procul dubio & ipsa vicissim cũ Domino erat. Et quomodo poterat quæso à dulcissima contemplatione Dei diuelli quam virtus altissimi obumbrabat, in quam Spiritus sanctus superuenerat, quæ Christum Deum in vtero conceperat, & nouem mensibus gestarat, quæ cum & coram Christo triginta eoq; amplius annis continenter vixerat, & viderat in cœlum ascendentem? De Paulo Apostolo cuius pectus amore Christi crucifixi perpetuo bulliebat, haud dubitandum est, quin diuinum numen semper præ oculis gestarit, vti non obscurè sententiis quibusdam indicauit, vt illa ad Corinth. *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex synceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* Et iterum. *Coram Deo, in Christo loquimur: omnia autem carissimi propter ædificationem vestram.* Et illa ad Philippenses. *Nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum.* Et ad Hebræos. *Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Addam ex Ecclesiastica sanctorum historia vnum exemplum S. Gregorii Agrigentini antistitis Gregorio Magno æqualis. Is cum, teste Simeone Metaphraste, adolescens Hierosolymam sanctorum locorum venerandorum causa profectus esset, tempore Quadragesimæ in quoddam monasterium Palestinæ diuertit, vbi vt conspexit monachos eximia in Deum religione præditos, ac alios quidem in cœlestium rerum cõmentatione à terra sursum attolli, alios lacrymarum quasi fontibus inter precandum perfundi, alios non aliam quam angelicam traducere vitam, vehementi cæpit pudore suffundi, & de salutis suæ statu conturbari. Quod cum Præfectus monasterij animaduertisset, suspicatusq; esset id euenisse, quod longius à patria, amicisq; abesset, in hęc verba eum allocutus est. Fili, ne animum nimio mœrore obruas, confide in Deo, breui patebit tibi reditus in natale solum. Verum respondit Gregorius. Non ea causa mei mœroris est, quod longe à meorum conspectu absim, sola enim præsentis vbique Dei contemplatio ad illum repellendum mihi satis est: dum enim cogito me continenter in eius versari conspectu & tutela, affatim solatii accipio; id verò vnum me angit, quod tam longe absim à vitæ verè religiosæ perfectione. Hoc responso audito Pater digressus est, intelligens non indigere suo solatio eum qui ad perfectionis culmen iam peruenisset, & alios solari posset.

Luc. 1. 28.
2. Cor. 2. 17.
2. Cor. 12. 19.
Phil. 3. 20.
Heb. 13. 14.
Sur. 23. Nou.

† Diuina inspiratio

VIII. Et postremum medium est. Dedere se per omnem vitam cælibi statui, siue Ecclesiastico, siue religioso, in quo liberior sit animus

mus à curis & occupationibus huius mundi: tunc enim opportuna occasio se offeret, non modo Deũ semper præsentem contemplandi, verum etiam totum tempus rerum diuinarum cõmentationibus impendendi, quemadmodum B. paulus planissime in priore ad Corinthios Epistola docuit. *Volo*, inquiens, *vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est*, id est, interprete Hieronymo, in multas solicitudinum partes, miseriarumque distractus. *Et mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Quibus verbis vtique Apostolus non voluit significare coniugatos, aut nunquam cogitare quæ sunt Domini, quomodo placeant Deo, aut non esse debere vel posse sanctos corpore & Spiritu, nam vt bene annotauit S. Augustinus in libro de bono Viduitatis, etiam coniugatis in eadem epistola capite proximè antegresso dictum est. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Et. *An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo.* Omnibus item dictum in eadem. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite. Quod igitur*, inquit Augustinus, *de innupta loquens ait, vt sit sancta corpore & Spiritu, ampliorem innuptarum & in corpore & Spiritu sanctificationem intelligi voluit. non corpus nuptarum omninò sanctificatione priuauit.* Voluit cœlibes impensius incumbere iis quæ domini sunt, voluit diligentius in omnibus actionibus suis Deum præsentem sistere, quod ratione officii & professionis suæ faciunt, dum totos dies & sæpe noctes consumunt in templis, vacantque concinendis psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, conuenienter præcepto CHRISTI de orando sine intermissione. Idcirco siquidem horæ canonicæ, in septem horas diurnas & nocturnas, matutinas, primam, tertiam, sextam, nonam, & vesperas ab Ecclesia sancta iam olim distributæ sunt, vt sine intermissione diuinæ laudes perinde ab hominibus in terris, atque ab Angelis in cœlis quadantenus continuarentur. Atque ita sanè præceptum Domini de oratione sine intermissione faciendа compleri, multi Patres diserte docuerunt. vt S. Augustinus libro de hæresibus cap. 57. Ioannes Cassianus lib 2. institut. cœnobit. c. 1. Beda in cap. 18. Lucæ, S. Anselmus & Haymo in cap. vltimum epistol. prioris ad Thessalonic.

1. Cor. 7. 32.
H. lib. 1. in Ioui.
A. c. 6.
1. Cor. 6. 15.
1. Cor. 10. 31.
Luc. 18. 1.

S. BASILIVS certè in libro de vera Virginitate vberius disputans, qua ratione Virgo secundum mentem Apostoli cogitare debeat quæ Domini sunt, sanctaque permanere corpore

& Spiritu ita scribit. *Serenum esse oportet Virginis animum, ac diuinis cogitationibus veluti ex quodam purissimo fonte stagnantem, tranquillum, pacificumq; durare, vt neque inuectis per aures verbis intrinsecus agitetur, neq; irruentibus per oculos formis à statu suæ quietis fluctuans deuiet: ita veluti in lucidissimo speculo & suam speciem & sponsi pulchritudinem intuens, illius amore carius ac germanius exatiabitur. Quare eodem semper modo diuino placidissimè perfusa gaudio, tranquillam se ab omnibus passionum, iræ, tristitiæ & similium fluctibus seruet, nulliusque in se nisi sponsi solius præferat speciem, vt solus ille in ea propriam cernat imaginem, solamque animæ ipsius formam in speculo suo habeat lucentem, eiusque pulchritudine ornari iugiter appetat.*

VIDE V. *Cognitio Dei. Contemplatio. Deuotio. Familiaritas cum Deo. Gratiarum actio. Intentio. Laudatio Dei. ORATIO. Profectus spiritualis.*

COGNITIO SVI.

CAPVT I.

Quid S. Scriptura, S. Patres, & Philosophi de Cognitione sui tradant?

Deut 4.9. D.6.12. D.8.11. D.5.9. Bas. hom 3. Eph.tom.2. Isa. orat 27. Psal. 48.13.

QVOD ad Scripturam attinet, in Deuteronomio sæpe Deus repetit celebratum illud monitum, ATTENDE tibiipsi. LXX. enim interpretes legerunt πρόσεχε σεαυτῷ, & in hunc sensum S. Basilius, Ephræm, & Isaias Abbas integros sermones de hoc dicto habuere: ac Clemens Alexandrinus quidem secundo Stromateo censet scriptores Ethnicos hinc mutuatos suum γνῶθι σεαυτόν. 2. Verba Regii Prophetæ sunt. *Homo cũ in honore esset, non intellexit, cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quibus non obscurè indicauit hominem ignarum suæ dignitatis, quod ad imaginem & similitudinem Dei cõditus sit, nihil distare à bruto animante. Quo sensu & in Canticis Canticorum sponsa se ignorans amandatur ad bestiarum greges, dum ait Sponsus. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.*

Cant. 1.7.

SCRIPTVRÆ accedunt veterum Patrum testimonia. S. Greg. Nazianzen. de moderatione in disputationibus. *Sapientiæ*, inquit, *genus est seipsum nosse, ac non immodicè efferri, eodemque modo quo voces affici, quæ si vehementius contendantur, propter immoderationem penitus deficiunt.*

S. Ambro-

S. Ambrosius in Psalmum 118. *Quid est se noscere, nisi vt sciat vnusquisque hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum, rationis capacem, qui terram suam excolere tanquam bonus agricola debeat aratro quodam & falce sapientiæ, vt vel dura scindantur, vel luxuriantia recidantur, qui inferiorem sui portionem animi imperio debeat gubernare? Vnde etiam in lege scriptum est. attende tibi ne fiat verbum absconditum in corde tuo. Tibi, inquit, attende. non vtiq; dicit, pecuniæ tuæ, non possessionibus tuis, non viribus corporis, sed animo tuo ac menti tuæ: vnde omnia consilia facta, cogitationesq; manant. Tibi ergo attende ibi, vbi potiorem esse te nosti. Nosce teipsum.* Amb.serm. 2. Deut.15.9.iuxta 70.

Et paulo post. *Vnde & Salomon oraculum diuinum secutus scripsit in Canticis Canticorum. Nisi scias te decoram inter mulieres, hoc est, nisi cognoscas te mortalem, rationalem, & cito tua peccata fatearis, cito dicas iniquitates tuas, vt iustificeris, nisi conuertaris, & prior accuses delicta tua, veniet dies mortis, & iam nullum conuersionis remedium est, præuenieris dum non cogitas.* Cant. 1. 7.

S. Hieronymus, vel potius Origenes tractans eundem locum. *Nisi cognoueris temetipsam ô pulcra inter mulieres, & agnoueris pulcritudinis tuæ causas inde descendere, quod ad imaginem Dei facta es, per quod inest tibi plurimum naturalis decoris, iubeo te exire, & in vltimis gregum vestigiis collocari, & iam non oues neq; agnos sed hædos pascere, illos scilicet, qui pro prauitate & lasciuia à sinistris staturi sunt regis in iudicio præsidentis. Si enim nescieris temetipsam, & ignorantia tui vixeris, nec scientiæ studium gesseris, sine dubio nec tabernaculum proprium habebis, sed per pastorum tabernacula discurres, & pasces hædos, inquietum animal, ac vagum & peccatis deputatum. Hæc autem patieris, donec rebus ipsis, & experimentis intelligas, quantum mali animam nescire seipsam, neq; pulcritudinem suam.* S. Chrysostomus in Acta Apostol. *Vnde est superbia? ex eo, quod non spectamus, quæ nostra sunt, sed de natura quidem terræ quamuis non simus agricolæ, curiosè inquirimus: & de natura auri, quamuis non simus negotiatores, de nobis autem & nostra natura nunquam sustinemus hoc fieri. Et quis ignorat, inquit, se suamq; naturã? Multi & fortassis omnes, paucissimis exceptis.* Et infra. *Quemadmodum si quis inuenta pretiosa materia, quum non sit artifex, contempta illa magnũ damnum accipiat, vtpote margarito vel conchiliis. Sic & nos, si ignorauerimus nostram naturam, ipsam valde contemnemus: Si autem sciuerimus, multum adhibebimus studium, & maxima lucra faciemus.* S. Augustinus libro quarto de Trinitate. *Scientiam terrestrium cœlestiumq; rerum magni æstimare solet genus humanum, in quo profecto meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos: laudabiliorq; est animus, cui nota est vel infirmitas sua quàm qui ea non respecta vias syderum scrutatur etiam cogniturus, aut qui iam cognitas tenet, ignorans ipse, qua via ingrediatur ad salutem ac firmitatem suam.* Et libro de Spiritu & anima. *Quisquis cor suum in huiusmodi studio,* (inqui- Hier.hom. 2. in Cantica. Chry hom. 32. August.cap. 7. Idem cap. 51.

rendi in se) *exercet, audiat quid quidam sapiens dicat. Scito teipsum. Scito vnde venisti, aut quo vadis: quomodo viuis, quantum proficis vel deficis: quàm longè es à Deo, vel propè, non interuallis locorum, sed similitudine vel dissimilitudine morum. Scito, quomodo homo es, cuius conceptio culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori necesse. Certum est, quia morieris, sed incertum, quomodo, vel quando, vel vbi; quoniam mors vbiq; te expectat, & tu si sapiens fueris, vbique*

Bern. Med 5. *eam expectabis.* S. Bernardus in Meditationibus. *Stude cognoscere te, quia multo melior & laudabilior es, si te cognoscis, quàm si te neglecto cognosceres cursum syderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, & haberes omnium cœlestium & terrestrium scientiam. Redde ergo te tibi, & si non semper, vel sæpè, saltem interdum.*

Iam videamus quid Ethnici Scriptores de notitia sui senserint, cõstat enim apud eos celebratam fuisse gnomen illam, γνῶθι σεαυτὸν, cuius multi primum autorem faciunt è septem sapientibus vnum. Ausonius in conuiuio 7. sapientum facit Solonem. Origenes Chilonem, alii alium. Clearchus reuocat in cœlum; scribit enim vni sapientum quærenti, quid hominibus foret optimum, respondisse Pythiam, *Seipsum nosse.* Consentit Iuuenalis, canens:

Iuuen. sat. 11.

è cœlo descendit γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum, & memori tractandum pectore rebus
In summis minimisq;.

Aristoteles quoque censuit diu ante septem Sapientum ætatem templo Delphico versum illum inscriptum. Sed omnes refellit S. Ambrosius ita scribens. *Nosce teipsum Apollini Pythio assignant gentiles viri, quasi ipse auctor fuerit huius sententiæ, cum de nostro vsurpatum ad sua transferãt, & longè anterior Moyses fuerit, qui scripsit librum Deuteronomii, quam Philosophi, qui ista finxerunt. Vnde & Salomon oraculum diuinum secutus scripsit in Canticis Canticorum. Nisi scias te decoram inter mulieres, &c.* Et anteeũ Origenes *Vnius*, inquit, *Chilonis scilicet ex septem, quos apud Græcos singulares fuisse in sapientia fama concelebrat, hæc inter cætera mirabilis fertur esse sententia, qua ait. Scito teipsum, vel cognosce teipsum. Quod tamen Salomon, quem præcessisse omnes hoc tempore & sapientia ac rerum scientia docuimus, ad animam quasi ad mulierem sub communione quadam loquens dicit: Nisi cognoueris teipsam ò pulchra inter mulieres.*

Amb. in Ps. 118.

Orig. hom. 2. in Cant.

Cant. 1. 7.

CAPVT II.

De difficultate cognitionis sui.

Orig hom. 2. in Cant.

HAud dubium est, magnam esse difficultatem in cognitione sui. *Quomodo anima*, inquit Origenes loco allegato, *cognoscat semetipsam,*

pſam, nec facile puto, nec breuiter explicari poſſe. Et S. Baſilius inſtruens Baſ.Conſt. Mo.
Monachum, vt iudicium ſuum in obediendo prorſus ſubmittat iudi- cap.23.
cio ſuperioris, cauſam hanc reddit. *Illud enim firmiſſimum tenẽdum, rem omnium eſſe difficillimam ſeipſum cognoſcere & curare, propterea quod naturaliter ſeipſum quiſq; amat, & quilibet propterea quod in ſeipſos propenſi ſunt in veritatis iudicio fallantur. Porro ab alio cognoſci curariq́; facile eſt: cum iis, qui cæteros iudicant, nequaquam obſtet amor ſui ipſorum.* Et in Oratione de humilitate. *Veriſſimum,* inquit, *illud eſt, nihil eſſe difficilius, quam noſſe ſeipſum. Non enim oculus tantum ſuo in ſemetipſum munere non fungitur, dum ea quæ extra ſunt cernit & perluſtrat, ſed & ipſa mens noſtra cum accuratè acriterq́; peccata perueſtigat aliena; tardior verò in vitiis noſtris conſiderandis eſſe deprehenditur.* Et S. Auguſtinus in Pſalmos. *Multi nec ſeipſos nouerunt* Aug in Pſ.118.
quia & ſeipſum, quemadmodum homo ſibi debet innoteſcere, non omnium hominum eſt. Quomodo ergo diligit proximum tanquam ſeipſum, qui neſcit & ſeipſum. Non enim fruſtra ille filius iunior, qui profectus eſt in regionem longinquam, & diſſipauit ſubſtantiam ſuam, prius reuerſus eſt in ſemetipſum, niſi Luc.15.17.
quia tam longè peregrinatus eſt, vt relinqueret etiam ſemetipſum. Auſonius in ludo ſeptem Sapientum. *Quanquam difficile eſt ſe noſcere. Quam properè legimus, tam citò negligimus.* Thales interrogatus τί ἐστι δύσκολον, reſpondit, τὸ αὑτὸν γνῶναι, difficile eſt ſeipſum noſſe. Ariſtoteles libro ſecundo magnorum moralium. *Difficillimum,* inquit, *eſt ſeipſum cognoſcere, ſed ſimul ſuauiſſimum, quilibet amore ſui impeditur, ne rectè de ſe iudicet.* Et Chi- Maximus mon.
lo Spartanus dicere ſolitus eſt. *Facit philautia, vti in noſtrimet vultus ſpe-* ſerm. 56.
culo nos ipſos ſatis clarè & rectè nequeamus cognoſcere.

CAPVT III.

De dignitate cognitionis ſui.

DIGNITATEM huius notitiæ ſui Clemens Alexandrinus in Pæda- Clem. lib. 3.
gogo his verbis indicat. *Eſt vt videtur diſciplinarum omnium pulcherrima, ac maxima, ſeipſum noſſe. Si quis enim ſeipſum norit, Deum cognoſcit.* Eandem S. Baſilius in hom. de legendis libris gentilium deſcripſit, dum Baſ. hom. 24.
agit contra ſuperuacuum corporis ornatum. *Omne ſtudium adhibere, vt quod extra fuerit, benè pulchreq́; exornetur, ſeſe non cognoſcentis eſt, nec ſapiens illud præceptum intelligentis, nos admonens, quemadmodum; nõ id, quod aſpicitur eſt homo. Excellenti enim quadã opus eſt ſapientia, per quam noſtrũ quilibet quicunq; ſit, ſeſe cognoſcat, q̃ profecto mente minimè purgatis nõ magis euenire poteſt, quã lippienti Solem aſpicere. Hanc verò animæ purgationem, vt ſemel, & quod vobis ſatis ſit dicã, voluptates per ſenſus eripiunt.* Et D. Aug. de ſpiritu Aug. cap. 50.
& ani-

& anima. *Scientiam cœlestium & terrestrium rerum laudare atq; amare solent homines, sed multo meliores sunt, qui huic scientiæ præponũt noscere semetipsos. Laudabilior siquidem animus est, cui nota est miseria sua, quàm qui ea non aspecta vias syderum & naturas rerum scrutatur.* Et paulo post. *Cum nulla scientia melior sit illa, qua cognoscit homo seipsum, discutiamus cogitationes,* cap. 5. *locutiones atq; opera nostra. Quid enim prodest nobis, si rerum omnium naturas subtiliter inuestigemus, efficaciter comprehendamus, & nosmetipsos non intelligamus.* Vnde libro secundo soliloquiorum ait breuissimè ac perfectissimè sic orari Deum. *Deus semper idem, Nouerim me, Nouerim te.* Idem cap. 1.

CAPVT IV.

De Vtilitate eiusdem.

Basil. hom. 3. DICI vix potest, quàm eximii fructus ex ea in hominem redundent. Quorum quosdam attigit S. Basilius, scribens in dictum. Attende tibiipsi. *Quin attende potius,* inquit, *tibiipsi, hoc est, animæ tuæ, hanc adornato, huius attentam gerito curam, adeo vt omnes sordes, quas ex nequitia contraxit, sedulo ab ea submoueas, nec minore studio notam omnem dedecoris illi inustam fac obliteres, atq; ita omni virtutis elegantia eam exornes. In examen teipsum aduoca quis ipse sis. Tuam ipsius naturam fac vt noueris: nam corpus quidem mortale, anima verò immortalis est. Scito duplicem nobis propositam esse vitam. Carnis quidem vita citato admodum cursu prætercurrit, quæ autem animæ est nullam admittit circumscriptionem. Attende igitur tibiipsi, vt ne his quæ moritura sunt, quasi sempiternis bonis fixius adhærescas, neu aspernere sempiterna tanquam aliquando sint desitura. Carnem despicito, decidua enim est, & labilis; curæ sit tibi anima, quia res immortalis.* Et infra. *Luxu profusiore diuitiarum insolescis? tibi vni mirè places ob auitæ gentis claritudinem? immodico gaudio subsilis ob patriæ celebritatem? denique ob honores ab omni gradu tibi exhibitos. Attende tibiipsi, mortalis enim tu: quippe terra es & in terram abibis.* Et rursus: *Exacta & diligens tuiipsius consideratio viam tibi præstruet ad cognitionem Dei. In teipso enim tanquam mundo quodam distinctè adornato, licet exiguo contemplari licebit eximiam conditoris tui, & incomparabilem sapientiam, vt ex anima incorporea Deum esse incorporeum, nullo circumscriptum loco, inuisibilem, &c.* Denique cum animæ humanæ vim, & corporis structuram fusè exposuisset, subdit. *Per hæc vtiq; omnia cognoscere licet imperuestigabilem eius, qui te condidit, sapientiam, adeo vt cũ Propheta ipse tu possis dicere. Mirabilis facta est scientia tua ex me. Attende itaque tibi, vt attendas Deo.* S. Bernardus in Cantica alios fructus persequitur. *Volo,* inquiens, *animam primò omnium scire seipsam, quod id postulet ratio &* Psal. 138. 6. Bern. serm. 36.

tio & vtilitatis & ordinis. Et ordinis quidem, quoniam quod nos sumus primum est nobis: vtilitatis verò, quia talis scientia non inflat, sed humiliat. Et paulo post. *Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione sui, cum se perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectã, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, procliuem ad vitia, inualidam ad virtutes. Vnde huic iam extollentia oculorũ? vnde leuare caput? nõne magis cõuertetur in ærumna sua, dũ configitur spina? Conuertetur inquã ad lacrymas, cõuertetur plãctus & gemitus, conuertetur ad Dominũ, & in humilitate clamabit, sana animã meam, quia peccaui tibi.* Psal. 40. 5. *Porrò conuersa ad Dominum, recipiet consolationẽ, quia pater est misericordiarũ, & Deus totius consolationis, &c. Tali itaq; experimento, & tali ordine salubriter innotescit Deus, cum prius se homo nouerit in necessitate positum, & clamabit ad dominum, & exaudiet eum, & dicet. Eruam te, & honorificabis me.* Psalm. 49. 15. *Atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei, cognitio sui:*

NEQVE gentilium philosophorum doctissimi hos fructus notitiæ sui siluerunt. Nam PLATO *in Philebo* ignorantiam sui vocat genus improbitatis vniuersę: *in Amatoribus* verò dicit nosse seipsum esse absolutè sapere, ab eo omnem vitæ sapientiam iustitiamq; pendere. Et in *Alcibiade priore* addit, nec prudentem, nec bonum, nec fœlicem esse posse, qui seipsum non probè norit. Demum in *Charmide* affirmat sine sui notitia neminem posse esse temperantem. XENOPHON quoque Xen. lib. 4. in libro de factis & dictis Socratis, scribit propter cognitionem sui homines multorum sibi ac aliis bonorum auctores esse posse, contra verò multorum malorum, ob sui ignorationem; quique se ignorant, neque ad regimen sui, neque ad familiæ aut Reipubl. gubernationem idoneos esse. M. Tullius item Tusculana quarta, & August. XIII. de ciuitate. cap. 8. narrant Alcibiadem summo loco natum, cum ex sermone Socratis seipsum agnouisset nihilq; inter se & quemuis baiulum interesse, illacrymasse, petijsseq; sibi virtutem tradi.

CAPVT V.

De Medijs idoneis ad parandam sui notitiam.

INTER Media, quibus parari queat tam salutaris notitia sui, August. vel quisquis auctor est libri de Spiritu & anima, tale præscribit. Aug c. 51. *Necesse est, vt per singulos dies vitam nostram ad iudicium vocemus, & quid egimus per noctem & diem, examinemus, & quanto ad bona facienda so-*

lito alacriores, & quanto ad mala vincenda, solito constantiores: siue aliquo opere nostro insidijs inimici supplantati simus qualiter demum per iudicium transacta deceptionis futuram illius fraudem cauere valeamus. Quisquis, si cor suum in huiusmodi studio exercet audiat, quid quidam sapiẽs dicat. Scito teipsum. Ex quibus verbis intelligimus optimũ antidoton ad nosipsos agnoscendos esse frequentatum examen conscientiæ. Aliud salutare mediũ suggerit S. Bernard. vt quoniam nemo in hac vita ad perfectam sui notitiam peruenire possit, vt videlicet sciat, qualis sit verè in oculis Dei, (nemo enim nouit, iuxta sapientem, dignus ne sit amore, an odio) conetur in omnibus, quod consulit Christus, nouissimũ locum tenere. Non enim est inquit, *periculum quantumcunq; te humilies, quantumcunq; reputes minorem, quàm sis, hoc est quam te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumq; periculum, si vel modicè plus vero te extollas; si vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem forte parem tibi veritas iudicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas cuius superliminare nimium bassum sit, non nocet quantumcunq; te inclinaueris, nocet autem, si vel transuersi digiti spacio plus quam ostij patitur mensura erexeris, ita vt impingas, & capite quassato collidaris: sic in anima non est planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumq; pauenda vel minima temerè præsumpta erectio. Quamobrẽ noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli æqualibus, noli vni. Quid scis.n. ô homo, si vnus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cuius vitam scelerattissimam, ac singulariter fœdissimam horres, & propterea illum putas spernendum, non modo præ te, qui forte iam sobriè & iustè & piè viuere te confidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis tãquam omnium sceleratissimum: quid scis, inquam si melior & te, & illis mutatione dexteræ excelsi in se quidem futurus sit, in Deo verò iam sit.*

B. ser. 37 in Can.

Eccl. 9.2.
Luc. 14. 10.

Eodem pertinet illud S. Chrysost. homilia 26. in Matthæum. *Nec sane minima pars philosophiæ est meritum suum posse dignoscere. Ille est maximè seipsum sciens, qui se esse nihil existimat. Ideò quippe & Dauid & Abraham, postquam iam ad summũ virtutis fastigium euaserãt, tunc istud quod dico præcipuè videntur implesse. Nam vnus quidem dixit se esse cinerem, alter verò se vermem vocabat. & cuncti omnino sancti horum se more deijciunt: è regione verò, qui arrogans esse mauult, ipse est, qui se cunctis deterius ignorat. Propterea more communi solemus, dicere de superbis. Nescit seipsum, seq; prorsus ignorat. Qui verò se nescit, quemnam poterit agnoscere? Nam sicut ille qui seipsum agnoscit, profecto nouit & reliquos: ita etiam qui se nescit, consequenter ignorabit & cæteros.*

CAPVT

CAPVT VI.

Modus noſcendi ſeipſum.

MODVM, quo anima ſui notitiam capere debeat præſcribit Origenes homilia ſupra citata *Intelligat, inquit, anima cuiuſq; ſi boni affectus ſit aut non boni, aut recti propoſiti aut non recti. Et quidem ſi recti ſit, ſi erga omnes virtutes eundē tenorē habeat, tam in intelligendo, quam in agendo, an erga neceſſaria tantum & quæ in promptu ſunt. Et vtrum in eo ſit, vt recipiat profectus, vt augeatur in intellectu rerum, augmentoque virtutum: an iſto ſtet & reſideat, in quod potuit peruenire: & vtrum erga ſeipſam tantum vacet excolendam, an alijs prodeſſe & conferre aliquid vtilitatis ſtudeat, vel in verbo doctrinæ, vel in exemplis geſtorum. Si verò cognoſcat ſemetipſam non eſſe boni affectus, neque recti propoſiti, in hoc ipſo vt intelligat, vtrum ei ſatis deſit, & procul à via virtutum ſit: an in ipſo iam poſita ſit itinere, & incedere iam conetur, cupiens quæ in ante ſunt apprehendere, & quæ retro ſunt obliuiſci, ſed nondum appropinquauerit: aut proxima quidem ſit, nondum tamen ad perfectionem venerit. Sed & in eo opus videtur eſſe animæ cognoſcentis ſemetipſam, ſcire hæc ipſa quæ operatur mala, an ex affectu & ſtudio operetur, an fragilitate quadam & vt ille ait, quod quaſi non vult agens, & quæ odit faciens: & rurſus ea quæ bona ſunt affectibus, & recto propoſito genere videatur. Verbi gratia ſi iracundiam apud aliquos quidem cohibet, apud aliquos autem effert: an ſemper eam cohibet, & apud nullum omnino profert. Similiter & triſtitiam, ſi in aliquibus quidem negotijs vincit, in aliquibus autem recipit: an in omnibus omninò non recipit. Ita & timorem, aliaque ſimiliter quæ virtutibus videntur eſſe contraria.* Eundem modum tradit Auguſtinus. libro de Spiritu & anima. *Scito, inquiens, teipſum.* A.c.51. *Scito vnde veniſti, aut quo vadis, quomodo viuis, quantum proficis, vel deficis. quàm longè es à DEO, vel quam prope, non interuallis locorum, ſed ſimilitudine vel diſſimilitudine morum. Scito quomodo homo es, cuius conceptio culpa, naſci miſeria, viuere pœna, mori neceſſe. Attende ergò ſolicitè quid agas, vel quid agere debeas. Si quod faciendum eſt facias. Si bono operi malum aliquid non admiſceas. Si bonum quod agis, quanta oportet deuotione adimpleas. Si alterius vt tuum diligas. Si tuum vt alterius malum reprehendas. Si ſic declinas à malo vt facias bonum.* Quoniam verò ſupra tradit Clemens Alexandrinus ex co- Cl.l.3 pædag c.1 gnitione ſui, proximum gradum eſſe ad cognitionem Dei, quod etiam tradidit S. ANTONIVS epiſtola ſexta, ſubiiciemus hic titulum

O.ho. 2. in Can.

de Cogntione Dei. Plura de cognitione sui habes apud nostrum Martinum Delrio in sex lectionibus sacris de ea ad sodales Parthenios habitis.

VIDE V. *Conscientiæ examen. Diffidentia sui. Humilitas. Profectus spiritualis. Timor Dei. Et in* PANARIO, *Immortificatio passionum.*

COGNITIO DEI.

CAPVT .I

De Triplici cognitione Dei.

SPIRITVS sanctus in diuinis Scripturis triplicem Dei cognitionem patefecit, imperfectam, perfectam, & perfectissimam. Imperfecta est huius vitæ, de qua intelligitur illud Apostoli in priore epistola ad Corinthios. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. cum essem paruulus loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus.* Et ad Philippenses. *Non quod iam acceperim,* inquit, *aut iam perfectus sim* (in cognitione Dei) *sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Fratres ego me non arbitror comprehendisse.*

1.Cor.13.9.11. Phil.3.12.

1.Cor.13. 12. PERFECTA est alterius vitæ, quam ibidem descripsit Apostolus, dum mox subiecit. *Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli; Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Eandem nomine visionis Dei intellexit B. Ioannes, dum ait. *Charissimi, nũc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

1.Ioan.3.2.

PERFECTISSIMA denique est, qua Dei essentia, omniaq; eius attributa & perfectiones exactissimè cognoscuntur, cuiusmodi notitia neque in hac, neque in altera vita vnquam homini continget. Vnde Iob. *Forsitan*, inquit, *vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces?* Et rursum. *Quis poterit scrutari vias eius, aut quis potest ei dicere, operatus es iniquitatem? Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram, numerus annorum eius inæstimabilis.* Et Psaltes regius. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Et Ieremias. *Fortissime, magne, potens Dominus exercituum nomen tibi, magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Et Apostolus ad Romanos. *O altitudo diuitiarum*

Iob.11.7. c.36.23. Psal.138.6. Ierem.32.18.

rum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini, Aut quis consiliarius eius fuit? Rom.11.33
Atq; ad Timotheum. *Rex regum, inquit, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quē nullus hominum vidit sed nec videre potest.* Idem docent S. Patres, & quidem B. Chrysostomus quinque homiliis demonstrauit Dei naturam esse 1.Tim.6.16.
non hominibus modo, sed etiam angelis incomprehensibilem, idque aduersus Anomæos, qui iactabant se non minus Deum cognoscere, quam Deus ipse se cognosceret. VERVM nos hic tantum agimus de cognitione imperfecta huius vitæ.

CAPVT II.

Quod à natura homini insita sit aliqua Dei notitia in hac vita.

A NATVRA insitam esse homini aliquam Dei notitiam primum liquet ex illo dicto Ps. *Signatum est super nos lumē vultus tui Domine.* Psal.4.7.
Non dixit resplenduit, ait Chrysostomus, *non dixit, apparuit, sed signatum est, significans, quod quemadmodum quod in fronte signatum est, est omnibus manifestum, nec fieri potest vt id aliquem lateat: nec visum luce plenum & radios potest quis ignorare, ita inquit, nec tuam Domine prouidentiam. Vt enim lux signata, hoc est, impressa & insculpta est manifesta omnibus, ita etiam prouidentia tua benignitatis.* Deinde ex clarissimis verbis Apostoli docentis Ethnicos Philosophos habuisse veri Dei notitiam, *quod notum est* Rom.1.19.
Dei, inquiens, *manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas.* Idem docuerunt prisci Patres. Clemens Alexandrinus in quinto Stromatum. *Nullum*, ait, *vnquam genus, neque agricolarum, neque pastorum, neque eorum qui versantur in ciuitatibus potest viuere, nisi eius quod est præstantius ac melius fide præoccupatū præuentumq; fuerit. Quamobrem vniuersa quidem gens Orientalium & quæ pertinet ad Occidentem, Septentrionem & Austrum vnam habet & eandem anticipatam notionem de principatu eius qui constituit: siquidem quæ sunt vniuersæ & maximè generales eius operationes omnes ex æquo peruaserunt. Longè autem magis, qui apud Græcos curiosi fuere Philosophi à barbara moti philosophia ei qui non cadit sub aspectum, & est solus, & potentissimus, & artifex maximus & eorum quæ sunt pulcherrima auctor præcipuus, dedere prouidentiam.* Gregorius Nazianzenus de Theologia. *Quod Deus sit ac princeps* G orat.2.
quædam causa omnium rerum procreatrix & conseruatrix, tum oculi ipsi, tum

lex naturalis docet: illi, dum rebus in aspectum cadentibus aciem, affigunt, easque & egregia stabilitate præditas esse, & progredi, atque immotè, vt ita dicam moueri voluique perspiciunt: hæc autem, dum per res oculis subiectas, præclareq́; constitutas auctorem earum coniectura quadam colligit, atque assequitur. Quemadmodum enim quispiam citharam pulcherrimè elaboratam conspiciens, eiusque concinnitatem audiens, nihil aliud quam ipsum citharæ conditorem atque citharædum mente reputat, licet de facie ipsi ignotum: eodem quoque modo nobis is, qui res vniuersas procreauit, easque mouet & conseruat, sese declarat etiamsi animis nostris ingeniisque comprehendi nequeat. Ac nimis profectò absurdus & præposterus est, quisquis non hucusq́; sponte sua progreditur, nec argumentis naturalibus cedit, verum hoc quoque inficiatur Deum esse S. HIERON. in epist. ad Galatas. *In Euangelio dicitur. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Ex quo perspicuum sit natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quenquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & iustitiæ, reliquarumq́; virtutum. Vnde multi absque fide & Euangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè vt parentibus obsequatur, vt inopi manum porrigant.* S. CYRILLVS Alexandrinus scribens contra Iulianum apostatam, cũ ex ter maximo Herme notasset Deo nihil esse fulgidius eumque idcirco fecisse omnia, vt per omnia videretur, addit & Iulianum affirmasse *cognitionem Dei rem esse quæ doceri nequeat sed per se ditatur ab hominibus. Quod autem doceri nequeat,* inquit, *coniectura nobis sit primum commune studium erga Deitatem, quod est omnibus hominib priuatim & publice, vbicunque viri sunt & gentes. Omnes enim absq́; doctore deitatẽ quandã credimus.* Haud secus Lactantius Trimianus diuinarum institutionum libro primo probat & Poetas, & Philosophos & Sybillas apud Ethnicos vnum Deum agnouisse. Deniq; S. Ioannis Damasceni in lib. de orthodoxa fide verba sunt. *Omnibus cognitio existendi Deum nataliter est insita.*

H. in cap. I. Ioan. I.

Cyr. lib. 2.

Lact. c. 5. & 6.

D. lib. I. c. 2.

CAPVT III.

Quousq́; se porrigat cognitio Dei in hac vita.

INTER omnes Patres & Theologos conuenit posse in hac vita cognosci Deum esse, vel existere, non posse tamen cognosci perfectè quid sit, id est, eius essentiam & proprietates. Secundo conuenit potius de eo cognosci quid nõ secundũ substantiã quam quid sit. Sic n. loquitur Clemens Alexandrinus: *Si ablatis omnibus quæ adsunt corporibus, & iis quæ dicuntur in corporea, nos ipsos proiecerimus ad Christi magni-*

Clc. l. 5. strom.

magnitudinem: & deinde in vastitatem, immensitatemq. sanctitate processerimus, ad intelligentiam omnipotentis vtrunq. processerimus, non quod est, sed quod non est cognoscentes. Et Gregor. Nazianzenus in Pascha. *Deus* G.orat.2.
vniuersum id quod est complectitur, nec principium habens, ne finem habiturus, quasi pelagus quoddam essentiæ immensum & interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem superans, mente sola adumbrabilis, & quidem perexiguè, ac peorbscurè, non ex his, quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum: priusquam teneatur effugiens. Et paulo post. *Immensus ita est Deus, contemplatuque difficilis, idque solum in eo plane comprehendi potest, quod immensus sit.* Quid autem est immensum, nisi quod mensurari non potest? Et S. Augustinus in Psalmos. *Intendat charitas vestra Deus* A.in psal.35.
ineffabilis est. Facilius dicimus, quid non sit, quam quid sit. Terram cogitas? non est hoc Deus. Mare cogitas? non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in terra, homines & animalia, non est hoc Deus. Quicquid lucet in cœlo, stella, sol & luna, non est hoc Deus. Ipsum cœlum, non est hoc Deus. Angelos cogita, virtutes, potestates, archangelos, thronos, sedes, dominationes, non est hoc Deus. Et quid est hoc? Solum potui dicere, quid non sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vi- Isa.64.4.
dit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Et libro octauo de Tri- Aug.c.2.
nitate. *In spiritualibus omne mutabile quod occurrerit non putetur DEVS. Non enim parua notitiæ pars est, cum de profundo isto in illam summitatem respiramus, si antequam scire possumus quid sit Deus, possumus iam scire, quid non sit. Non est enim certè nec terra nec cœlum, nec tale aliquid quale videmus in cœlo, nec tale aliquid, quicquid non videmus & est fortassis in cœlo.* Et in verbis Domini in Ioannem. *Dictum est* apud B. Ioannem *Et De-* Id.serm 38.
us erat verbum. De Deo loquimur. Quid mirum si non comprehendis? Si Ioan.1.1.
comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantiæ magis, quam temeraria professio scientiæ. Attingere aliquantum te mente Deum, magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile. Denique S. Chry- Chr.in ps.138.6.
sostom. exponens illa verba Psalmi. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam,* hunc dicit esse eorum sensum. *Quamuis sciam te omnia præscire, & me ex iis, quæ non erant fecisse, perfectam tamen & manifestam tui non possum habere cognitionem, sed admirabilis facta est, hoc est superauit captũ meum, validior facta est, quam vt mea possit ratione comprehendi, adeo est admirabilis & magna. Propterea enim subiunxit, non potero ad eam, neque hoc dicit. Ignoro Deum, sed perfectam & vndique absolutam & manifestam eius non habeo notitiam. Quod quidem dicit etiam Paulus. Nam eum quidem esse scimus, quid sit autem substantia nescimus. Quod sit benignus, & clemens nouimus, quod sit humanus, quod bonus, quantitatem verò ignoramus.* Et infra, *Si Scientiam Dei non perfecte obtinuisti, quomodo nosti eam esse admirabilem? Propter hoc*

ipsum

ipsum noui eam esse admirabilem, quod meam superat rationem. Nam radium quoque solarem non possumus apertè cognoscere, & tamē propter hoc ipsum eum maximè admiramur. Ita etiam de Dei cognitione, neq; eam omnino ignoramus, eum enim esse scimus, & quod est benignus, clemens, bonus, & misericors & quod est vbiq; Quid sit autem substantia, vel quāta sint quæ dicta sunt, vel quomodo sit vbiq;, hoc ignoramus

QVÆRES, cur Deus tam imperfectam sui notitiam nobis reliquerit? Gregor. Nazianzenus tres causas reddit in oratione quadam de Theologia. *Prima, ne ob adipiscendi facilitatem facilis quoq; rei quæsitæ iactura sit. Fit enim fere, vt quod non sine labore, atque industria partum est, arctius quoque teneatur: quod autem nullo negotio comparatum est citissimè vilescat, atque contemnatur, vtpote quod recuperari possit. Atque ita in beneficium cedit non obuia illa & exprompta beneficentia, duntaxat apud prudentes homines atq; cordatos. Altera, ne idem nobis, quod Lucifero illi prolapso accidat, qui toto illo fulgore perfusus aduersus Dominum omnipotentem ceruicem obdurauit, atq; ob elationem corruit casu omnium miserrimo. Postrema, vt pro industriæ suæ, illustrisq; vitæ præmio vberius aliquid habeant, qui hic sese à vitiorum labe perpurgarint, ac rem adamatam & expetitam patientibus animis expectarint.* Quartam causam addit oratione in Pascha, cum enim dixisset Dei notitiam, *tantum principem nostri partem eamque purgatam collustrare, quantum oculorum aciem perstringit fulguris celeritas haudquaquam permanentis,* mox subiicit. *meo quidem iudicio, vt quatenus cognosci potest, nos ad se trahat (quod enim nullo modo percipi potest, id nec sperat quisquam, nec adnititur) quatenus autem capi nequit, admirationem sui excitet, atque ex ipsa admiratione vehementius desideretur, desideratus purget, purgans autem Deiformes efficiat, cumq; id consecuti fuerimus iam velut cum familiaribus colloquatur.* Atque hanc causam, quod mirum est, mutuatus videtur Nazianz. à S. Cypriano, qui in præfatione libri de cardinalibus operibus Christi ita scribit. *Cordi,* inquit, *nostro se offert Deus, & aliquid luminis sui infundit, inuitans & prouocans. Nisi enim aliquo modo sentiretur, nec appetendi nec inquirendi spes esset aliqua vel facultas. Sed quia ex parte sentitur, admirationi est odor ille & sapor nullam cum carnalibus dulcedinibus habens similitudinem, & per omnia suauitate differens, eoque desideratur copiosius, quo cætera delectamenta excedit. Desiderium autem inquirentes purificat, & purificatio exclusis enormitatibus ad formam Dei prouehit ascendentes, atque ita in opere suo imago & similitudo Dei multis laboriosisque progressionibus & incrementis propriam sibi demum indicat dignitatem.* Non absimilem causam reddit S. Augustin loco supra citato in Ioannem breuiter sic scribens. *Dicimus, quam incomprehensibile sit, quod lectum est.* (In principio

G. orat. 2.

Id. orat 2.

A. serm. 38.

erat Verbum,&c.) *& tamen lectum est, non vt comprehenderetur ab homine, sed vt doleret homo, quia non comprehendit, & inueniet, vnde impeditur à comprehensione, & remoueret ea, & inhiaret perceptioni incommutabilis verbi, ipse ex deteriore in melius commutatus.*

CAPVT IV.

De excellentia cognitionis Dei.

EXCELLENTIAM diuinæ cognitionis declarauit Christus Dominus, cum subleuatis in cœlum oculis de discipulis suis dixit. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deũ verum, & quẽ misisti Iesum Christum* Ioan.17.3. Inquæ verba Cyrillus Alexandr. *Cognitio est vita, spiritalem nobis benedictionem adducens, per quam spiritus in cordibus nostris habitat in adoptionem filiorum Dei, & veram pietatem per Euangelicam vitam, & incorruptibilitatem reformãs. Quum igitur origo & quasi pronuba dictorum omnium cognitio Dei veri esse inueniatur rectè à Domino nostro Iesu Christo vita æterna est appellata, quasi mater & radix virtute, naturaq; sua vitam æternam pariens. Sed considera diligenter, quomodo solius Dei veri cognitio efficiatur. Non enim absq; cognitione filij, quare nec absq; cognitione filij, quare nec absque cognitione Spiritus sancti: hæc enim Dei vnitas in trinitate intelligitur, atq; creditur secundum Scripturas.* Cyr.lib.11.in Ioan.c.17. Et Nazianzen. in oratione de statu Episcoporum. *Regnum, inquit, cælorum nihil aliud esse existimo, quam eius quod purissimum & perfectissimum est, adaptionem perfectissima autem rerum omnium est Dei cognitio.* Clemens verò Alexandrinus mirificè prædicat cognitionem Dei. Nam libro sexto stromatum ait esse perfectissimum bonum, & per se expetendum in septimo verò esse rem maximã, quæ sola hominem pium & religiosum efficiat, atque ita conseruet in eo virtutem vt amitti nequeat: Eum qui Deum verè & magnifice cognorit, non posse seruire voluptatibus, aliisque animi perturbationibus, sancta semper facere & cogitare, precari cum angelis, & licet oret solus habere assistentem angelorum chorum. Cl 6 & 7 strom. Augustinus in sermonibus de tempore. *Cognitione Dei nihil melius est, quia nihil beatius est, & ipsa vera beatitudo est. Vnde & Saluator ad Patrem ait Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* A.serm.111. Io.17.3. Et libro Soliloquiorum secundo. Breuissimè ac perfectissimè sic oratur Deus. *Deus semper idem. Nouerim me, nouerim te.* A.c.1. Hieronymus libro 6. commentariorum in Ieremiam. *Notitia vnius Dei, inquit, omnium virtutum possessio est.* H in c.31. Et libro 7. in Ezechielem. *Memoria Dei excludit omnia flagitia.* In c.22. Lactantius libro primo diuinarum institutionum. *Dei vim maie-* L.c.1.

maiestatemq; tantam esse dicit in Timæo Plato, vt eam neq; mente concipere,
L.c.4. *neq; verbis enarrare quisquam possit ob nimiam & inæstimabilem potestatem.*

CAPVT V.

De necessitate & vtilitate cognitionis Dei.

NECESSITAS cognitionis Dei inde liquet, quod sicut *sine fide impossibile est*, teste Apostolo, *placere Deo*, ita & sine cognitione Dei.
Heb.11.6. *Fides enim*, inquit S. Cyrillus loco proximè citato, *quid aliud est, quam vera de Deo cognitio? Per fidem enim cognitio fit. Testatur id Isaias, dicens.*
Isa.7.9. Heb.11.3. *Si enim non credideritis, non intelligetis.* Vnde & Paulus. *Fide*, inquit, *intelligimus aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Et infra. *Credere oportet accedentem ad DEVM quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*
Ib.6. At nos supra probauimus ad notitiam DEI imperfectam id maximè pertinere, vt cognoscatur, quod sit & existat Deus.
B.serm.37. Vnde B Bernardus in Cantica, agens de cognitione sui & Dei. *Quid si*, inquit, *ignoras Deum, poteritné spes esse salutis cum Dei ignorantia? Ne hoc quidem. Nec enim potes, aut amare quem nescias, aut habere quem non amaueris. Noueris proinde te, vt Deum timeas: noueris ipsum, vt æquè ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero & consummaris: quia initium sapientiæ timor Domini est: & plenitudo legis est charitas. Tam ergo vtraque ignorantia cauenda est tibi, quam sine timore & amore Dei salus esse non potest.* S. Ambrosius libro primo Officiorum tradit hominem non modo non saluum, sed neque sapiētem vel prudentem esse posse sine notitia veri Dei.
Gen.15.6. Rom 4.3. Psal.52.1. *Credidit*, inquiens, *Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam. Nemo enim prudens, qui Deum nescit. Denique insipiens dixit. Quia non est Deus: nam sapiens non diceret. Quomodo enim sapiens, qui non requirit auctorem suum? qui dicit lapidi, Pater meus es tu. qui dicit diabolo, vt Manichæus, author meus es tu. Quomodo sapiens, qui Deum suum non timet? Initium enim sapientiæ timor Domini.*
Eccl 1.16. H.ep.3. Immò S. Hieronymus epist. ad Heliodorum non dubitat affirmare hominem Dei ignarum nihil distare à bellua. *Absque notitia*, inquit, *sui creatoris omnis homo pecus est.*

QVOD ad vtilitates huius diuinæ cognitionis attinet, ea primaria
S Ant.ep.6. Cl.pœd.lib 3.c.1. est, quod sicut ex cognitione sui, secundum S. Antonium Magnum & Clementem Alexandrinum proximus gradus fit ad cognitionē Dei, sic ex cognitione Dei vicissim ad cognitionem sui, quoque plus profeceris in illa, hoc in hac te maiores progressus facturum. Exemplum habes in puteis; quo enim altera sitularum altius attollitur, hoc altera pro-

profũdius deprimitur. & in ædificiis, quo muri turresq; sublimius eductæ sunt, hoc profundius necesse est iacta esse fundamẽta. *Nemo*, inquit S. Basilius, *ita demens, aut tanta mentis cæcitate est, vt ad summam Dei comprehensionem sese peruenisse existimet: sed quanto magis ad ipsius notitiam accedere videbitur, tanto maiorem sentiet infirmitatem. Talis erat Abraham, talis Moses. Quando enim Deum videre, quantum fas erat homini potuerunt, tunc maximè vterq; se humilem tenuemq; putauit. Abraham se puluerem ac cinerem nominans. Moses verò se lingua balbum, ac sermone tardum appellans. Videbat enim se rerum cognitarum magnitudini nequaquam linguæ debilitate posse respondere.* Duo alia illustria huius rei exempla proferunt in suis super Isaiam commentariis Hieronymus & Chrysostomus. nempe prophetæ Isaiæ & Apostoli Pauli. Nam Isaias cum vidisset Dominum in excelso solio sedentem, continuò oculos in se reflectens confessus est se virum labiis pollutum; & Paulus post raptum in tertium cœlum vocauit se nunc abortiuum, nunc peccatorum primum, nunc minimum Apostolorum, nunc nomine Apostolico indignum.

B hom. 15 de fide. Gen. 18. 27. Exo. 4. 10. In c. 6. Isa. Isa. 6. 5. 1. Cor. 15. 8.

CAPVT VI.

De mediis perueniendi ad cognitionem DEI.

PRIMVM medium est consideratio visibilium creaturarum. Vnde Isaias. *Leuate*, inquit, *in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc? qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat, præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque eius, neq; vnum reliquum fuit.* Considera vel vnam aliquam magnam creaturam, vt cœlum. *Cæli enim enarrant*, inquit rex Dauid, *gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Vel vnum solem. *In sole enim posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo exultauit vt gigas ad currendam viam.*

Isa. 40. 26. Psal. 18. 1. Psal. 18. 6.

Vnde Chrysost. in Gen. *Quid dicis homo? Cum videris cœlum, admiraris eius formositatem, astrorum varietatem, claritatis eminentiam: ne ibi subsistas sed ad opificẽ ipsum extende mentẽ. Obstupescere te facit solis lux, & admiraris eius multiplicẽ vsum & quia vides radios illustrãtes tuos oculos, admiraris elemẽti pulcritudinẽ: sed neq; hic subsistas. Quia si factura tã admirabilis est, & supra omnium opinionem & intellectum quantus est, qui ipsum solo*

Ch. hom. 6

verbo & præcepto produxit? IMò considera vel minimam aliquam, vilissimamq; creaturam, vt culicem, & habebis, vnde mireris eius opificē. A.cp.3. *Creatorem enim*, inquit Hieronymus in epistola quadam, *non in cælo tantum miramur, & terra sole & oceano, elephantis, camelis, equis, bubus, pardis, vrsis, leonibus, sed & in minutis quoq; animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis, & istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quam nomina, eandemq; in cunctis veneramur solertiam.*

B.hom.5 de fide. ALTERVM medium est, Consideratio crebra inuisibilium creaturarum, atque adeo ipsius Dei. *Tu*, inquit S. Basilius, *si aliquid de Deo dicere aut audire cupis, mitte corpus vna cum sensibus corporeis, relinque terram, mare, & aerem sub tuis ponito pedibus. Supra æthera mentis oculos attolle. Deinde & supra cælum ascende, & animo ibi pulcherrima contemplator, cælestes exercitus, angelorum choros, præsulatus archāgelorum, gloriam dominationū, sedes thronorum, virtutes, principatus potestates, singula percurrendo creata mentem amore diuino incensus altius illis attolle, ac omnium conditricem naturam diuinam intuere stabilem, immobilem, nihil in se alienum retinentem, simplicem, impassibilem, indiuisibilem, incompositam, lucem habitantem inaccessam, potentiam ineffabilem, magnitudinem incircumscriptam, gloriam supermicantem, bonitatem desiderabilem, pulchritudinem inenarrabilem, qua anima vehementer consternata contingi quidem, sermone autem nequaquam explicari potest. Ibi enim pater, filius & Spiritus sanctus. Pater omnium principium, omnium causa existentium, animantium radix, &c.*

III. Medium est, Studium purgandi animum à peccatis, prauisq; cupiditatibus ad opes, honores, voluptates, & similia. *Omnis enim qui* 1.Ioan.3.6. *peccat*, ait S. Ioannes, *non vidit Deum nec cognouit eum.* Et. *qui dicit se nosse* 1.Ioa.2.4. *Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* Clemens Alexandrinus. *Mens, inquit, quæ est munda, & ab omni vitio libera, est quodammodo apta ad potestatem Dei suscipiendam, cum diuina in eo assurgat imago. Vt ij autem accipiant Dei cognitionem, qui adhuc ducuntur à vitijs,* Clem. 3. strom. *minimè potest fieri. Ergo nec vt finem assequantur, qui nullam habent Dei cognitionem. Omnino fieri non potest, vt quis simul sit & cognitione præditus, & blandiri corpori non erubescat.* Basilius in verba Psalmographi. *Vacate & videte quia ego sum Deus. Quatenus enim*, ait, *ijs rebus vacamus, quæ aliena* B.in psal. 45. *sunt à Deo, Dei notitiam recipere nequaquam valemus. Nonne vides, quod in* Mat.13.22. *spinas delapsum verbum à spinis suffocatur? Spinæ namque carnis voluptates, & diuitiæ, & curæ sunt huius seculi. Extra hæc omnia constitutum esse opus sit eum qui cognitionem Dei desiderat, debetq; ab omnibus perturbationibus, atq; affectibus vitiosis vacare, sic demum Dei scientiam apprehendere. Quomodo animam tot adeo, quæ ipsam præoccuparint distractionibus cogitationum oppressam Dei cognitio, cogitatioq; penetrabit?* Et Augustinus de doctrina A.lib.1 c.10.

Christiana *Cum illa veritate perfruendum sit, quæ incommutabiliter viuit, & in ea Trinitas Deus auctor & conditor vniuersitatis rebus quas condidit consulat, purgandus est animus, vt perspicere lucem illam valeat, & inhærere perfecte. Quam purgationem quasi ambulationem quandam, & quasi nauigationem ad patriam esse arbitremur: non enim ad eum qui vbiq; præsens est, locis mouemur, sed bono studio, bonisq; moribus.*

IV. Medium est ORATIO, vel diuini auxilii imploratio. *Neq; enim*, inquit Greg. Theologus oratione in Pascha, *aliter terreni corporis, mentisq; vinculis astrictæ crassities Deum concipere potest, nisi diuinitus adiuuetur.* Naz. orat. 2. Hoc medium Augustinus, atque etiam orandi formulam pro cognitione Dei obtinenda præscripsit libro primo Soliloquiorum. Aug. c. 1.

Oratio S. Augustini.

Pro cognitione Dei impetranda.

DEVS vniuersitatis conditor, à quo manant vsque ad nos omnia bona, à quo coercentur vsq; à nobis omnia mala. Deus supra quē nihil, extra quem nihil, sine quo nihil est. Deus sub quo totum est, in quo totum est, cum quo totum est. Qui fecisti hominem ad imaginem & similitudinem tuam, quod qui seipsum nouit, agnoscit. Exaudi, exaudi, exaudi me Deus meus, Domine meus, rex meus, pater meus, causa mea, spes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, salus mea, lux mea, vita mea. Exaudi, exaudi, exaudi me more illo tuo paucis notissimo. Iam te solum amore solum sequor, te solum quæro, tibi soli seruire paratus sum, quia tu solus iustè dominaris, tui iuris esse cupio. Iube quæso atq; impera, quicquid vis, sed sana & aperi aures meas, quibus voces tuas audiam. sana & aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam. Expelle à me insaniam, vt recognoscam te. Dic mihi, qua attendam, vt aspiciam te & omnia me spero, quæ iusseris esse facturum. Recipe oro fugitiuum Domine, clementissime Pater. Iam iam satis pœnas dederim, satis inimicis tuis, quos sub pedibus habes, seruierim, satis fuerim fallaciarum ludibrium. Accipe me ab istis fugientem famulum tuum, quia & isti me, quando à te fugiebam, acceperunt alienum. Ad te mihi redeundum esse sentio. Pateat mihi pulsanti ianua tua. Quomodo ad te perueniatur doce me. Nihil aliud habeo, quam voluntatem. Nihil aliud scio, nisi fluxa & caduca spernenda esse, certa & æterna requirenda. Hoc facio Pater, quia hoc solum noui, sed vnde ad te perueniatur ignoro. Tu mihi suggere, tu ostende, tu viaticum præbe. Si fide te inueniant, qui ad te re-

fugiunt, fidem da. Si virtute virtutem, si scientia, scientiam. Auge in me fidem, auge in me spem, auge charitatē. O admiranda & singularis bonitas tua. Ad te ambio, & quib. rebus ad te ambiatur, à te rursum peto, Tu enim si deseris, peritur hic. Sed non deseris, quia tu es summum bonum, quod nemo rectè quæsiuit, & minimè inuenit. Omnis autem rectè quæsiuit, quem tu rectè quærere fecisti. Tandem oro excellent. clementiā tuam, vt me penitus ad me conuertas, nihilq; mihi repugnare facias tendenti ad te, iubeasq; me, dū hoc ipsum corpus ago atque porto, purum, magnanimum, iustum, prudentemque esse, perfectumque amatorem, perceptoremque sapientiæ tuæ, & dignum habitatione atque habitatorem beatissimi regni tui. AMEN.

Aug.de Trin.c.2 l.fol.104.b. V. MEDIVM, est industria nostra in Deo quærendo, auxilio diuino coniuncta. *Deus quippe ipse*, inquit alibi Augustinus, *quem quærimus adiuuabit, vt spero, ne sit infructuosus labor noster, vt intelligamus, quemadmodum dictum sit in psalmo sacro. Lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper. Videtur enim, quod semper quæritur, nunquā inueniri: & quomodo iā lætabitur, & non potius contristabitur cor quærentium, si non potuerint inuenire quod quæritur? Non enim ait. Lætetur cor inuenientium, sed quærentium Dominū, & tamen Dominum Deum inueniri posse, dum quæritur, testatur Isaias propheta, dum dicit. Quærite Dominum, & mox vt inueneritis, inuocate eum. Et cum appropinquauerit vobis derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas. Si ergo quæritur inueniri potest, cur dictum est. Quærite faciem eius semper? An & inuentus forte quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil inuenisse, qui quam sit incomprehensibile quod quærebat, potuerit inuenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse quod quærit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa rerum comprehensibilium inquisitione proficitur, & melior meliorque fit quærens tam magnum bonum, quod & inueniendum quæritur, & quærendum inuenitur? Secundum hoc accipi potest, quod dictum est in libro Ecclesiastico dicere sapientiam. Qui me manducant, adhuc esurient & qui bibunt me adhuc sitient. manducant enim & bibunt, quia inueniunt, & quia esuriunt ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus inuenit propter quod ait propheta. Nisi credideritis, non intelligetis*. Eodem pertinet quod S. Ambrosius præscribit exemplo Abrahæ & Moysis in omnibus sequendum esse Deum, eiusque iussis & consiliis parendum, si in Dei notitia & familiaritate magnos progressus facere velimus, *In hoc scimus*, inquit S. Ioannes, *quoniam cognouimus eum si mandata eius obseruemus*. Ambrosii verba sunt lib. 2. de Abraham patriarcha. *Exijt Abraham, quemadmodum locutus est ei Dominus.*

Isa.55.6.

Eccli.24.29.

Esa.7.9.

1.Ioan.2.3.

A.c.8.

Hinc ferunt gentiles septem sapientum sententiam, sequere Deum, quasi inuentum suum: cum longè anterior non dico Abraham, sed Moyses fuerit, per quem lex data est dicens. Post Dominum tuum ambulabis. Exiuit ergo Abraham, in quo non tam profectio eius, quàm animæ eius deuotio, & mentis libertas: exiuit de corporis vinculis, de illecebris delectationis. Denique sic habes. Exiuit Abraham, quemadmodum locutus est illi Deus. Supra habes. exi, dixisse Deum, in quo apertum imperium iubentis expressum; hic habes quemadmodum locutus est illi Deus. Gen.12.4. *Quasi quidam confabulationis affectus comprehenditur: omnia enim fecit, quæ statuta sunt. Ante factum igitur Deus dicit, quasi obnoxio, post factum loquitur quasi amico. Amicus est enim Deo, qui facit quæ imperata sunt. Vnde & in Euangelio suo dicit Dominus Iesus. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Ioan.15.14.

VIDE V. *Cogitatio diuinæ præsentiæ. Cognitio sui. Contemplatio. Familiaritas cum Deo. Fides in Deum. Religio. Sapientia. Veritas.*

CONFESSIO PECCATORVM.

CAPVT I.

De nomine & definitione Confessionis.

CONFESSIONIS nomen, teste B. Hieronymo & Augustino, in diuinis litteris, maximè autem in psalmis geminam habet significationem. Hie. in c.11. Matth. *Confessio*, inquit Augustinus, *vel laudis Dei est, vel peccatorum nostrorum.* A. in psal.117. *Et illa quidem confessio qua peccata nostra Deo confitemur, omnibus nota est; ita vt hanc solam dici confessionem in Scripturis sanctis minus erudita existimet multitudo. Nam vbi hoc verbum lectoris ore sonuerit continuo strepitus pius pectora tundentium consequitur. Sed debet aduertere, quomodo dictum sit in alio psalmo. Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum DEI in voce exultationis & confessionis soni festiuitatem celebrantis.* Psal.41.5. *Hinc enim certe manifestum est, vocem confessionis & sonum non ad mœrorem pœnitentiæ, sed ad lætitiam festiuitatis celeberrimæ pertinere. Deinde sic loquitur CHRISTVS. Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placi-* Matt.11.25.

placitum fuit coram te. Quis enim non eum intelligat in laude patris hæc dicere. Quis non videat istam confessionem non ad dolorem cordis, sed ad gaudium pertinere? cum etiam præcesserit Euangelista dicens. In ipsa hora exultauit in Spiritu sancto & dixit Confiteor tibi pater. Conuenienter autem eidem nomenclaturæ, & hæc significatio subiecta est auctore eodem Augustino. *Nunquid enim,* ait in verba psalmi 94. *Præueniamus faciem eius in confessione, & hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? imò verò maximè pertinet ad laudem DEI. Quare, maxime pertinet ad laudem DEI, quando confiteris peccata tua? quia tanto amplius laudatur medicus, quanto plus desperabatur ægrotus. Confitere itaq; peccata tua, quo magis desperabas de te propter iniquitates tuas. Tanto enim maior laus est ignoscentis, quanto maior exaggeratio est peccata confitentis.* Et alibi. *Cum sua quisq; confitetur peccata, cum Dei laude confiteri debet, nec aliter pia est confessio peccatorum, nisi non desperans, & poscens misericordiam Dei.*

Luc.10.21.

Id.in ps.105.

Græci Patres confessionem peccatorum appellant ἐξομολόγησιν, quam vocem è latinis vsurpant quoque nonnulli, vt Ireneus, Tertul. Cyprianus & Pacianus, quanquam Tertullianus eam quoq; ad cæteras pœnitentiæ partes extendat Hæc eius sunt verba. *Is actus* (secundæ pœnitentiæ) *qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mæroribus deijcere, &c.* Hæc de nomine.

Iren l 1, c 9.
Cyp. de lapsis.
T. l. de pœnit.

Qvod ad definitionem attinet ea nobis peccatorum Cõfessio definienda est, quæ tum Deo & Sanctis, tum hominibus sacerdotibus sit ab Ecclesia ad hanc functionem admissis, diciturque Sacramentalis, quia pars est Sacramenti Pœnitentiæ. S. Chrysostomus in Genesin ita definit. *Confessio peccatorum, abolitio est delictorum.* S Avgvstinvs aliter. *Confessio est, per quam morbus latens spe veniæ aperitur.* S. Gregorivs in octauo moralium. *Confessio est, qua pronunciando occultum vulnus detegitur.* Clarius Catechismus ex decreto Conc. Triden. editus. *Confessio est peccatorum accusatio, quæ ad sacramenti genus pertinet, eo suscepta vt veniam virtute clauium impetremus.* Recte autem, inquit, accusatio dicitur, quod peccata non ita commemoranda sunt, quasi scelera nostra ostentemus, vt ii faciunt qui lætantur cum malefecerint, aut omnino enarranda, vt si rem aliquam gestam otiosis audi-

Chr. hom. 20.

Gr. c. 15.

auditoribus delectandi causa exponamus, verum accusatorio animo ita enumeranda sunt, vt ea etiam in nobis vindicare cupiamus. Veniæ autem impetrandæ causa confitemur, quoniam hoc iudicium longe dissimile est à forensi. *In humanis enim iudicijs*, inquit loco citato Chrysostomus. *si quis hoc faceret, & ante accusationem facinora confiteretur, quamuis apud humanum iudicem is sententiam capitalem omnino in suum caput accerseret, at misericordis & animarum nostrarum medici tanta est, tamq; ineffabilis bonitas & clementia, vt omnem etiam rationem transcendat, nam si aduersarium nostrum diabolum præuerterimus, nostri ipsorum facti accusatores in tantam misericordiam prouocabimus Dominum, vt non solum nobis donet liberari à peccatis, sed & in iustorum catalogo numerari.* Chrys. hom. 20.

CAPVT II.

Quid diuinæ litteræ tradant generatim de confeßione peccatorum.

SPIRITVS sanctus in diuinis litteris primo ad confessionem peccatorum, velut ad rem salutarem hortatur, à quo impulsus Dauid in psalmis dicebat. *Præoccupemus faciem eius in confeßione.* Et Salomon alios hortabatur *Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* Et Ecclesiasticus *Non confundaris confiteri peccata tua & ne subijcias te omni homini pro peccato Et de negligentia tua purga te cum paucis:* 2. Tradit exempla eorum qui confessi sunt illa, vt Achan post cõmissum furtum. In libro enim Iosue hæc sunt verba *Et ait Iesue ad Achan. Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. Responditq; Achan Iosue et dixit ei Verè ego peccaui Domino Deo Israel, & sic & sic feci* Alterum est Dauidis, qui, vt est in historia regum, confessus peccatum suum, quod in mentem illi reuocarat propheta Nathan, condonationem illius mox obtinuit. Idem in psalmis loquitur. *Delictum meum cognitum tibi feci, & iusticiam meam non abscondi Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatẽ peccati mei.* Et rursus. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Tertium sit prophetæ Danielis, qui suo, aliorumque nomine ita loquitur. *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus & declinauimus à mãdatis tuis ac iudicijs. Non obediuimus seruis tuis prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris.* 3. Spiritus sanctus tradit vtilem & salutarem esse actionem lapsus suos patefaciendi. Nam Salomon docet iustorum proprium esse accusare seipsos. dum ait. *Iustus prior est accusator sui.* Qui verò non se accusant, esse infe-

Psal. 94. 2. Prou. 16. 3. Eccli 4. 31. Id. 7. 34. Iosu. 7. 19. 2. Reg. 12. 13. Psal. 31. 5. Psal. 50. 5. Dan. 9. 5. Prou. 18. 7.

lices. *Qui* inquit, *abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Et Syracides. *Ante mortem confitere A mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius.*

Prou. 28. 13. Eccl 17. 17.

Naz. ad Vital. S. Patres consentiunt scripturis. Greg. Nazianzenus *Hæc*, inquit, *Christi mei lex est, qui cōtemptis superbis hominibus, benignè, clementerq; cum humilibus omnibus agere soles. Peccati quippe vel sola confessio hominibus sæpe saluti fuit; acerbissimusq; lachrimis graues noxas abluit, animamq; vitio tetram obscænamq; purgauit. Septuagies septies Deum peccatoribus noxā remittere oracula ipsius testantur, ac Spiritus sanctus docuit.* Et iterum. *Ne expectemus, dum alij nos coarguant, ipsimet in nos inquiramus. Magni vitij medicina est confessio, & peccati fuga.* Ambrosius epistola ad Horontianum. *Quod Micheas ait. Transferens iniquitates* Deus, *ad misericordiam pertinet, eo quod confitētibus nobis lapsus nostros, & obumbrantibus eos bonæ operationis fructu referantur in auctorem culpæ & peccati incentorem.* Et libro 2. de Pœnitentia. *Si vis iustificari fatere delictum tuum. Soluit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.* Et in psalmum 118. *Qui sua delicta non tacuit, videtur in se doluisse quod fecit, in diabolo prodidisse quod suasit: ideoq; ait scriptura. Iustus in exordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat, etsi peccator est iustus esse incipit, quia nec sibi parcit, & Deo iustitias confitetur quem putat latere nihil posse.* Cyrillus in Leuiticum. *Si quid in occulto gerimus si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri. Proferri autem à nobis, aut ab illo, qui & accusator peccati est & incentor. Ipse enim nunc vt peccemus instigat, ipse etiam cum peccauerimus accusat. Si ergo præueniamus eum in hac vita, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam Diaboli inimici nostri præueniemus, & accusatores efficimur Sic enim & alibi Propheta dicit. Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris: nonne euidenter mysterium, de quo tractamus, ostendit, cum dicit, Dic tu prior? vt ostendat tibi, quia præuenire illum debeas, quia paratus est ad accusandum, &c. Sed & Dauid eodem spiritu loquitur in psalmo, & dicit. Iniquitatem meam notam feci,, & peccatum meum non cooperui: dixi. Pronunciabo aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem cordis mei. Vides ergo quia pronunciare peccatum remissionem peccati meretur.* Pacianus in parænesi ad pœnitentiam. *Gehennam recordemini, quam vobis exomologesis extinguit.* Chrysostomus, in Iudæos. *Vna solaq; purgatio peccatoribus reliqua est post peccata videlicet vt sua cōmissa confiteantur. Tu vero mihi considera & iusti (Danielis) virtutem, & Iudæorum improbitatem. Nam ille quidem nullius sibi mali conscius seipsum multa cum austeritate damnat dicens. Peccauimus, iniquè fecimus, iniustitiam perpetrauimus. Hi verò malis innumeris pleni contra fecerunt, dicentes. Seruauimus præcepta tua.* Et in psalmos,

Matt. 18. 22. Id. in plagam grand. Amb. ep. 28. lib. 5 Mich. 7. Id. cap. 6. Idem serm. 4. Prou. 18. 17. Cyr. lib. 3. Isa. 43. 26. Psal. 31. 5. Chrys orat. 2. Dan. 9. 5. Id. in psal. 106.

Rape tu quisquis es peccator remedia, qui peccando diuina contempsisti præcepta. Confessio afferat salutem, cui contemptus attulerat mortem. Viue remediis, qui moriturus fueras aliquando peccatis. Hortamenta diuina prouide ac libenter admitte: peccatorum indulgentiam confessione instanti merearc. Quid horres fateri, quod libenter ac properè commisisti? S. Hieronymus epistola ad Rusticum, agens de remissione peccati à Dauide vno verbo Peccaui, impetrata: *Tantum*, inquit, *profecit, vt dudum peccator & pœnitens transierit in magistrum, & dicat: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Confessio enim & pulchritudo coram eo, vt qui sua confessus fuerit peccata, & dixerit. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, fœditatem vulnerum in sanitatis decorem commutet. Qui enim abscondit iniquitatem suam non prosperabitur.* Hier. epist. 46.

Gregorius Magnus libro 22. Moralium exponens verba illa Iob. Si abscondi quasi homo peccatum meum. *Hæc sunt*, ait, *veræ humilitatis testimonia, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire. At contra vsitatum humani generis vitium est, & latendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare.* Et infra. *Beatus itaq; Iob quantæ fuerit humilitatis ostendit, qui se & inter aduersarios nouerat viuere, & tamen non verebatur culpas voce confessionis aperire. Vnde certissime apparet quantæ munditiæ in omnipotentis Dei oculis fuerit, qui & vitauit mala ne committeret, & tamen quæ eum committere contigit, hominibus non abscondit: quatenus ei & iustitiæ sit gloria declinasse peccatum, & iustitiæ custodia, quod non potuit declinare, prodidisse. Videatur vir iste cuilibet magnus in virtutibus suis, mihi certè sublimis apparet etiam in peccatis suis. Mirentur in eo, qui volunt castitatis continentiam, mirentur integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum.* Greg cap. 19. Iob 31.33. cap. 18.

CAPVT III.

Quid tradant eædem sacræ litteræ de Confeßione peccatorum sacramentali, quæ fit Sacerdotibus.

PRimum tradunt sacræ litteræ in N. Testaméto, Apostolis eorumq; successoribus Episcopis & Sacerdotibus à Christo Domino primũ promissam, deinde etiam datam potestatem & auctoritatẽ remittendi atq; retinendi peccata; quomodo autẽ vel remittentur, vel retinebũtur, nisi per cõfessionem patefacta? Ac promissa quidem est primo Apostolorũ Principi Petro his verbis. *Tibi dabo claues regni cœlorũ Et quodcũq;* Matth. 16. 19.

ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super
Matth. 18. 18. *terram erit solutum & in cœlis.* Deinde omnibus Apostolis. *Amen*, inquit,
dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram erunt ligata & in cælo, & quæ-
cunque solueritis super terram, erunt soluta & in eœlo Postea verò, & data
Ioan. 20. 21. illis verbis post insufflationem. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remi-*
seritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Ita intel-
Hilar. cant. 18. lexerunt hæc verba S. patres S. Hilarius in Matthæum ita loquitur. *Ad*
terrorem metus maximi quo in præsens omnes continerentur immobile seueri-
tatis Apostolicæ iudicium præmisit, vt quos in terris ligauerint, id est peccatorũ
nodis innexos reliquerint, & quos soluerint, confessione videlicet veniæ rece-
perint in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ in cælis quoque aut soluti
Chrysost. lib. 3. *sint, aut ligati.* S. Chrysost. de sacerdotio. *Etenim qui terram incolunt atque*
in ea versantur iis cõmissum est, vt ea quæ in cœlis sunt dispensent, iis datum est,
vt potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam
esse voluit: neque enim ad illos dictum est. Quæcunque alligaueritis in terra. Et
rursus. *Pater omnifariam filio potestatem dedit, cæterum video ipsam eandem*
Amb. c. 2. & seq *omnifariam potestatem à filio illis traditam.* S. Ambrosius quoque libro
primo de pœnitentia probat ex citatis testimoniis contra Nouatia-
nos à Christo solis sacerdotibus eandem potestatem remittendi pec-
Hieron. epist. 2. cata datam, quam ipse habet. Hieronymus ad Heliodorum. *Absit*, in-
quit, *vt de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes,*
Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claues
regni cælorum habentes quodammodo ante diem iudicii iudicant. S. August.
Augus. cap. 10. de vera & falsa pænitentia. *Qui confiteri vult peccata, vt inueniat gra-*
tiam, quærat sacerdotem scientem ligare & soluere, ne cum negligens circa se
extiterit negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet.

Ex iisdem Scripturæ testimoniis hic expositis euincitur necessariò non solum Deo, sed etiam Sacerdoti per confessionem patefacienda peccata lethalia post baptismum commissa, si velimus ea in cœlis nobis remitti. ac primo quidem id efficitur ex metaphora clauium. Si enim sacerdotibus solis commissæ sunt claues, quibus in peccatum lapsis regnum cœlorum aperiatur vel recludatur, nemini sane citra absolutionis beneficium ab iis præstitum aditus patere ad illud poterit, at quomodo præstabitur nisi prius per confessionem iis peccata eo-
Aug. hom. 49. rumque grauitas patefiat? Vnde S. Augustinus in homiliis 50. *Nemo*,
ait, *sibi dicat. occultè ago, apud Deum ago. ergo, sine causa dictum est. Quæ sol-*
ueritis in terra, soluta erunt in cœlo? ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ
Dei frustramus Euangelium, frustramus verba Christi. Vnde & epistola ad
Aug epist. 180. Honoratum, putat aliquos fideles in crimen lapsos eo nomine tan-
tum perire in æternum, quod ante moriantur, quàm à Sacerdote ab-
solui

ſolui potuerint. Deinde id euinci poteſt ex metaphora ligandi, & ſoluendi, remittendi & retinendi. Si enim Deus ipſe poteſtatem illam ſummam quorumcunq; hominũ lapſorum noxas vel expiãdi vel non expiandi ſi ratio poſtulet, ita contulit, vt quicquid illi fecerint id ratum ſit quoque in cœlis, nempe apud Deum, nulla certe cauſa eſt cur noxarum ſuarum veniam ita homo expoſtulet à Deo, vt negligat ſacerdotem loco Dei in hac functione conſtitutum. *Qui enim vos ſpernit*, inquit Chriſtus apud Lucam, *me ſpernit*. Quare & S. Patres liquido hanc neceſſitatem confeſſi ſunt, vt S. Ambroſius libro priore de Pœnitentia. *Sed aiunt*, nempe Nouatiani, inquit, *ſe Domino deferre reuerentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſeruent. Imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere. Nam cum ipſe in Euangelio ſuo dixerit Dominus Ieſus. Accipite Spiritum ſanctum; Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum detinueritis detenta erunt. Quis eſt ergo qui magis honorat, vtrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit?* S. Baſilius in regulis breuioribus. *Neceſſariò iis peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei* Hieronymus in Eccleſiaſten. *Si quem ſerpens diabolus occultè momorderit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, nec vulnus ſuũ fratri & magiſtro voluerit confiteri, magiſter qui habet linguam ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignoret, medicina non curat.*

Luc. 10. 16.
A. c. 2.
Ioan 20. 22.
B. reg 228.
H in c. 10.

SECVNDÒ eædem Sacræ litteræ diſertè mentionem faciunt Confeſſionis homini faciẽdæ & factæ. Nam S. Iacob. in epiſt. ſua his verbis ad eam nos cohortatur. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Voce enim ALTERVTRVM, vel inuicem, id intelligendum eſt quod exigit conſequentia verborum, hoc eſt, vt homo homini confiteatur, & illi homini à quo abſolui poſſit, nempe Sacerdoti. Simili phraſi vſus eſt S. Petrus in priore epiſtola dicens. *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione. vnuſquiſq; ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes ſicut qui loquitur, quaſi ſermones Dei, &c.* quibus non ſignificat omnes promiſcue debere hoſpitio recipi, doceri, vel curari, ſed pauperes à diuitibus hoſpitio recipiendos, rudes à doctis docendos, & ægros curandos à Medicis. Atq; ita intellexerunt illa verba veteres Patres vt Origenes in Leuiticum. Chryſoſtomus de Sacerdotio. Auguſtinus in homiliis 50. Bernardus in libris Meditat. Beda in c. S. Iacobi, & alii. Deinde S. Ioannes in epiſtola prima non obſcurè videtur loqui de confeſſione Deo & homini facta cum ait. *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate.* Vnde enim Deus hoc loco fidelis dicitur & iuſtus, dum no-

Iac 5. 16.
1. Pet. 4. 9.
Or hom. 2.
Ch lib. 3.
A. h. 12.
B. c. 9.
1. Ioan 1. 9.

stra peccata remittit, nisi quia promissioni à se factæ satisfacit? at promissio clarissima exstat facta sacerdotibus apud eundem Ioannem, quibus dictum. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: non autem exstat similis de confitentibus ea soli Deo. Exemplum denique confessionis eiusmodi à fidelibus aliquando factæ exstat in historia Apostolica Lucæ. *Multi*, inquit, *credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos: multi autem ex eis, qui erant curiosa sectati contulerunt libros & combusserunt coram omnibus.* Per actus autem intelligi peccata vel offensas liquet ex Syriaca editione: Paulo verò fuisse confessos patet ex contextu, qui & satisfactionem illam, post impertitam absolutionem iniunxerit, superstitiosos libros exurendi, quod nunc quoque more receptum de Magicis & hæreticis libris apud Catholicos videmus.

Ioan. 20. 23.

Act. 19. 18.

TERTIO deniq; sacræ litteræ in vtroq; testamento figuris quibusdam præsignificarunt hanc confessionem peccatorum sacerdotibus faciendam. Prima figura est de leprosis qui in Leuitico cogebantur se sistere sacerdotibus, qua de causa & Christus apud Matthæum leproso à se curato mandauit vt ostenderet se sacerdoti. Vnde S. Hieronymus in commentario Matthæi collegit sacerdotum esse cognoscere peccatorum varietates. Chrysostomus verò libro 3. de sacerdotio nouæ legis sacerdotes esse excellentiores, illis veteris legis, eo quod lepram peccati non tantum ostendant, sed verè etiam curent. *Nostris*, inquit, *sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* II. Figura est de aliis lapsis, quos Deus præcepit in v. lege & confiteri peccata in specie, & satisfactionis loco adiungere oblationem sacrificii. Nam in Numeris sic legimus. *Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini atque deliquerint confitebuntur peccatum suum.* Et PETRVS Galatinus multis testimoniis Rabinorum probat oportuisse in confessione detegere peccata in specie, & cum suis circumstantiis apud Iudæos. III. Figura est, eorum qui S. Ioannem Baptistam adierunt, vt habet Matthæus & Marcus *confitentes peccata sua*. Conueniebat enim vt sicut baptismus Ioannis erat figura baptismi Christi, ita confessio quæ Ioanni fiebat figura esset Confessionis ministris Christi futuræ. Ex hac figura Anastasius Nicænus in quæstionibus suis in Scripturam probat non omnibus, sed certis quibusdam ad hoc delectis, vt sacerdotibus, confitenda esse peccata. *Quomodo*, inquit, *morbi corporis non aperiuntur omnibus hominibus, neque quibuslibet sed ijs qui eorum curandorum sunt periti, ita etiam peccatorum confessio debet fieri apud eos qui possunt*

Leu. 14. 2.
Matt. 8. 4.

Matt. 8.

Num. 5. 6.

Gal. lib. 10. c. 3.

Matt. 3. 6.
Marc. 1. 5.

Anast. q. 6.

possunt curare, sicut scriptum est. Vos qui potestis, portate, hoc est, tollite per curationem. Necesse est ergo confiteri peccata ijs, quibus credita fuit dispositio. Scriptum est enim in Euangelio quidem, quod qui baptizabantur baptismo Ioannis confitebantur peccata sua. In Actibus autem Apostolorum, Act.19.18. *quod qui ab eis baptizabantur confitebantur actus suos.*

IV. Figura est Lazari apud S. Ioannem à mortuis excitati. De qua Ioan.11.14. S. Irenæus ita scribit. *Hoc symbolum eius hominis, qui inligatus fuerat in* Iren.l.5.c.13. *peccatis, & propter hoc ait Dominus. Soluite illum & dimitte eum abire.* AMBROSIVS libro 2. de Pœnitentia. IESVS *compatitur dilectæ suæ, &* A c.7. *dicit defuncto Lazaro. Veni foras. hoc est, quid iaces in tenebris conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, quodam reorum carcere? Exi foras, delictum proprium prode vt iustificeris. Ore confessio fit ad Salutem. Si confessus fuerit à Christo vocatus, claustra rumpentur, & omnia soluentur vincula.*

Augustinus de verbis Domini. *Ipsum Lazarum attende. cum vin-* A.serm.8. *culis prodit iam viuebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis ir-* Greg.hom.26. in Euang. *retitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictum est. Quæ solueritis soluta erunt: nisi quod ait Dominus continuo ad discipulos Soluite illum & sinite abire?* Hac Ioan.11.45. ergo figura declaratur peccato lethali mortuum, vt reuiuiscat, debere confiteri sacerdoti potestatem soluendi habenti.

CAPVT IV.

De conditionibus in Confessione peragenda necessariis.

PRIMA conditio est, vt sit Humilis, hoc est, in animo se verè peccatorem agnoscat & fateatur. Vnde sapiens. *Iustus prior est accu-* Prou 18 17. *sator sui.* Et S. Gregorius 22. moralium libro. *Hæc sunt vera hu-* Gr.c.13.& 14. *militatis testimonia, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire.* Et paulo post subiicit iudicium ex quo diiudicare quis possit suam confessionem esse verè humilem. *Qua,* inquit, *in re indicia veræ confessionis sunt, si cum quisque se peccatorem dicit, id de se dicenti etiam alteri non contradicit. Nam quia scriptum est. Iustus in principio accusator est sui: non magis peccator, sed iustus videri appetit cum peccatorem se quisque nullo arguento confitetur, sed confessionis veritatem probat, cum alter malum, quod fecimus, incre-*

increpat S. Bernardus quoque scribens in Cantica, similem censu-
B.serm 16. ram huic conditioni apposuit contra eos, qui humiliter confitentur,
vt humiles habeantur. *Verus*, inquiens, *humilis vilis vult reputari, non*
humilis prædicari. Gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus quod laudes
contemnat. Quid peruersius, quidué indignius, quam vt humilitatis custos
confessio superbiæ militet, & inde velis videri melior, vnde videris deterior?
Mirabile iactantiæ genus, vt non possis putari sanctus, si non appareas scelera-
tus At talis confessio speciem habens humilitatis non virtutem non solum ve-
niam non meretur, sed & prouocat iram. Nunquid profuit Saul quod se ad
1.Reg 15.24. *increpationẽ Samuelis peccasse confessus est? Culpabilis proculdubio fuit illa*
confessio, quæ culpam non diluit. Quomodo enim humilem contemneret con-
fessionem humilitatis magister, & cui humilibus dare gratiam certè ingenitum
est. Omnino non poterat non placari si quæ in ore sonuit, in corde radiasset hu-
militas. Hvmilitati verò animi iungi quoque debet corporis
humilitas, vt nempe confitens se ad pedes sacerdotis humiliter abii-
T.lib. de pœnit. ciat, aperto capite & poplitibus flexis. Vnde Tertullianus. *Ex homo-*
logesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, presbyteris aduol-
uit, & aris Dei adgeniculari, vt temporali afflictione æterna supplicia expũgat.
Cum igitur prouoluit hominem magis releuat, cum accusat excusat, cum con-
demnat, absoluit. Inquantum non peperceris tibi, intantum tibi Deus crede,
parcet. Cyprianus de Ablutione pedum, scribit typum huius submis-
sionis externæ in confessione vsurp. ndæ fuisse lapsum Christi ad pe-
Ioan 13.5. des Apostolorum abluendos, & Mariæ Magdalenæ ad pedes Christi.
Luc 15.21. Gregor. verò Nazianzenus ad Vitalianum, filii prodigi ad pedes sui
parentis. De publicano qui ex humilitate non audebat oculos in cæ-
lum tol ere ita S. Paulinus ad Augustinum. *Deniq; & in ipsa Euangelii*
In Aug.ep.58. *parabola qua Pharisæi & Publicani persona confertur, euidenter ostendit ipse*
Luc.18.13. *Dominus quid in homine suscipiat quid repellat sicut scriptum est. Quia Deus*
Iac.4.6. *superbis resistit humilibus autem dat gratiam.*

B ser.16. Can. II. Conditio est vt sit simplex, quam tractat B. Bernardus loco
citato. *Oportet*, inquit, *& esse simplicem: non intentionem forte quia latet*
homines, excusare delectet si sit rea; nec leuigare culpam, quæ grauis est, nec a-
lieno adumbrare suasu cum inuitum nemo coegerit. Primum illud non confes-
sio est, sed defensio nec placat sed prouocat. Sequens monstrat ingratitudinem
ex quo minor reputatur culpa, eo minuitur & gloria indultoris. Sed enim mi-
nus libenter beneficium datur, quod minus gratè, minusué necessariè prouenis-
se sentitur. Veniam proinde sibi abiudicat, qui munus largitoris attenuat,
quod quidem omnis qui reatum suum verbis alleuiare conatur facit Iam po-
stremo primi hominis debet tetur exemplum, nec culpam siquidem diffitentis,
nec tamen consequentis veniam, non dubium quin ob reatus mulieris admissio-
nem.

nem. Genus excusationis est, cum argueris tu, alium incusare. Verba malitiæ excusationes in peccatis appellat Dauid, ne in ea declinet cor suum rogans & supplicans: meritò quidem. In animam etenim suam peccat, qui Psal.140.4.
se excusat, repellens proinde à se indulgentiæ medicinam, & sic vitam sibi proprio ore intercludens. Haud secus philosophatur S. CHRYSOST. in psalmum 140. scribens. *Hæc*, inquiens, *est via præcipua interitus, quando vel ipsa, quæ peccauit anima excusso timore excogitat excusationes & prætextus quosdam ad ignauiam, vel etiam, quando cum quis adulterauit, volens alius eius compunctionem excutere, dicit. Nunquid tu causa es? causa est cupiditas. Malum est quidem peccare: hoc autem facit grauius, negare postquam peccaveris. Hæc sunt arma diaboli potissima. Hoc etiam in primis nostris parentibus vsuuenit. Cum enim oporteret Adam peccata confiteri, ille in Evam confert culpam, & illa rursus in diabolum. Cum oporteret dicere, Peccauimus, illi non solum non confitentur, sed etiam defensionem comparant. Cum enim sciret diabolus peccati confessionem esse peccati solutionem, persuadet animæ, vt sit egregiè impudens.* Et infra. *Vide Dauid nullam excusationem afferentem, quando peccavit, sed dicentem. Peccavi Domino. At Saul non ita, sed cum de ventriloqua, seu pythonissa reprehen-* 1.Reg.28.15.
deretur, dicebat. Coarctor, & alienigenæ pugnant contra me. Ideo autem graue dedit supplicium.

Sic S. August. agens cõtra eos qui in stellas vel Satanam peccata sua* A.hom.12.ex 50
deriuãt. *Dicit homini*, inquit. *serpens ille per Mathematicos ne cõfiteatur homo peccatũ. Stellæ sic positæ sunt, necesse est vt faciat homo peccatum. Sic blasphemias cõuertit in Deum: creator n stellarũ Deus est: & dum nõ vult homo se accusare in eo quod fecit, Deũ accusat, à quo factus est homo. Item multi sic confessionem peccati fugiunt, vt ipsum Satanam accusent, se autem nihil mali fecisse dicant, quasi reuera traxerit eos diabolus, aut violentiam fecerit. Suadere enim & sollicitare potest, cogere omnino non potest. Est enim à dextris quodammodo præcipiens Deus, à sinistris seducens satanas, homo in medio constitutus. Cor quod inclinatur ad diabolum, quare non potius erigitur ad Deum?*

III. CONDITIO est, vt sit integra, qua omnia & singula peccata lethalia pandantur; vt enim æger sanari non potest, qui non omnia & singula lethalia vulnera corpori inflicta patefecerit chirurgo, sic nec peccator, qui non omnia lethalia vulnera animæ inflicta aperuerit sacerdoti. Vnde Origenes in Leuiticum. *Etenim omni genere peccata* Orig.hom.3.
pronuncianda sunt, & in publicum proferenda cuncta quæ egerimus si quid in occulto gessimus si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri, proferri autem ab illo. qui & accusator peccati est & incentor.

Et CHRYSOSTOMVS in Matthæum. *Tu ipse in hac vita tibi iustus* Chr.42. 1.Cor.11.31.

1.Cor.11.31. *ſis iudex; referas tibi ipſi rationes viuendi. Audi Paulũ dicentẽ, Quoniam ſi noſ-
metipſos iudicauerimus non utiq; iudicabimur. Et quonam modo, inquies, mi-
hi ipſi rationes viuendi referam. Largos lacrymarum effunde fluuios, humili-
mus ſis, peccata tua per ſingulas ſpecies recole. Non paruus eſt hic cruciatus*
Eſa.43.26. *animæ. Quare iuſtitiam Deus huic pœnitentiæ propoſuit dicens. Dic tu prius
peccata vt iuſtificeris. non eſt profecto, non eſt inſufficiens ad emendandum via,
ſi cum omnia ſecundum ſpeciem in unum peccata collegeris, aſſiduè omnino de-
inde ipſa verſes. Nam qui hoc faciet, hic adeo compungetur, ut neq; hac vita ſe-
ipſum dignum exiſtimet.* Quod ſi examen conſcientiæ de ſingulis pec-
catis ante confeſſionem faciendum eſt: quanto magis ipſa confeſſio.
Unde alibi etiam occulta crimina vult eſſe confitenda, vt in Joan-
Id.hom.33. nem. *In peccatis,* inquit, *quæ commiſimus confitendis neminem vereamur:
Deum duntaxat ut decet, formidemus, qui & nunc opera noſtra videt, & tunc
quos in præſentia non pœnitet, damnabit.* Et infra. *Commiſiſti aliquod ſce-
lus aut animo agitaſti, homines celas non Deum, & nihil curas, oculos hominũ*
H.in c.16. *formidas.* S. Hieronymus in Matthæum. *Quomodo in veteri lege ſacer-
dos leproſum mundum vel immundum facit ſic & hîc alligat vel ſoluit Epiſco-
pus & presbyter, non eos qui inſontes ſunt, vel noxij, ſed pro officio ſuo cum pec-
catorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit quiue ſoluendus.* Certè ſi
ex officio debet audire varietates, certe omnia peccata manifeſtanda
ſunt, ut iudicare queat, an ſoluendus uel ligandus ſit pœnitens. S.
A.in pſal.66. Auguſtinus in pſalmos. *Tu agnoſce medici manum, confitere, exeat in con-
feſſione, & defluat omnis ſanies, iam exulta, iam lætare, quod reliquum eſt fa-*
B.ſerm.16. *cile ſanabitur.* S. Bernardus in Cantica. *Omne quod remordet conſcienti-
am confitêre humiliter, purè, fideliter.*

IV. Conditio eſt, ut inſtituatur cum dolore & mœrore ani-
Luc.18 13. mi, exemplo Publicani, qui ob dolorem animi percutiebat pectus ſu-
Tert. um. Unde Tertullianus de Pœnitentia. *Exomologeſis,* inquit, *mandat
animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit triſti tractatione mutare, inge-
miſcere, lachrymari, & mugire dies noctesq; ad Dominum Deum tuum.* S. Cy-
Cyp. de lapſis. prianus. *Confiteantur ſinguli quæſo vos fratres dilectiſſimi delictum ſuum
dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt. Conuer-
tamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis ueris doloribus ex-*
A ep.3.lib 1. *primentes Dei miſericordiam deprecemur.* S. Ambroſius ad Simplicianum.
Matth.27.4. *Iudas ad remedium peruenire non potuit, cum diceret. Peccaui, quod tradide-
rim ſanguinem iuſtum. Indignus enim remedio fuit, quia non intimo mentis
conuerſus ingemuit, nec ſedulo geſſit pœnitentiam. Tantæ enim pietatis eſt Do-
minus Ieſus, ut & ipſi donaret ueniam, ſi Chriſti expectaſſet miſericordiam.*
G.c.15. S. Gregorius octauo moralium. *Sciendum eſt, quia ſæpe & reprobi peccata
confitentur.*

confitentur, sed deflere contemnunt. Electi autem culpas suas, quas uocibus confessionis aperiunt districtæ animaduersionis fletibus insequuntur.

V. CONDITIO est, ut sit fidelis, idq́; trifariam. 1. ut sit aliena ab omni mendacio, & certa ut certa, & dubia ut dubia enunciet. Unde Ecclesiasticus. *Pro anima tua ne confundaris dicere uerum.* 2. ut sit aliena ab omni dolo. Unde S. Ambrosius loco cit. *Hanc culpam,* nempe si confessio fiat sine dolore, *sacerdotes non auferunt, neq́; peccatum eius qui in dolo se offert, & adhuc in studio delinquendi est: non est enim acceptum nisi quod fuerit in diuitijs sinceritatis & veritatis probatum.* 3. ut non diffidat de indulgentia. Unde S. Bernardus in Cant. *Sit fidelis confessio, ut confitearis in spe, de indulgentia penitus non diffidens, ne tuo te ore non tam iustifices, quam condemnes. Iudas certè proditor Domini, & Cain fratricida confessi sunt & diffisi sunt. Alter, peccaui, inquit, tradens sanguinem iustum. Alter, maior est iniquitas mea, quàm ut veniam merear, & verax licet, nil profuit eis infidelis confessio.*

Eccli. 4. 24.
A. ep. 4.
B. serm. 16.
Matt. 27. 4.
Gen. 4. 13.

VI. Est, ut sit verecunda. *Proprium enim est hominum* ait Basil. *prudentium ob ea quæ peccando admiserint præsumpta quapiam cogitatione aut surreptione inimici non se efferre sed pudore aspergi potius & erubescere, & veluti stimulis conscientiam pertundere, seq́; gerere submissius.* Et Ambrosius epistola allegata. *Pigra & verecunda est pœnitentia, quia premitur & reuocatur præsentium pudore. Solis enim intendit futuris, quorum spes tota, tardior fructus, & ideò petitio ipsa tardior.* Et libro altero de Cain & Abel. *Erubescere debemus & condemnare peccatum, non defendere: quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur Et silendo corrigimur, contentione prolabimur. Sit saltem verecundia, ubi non est absolutio. Inde ab ipso Domino dictum legimus. Dic iniquitates tuas, ut iustificeris. Quanta pudoris gratia, ut iustitiam teneat verecundia, quam culpa reatus abstulerit.* August. de vera & falsa pœnitentia. *Qui per vos peccastis,* ait, *per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis: ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto. In hoc enim quod per seipsum dicit sacerdoti & erubescentiam vincit, timore offensi fit venia criminis.*

B. in psal. 37.
A. ep 4.
Id. c. 7.
Isa. 43. 26.
A. c. 10.

Verum, quia teste Sapiente, duplex est, verecundia, vel confusio. *Est enim confusio,* inquit, *adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam,* necesse est hoc loco aliquid annotare de priore verecundia uel confusione adducente peccatum, hoc est, ob quam quidam à confessione peccatorum suorum deterrentur, quam cum Sapiente omnes S. Patres detestantur.

Eccli. 4. 24.
Vide Panar. V. pudor noxius.

Verecundiam uel pudorem confitendi peccata esse noxium.

Sapiens in Ecclesiastico diserte ait *Non confundaris confiteri peccata* Eccli. 4. 26.

tua. Tertullian. *Plerosq; hoc opus, vt publicationem sui, aut suffugere, aut de die*
Ter. de pœni. *in diem differre præsumo, pudoris magis memores quam salutis: velut illi, qui in*
partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medenti-
um vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori
Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari. Næ tu verecundia bonus
ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò subducens. Ego
B. orat. *rubori locũ non facio, cum plus de detrimento eius acquiro.* Nazianzenus in
S. baptisma. *Ne peccatum confiteri graueris, sciens quo pacto Ioannes baptiza-*
uerit, vt per huius vitæ pudorem futuri sæculi pudorem, ignominiamq; fugias:
nam hoc quoq; sempiterni illius supplicij pars est, ac perspicuũ facias te serio atq;
ex animo peccatum odisse, dum illud tanquam contumelia dignum traducis ac
Pacian. *velut ludibrio exponis de eoq; triumphum agis.* Pacianus de parænesi ad
pœnitentiam. *Meminimus quosdam, verecunda etiam membrorum non eru-*
bescentes in ferro & cauterio & grauissima illa pulueris mordacitate durasse,
& quantum est illud, quod homines præstiterunt? peccator timebit? peccator eru-
bescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari? & offerenti manus Domino
vulnera malè tecta subducet? & habet aliquid, quod in illo erubescat, qui Do-
Ambro. cap. 4. *minum læsit?* Ambrosius in apologia Dauid. *Peccauit Dauid quod solent*
Reges, sed pœnitentiam gessit, fleuit ingemuit, quod non solent reges. Confessus
est culpam, obsecrauit indulgentiam. Quod erubescunt facere priuati, rex non
erubuit confiteri. Hieronymus in Ecclesiasten. *Si erubescat ægrotus vulnus*
Hier. in cap. 10. Aug. lib. 2. cap. 5. *medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.* Augustinus de visitatio-
ne infirmorum. *Heu cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubu-*
isti? Melius est coram vno aliquãtulum ruboris tolerare, quam in die iudicij co-
ram tot millibus hominum graui repulsa denotatum tabescere. Et in sermoni-
Aug. ser 66. bus de Tempore. *Qui peccata sua occultat & erubescit salubriter confiteri*
Deum quem iudicem habebit, habebit & vltorem. Quomodo potest medicus sa-
Ber. in senten. *nare vulnus, quod ægrotus ostendere erubescit?* S. Bernard *Dicatur illi, quem*
pudor afficit. Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem non pudet facere? aut
cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi? Quod si forte pudor
est tibi vni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es
in die iudicij, vbi omnibus exposita tua conscientia patebit? Hæc itaq; tria pro-
ponenda sunt contra pudorem, si consideratio rationis, reuerentia intuentis Dei,
comparatio maioris confusionis. S. Ioannes Climacus gradu 4. exemplo
insigni cuiusdam latronis conuersi declarat, quemadmodum confu-
sione temporali confessionis hic factę tollatur æterna. *Cum enim ille di-*
uinitus motus postulasset admitti in monasterium, Pater vel pastor eiusdem pri-
mo ab eo exegit, vt lapsus suos confiteretur sibi priuatim. Fecit libenter. Deinde
vt & publicè coram fratribus omnibus numero triginta supra ducentos tẽpore

sacri

ſacri Miſſæ. Aſſenſit, & cūcta quæ geſſerat ſingulatim & per ſpecies licet valde horrēda, vt veneficia & homicidia, & alia quæ ſcriptura tradere fas nō eſt, patefecit. Quo facto tonſus & in monachorum numerum aggregatus eſt. Ego verò cum Patrem rogaſſem cur tam peregrinam iudicij formam exhibuiſſet, ille reſpondit, duarum rerum gratia. Primum quidem, vt confitentem per præſentem temporalemq́ confuſionem, æterna confuſione liberarem, quod & factum eſt. Neque enim ex pauimento ſurrexit, ô Ioannes, quin peccatorum omnium remiſſione potitus eſt Nam vnus ex fratribus, mihi procerum quendam ac terribilem ſe vidiſſe aſſeuerauit conſcriptam chartam & calamum tenentem, & cum frater ille humi proſtratus peccatum confitens pronunciaret, hoc ille calamo delebat. Secundo, quia habeo nonnullos qui peccata quidem nondum confeſſi ſunt, quos ad confeſſionem hoc exemplo prouoco, qua ſine nullus remiſſione potietur. Hæc ille cuius exempli occaſione plura huc eiuſdem generis, quæ pro confeſſione ſacramentali eiuſque conditionibus faciant, ſubiiciemus.

Capvt V.

De exemplis eorum, qui aut ob neglectam aut perperam inſtitutam confeßionem in ſalutis diſcrimen venere.

Beda libro quinto hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anglicanæ. Fuit, inquit temporibus Coenredi Regis vir in laico habitu atque officio militari poſitus, ſed quantum pro induſtria exteriori regi placens, tantum pro interna ſuimet negligentia diſplicens. Admonebat ergo illum ſedulo vt confiteretur & emendaret ſcelera ſua priuſquam ſubito mortis interuentu tempus omne pœnitendi perderet. Verum ille ſpernebat verba ſalutis, ſeſeque tempore ſequenti pœnitentiam acturum eſſe promittebat. Inter hæc tactus infirmitate decidit in lectū, atq; acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingreſſus Rex (diligebat enim eum) multum hortabatur, vt vel tunc antequam moreretur pœnitentiam ageret commiſſorum. At ille reſpōdebat ſe confiteri velle, cum ab omni infirmitate reſurgeret, ne forte exprobrarent ſibi ſodales, quod timore mortis faceret ea, quæ ſoſpes facere noluerat. Cumque morbo ingraueſcente denuo ad eum viſitandum rex intraret, clamauit ſtatim miſerabili voce. Quid vis modo? quid huc veniſti? Non enim mihi aliquid vtilitatis potes vltra conferre. At ille Noli, inquit, ita loqui, vide vt ſanum ſapias. Non, inquit, inſanio, ſed peſſimam mihi conſcientiam certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, Bed. cap. 14

 hoc

hoc est? Paulo ante intrauerunt domum hanc duo pulcherrimi iuuenes, & resederunt circa me, vnus ad caput, & vnus ad pedes; protulitque vnus libellum perpulchrum, sed valde modicum, ac mihi legẽdum dedit, in quo omnia quę vnquam bona feceram scripta reperi, & hæc erant nimium pauca, receperunt codicem, neq; aliquid mihi dicebant. Tunc subito superuenit exercitus malignorũ & horrẽdorum vultu spirituum, domumq; hanc exterius obsedit, & intus ex maxima parte residens impleuit. Tunc ille, qui & obscuritate tenebrosæ faciei & primatu sedis maior esse videbatur eorum, proferens codicem horrendæ visionis & magnitudinis enormis, & ponderis pœne importabilis iussit vni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferri. Quem cũ legissem, inueni omnia scelera, non solum quæ opere vel verbo, sed etiam quæ tenuissima cogitatione peccaui manifestissimè in eo tetris esse descripta literis. Dicebatq; ad illos, qui mihi assederant viros albatos, & præclaros. Quid hic sedetis scientes certissimè, quia noster est iste? Responderunt. Verum dicis, accipite & in cumulum damnationis vestræ ducite. Quo dicto statim disparuerunt. Surgentesq; duo nequissimi spiritus, habentes in manib. fercas percusserunt me, vnus in capite, & alius in pede Qui modo cũ magno tormento irrepũt mea viscera in interiora corporis mei, moxq; vt ad inuicem perueniẽt, moriar, & paratis ad rapiendum me dæmonibus in inferni claustra pertrahar. Sic loquebatur miser desperans, & non multo post defunctus pœnitentiam quam ad breue tempus cũ fructu veniæ facere supersedit in æternũ sine fructu pœnis subditus facit. Hanc historiam à venerabili antistite Pechtelmo didici. Simile exemplum habet S. ANTONINVS 2. parte summæ Theol tit. 9. c. 13. §. 5.

P. lib. 2. ep. 15. B. PETRVS Damiani Cardinalis in epist. ad Desiderium Abbatem. HVGO, inquit, *Abbas Cluniacensis, cũ ad suum me monasterium perduxisset, frater quidã senex in infirmorum domo, ingrauescente totius corporis tumore, languebat Hic porrò cũ Abbatis comperÿsset adesse præsentiam, lætus effectus, diuinã cœpit implorare clementiam. Domine, inquit, quem nullum latet occultũ, quæso si quid reatus in me est, quod non sim hucusq; confessus, tu mihi misericorditer in memoriam reuoca, quatenus Abbati meo dum præsens est purè confiear, atq; ab eo, qui ius hoc in me præ ceteris habet, iudicatus absoluar. Hoc dicto huiusmodi vox auribus eius insonuit Certe est, certe aliquid in te est, quod confessus adhuc non es. Cumq; ille vocem solam audiret sed à quo procederet non videret orando subiunxit. Exprime Domine manifestè quid hoc sit, vt confessus corrigam, quod erraui. Porrò vox eadem peccatũ quoddam sicut quærebat significanter expressit: quod ille à se cõmissum ilico recognouit, & Abbati festinanter ascito facta cõfessione purgauit, paucisq; post diebus in sancta pace defunctus est.*

Petrus

Petrus Cluniacensis Abbas, dictus Venerabilis lib. 2. de Miraculis ita scribit de monacho Cluniacensi Rodaliensis cœnobij ex febri decumbente, quem inuiserat Pet. c. 3. Monui ęgrum pro officio, vt quamdiu compos sui erat, *conscientiã scrutaretur, peccata confiteretur. Acquieuit monitis libens, & semotis aliis me tantum corã eo residente confiteri deuotè aggressus est. Eundem Christiano more absolui, & die sequenti ad ipsum rediturus recessi. Facto mane, vt proposuerã redii, & ille totus mente ad me conuersus. Peccaui, ait, Domine, & valdè peccaui, quod hesterna confessione de industria quædã subtraxi. ea de causa ad iudicium hac nocte vocatus, mira & tremenda videre coactus sum. Astabat quodam in loco multitudo hominum tetri coloris horrendæ formæ, quorũ deformitatem vix visus humanus tolerare poterat. Allatæ sunt ab eis lances geminæ, in quarũ vna animã meam, in alia opera mea cernebã. Accusabãt me vndiq;, & quãdoq; vera, quandoq; falsa plurima more suo proferebant. Æstuabã cõstitutus in arcto, nec tot, vt videbatur, millibus hominũ innumera obiicientib. præ timore respondere poterã. Occurrit tandẽ formosus vir in medio astans, quid, inquiens, quæritis? Nõ est iste planè, nõ est iste de vestris. Eripuit eũ quam hesterno die Abbati suo fecit confessio. Non sic est, non sic est, inquiunt dæmones. Tacuit pro certo quædã, quorũ sibi ipse conscius est. Cum igitur ille defensor meus veritatẽ negare nõ posset, nec tamẽ me deserere vellet, consumpsi in immẽsa formidine totã hanc noctẽ. Qua trãsacta ad me redii: nũc quia video hac visione multã mihi à Deo impẽsam misericordiã, vt fateri me velit, quod tacere decreueram, detegam Deo cũcta ex integro, tibiq; Pater. Expleta ergo ab eo veraci & deuota confessione absolui pro officio fratrem, sacroq; oleo inunctum, & sacro Christi corpore refectum fratrum precibus commendaui, qui & paucis interiectis diebus in Domino obdormiuit. Plura habes lib. 1. c. 3. 4. 5. & 6.* Auctor vitæ S. Bernard. eiusdem A. c. 9. lat. ęqualis, li. 1. tale exemplũ narrat. Cũ Bernardus, aliquantos iã in Claraualle explesset annos, cõtigit virum nobilem, & ipsius quoq; secundũ carnẽ propinquum, Iosbertũ de Firmitate, quod est oppidũ proximũ monasterio grauiter infirmari, qui subito pręoccupatus amisit intellectũ, pariter & loquelã, vnde & filius eius Iosbert. iunior, & oẽs simul amici eò magis affligebãtur dolore, quod sine cõfessione & viatico vir magnificus & magnificè honoratus obiret. Cucurrit nuncius ad Abbatẽ: neq; enim tunc in monasterio erat. Venit & inuenit eũ iam triduo sic iacentẽ. Cõpassus aũt homini, sed & motus lacrymis filii eius, simul & lugẽtiũ cæterorũ, cõfisus est de misericordia Dei & sermonẽ magnificum protulit dicens eis. Notũ vobis est quod in plurib. homo iste grauauit Ecclesias, oppressit pauperes, offẽdit Deũ; si mihi creditis, vt Ecclesiis restituãtur ablata, & vsurpatę in grauamẽ pauperũ cõsuetudines dimittãtur, loquetur adhuc, & suorũ cõfessionẽ faciet delictorũ, diuina quoq; suscipiet sacramẽta deuotus. Mirãtur oẽs, lætatur filius, familia omnis

exultat.

exultat: quicquid præcipit homo Dei, firmiter ei promittitur & impletur. Ceterum frater eius Gerhardus & Galdricus auunculus, non parum territi & turbati secretius eum super tali promissione conueniunt. durius arguunt, acrius inuehũtur: quibus breuiter, simpliciterque respondens. Facile, inquit, facere potest Deus, quod difficile credere vos potestis. Itaque post secretam orationem ad oblationem sacrificii immortalis accedit: quo offerente nuncius superuenit, qui indicaret præfatum Iosbertum liberè iam loquentem rogare obnixius, vt vir Dei festinaret ad eum. Cui etiam post oblatum sacrificium venienti cum lacrymis & gemitu peccata confessus diuina sacramenta suscepit. Hæc ille. ex quo miraculo & confessionis necessitatem & vim diuini sacrificii simul intelligimus.

S. Bonauentura in vita S. Francisci post caput 15. de miraculis. In castro, inquit, montes Marani prope Beneuentum mulier quædam S. Francisco peculiari deuotione cohærens viam vniuersæ carnis intrauit. Conuenientibus autem clericis nocte ad exequias & vigilias cum psalteriis decantandas subito cunctis cernentibus erexit se mulier super lectum suum & vnum de astantibus sacerdotem, patrinum videlicet suum aduocauit dicẽs. Volo cõfiteri Pater. Ego.n. mortua duro eram carceri mancipanda, quoniam peccatum, quod tibi pandam necdum confessa fueram. Sed orante, inquit, pro me sancto Francisco cui dum viuerem deuota mente seruiui, redire nunc ad corpus indultum est mihi, vt illo reuelato peccato sempiternã promerear vitam. Et ecce vobis videntibus, postquam illud detexero ad promissam requiem properabo. Trementer ergo sacerdoti trementi confessa post absolutionem receptam, quiete se in lecto collegit, & in Domino feliciter obdormiuit. Ibidem habes aliud de fonte ad preces S. Francisci exorto. Similia reperies in Thoma Cantipratensi eiusdem æui scriptore in libro 2. de Apibus cap. 19. & Cæsario 7. dialog. cap. 59. & Antonio Bonfinio libro 3. rerum Hungaricarum decade 3. qui huius sæculi scriptor refert anno Domini 1415. post pugnam à nostris contra Turcas & Valachos in Hungaria commissam, in campo vbi magnus restabat cæsorum corporum cumulus forte à viatoribus auditas voces IESV & MARIÆ, cumq; propius se admouissent cumulo caput loquax ita locutum. Quid hic astatis stupentes? Christianus sum, & Dei matri addictus: sine cõfessione facta occubui ante biẽnium. MARIA Dei mater cui in vita deuotus extitit, linguam hactenus mihi seruauit quo confiteri possem; Quare rogo vocate sacerdotem. Vocarunt, confessus est, & absolutione percepta ilico conticuit. Plura pro confessione

sacramentali exempla habes in epistolis Indicis & Iaponicis. quæ breuitatis causa prætermitto.

VIDE. V. Pœnitentia. Satisfactio. Et in PANARIO. V. Peccatum. & Recidiua Peccatorum.

CONSCIENTIA BONA.

CAPVT I.

Quid sit conscientia.

CОnscientiæ nomine Theologi in Scholis ferè intelligunt iudicium vel dictamen rationis practicum, quo perspicuè homo discernit, quid rectè vel perperam in quaq; re fiat, quidue amplectendum sit vel fugiendum. Quod iudicium Deus omnibus hominibus ita Isa 66.24.
cum natura humana indidit, ut quamdiu ratio in illis viget, nec in hac vita, nec in altera eo destituantur. Vnde S. HIERONYMUS libro 18. commentar. in Isaiam exponens verba illa. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Vermis, inquit, ille & ignis à plerisq; conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in supplicijs constitutos.* Et B. AMBROSIUS libro 7. in Lucam. *Vermis est, eo quod irrationa-* A.c.14.
bilia animæ peccata mentem rei sensumq; compungant, & quædam exedant viscera conscientiæ: quæ tanquam vermes ex unoquoq; nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris. DEINDE idem DEUS hoc iudicium in illis non simplex & vulgare, sed integrum, perfectum, & incorruptum esse voluit, ut nullus excusationi relinqueretur locus, uti præclare docet JOAN. CHRYSOST. in epistolam posteriorem D. Pauli ad Timo- Chr.hom.5.
theũ. *Quamlibet,* inquiens, *quis ad ipsa vitiorum profunda corruerit, animi iudicium nunquam corrumpitur, atq; inviolabile perstat: nullusq; est, qui dum malum operatur, bonum id esse putet. sed occasiones fingit, & omnia facit: cæterum ille, etsi verbis crimen fortassis diluat, conscientiam tamen ipse suam effugere nequaquam poterit. Nam hîc quidem & oratio arguta & callida, & inconstantia Principum, & assentatorum greges ius forte obnubere queant: intra conscientiam verò nihil horum admitti potest. Non adulatores adsunt, non pecuniæ, quæ iudicia corrumpunt. insitum quippe est nobis à Deo naturale iudicium. Id verò, cum à Deo collatum sit, nihil eiusmodi patitur; sed ipsi quoq; somni inquieti & tetræ rerum imagines, & iugiter animum cædens mali memoria quietem intercipit nostram.* Hinc verò liquidò apparet hominem ad imaginem & similitudinem Dei vere conditum esse. Certè

Theop.lib.1. B. Theophilus Antiochenus contra Christianæ religionis calumniatores scribens affirmat Philosophos quosdam conscientiam in numero Deorum habuisse.

CAPUT II.

Quibus de causis perfectum & integrum Judicium à conscientia perficiatur.

QVOD autem perfectum & integrum iudicium à Conscientia instituatur, cognosci potest ex collatione facta cum perfectis huiusmundi iudicijs. Nam in Rebuspublicis bene institutis hoc perfectiora fiunt iudicia, quo plures idoneæ personæ ad iustitiam administrandam necessariæ in ea inueniuntur, vt Jureconsulti & Doctores, Morumcensores, Scribæ & notarij, accusatores, testes, aduocati & defensores, Judices, tortores, & carnifices. Quarum omnium vicem supplet una conscientia in quouis homine tanquam in μικρωκόσμῳ vel parua quadam ciuitate. Primo enim Doctor, magister, censor, pœdagogus noster est Conscientia iuxta illud S. Joan. Chrysost. in Genes. C. Hom. 54. *Nullus prætexat, quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem viæ ducem & demonstratorem. Sufficientem enim magistrum habemus conscientiam. Et fieri non potest, ut quis illo adiumento priuetur. Nam simul cum formatione hominis implantata est scientia faciendorum & non faciendorum.* Et illud Epicteti Philosophi dictum apud Melissam (Ant Meliss. lib. 2. serm. 82.) *Pœdagogo pueros nos tradiderunt parentes, qui vbiq; obseruarent, nen quid læderemur: Deus autem iam viros insitæ consciētiæ custodiendos tradit. Quæ quidem custodia & consecratio nequaquam contemnenda est: quoniam & Deo displiceret, & conscientiæ ipsi nostræ hostes essemus.*

II Est Scriba, immò & Codex, in quo omnia bene perperamue acta scribuntur in die iudicij patefacienda. Unde Psaltes regius. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quod enim est illud lumen nisi conscientiæ, quo discernimus bona à malis? Et Apostolus ad Romanos. *Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Habeto codicem,* inquit Chrysostomus in psalm. 50. *conscientiā tuam, & scribe quotidiana peccata, quando accubueris super stratum, & neminem infestum pateris.* (Psal. 4. 7. Rom. 2. 15. Chry. hom. 2.)

III. Accusatoris quoq; personam sustinet. *Si cor nostrum,* ait B. Joannes in priori epistola, *non reprehenderit nos, habemus fiduciam apud Deum.* Et Paulus ad Galatas *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur.* S. Ephræm in serm. parænetico. Attende tibi ipsi. *Si concupiscentia vincat te in aliqua re, semper co-* (1. Ioa. 3. 21. Gal. 5. 17. Ephr. 10. 2.)

per coarguet conscientia. Augustinus contra secundinum Manichæum. Aug.c.2.
Senti de Augustino quod libet, sola me conscientia in oculis Dei non accuset.

IV. Fungitur & vice aduocati, & testis, vt diserte Apostolus tradit in epistola ad Romanos, cum ait in die judicij gentes testimonio cõscientiæ, uel defendendos uel condemnandos, quod legem diuinam cordibus eorum inscriptam non seruarint. *testimonium,* inquiens *reddente conscientia ipsorum & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium in die cum iudicabit Deus occulta hominum.* Vnde S. Ambrosius in psalmum 118. scribit *suum cuiq; conscientiæ testimonium etiam verendum in tenebris.* Et in apologia Dauid. *Sapiens omnia aduersa habet, qui ipse sibi displicet ipse sui accusator, ipse sui testis est, nec inuenit, quo fugiat, quippe se perurget & stimulat. Sed hoc bonæ mentis est, vulnus sentire peccati.* Et Seneca ad Lucilium. *Quid opus est se recondere. Bona conscientia turbam aduocat, mala etiam in solitudine anxia est. O te miserum, si contemnis hunc testem.* Adde in huius mundi iudicijs, duos uel plures testes esse necessarios ad iustam criminis probationem, at hic testis tantæ auctoritatis est, vt solum eius testimonium sit pro mille, iuxta vulgatum prouerbium *Conscientia mille testes.*

Rom.2.15. Amb.ferm.7. Et apol.c.9. S.ep.43. Quintil. lib.4. in stit.orat.

V. Apud illam summum iudicium est, summum tribunal. Greg. Nazianzenus in plagam grandinis. *Cõsciẽtia domesticum,* inquit, *& verum tribunal est.* Et Ambrosius primo de Officijs. *Non secundum forensem abundantiam æstimanda est beatitudo singulorum, sed secundum interiorem conscientiam, quæ innocentium & flagitiosorum merita discernit, vera atq; incorrupta pœnarum præmiorumq́; arbitra.* Et in sermone de Joanne baptista. *Quamuis malum factum si in verba producatur, excusationem fortasse recipit, nisi conscientia reuocetur, non potest excusari. Conscientia enim reatum suum semper tacita sine contradictione conuincit & iudicat.* S. Greg. libro 27. moral. *Humana,* inquit, *iudicia potest subterfugere malè agens sed non iudicium conscientiæ.* In eandem sententiam Seneca libro 6 de beneficijs *Male agit, qui famæ, non conscientiæ gratus est. Duos istius rei iudices habes, te, quem non potes fallere: & illum quem potes.*

Greg post princ. Amb.c.12. Id.ferm.64. c.17. Sen.c.42.

Deniq; conscientia post peccatum admissum est sui vindex, tortor & carnifex, ut sequenti capite ostendetur.

CAPVT III.

Conscientiæ prauæ grauissimam esse crucem & carnificinam.

QVam grauiter autẽ post cõmissum lapsum Conscientia seipsam torqueat & excruciet, & docet quotidiana experientia, & diui-

næ Scripturæ, Sanctiq; Patres explicarunt. Quod ad Scripturas attinet, apud B. Iob Eliphaz Themanites ita de impio loquitur. *Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndiq; gladium.* Et Salomon. *Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absq; terrore erit.* Et Sapiens. *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.* Ex S. Patribus ita scribit Cyrillus Alexandrinus libro 11. commentar. in Ioannem. *Magna quædam res conscientiæ certè stimulus est, qui quando perperam aliquid agimus etiam nullo præsente ingenti nos metu exagitat.* Et Ambrosius. *Peccator, quamuis foris abundet, & delitijs diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit. Vita facinorosi vt somnium. Aperuit oculos, transiuit requies eius, evanuit delectatio: licet ipsa quæ videtur etiam dum viuunt impiorum requies in inferno sit. Viuentes enim in inferna descendunt. Vides conuiuium peccatoris? interroga conscientiam eius: nonne grauius fœtet omnibus sepulcris? Intueris lætitiam eius, opum abundantiam, introspice vlcera & vibices animæ eius, cordisq; mæstitudinem.* Idem alibi. *Nihil est, quod tam summo dolori sit, quam si vnusquisq; positus sub captiuitate peccati recordetur, vnde lapsus sit. Ita grauis culpa est conscientiæ, vt sine iudice ipsa se puniat, & velare se cupiat, & tamen apud Deum nuda sit.*

Iob.15.21.
Prov.28.1.
Sap.17.10.
Cyr.c.32.
A.l.1.offic.c.12.
Id.l.2. de pœnit. c.11.

Chrysostomvs concione prima de Lazaro. *Explica mihi istius* (divitis impij) *conscientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, iugem metum, tempestatem, turbationem: videbis velut in curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem, & tanquam iudicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in eculeo suspendentem, lateraq; conscientiæ radentem vngulis pro commissis, vehementer inclamantem, cum nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre nouerit. Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit diues etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus seipsum accusare, & voluptas quidem temporaria est, dolor verò perpetuus, timor vndiq; ac tremor, suspicio & anxietas, angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, inscios, illam ipsam quam corrupit, & virum, quem affecit contumelia, obambulat, amarum accusatorem circumferens conscientiam, cum sit suo ipsius iudicio damnatus, nec vel ad breue tempus possit respirare. Idem patiuntur, & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt: hoc & ebriosi, in summa quotquot in peccatis viuunt.* Eadem habet in concione 4. & addit etiamsi peccator post admissum semel peccatum hanc crucem, nisi pœnitentiam egerit, in conscientia sentiat, non tamen continenter sentire, quia esset plane intolerabilis. *Vide autem,* inquit, *Dei sapientiam. Non fecit*

Chryſ.

fecit perpetuam conscientiæ accusationem, neque enim hoc onus perferre poteramus si iugiter accusasset, neque rursus adeò leuem & imbecillẽ, vt post vnam aut alteram admonitionem desperet. Etenim si singulis diebus fuisset nos stimulatura, an non despondentes animum enecaremur? Rursus si post vnam atq; alteram increpationem desisteret, haud multum fructus nobis adferret: eoq; fecit obiurgationem frequentem, at non perpetuam: frequentem quidem, ne in socordiam incideremus, sed vt subinde relaxationis solatiiq; copia accepta respiraremus: non perpetuam verò, propterea quod est admodum seuera & quouis stimulo acrius pungere consueuit peccatorem. Non enim tunc solum, cum ipsi peccamus, verumetiam cum alii committunt eadem vehementer insurgit, magnaq; contentione nobis occlamat. Nam scortator, adulter, fur, non modo cum accusatur ipse, verum etiam cum addit alios eadem ausos accusari, ipse sibi videtur flagris cædi. S. AVGVSTINVS in psalmum 45. *Inter omnes*, inquit, *tribulationes humanæ animæ, nulla est maior tribulatio, quam conscientia delictorum. Namq; si ibi vulnus non sit, sanumq; sit intus hominis, quod conscientia vocatur, vbicunq; alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inueniet Deum. Si autem ibi requies non est propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non est, quid facturus est homo? Quo confugiet, cum cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad ciuitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum, & sequitur tribulatio. A cubiculo iam quo fugiat non habet, nisi interius ad cubile suum. Porrò si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flãma sceleris, non illuc potest confugere. Pellitur enim inde, & cum inde pellitur, à seipso pellitur. Et ecce hostem suum inuenit, quo confugerat, seipsum quo fugiturus est? Quocunq; fugerit se, talem trahit post se, & quocunq; talem traxerit se, cruciat se. Sed à seipso sunt tribulationes, quæ inueniunt hominem nimis: acerbiores enim non sunt: tanto sunt acerbiores, quanto sunt interiores.* Ethnici denique SENECÆ sententiæ hæ sunt ad Lucilium, *Bona conscientia prodere vult & conspici. Ipsas nequitia tenebras timet. Prima & maxima peccantium est pœna peccasse. Nec vllum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Proprium est nocentium trepidare.* Sequuntur Exempla.

August. Sen. ep. 97

EXEMPLA.

S. AMBROSIVS in Apologia Dauid tria refert exempla huius crucis conscientiæ his verbis. *Magna vis obnoxiæ conscientiæ. Magna supplicia timebant Adam & Eua: & cum Domini vocem ambulantis in paradiso audirent, cupiebant se abscondere, quos nemo quærebat. Cain quoq; metuebat, ne omnis eum quicunque inueniret, occideret. Ita in se ipse ferebat sententiam, quod dignus esset, cui nullus ignosceret. Vnde bene ait Dauid, Et delictũ meum*

Amb. c. 9. Gen. 3. 8. Gen. 4. 14. Psal. 50. 5.

contra me est semper. hoc est, sine interuallo aliquo recordatio & species ipsa mei me erroris impugnant. Considera, quomodo nos confundat, cum aliquid deliquimus, quomodo incurset oculos, quomodo in memoriam semper incurrat.

Hom.7.
3 Reg. 21.
S. CHRYSOSTOM in psalmum 7. profert exemplum regis Achab. *Quid Achab*, ait, *sceleratius? sed tamen cum ille vineam concupiisset, considera quantum dolorem senserit. Nam cum rex esset, & omnia dominatu teneret, nec vllus esset, qui ei contradiceret, quoniam conscientiæ non ferebat sententiam, ingressus est tristis, humi procumbens confusus vel ipso aspectu præ se ferens conscientiæ condemnationem, prædicans in vultu probationem, nec valens tegere, quam animo conceperat tristitiam. Ita ergo fuit vel ab vxore deprehensus. Proditor quidem certe, qui in tantum scelus impegerat, cum non posset ferre iudicij conscientiæ dolorem adaptato sibi laqueo vitam finiit.*

A conc. 2. p. 2.
S. AVGVSTINVS psalmum 36. enarrans aliud profert sui æui exemplum. *Quisquis*, inquit *malus est, male secum est, torqueatur necesse est, sibi ipsi tormentum est. ipse enim est pœna sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quo potuerit: à se quo fugiet? Ita quidam ex parte Donati venerat ad nos, accusatus & excõmunicatus à suis, hic quærens, quod ibi perdiderat. Quærebat autem vanam elationem & falsum honorem, & quia non inuenit, quod ibi perdidit, & ipse periit. Gemebat saucius, & non consolabatur: erant enim in conscientia eius aculei horribiles taciti. Tentauimus eum consolari de verbo Dei, sed ille non erat de sapientibus formicis, quæ sibi æstate collegerunt, vnde hieme viuerent &c. Agitabatur mens eius violenter, & tamdiu occultè, donec et erumperet in quosdã gemitus, ita vt inter fratres & sonaret se audiri nesciret. Videbamus & dolebamus vehementer, Deus scit, tantam pœnam animæ, tantas gehennas, tanta tormenta. Qui pluribus apparuit impatiens loci huius, si appareret humilis, posset ei locus esse salubris: talis apparuit, vt etiã proiiceretur. Neque hinc desperare debemus fratres de aliis. Vsque adeo enim de cæteris desperandum non est, vt nec de isto desperem, quamdiu viuit. De nullo enim viuente desperandum est.* ADDAM bina Ethnicorum.

Sen. ep. 83.
ALEXANDER Macedo cum Clytum carissimum sibi ac fidelissimum, teste SENECA & aliis inter epulas temulentus transfodisset, intellecto facinore conscientia sceleris furens sibi mortem inferre voluit, nisi à circumstantibus prohibitus fuisset.

Dio in Ner.
NERO Cæsar auctore Dione, matre trucidata, aiebat se specie materna exagitari, verberibus furiarum, telisq; ardentibus, nulloq; loco tutum posse consistere.

* * *

CAPVT

CAPVT IV.

Nihil esse iucundius bona & innoxia conscientia.

QVOD bona innoxiaq; conscientia nihil sit iucundius & beatius in
hac vita luculenter testatur Spiritus sanctus in diuinis literis. Sa- Prou.15.15.
lomonis enim prouerbium est. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Vt e-
nim qui in conuiuio sunt, tum varietate bonitateq; ciborum, tum pre-
sentia amicorum admodum exhilarantur: sic iusti testimonio bonæ
conscientiæ, & diuinæ præsentiæ odore, à qua tam nobile salutis pi-
gnus in anima acceperunt, vehementer delectãtur. Hoc verò discre-
pat vtrumq; gaudium, quod illud sit terrenũ & fluxum, hoc verò cœ-
leste & perpetuum: illud incipit cum fame, & desinit cum fastidio, sę-
pe etiam cum mœrore & morbis, hoc verò incipit cum gaudio, & cũ
gaudio, eoq; sempiterno, terminatur. Ecclesiastici quoq; hæc dicta
sunt. *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Et. *Non est oble-* Eccli 13.30.
ctamentum super cordis gaudium Et Apostoli. *Gloria nostra hæc est testimoni-* Eccli.30.17.
um conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & synceritate Dei conuersati 2.Cor.1.12.
sumus in hoc mundo. Idem testantur S. PATRES. S. Martialis, epis. ad To-
losates. *Nihil illis metuendum, quibus bona est conscientia.* Hieron. de vitã- H.ep.47.
do suspecto contubernio *Bona conscientia*, inquit, *nullius oculos fugit.* Io- Chr.hom.54.
an Chrysost. in Matth. *Nihil aliud iucundum est, quàm conscientia proba,*
& spes futurorum certior. Quod si vultis infirmiter credere, iam moriturum
hominem & senio confectum cũ in memoriam ei primum reduxerimus magni-
ficæ mensæ, insignis gloriæ, præcipuæ laudis, & rerum gestarum, quas ex officio
virtutis operatus est, tunc demum interrogemus, quib. maximè gaudet, & vi-
debimus non mediocri pudore ipsum propter illa commoueri: propter hæc autem
quæ rectè fecit tanta lætitia gestientem, vt salire & velare videatur. Sic & E- 4.Reg.20.3.
zechias cum ægrotaret non mensæ deliciarum plenæ recordabatur, non eximiæ
gloriæ, non regnorum, sed iustitiæ ac rectæ conscientiæ Memento enim, inquit,
qualiter ambulauerim in conspectu tuo in via recta. Paulum quoq; vide pro- 1.Tim.4.
pter hæc exultantem atq; dicentem. Bonum certamen certaui, cursum consum-
maui, fidem seruaui Augustinus in verba regis Dauidis. Ecce enim De- Aug in ps.53.
us adiuuat me. *Omnes*, inquit, *sancti adiuuantur à Deo, sed intus, vbi nemo*
videt. Quomodo enim magna est pœna impiorum conscientia, sic magnũ gaudi- 2.Cor.1.12.
um piorum ipsa conscientia. Nam gloria nostra hæc est, dixit Apostolus, testimo-
nium conscientiæ nostræ. Hodie in corde meo gaudium inuenio, quia sine
causa dicunt quidam. Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos
lumen vultus tui Domine, dedisti iucunditatem in cor meum Non in Psal.4.7.
vineam meam, non in gregem meum, non in cuppam meam, non in mensam
meam, sed in cor meum. Et ad fratres in eremo. *O fœlix conscientiæ* A.serm 20.

puritas

puritas, ô felix sanctæ conscientiæ iucunditas, quæ vermem interiorem excludis, quæ à carcere doloris liberas rationē, quæ ab omni immunditia purgas mentem. O mens sancta, ô paradisus deliciarum, variis bonorum operum virgultis consita variisq; virtutum floribus purpurata, & suauiter cælesti gratia irrigata. Hæc est, fratres mei, paradisus, in qua plantatur lignū vitæ, & cælestis sapientiæ; hæc est thalamus Dei, palatium Christi, habitaculum sancti spiritus. Hæc est thronus Salomonis, lectus sponsi cælestis, in quo ipsa conscientia bona optimè delectatur & requiescit cum sponso suo BERNARDVS in libris de Consideratione. *Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius est & securius bona conscientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ & ipsa morte magis erigitur, quam deprimitur.* ETHNICI quoque Scriptores cum Patribus conspirant. Nam M. TVLLIVS libro Tusculanarum quęstionum secundo. *Nullum*, ait, *theatrum virtuti conscientia maius.* Et in Catone. *Conscientia bene actæ vitæ, multorumq; benefactorum iucundissima est.* Et oratione pro Cluentio. *Si optimorum consiliorum atq; factorum testis in omni vita nobis conscientia fuerit, sine vllo metu summa cum honestate viuemus.* Et epist. ad A. Torquatum. *Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum.* HORATIVS in epistolis.

Cic. lib. 6. famil.

Hor. 1. ep.

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Et in Odis.

Integer vitæ, scelerisq; purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauidâ sagittis.
Fusce pharetra.
Siue per Syrtes iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem.
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

CAPVT V.

De bonæ conscientiæ indiciis, & mediis eam consequendi.

INDICIVM primum bonæ conscientiæ est, erubescere cum peccata nostra publicantur. Id tradit S. AMBROSIVS in enarratione psal-

psalmi 38. dum exponit verba illa *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis. Grauiora vulnera*, inquit, *sicut nouimus, caustico medicamento, vel admoto igne curantur. Ergo vir sapiens ipse medicus est sibi: & si medicus est, vulnus suum curat: adeoq; si non plenè consummatus est, ad offensæ habitudinem sanitatis, vaporatur eius cor, habet febrem, ignescit ad obiecta conuitia. Et si tacet, vel intra se teritur Lapis si ad lapidem teratur, ignẽ excutit: ita etiam bona conscientia pudore succenditur. si renouetur ei suorum recordatio delictorum & in ipsa meditatione exardescit ignis. Non malus ignis qui adurat, sed non exurat. Talis ignis quem Moses in rubo vidit, quando rubus vrebatur, sed non exurebatur. Est ergo ignis, qui peccatum minuit, & suo culpam ardore depascit.* ALTERVM indicium est, non subterfugere lucem, non latitare. *Bona conscientia enim*, vt supra dixit SENECA *prodire vult & conspici, turbam aduocat*. Est eiusdem AMBROSII, dum commemorat quemadmodum Abraham patriarcha, iussus sit à Deo egredi ex Haran in terram Chanaan. *Hoc est*, inquit, *exire de Charra, tanquã de cauernis quibusdam & cuniculis latibulisq; egredi. Latere enim criminosæ conscientiæ est. Et nos igitur sequentes Abraham exeamus de latibulis. Si enim filii Abrahæ sumus, opera Abrahæ faciamus, vt luceant opera nostra bona coram Deo, & coram hominibus. Iustus dicit opera sua regi, peccator seipsum occultat, sicut Adam se occultare cupiebat, sed latere non poterat.* TERTIVM indicium est spes & fiducia consequendæ veniæ, si sis peccator, & vitæ æternæ, si iustus. Hanc quia Cain & Iudas post admissum peccatum homicidii & proditionis non habuerunt, bonam conscientiam perdiderunt. Vnde B. AVGVSTINVS in enarratione psalmi 31. *Ipsa charitas bene operantis*, ait, *dat ei spem bonæ conscientiæ: spem enim gerit bona conscientia. Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. Et erunt tria hæc, de quibus dixit Apostolus. Fides, spes, charitas. Et alio loco ipsa tria, sed pro spe bonam conscientiam posuit. Finis enim præcepti est*, dixit. *Quid est finis præcepti? charitas de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta. Pro spe conscientiam posuit. ille enim sperat qui bonam conscientiam gerit. Quem verò pungit mala conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat nisi damnationem. Vt ergo speret regnum, habeat bonam conscientiã* QVARTVM indicium est, si cum recta ratione congruat, vel si semper sit bene ordinata, hoc est, vt mens semper subiecta sit diuinæ legi, atq; item inferior hominis portio subiecta sit menti. Vnde rectissimè scriptum est à B. HILARIO in libris de S. Trinitate. *inordinata est omnis voluntatũ susceptarum pertinacia, vbi non rationi voluntas subiicitur.* Quẽadmodum enim in hominum corporibus morbi ex humorũ intemperie, sic perturbatio in conscientia ex huius ordinis neglectu confestim nascitur. Ordo iste in primis parentibus integer mansit, quamdiu iustitiam ori-

Exo 3.2. Sen ep. 97. A. lib. 1 c. 2. Gen. 12. 1. Ioan. 8 39. Matt 5. 15. Gen. 3. 8. Gen. 4. 14. Matt. 27. 4. 1 Cor. 13. 12. 1. Tim. 1. 5. Hil. lib. 10.

ginalem retinuerunt; ea verò per peccatum amissa, ordinis integritas simul deperiit, non in ipsis modo, sed & posteris omnibus, ad quos noxam originalem hæreditario transmiserunt. Restituitur quidem ille ordo per antidotum baptismi, & sacramenti pœnitentię, sed, proh dolor, dum in pristina peccata relabimur, quotidie peruertitur.

CAPVT VI.

De mediis ad consequendam bonam conscientiam idoneis.

Eccli.21.2. PRIMVM medium, idq; efficacissimũ est, Fuga peccati lethalis. Vnde Sapiens. *Sicut à facie colubri fuge peccatum. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum.* Ratio est manifesta, quia nihil conscientiam malam facit, nisi peccatum, nihil eam excruciat, nisi recordatio peccati commissi. Quantam autem tyrannidem peccatum in conscientiam exerceat fuse exponit Chryso. ora. 4. de Lazaro. SECVNDVM medium est, Confessio peccati, si forte iam admissum est, quod tradit ibidem Chrysost. *Quapropter*, inquit, *adhortor primum, quod est optimum, ne vnquam omnino concipiamus in animo prauam aliquam cupiditatẽ. Quod si quando conceperimus, tamen fœtum intus præfocemus. Rursus si huc vsq; fuerimus negligentes iniquitatem in opus progressam mox occidamus per confessionem, per propriorum commissorum accusationem. Nihil enim tam exitiale peccato, quam peccati accusatio condemnatioq; cum pœnitudine lacrymisq; cõiuncta. Condemnasti tuum peccatum? deposuisti sarcinam. Quis hæc dicit. Ipse Iudex Deus. Dic tu peccata tua prior, vt iustificeris.* Et infra *Quia Deus in extremo iudicio exacturus est à nobis rationem delictorum, instituit in nobis hunc*
Isa.43.26. *iudicem incorruptibilẽ, (conscientiam) vt is hic de commissis nobis iudiciũ reddens, emendatioresq; faciens ex illo eripiat iudicio; quod & Paulus ait. Nam si nosmetipsos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur à Domino. Vt igitur neq; puni-*
1.Cor.11.31. *amur, neq; pœnas demus, in suam quisq; conscientiam ingrediatur, cunctisq; cõmissis diligenter excussis condemnet animam, quæ hæc patrauit, supplicium à seipso exigat pro peccatis, per diligenter actam pœnitentiam, per lacrymas, per confessionem, per ieiunium, per eleemosynam, per continentiam ac charitatem.* TERTIVM medium est Fides vera & Catholica, coniuncta operibus
1.Tim.1.19. bonis; Legimus enim in priore epistola ad Timotheum Hymenæum & Alexandrum, quia bonam conscientiam, hoc est, bonam vitam, vt exponunt Chrysost. Theodor. & Theophyl. repulerunt circa fidem naufragauisse. Hoc mediũ præscripsit S. Aug. loco supra allegato. *Ille,*
A.in psalm.13. inquiens, *bene sperat, qui bonam habet conscientiam. Vt ergo speret regnũ, habeat bonam conscientiam, & vt habeat bonam cõscientiam, credat & operetur:* quia

quia quod credit fidei eſt: quod operatur caritatis eſt. Illo ergo loco (in 1. ad Corinthios) à fide cœpit Apoſtolus. Fides, ſpes charitas. Alio loco (in prima ad Timotheum) ab ipſa charitate cœpit Finis præcepti caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Modo nos à medio cœpimus ab ipſa conſcientia & ſpe. Qui vult, inquam, habere bonam ſpem, habeat bonam conſcientiam Vt autem habeat bonam conſcientiam credat & operetur Quod credit fidei eſt, quod operatur charitatis eſt Vnde rex Ezechias proximus morti, vt prorogationem vitæ impetraret, ad bonitatem conſcientiæ piis operibus vitæ ante actæ teſtatam perfugium habuit, dicens *Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonũ eſt in oculis tuis fecerim.* In quæ verba S. Hieron. ita ſcribit. *Felix conſcientia, quæ afflictionis tempore, bonorum operum recordatur. Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et B. Bernard. in Cantic. *In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo. Bene in thalamo actio bona, quæ conſcientiam & quietam facit & tutam. Poſt bonum deniq; opus ſecurius in contemplatione dormitur, & tanto quis fiducialius ſublimia intueri, & inueſtigare aggreditur quanto ſibi conſcius eſt minimè ſe propriæ amore quietis charitatis operibus defuiſſe* Deniq; B. Paulus omnem gloriam arceſſit à teſtimonio conſcientiæ ſumpto ex operibus bonis dum ait. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo.* QVARTVM & poſtremum medium eſt, quotidianum examen conſcientiæ quo cubiculum conſcientiæ quaſi ab omnibus ſordibus purum & mundum ſeruatur, de cuius eximia vtilitate ſequenti capite ſigillatim diſſeremus.

1. Cor. 13. 13. 1. Tim. 1. 5. Iſa. 38. 3. H. lib. 11. com. B. ſerm. 47. 2. Cor. 1. 12.

DE CONSCIENTIÆ EXAMINE, EIVSQVE VTILITATIBVS.

CAPVT I.

Conſcientiæ examen diuinis literis eſſe conſentaneum.

NON paucæ ſunt Spiritus ſancti in diuinis literis ſententię, quibus pius examinandæ conſcientiæ vſus comprobari videtur. PRIMA ſit ex pſalmo 4. *Iraſcimini & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris & in cubilibus veſtris compungimini.* Quam in exhortatione ad Virgines ſic exponit S. AMBROSIVS. *Si quis prolapſus eſſet corde, quoniam ira neſcit tenere moderamen, ſuadet vt compungatur in cubilibus ſuis, & ſuũ vnuſquiſq; condemnet errorem. Voluit omnes homines ſuorum delictorum eſſe cenſores,*

Pſ. 4. 5.

res, vt & qui publico testimonio non tenetur, seipsum iudicem, qui in occulto lapsus est, erubescat, & aculeo quodam coerceat amaritudinis & pudoris. Et S. Chrysost. in huius psalmi commentario. *Quid est quod dictum est. Quæ dicitis in cordibus vestris, &c. Videtur enim esse obscurum. Post cœnam, inquit, quando itis dormitum, & nullo præsente multa quies & silentium, excita iudicium tuæ conscientiæ, ab ipso rationem exige, & quæ interdiu mala cœpisti consilia, vel dolos construens, vel propinquum circumueniens, vel praua desideria suscipiens, ea cum illius quietis tempore in medium adduxeris, & improbis illis cogitationibus conscientiam iudicem dederis eas fodica, & dilania, & de eis pœnam sume, occide cogitationem, quæ peccauit. id enim sibi vult illud. Compungite, pro eo, quod est, pungite, stimulate, quæ in cordibus vestris dixistis interdiu: hoc est mala quæ cogitastis consilia ea in cordibus vestris in tempore illius quietis punite, in ea animaduertite, quando nec amicus interturbat, nec famulus irritat, nec turba negotiorum vrget. Et cur non dixit, verborum & factorum sed malarum cogitationum? hoc docens ex abundantia. Si enim mala sunt castiganda consilia, vt non in opus exeant, multo magis pro factis & dictis oportet angi animo. Hoc fiat singulis diebus, nec prius dormieris, ô homo quam mente versaueris, quæ à te interdiu perperam acta sunt.* Eandem sententiam pro examine citat in sermone de pœnitentia & confessione. Et hom. 2. in psal. 50. & 43. in Matth.

Chrysostom. Altera sententia est in psalmo 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* In eam enim sic commentatur loco iam citato aureum os. *Vidisti regem exomologesin facientem, & dicentem. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum contra me est semper? O ingenuitas animæ, ô mentis integritas. Non est oblitus peccati sui, quamuis indultum sibi fuerit, ille tamen in conscientia sua tanquã in imagine adulterium & homicidium depictum habebat: & per singulos dies videbat putredinem, & ideò dicebat. Et peccatum meũ contra me est semper. Ego illud video, tu ne id cõsideres. Ego illud scribo, tu quasi Dominus dele. Vide n. quid sit. Si tu memor sis, Deus non erit memor: si tu oblitus eius fueris, Deus eius memorabitur.* Et infra. *Ecce habes codicem, vbi scribas, quotidianum expensum. Habeto codicem conscientiam tuam, & scribe quotidiana peccata. Quãdo accubueris super stratũ tuum, & neminẽ infestum pateris, antequã veniat tibi somnus, profer in medium codicẽ conscientiam tuã, & reminiscere peccata tua, si q̃d in verbo seu in facto, vel in cogitatione peccasti. Hoc n. dicit propheta. Irascimini & nolite peccare, quæ dicitis in cordib. vestris & in cubilib. vestris com-*

Psal. 4. 5. *pũgimini. Per diẽ non habuisti tempus, sed seruisti iudici tuo, & iniũctũ negotium, & cõfabulatio amicorũ, & domestica necessitas, & filiorũ cura, & vxoris solicitudo & militiæ timor & ceterarũ mille te rerũ circũdederunt causæ. Quãdo in lectulũ tuum veneris, vt sopori membra concedas ad tranquillũ portum,*

nemo

nemo tibi molestus est, nemo pulsat, dicito in corde tuo. Expendimus diem, ô anima, quid boni fecimus, aut quid mali operati sumus? Et si quid boni fecisti, gratias age Deo, si quid mali de cetero ne facias. Et reminiscens peccatorum tuorum effunde lacrymas, & poteris in lectulo tuo positus ea delere. Quid graue, aut quid molestum est positum in lecto quotidiana deflere peccata? Cum reputare tibi cœperis, tanquam in eculeo suspende cogitationes tuas, & vngula timoris Dei radito eas. Propone tibi mortem gehennæ, superducito ei sectura ictum non habentem dolorem. Iudicium facito tibimetipsi terribile, &c.

III. Sententia est in psalmo 76. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam Spiritum meum.* In quæ verba S. Augustinus. *Iam iste,* inquit, *qui velut vapulauerat foris tulit se intro, in secretario suæ mentis agit. Intus est, apud se cogitat dies antiquos. Ita sit ei bene secum, adiuuet Deus, cogitet dies antiquos, & dicat nobis in ipso interiore cubiculo suo, quid egerit, quo peruenerit, quid transilierit, vbi manserit. Et annorum æternorum memor fui. Qui sunt anni æterni? Magna cogitatio. Videte quid sibi vult ista cogitatio, nisi magnum silentium ab omni forinsecus strepitu, ab omni rerum humanarum tumultu? Intus requiescat, qui cogitare vult istos annos æternos. Et scrutabar spiritum meum. Si scrutaretur iste terram, vt venas auri inueniret, nemo eum desipere diceret, immò sapientem multi dicerent, qui vellet ad aurum peruenire. Quanta homo habet intus & non fodit? Scrutabatur iste Spiritum suum, & cum Spiritu suo loquebatur. Seipsum enim interrogabat, seipsum examinabat, in se iudex erat.* Imitabatur regẽ Dauidem in hac scopatione vel scrutinio spiritus alter beatus rex Ezechias, qui memor annorum æternorum, in delitijs vel supplicijs æternis transigendorum, *recogitabat omnes* vitæ suæ *annos,* vt ipse in Cantico suo apud Isaiam loquitur *in amaritudine animæ suæ.* Psal. 76. 6. / Isa. 38. 15.

IV. Sententia est Apostoli in priore epistola ad Corinthios, *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utiq; iudicaremur.* Qua S. Antonius discipulis suis probabat quotidie conscientiam esse excutiendam vt in eius vita notauit S. Athanasius. *Illius,* inquiens, *quoq; admonebat præcepti Apostolici, Diiudicate vosmetipsos, & probate, vt rationem diei noctisq; facientes, si in se delictum deprehendissent, peccare desisterent: sin autem nullus error decepisset perseuerantes instarent potius incæpto, quàm arrogantia tumidi aut alios contemnerent, aut sibi iustitiam vendicarent iuxta supradicti Doctoris eloquium dicentis. Nolite iudicare ante tempus. Sæpe nostra non posse nos intelligere peccata, sæpe falli in ratione gestorum.* Ad idem examen quotidianum eadem Apostoli refert verba S. Chrysost. in commentario 4. psalmi nuper citato. & S. Basilius, in psalmum. 7. scribens ad verba *Dominus iudicat populos,* annotat in hoc Apostoli loco, diiudicandi verbum 1. Cor. 11. 31. / 1. Cor. 4. 5. / Hõ. 60. in Gen. & 42. in Matth. & 43.

Greg. 25. mor. cap 6. Bern. serm. 54. & 55. in Cant.

bum accipi pro perscrutandi, vt sit, sensus. Si nos ipsos perscrutaremur, non utiq; condemnationi subijceremur. Eodem refert S. Gregorius & Bernardus.

Capvt II.

Examen conscientiæ quotidianum commendari à S. Patribus.

CLarivs, & expressius exercitium quotidiani conscientiæ examinis nobis secundum Scripturas commendant prisci Patres. S. Cypriani in sermone de passione Christi verba sunt dicto Apostolico iam allato congruentia. *Filius hominis deputatus est inter impios, quorum alter assumptus, alter reprobatus est, vt daretur exemplum & forma indissolubilis manens in posteros, quia nec in vltimis Dei clementia pœnitentes excludit, nec eos, qui vitæ sine quocunq; articulo temporis veri sunt iudices iterum iudicari, quia cum iudicis & tortoris vices non parcens peccator assumit semetipsum persequendum confessione confusione honorat holocausti huius incensio in conspectu Dei veniam impetrat. Neq; enim bis in idipsum iudicat Deus, sed impœnitentes ipse iudicat & damnat, pœnitentes verò absoluit.* S. Basilius in sermone commonitorio ad monachos. *Quæ quotidie feceris opera, vesperi tecum commemora, & cum ijs quæ feceris pridie conferto.* Et in sermone de ascesi. *Monachus debet quotidianas cogitationes & actiones examinare.* Et in sermone de institutionibus monachorum. *Præclarè faciet, qui completo die conscientiam suam examinauerit, & admissum delictum occultum non tenuerit, sed in medium cunctis audientibus enuntiarit, vt communi oratione tanto citius morbus sanari possit.* B. Ephræm sermone ascetico de uita religiosa. *Negotiator secularis quotidie damna & lucra computat. Diebus singulis vesperi & mane considera, quo pacto se habeat negotiatio tua. Et uespere quidem ingressus cubiculum examina teipsum quid egeris: Si quid male, ingemisce & lacryma. Facto diluculo examina quid nocte.* S. Joan. Chrysost. in Matthæum. *Sedeat mens atq; cogitatio tua iudex in animam atq; conscientiam tuam, adducas omnia delicta tua in medium, scrutare quæ animo commisisti, & pone dignas singulorum pœnas. dicas tecum assiduè: quare hoc atq; illud ausus es? quare illud & illud perpetrasti? Quod si ab his quidem tua conscientia refugit, aliena verò curiosè rimatur, dic ad ipsam. Non ego iudex in alios, nec tu alios defensura iudicium subijsti. Sic assiduè ipsam ad hunc terrorem reuoca. Deinde si causam suam dicere non possit, sed balbutiat atq; stupescat, quasi superbam ancillam, & de fornicatione corruptam, cæde, verberi-*

B. de abdic. rerum.

Chr. hom. 43.

Disciplina.

verberibus ac flagellis dilania. Hoc iudicium quotidie tibi diligenter constituatur, &c. non n. morietur percussa, sed mortem effugiet. Et paulo post. Itaq; lectum atq; quietem petiturus hoc iudicium ineas: idoneum enim ad hanc rem hoc tempus est, & consentaneus locus, camera & lectulus, quod propheta quoq; denotauit, dicens. Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Psal.4.5.
Nec res paruas contemne, sed magnas etiam earum rationes repete. Hoc modo magna facilius euitabis delicta. Id si quotidie diligenter facies terribili futuri iudicis tribunali lætus assistes. Hoc modo Paulus seipsum mundauit, ac ideo dicebat Si nosipsos iudicauerimus, non utiq; iudicaremur. Sic & 1.Cor.11.31.
Iob liberos suos mundauit: nam qui pro incertis hostias offerebat assiduè, multo Iob.1.5.
magis certorum illum atq; manifestorum rationes repetisse credendum est. S. Gregorius in Ezechielem. Quisquis vitæ suæ custodiam negligit discutere, quæ agit, quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit, aut nescit, sibimetipsi præsens non est, quia semetipsum quotidie exquirere atq; cognoscere solicitus non est. Ille autem veraciter sibi in præsenti est, qui se in suis actibus tanquam alium attendit. Nam sunt multa peccata, quæ committimus, sed idcirco grauia nobis non videntur, quia priuato nos amore diligentes clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur. Et 35. moralium in Job. Scriptum est, iudicare coram Domino, & expecta eum. Coram Domino scilicet iudicatur, qui corde Dominum conspicit, & actus suos sub eius præsentia solicita inquisitione discernit. Quem tanto quis securius expectat, quanto quotidiè vitam suam suspectus examinat. Qui enim ad extremum eius venit, non iam coram illo, sed ab illo iudicatur. Et rursus. Debet enim vniuscuiusq; mens & causas suas apud Dominum, & causas Domini contra se solicita inquisitione discutere, debet caute pensare, uel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruerse viuẽdo responderit. Quod electi quidem quotidie facere omnino non cessant. Vnde bene Prou.12.5.
Salomon ait. Cogitationes iustorum iudicia. Accedunt enim ad secretarium iudicis intra sinum cordis: considerant quàm districtè quandoq; feriat, qui diu patienter expectat, metuunt in his quæ se egisse meminerant, & puniunt flendo, quod perpetrasse se intelligunt. Et infra. Nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod iudicium eo certius punit quo interius sæuit, &c. Reproborum namq; esse proprium solet semper praua agere, & nunquam quæ egerint retractare. Omne enim quod faciunt, cæca mente pertranseunt, factumq; suum, nisi cum puniti fuerint, non agnoscunt. At contra electorum est actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profluit ab intimis exsiccare. S. JOAN. Clim. gradu.4.
CLIMACVS. Optimus, inquit, ille trapezita est, qui quotidie vesperi lucrum ac detrimentum omnino computat. Quod scire manifestius non potest, nisi horis singulis in tabulis omnia denotet. nam cum calculi singulis

G.hom.4. — G c 6. & 7. Iob.35.14.

Dor. doctrina 11 *gulis horis ponuntur totius diei ratio postmodum clarius agnoscitur.* B. Dorotheus de vita rectè & p̄iè instituenda. *Docuerunt sæpe nos maiores nostri, quo pacto purgemus nos ipsos per singulos dies, vt scilicet ad vesperam perscrutemur nobiscum, quomodo transactam diem exegerimus, & rursum mane, quomodo noctem, & sic pœnitentiam agamus apud Deum, vt par est, in quo peccasse nos deprehenderimus. Sane cum admodum delinquamus, obliuiscamurq́; facile delicta nostra, opus esset nobis in horas diligenti examinatione, quo pacto scilicet ambulassemus id momenti & temporis, & in quo deliquissemus: deberetq́; unusquisq́; nostrum à seipso tanquam iudex rationem cuiuslibet facti extorquere, & dicere. Vt quid locutus sum infelix, quæ fratrem meum morderent? vt quid* Bern. ad Carthus. *fratrem aliquid facientem iudicaui? ut quid Deum contempsi?* S. Bernardus ad fratres de monte Dei. *Quæris, quid agas, vel in quo te occupes? Primum extra quotidianum orationum sacrificium vel lectionis studium quotidianæ conscientiæ discussioni, emendationi, morum compositioni, pars sua diei neganda non est.* Et infra. *Disce in cella secundum communis instituti leges tu tibi præesse, & vitam ordinare, & mores componere, & temetipsum iudicare, teipsum apud te accusare, sæpe etiam commendare, nec impunitum dimittere. Mane præteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & ventur. diei tu tibi indicito cautionem. Vespere diei præteritæ rationem exige, & superuenientis noctis fac indictionem. Sic districto nequaquam tibi aliquando lasciuire vacabit.*

AVSONIVS Poeta Christianus, Gratiani Imp. Præceptor Eidyllio 8. in hunc modum canit.

VIR bonus & sapiens, qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo.
Iudex ipse sui, totum se explorat ad vnguem,
Cogitat, & iusto trutinæ se examine pensat.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei,
Quid prætergressus, quid gestum in tempore, quid non,
Cur isti facto decus abfuit? aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit?
Quam melius mutare fuit. miseratus egentem
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid uolui, quod nolle bonum foret? utile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut deniq; vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quàm
Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoq; è vespere cuncta reuoluens
Offensus prauis, dat palmam & præmia rectis.

VIDE-

Videtvr & S. Benedictvs ad hoc conſcientiæ examen digitum intendiſſe, cum in capite 4. Regulæ ſuæ inter inſtrumenta perfectionis ſpiritualis conſequendæ ponit. *Actus uitæ ſuæ omni hora cuſtodire.* Nam Joan. Trithemius primo libro commentariorum in hanc Regulam edito ad hæc verba monet unumquemq; fratrum omni ſero debere tenere Capitulum culparum inter Deum & ſeipſum, in quo ſit conſcientia accuſans, Deus iudicans, omnis ſanctus Dei orans, homo contritus veniam deprecans, & nunquam recumbat, niſi per mentalem vel vocalem confeſſionem purgatus, ſi fieri poſſit. Et *homilia 14 de Pœnitentia* docet quotidie minimum ſemel examinandam conſcientiam, vt videat quiſq; quantum profecerit, & ſi in aliquo deliquerit ſtatim pœnitentiam agat. Deinde *in præfatione Tractatus de triplici regione clauſtralium,* ait cauſam ruinæ monaſticæ in ſuo Benedictino Ordine eſſe, quod defecerint ſpiritualia exercitia, & ideo Congregationis Burſfeldenſis Patres conſtituiſſe uerbo & exemplo, ut quotidie examen conſcientiæ inſtituatur & feruoris propoſitum renouetur. In libro uero 2. *de Tentationibus cap,3.* monet, ut poſt Completorium inſtituatur, maximè autem cum ad lectum uentum eſt. Adhæc libro *de ſpirituali exercitio monachorum conſideratione 9.* habet, quomodo practicè inſtitui debeat, nempe ante lectum comploſis manibus iacendo, idq; non debere omitti. Et *ſermone 2. de ordinatione bona uitæ monaſticæ* aſſerit à Congregatione Burſfeldenſi ſtatutū, ut quotidie poſt Completorium in cella fiat examen de peccatis: ac occulta quidem ſequenti craſtino aperiātur ſacerdoti in confeſſione ſacramentali, publica vero in Capitulo quotidie. Deniq; in *libro de inſtitutione vitæ ſacerdotalis* cap.3. idem conſulit cuiq; ſacerdoti, vt veſperi oret antequam cubitum concedat, & conſcientiam examinet. Eiuſdem examinis frequentationem conſulit S. Bonauentura in opuſculo *de Puritate conſcientiæ* cap.12. Et *in ſpeculo diſciplinæ, particula 2. cap.* 1. & Thomas à Kempis *libro primo de imitatione Chriſti cap 19.* & libro 2. *de diſciplina clauſtralium.* c.9. *Et de diſciplina monaſtica* cap.11.

Inſtrum. 48.

Opera Trith. ſpiritalia edita ſunt Moguntiæ in folio.

Capvt III.

Examen conſcientiæ commendatur ab Ethnicis.

Ethnicorvm quoq; Sapientiſſimis notum probatumq; fuiſſe conſcientiæ examen certum eſt. nam de antiquiſſimis Philoſophis Pytagoræis libro 3. contra Ruffinum ita ſcribit S. Hieronymus. *Dicebant Pythagoræi, duorum temporum quàm maximam habendam curam,*

mane & vesperi, id est, eorum quæ acturi sumus & eorum quæ gesserimus.

Apud Stobæũ serm. 3. Vnde in Pytagoræ carminibus, quæ Aurea dicuntur, hæc exstant. μηδ' ὕπνον, &c. *Neq; somnum teneris in oculis accipe.*

Priusquam diurnorum factorum ter vnumquodq; commemoraris,
Qua sum transgressus, quid feci, quid mihi quod oportuit non factum est?
Orsus autem à primo recole, & postea
Mala quidem si feceris dole: bona verò, gaude.

In quæ verba Hierocles item Ethnicus sic commentatur. *Hic volo*, inquiens, *vt omnia præcepta quæ prius Pythagoras præscripsit, quasi in vnum fascem comportes, vt in ea, tanquam in diuinas leges intuens in mentis tuæ interno, velut tribunali, eorum quæ bene vel malè gesta sunt, examen facias. Vnde enim malis admissis mordere nos queat commemoratio: vel laudare patratis bonis, nisi meditatio, quæ præcessit, leges quasdam admittat, ex quarum instituto vitam deceat componere, & ad eas conscientiæ abdita, tanquam ad scopum aliquem toto vitæ nostræ spacio dirigere? At quoties examen illud fieri postulat? Singulis diebus, vt assidua recordatione iudicij id quod rectum honestumq; est, seruetur incolume. Et quando? Somni appetente tempore. Qua de causa? vt ex eo, quod actionum diurnarum terminus est, efficiamus conscientiæ tribunal, Deoq; ipsi affectionum examen quasi canticum, lectum, somnumq; antegredi solitum offeramus. Quis iudex? Iudicem adhibuit æquissimum simul ac commodissimum, conscientiam nimirum rectamq; rationem, atq; etiam seipsum, cuius omnium maximè pudere superius quemq; voluit. Quis enim ita alium alius, atq; se, quisquam commonefacere valeat? Quod enim sui iuris est, si naturæ libertate vtatur aliorum consilia facere respuit, cum illis parere non statuit. At non potest non audire se necessario, quæ intus est ratiocinandi vis. Istam Deus esse voluit, quæ nostri curam gereret: istam ducem atq; magistram, Istam etiam tunc iudicem diurnorum operum ratio efficit, & factum ab ipsa iudicium amplectitur: vt suum ipsa calculum adijciat, quidnam in se, vel laude, vel reprehensione dignum iudicet.* Subijcit deinde regulas quas iudex huius examinis sequi debeat, & qua ratione secundum eas examen instituatur. Audiamus nunc L. Annæum Senecam præclarè de hoc examine præcipientem, primo in Epistola ad Lucilium. *Initium*, ait, *est salutis notitia peccati. Egregiè mihi hoc dixisse videtur Epicurus. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Ideò quantum potes, teipsum coargue: inquire in te: accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, nouissimè deprecatoris, aliquando te offende.* Et libro tertio de ira. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, vt consummato die cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum. Quod hodie malum*

Sen. ep. 28. — cap. 36.

lum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es. Desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur: quam tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui, censorq́ secretus cognoscit de moribus suis? Vtor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum è conspectu lumen est, & conticuit vxor, moris iam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere. Vide, ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es? noli postea congredi cum imperitis. Eodem pertinere videtur, quod Cato maior apud M. Tullium in hæc verba scribit. *Pythagoræorum more exercendæ memoriæ gratia, quid quoq́ die dixerim, audiuerim, egerim, commemoro vesperi.* Cic. de Senect.

Capvt IV.

Vtilitates examinis quotidiani similitudinibus aliquot ob oculos ponuntur.

Prima similitudo sit, Quemadmodum in urbe uel prouincia, in qua nullus est magistratus, nullus senatus, Judex nullus, nulla iustitia administratur, nunquam est pax uel securitas, nec quidquam boni: sic in anima hominis, nullum instituentis rerum à se gestarum examen, nullum iudicium exercentis, diu pax & tranquillitas esse nequit, sed nec ulla solida uirtus. Vnde B. Gregorius non dubitat affirmare etiam pios homines, si examen illud negligant paulatim in studio virtutis deficere. *Sicut enim*, inquit, *non sentimus, quomodo crescunt membra, proficit corpus, mutatur species, nigredo capillorum albescit in canis, hæc enim omnia nobis nescientibus aguntur in nobis, ita mens nostra per momenta viuendi ipso curarum vsu à semetipsa permutatur, & non agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes, profectus nostros quotidie, defectusq́ pensemus. Hoc ipsum enim in hac vita mortali consistere, quasi ad vetustatem ire est, & cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur: quia sui negligens, & propositum robur insensibiliter perdens, à forma prioris fortitudinis, dum nescit, senescit. Vnde & per prophetam sub Ephraim specie dicitur. Comederunt alieni robur eius, & nesciuit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. Cum verò semetipsam quærit & subtiliter pœnitendo se discutit, ab ipsa hac veustate sua lota lachrymis & mœrore incensa renouatur, & quæ iam pœnè inuetera-*

G. lib. 25. mor. cap. 7.

Ose. 7. 9.

inueterata frixerat, per subministrata interni amoris studia nouum calet. Vn-
Eph.4.23. *de Paulus Apostolus usu mortalis vitæ veterascentes discipulos admonet dicens. Renouamini spiritu mentis nostræ.*

II. Similitudo, qua declaratur nihil æquè ad profligandos dæmones, & contra, ad conciliandos nobis bonos angelos valere, atq; hoc quotidianum examen. Vt enim in ijs domibus, in quibus creber scoparum est vsus, ad euerrendas pauimẽti angulorumq; sordes, & parietum laqueariumq; telas, nullæ apparent araneæ, sic ubi frequentatus est examinis conscientiæ usus longe absunt omnes laquei insidiæq; diaboli, accurrunt uerò angeli boni. Quid enim agimus in examine conscientiæ, nisi quod de lapsibus commissis doleamus, de bonis autem operibus gratias Deo agamus? *Gaudent* autem *angeli super*
Luc.15.10. *uno peccatore*, vt apud S. Lucam dicitur, *pœnitentiam agente*. Si gaudent boni, certe mœrent & fugiunt mali.

III. Sicut quotidie manus, faciem, uestes, calceos, scutellas, domum expurgamus, quia quotidie ea sordibus inquinamus, sic conuenit, ut quotidie conscientiam examinemus, vt sordes siue magnas siue
1.Ioa.1.8. paruas in ea contractas eluamus. *Si enim dixerimus*, inquit, B. Ioannes,
Prou 24.16. *quoniam peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Iustus in die*, ait Sapiens,
Gal 5.17. *septies cadit.* Quotidie *caro pugnat contra spiritum.* Quotidie cum B.
Rom.7.15. Paulo possumus dicere. *Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio.* Quotidie ergo & Spiritus debet pugnare contra carnem, & aculeo examinis eam crucifigere cum concupiscentijs. Quotidie in eo orare. *Et ne nos inducas in tentationem. Dimitte nobis debita nostra. Libera nos à malo.*

IV. Sicut pauimentum, quo sæpius verritur, hoc purius redditur, & clarius videtur, sic qui sæpe inquirunt in conscientiam suam puriorem eam ab omni peccatorum puluere reddunt, & citius in notitiam sui, virtutem tantopere, non modo à S. Patribus, sed etiam Ethnicis Philosophis laudatam, perueniunt. Hinc enim est illud γνῶθι σεαυτὸν etiam Apollinis oraculo celebratum. Vide titulum de Cognitione sui.

V. Quemadmodum hortus salutares herbas & flosculos producere nequit, nisi continenter hortulani sarculo noxiæ radices, lolium & lapides eruantur, haud secus in animæ nostræ horto, nunquam rectè excrescent herbæ virtutum, & flores donorum Spiritus sancti, lilium castitatis, rosa charitatis, viola humilitatis & pœnitentiæ, nisi sarculo examinis prauæ cupiditatum & inclinationum radices quo-
1.Tim.1.5. tidie exstirpentur *Finis præcepti*, inquit ad Timotheum Apostolus, *est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.* Quomodo au-

tem

tem poterit in anima noſtra eſſe caritas, niſi minuatur cupiditas? *Augmentum enim caritatis,* teſte S. AVGVSTINO, *eſt diminutio cupiditatis, perfectio vero nulla cupiditas.* Quo verò cultro niſi huius examinis reſcindes cupiditatem? Quomodo cor, quod in horas tam variis obruitur cogitationibus purum ſeruabitur, niſi poſſis verè dicere cum pſalmographo. *Meditatus ſum nocte cum corde meo & ſcopebam ſpiritum meum?* Quomodo conſcientia permanebit bona, niſi amoliaris quæ eam faciunt malam? A.li.83 q q 36. Pſalm.76.6.

VI. S. Hieronymus in epiſtola ad Minerium & Alexandrum. *Saluatoris,* inquit, *verba ſunt, Eſtote probati nummularij, vt ſi quis nummus adulter eſt, & figuram Cæſaris non habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur: qui autem Chriſti faciem claro præfert lumine in cordis noſtri marſupio recondatur.* Et Ioannes Caſſianus collatione prima. *Efficiamur ſecundum præceptum Domini probabiles trapezitæ. Quorum,* ait, *ſumma peritia eſt ac diſciplina probare, quodnam ſit aurum puriſſimum, & vt valgo dicitur obrizũ, quodué ſit minus purgatione ignis excoctum, æreo quoq; vili q; denario, ſi pretioſum numiſma ſub colore auri fulgentis imitetur prudentiſſima diſcretione non falli: & non ſolum numiſmata tyrannorum vultus exprimentia, ſapienter agnoſcere, ſed etiam illa, quæ ſunt veri quidem regis imagine, ſed non legitimè figurata, peritia ſagaciore diſcernere: deinde, ne quid illis à legitimo pondere diminutum ſit cenſura trutinæ diligenter inquirere. Quæ omnia nos quoq; debere ſpiritaliter obſeruare euangelicus ſermo ſub huius nominis demonſtrat exemplo.* Summa ergo ſimilitudinis hæc eſt. Vt ſi velimus eſſe, quod iubet Dominus, ſpirituales & probati trapezitæ, vel nummularii, ſicut numularii quotidie tractant nummos, & ideo probos ab adulterinis facile diſcernũt, ita quotidie in examine noſtros lapſus cogitando, loquendo, vel agendo commiſſos expendamus, hoc enim ſtudio aſſequemur, vt donum diſcretionis ſpirituum aſſequamur, & actiones bonas à malis, conſideratis earum cauſis, circumſtantiis, intentione & fine, facile diſcernamus. H.ep 152. Caſſ.c.20.

VII. Similitudo eſt. B. Ioan. Chryſoſtom. in ſermone de Pœnitẽtia & confeſſione. *Vbiq;,* inquit, *idem facere oportet in peccatis, quod in pecuniarum ſumptibus. Statim cum ſurreximus à lecto, priuſquam nos conferamus in forum, vel priuſquam aggrediamur opus aliquod, vel priuatum vel publicum, vocato miniſtro rationẽ ſumptuũ petimus, vt ſciamus quidnám malè, vel quid bene expenderit, & ſi viderimus parum quiddam deſiderari, omnibus modis recogitamus acceſſionum occaſionem, ne inuiti perdamus. Faciamus igitur hoc & in operibus noſtris vocata conſcientia noſtra. Faciamus ſimiliter rationem verborum, operum, cogitationum, & ſcrutemur quid vtiliter inſumptum ſit, & quid in perniciem noſtram. quis ſermo malè expenſus in cõuicia, in ſales, in tur-*

piloquia, quæ concupiſcentia oculum in intemperantiam prouocarit, quæ cogi-
tatio cum damno noſtro in opus prodierit, vel per manus, vel per lingua, vel per
cogitationes ipſas. Operam demus, vt ab intempeſtiuo ſumptu abſiſtamus, pro
ſemel malè inſumptis aliud reponamus lucrum: pro verbis temerè prolatis ſan-
ctas preces: pro viſu intemperatè facto eleemoſynas & ieiunia. Igitur ſeruorum
mane rationem facere conſueuimus, operum autem poſt cœnam & veſperam i-
pſam in lecto iacentes, nullo interturbante omnium eorum quæ per diem facta
& dicta rationes à nobis exigamus: & ſi viderimus quid peccatum eſſe, punia-
mus nos ipſos, increpemus mentem & conſcientiam tanto impetu, vt non aude-
at vltra exurgere, memores veſpertinæ plagæ. Eadem vtitur in pſalmi quar-
ti commentario, dicens. *Hoc examen fiat ſingulis diebus: nec prius dormie-*
ris ô homo, quàm mente verſaueris, quæ à te interdiu perperam acta ſunt, & die
ſequenti eris omnino tardior ad ea ipſa rurſus aggredienda, Et quod facis in pe-
cunia, nec ſinis vt duo dies prætereant, quin cum famulo rationem ineas, ne cō-
fuſionē inducat obliuio hoc etiam fac in actionibus. Singulis diebus veſperi ab
anima rationem exige, & cogitationem, quæ peccauit condemna eam, & velut
in ligno ſuſpende ac torque, & iube ne ea amplius aggrediatur.

VIII. Quemadmodum in Academiis vel ſcholis, in quibus crebræ
ſunt diſputationes, frequentes prælectionum repetitiones, quotidia-
naq; earum examina, ſcriptionum item & commentationū domeſti-
carum ſtata exactio, cēſura abſentiarum, ac notæ linguæ latinæ & mo-
rum, magnopere in litterarum virtutumq; Chriſtianarum ſtudio pro-
ficitur: ſic in ſchola Religioſæ vitæ, vbi non ſemel in dies ſingulos co-
gitationum, ſermonum, actionumq; rationes per examen ad calculos
reuocantur maximus fit in pietatis curſu progreſſus. Si enim Chry-
Chr. in pſal. 4. ſoſt. loco proxime allegato aſſeuerare audet nos, ſi vel vno ſolo menſe
conſcientiam ſemel ad veſperam excutiamus ſedulo, poſſe ad perfe-
ctum virtutis habitum peruenire, quanto magis, ſi in ea conſuetudine
perſtiterimus per multos annos?

IX. Vtilitas, Breuiter Examen quotidianum CORNVCOPIÆ com-
modorum chariſmatūq; ſpiritalium in animam hominis infert. Nam
qui conſcientiam diſcutit multas ſimul exercet virtutes: vt religionis,
quia ab oratione examen inchoatur, & pro beneficiis gratiæ Deo a-
guntur: deinde humilitatis & pœnitētiæ, quia in eo homo ſe agnoſcit
peccatorem & de peccatis dolet, lacrymas fundit, pœna ſæpe volun-
taria eadem expiat. Ad hæc ſpei & caritatis, confidit enim ſe veniam
peccatorum à Deo obtenturum, quem vti ſuum creatorem & benefa-
ctorem diligit ſuper omnia. Tum timoris Dei, quia ideo iudex ſui hic
efficitur, vt iudicium Dei præueniat, ſecundum illud Apoſtoli, *Si noſ-*
1. Cor. 11. 32. *pſos diiudicaremus*, &c. Nec enim bis. Deus iudicat in idipſum. Munit
quoq;

quoq; se contra tentationes futuras, vitia extirpat, prauas incinationes tollit, consuetudines malas euellit, virtutes inserit, conscientiam serenam & tranquillam reddit, ac demum efficit, vt homo semper ad confessionem sacramentalem faciendam & S. Eucharistiam sumendam (ad quam etiam S. Paulus requirit probationem suiipsius per hoc examen) sit comparatus. 1.Cor.11.28.

CAPVT V.

De Examine conscientiæ particulari.

EXAMEN particulare Consciẽtię hoc discrepat à Generali, quod in generali fiat inquisitio in omnia peccata toto de commissa à mane vsq; in vesperam. Particulare verò de vno aliquo speciali vitio, cui à natura vel praua cõsuetudine obnoxios nos esse cognouerimus. De quo examine intelligi possunt illa verba S. Chrysost in Ioannem circa finem *Discamus igitur & vitia nostra recensentes, ea tempore corrigamus, & hoc mense vnum, alio aliud, & ita subsequenter meliores efficiamur. Sic .n. tanquam per gradus quosdam ascendentes, per scalã Iacob ad cœlum perueniemus. Etenim scalæ illæ mihi per illam visionẽ paulatim per virtutes ascensum significare videntur, per quam à terra in cœlum ascendere nobis licet, non gradibus sensibilibus, sed morum incremento & correctione.* Et in homilia 73. ad populum. *Quemq; vestrum rogo, etsi non antea, deinceps saltem, quem se plus aliis vexare defectum nouerit, hunc ex anima præcidere studeat, & pia quadam cogitatione quasi spiritali vtens gladio, seipsum à vitio liberet: idoneum enim Deus nobis contulit sensum, & si parum velimus respicere valentem, & quoque nascens in nobis vitium superare. Propterea sanctorum quoq; omnium nobis vitam & conuersationem per diuinas contextam scripturas Spiritus gratia reliquit, vt discentes, qualiter eandem nobiscum sortiti naturam omnia virtutis obierunt officia, circa eius executionem minimè torpeamus.* Et rursus homilia vndecima in Genesin. *Ne ita*, inquit, *simpliciter ieiuniorum hebdomadæ prætereant, scrutemur suam, quiq; conscientiam & rationem examinemus, & consideremus, quidnã in hac hebdomada probè actum sit, quid in alia, & quale augmentm fecerimus ad sequentem, quas in nobis affectiones correxerimus.* Qui enim se in hoc examine particulari exercent, debent non solum diem cum die, sed etiam hebdomadam cum hebdomada, sæpe etiam mensem cum mense, & annũ cum anno conferre, & circumspicere quantum in hoc vel illo vitio, hac vel illa propensione praua extirpanda profecerint. Vnde S. Basilius in sermone commonitorio ad monachos. *Quæ quotidie, ait, feceris opera vesperi tecum commemora, & cum iis quæ feceris pridie conferto.*

Chry.hom.83.

Gen.28.12.

Clarius & fusius examen particulare descripsit Ioan. Cassianus collatione 5. *Ita*, inquiens, *nobis aduersus vitia arripienda sunt prælia, vt vnusquisq; quo maximè infestatur explorans, aduersus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis, ac solicitudinem erga illius impugnationem, obseruationemq; defigens, aduersus illud quotidiana ieiuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria, crebraq; gemituum tela contorquens, aduersus illud vigiliarum labores, ac meditationes sui cordis impendens, indesinentes quoq; orationum ad Deum fletus fundens, & impugnationis suæ extinctionem ab illo specialiter ac iugiter poscens. Impossibile namq; est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexit industria vel proprio labore victoriam certaminis semet obtinere non posse, cum tamen, vt valeat emundari, necesse sit eum die noctuq; in omni cura & solicitudine permanere. Cumq; se ab ea senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret & exploret, quam sibi inter reliquas perspexerit diriorem, atq; aduersus eam specialius omnia spiritus arma cōmoueat, & ita semper validioribus superatis celerem de residuis habebit, facilemq; victoriam: quia & mens triumphorum processu reddetur fortior, & infirmorum pugna succedens promptiorem ei prouentum faciet præliorum, vt fieri solet ab his, qui coram regibus mundi huius omnigenis congredi bestijs præmiorum contemplatione consueuerunt Hi, inquam, feras quascumque fortiores robore, vel feritatis rabie conspexerint diriores, aduersus eas primæ congressionis certamen arripiunt: quibus extinctis, reliquas, quæ minus terribiles, minusque vehementes sunt, exitu faciliore prosternunt. Ita & vitijs semper robustioribus superatis, atq; infirmioribus succedentibus, parabitur nobis absque vllo discrimine perfecta victoria.*

Cass. c. 14.

VERVM nec Philosophos Ethnicos latuit vtilitas huius inquisitionis, animaduersionisq; in singularia vitia. Nam vnus ex optimis morum magistris PLVTARCHVS libro de cohibenda ira ita philosophatur. *Super omnia illud Empedoclis magnum quiddam ac diuinum existimabam, abstinere ab improbitate. Laudabam interim & illas non inuenustas, nec abhorrentes à sapientiæ studio actas in precibus consuetudines, annum à re Venerea, vinoq; puros viuere, colentes interim Deum temperantia: aut rursus à mentiendo certum tempus abstinere, nosipsos interim obseruantes, vt vera loquamur tum in ludicris, tum in serijs rebus omnibus. Deinde hisce rebus instruebam animum meum, vt qui non minus amet pietatem, quàm philosophiam, vt primum paucos dies sacros sine irascendo transigerem, velut absque temulentia vinoque, non aliter quam si celebrassem Nephalia, aut Melisponda, in quibus vinum attingere, aut luxui indulgere fas non est: deinde faciebam idem mensem vnum aut duos, paulatim mei ipsius periculum faciens. Sic tempore proficiebam ad vlteriorem malorum tolerantiam, diligenter attendens & con-*

& conseruans meipsum cum verbis bene ominantibus, placidum, iraq; vacuum, purum & à dictis improbis, & à factis absurdis, & à cupiditate, qua ob voluptatem exiguam & inuenustam tum turbas ingentes, tum pœnitentiam turpissimam adduceret.

SI quæras, sitné aliquando horum examinum finis, maxime cum in Examine particulari post magnum in spiritu profectum tandem videatur defutura materia. S. BERNARDVS dum verba illa Cantici Canticorum, *Tempus putationis aduenit*, exponit, respondet non esse. B. serm. 58. *Quis n.* inquit, *ita ad vnguem omnia à se superflua resecauit, vt nil se habere putet putatione dignum. Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpe putandum est: immò si fieri possit, semper, quia semper, quod putari oporteat, si non dissimulas, inuenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non magis suppressa. Velis nolis intra fines tuos habitat Iebusæus, subiugari potest, sed non exterminari.* Iud. 1. *Scio, inquit, quia non habitat in me bonum. Parum est, nisi & malum inesse fateatur.* Rom 7. 18. *Ait. Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio. Si autem quod odi illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Aut te ergo, si audes, præfer Apostolo (nempe ipsius ista vox est) aut fatere cum illo te quoque vitijs non carere. Medium denique vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget non solum putatione, sed & circuncisione. Alioquin verendum, ne circumquaq; à lambentibus, vel potius à rodentibus vitijs illa dum nescis paulatim elangueat, aut si supercreuerint, suffocetur. Vnum in tanto discrimine consilium est, obseruare diligenter, & mox vt renascentium capita apparebunt, prompta seueritate succidere. Non potest virtus cum vitijs pariter crescere. Ergo vt illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, & salubria surgant. Vtilitati accedit, quicquid cupiditati demis. Demus operam putationi, &c. Scrutemur iuxta prophetam vias nostras & studia nostra, & in eo se quisque iudicet profecisse, non cum non inuenerit,* Thren. 3. 40. *quod reprehendat, sed cum quod inuenerit reprehendet. Tunc te non frustra scrutatus es si rursum opus esse scritinio aduertisti. Et toties te non fefellit inquisitio tua, quoties iterandam putaueris. Si autem semper hoc cum opus est facis, semper facis.*

VIDE *in Panario V. Conscientia scrupulosa. Illusiones spirituales.*

CONTEMPLATIO.

CAPVT I.

Contemplatio quid sit, & quomodo à meditatione & cogitatione distinguatur.

A. c. 32. S. AVGVSTINVS in libro de Spiritu & anima in hæc verba de ea scribit. *Anima nostra cum vult intelligere vel diuina, vel Deum, vel seipsam, suasq; considerare virtutes, abstrahit se ab omnibus corporis sensibus, quibus nō adiuuatur, nisi ad corporeas formas coloresq; sentiendos, & Spiritu ac ratione se conspicit, meditatione atq; contemplatione ad Deum ascendit, Deus verò reuelatione atq; diuina inspiratione ad eam descendit. MEDITATIO siquidem est occultæ veritatis studiosa inuestigatio. CONTEMPLATIO perspicuæ veritatis iucunda admiratio. Illam namq; diuina illuminat reuelatio, vt veritatē cognoscat: istam verò diuina inspiratio inflammat, vt eam diligat. Corpus autem sensu & imaginatione ad spiritum ascendit.* Clarius & plenius eam descri-
R. p. 1. c. 4. bit Richardus Victorinus S. Bernardi æqualis, lib. 1. de Contemplatione. *Contemplatio,* inquit, *est perspicax & liber animi contuitus in res perspiciēdas vsquequaq; diffusus. Meditatio verò est studiosa mētis intentio circa aliquid inuestigandū diligenter insistens. Cogitatio aūt est improuidus animi respectus ad euagationem pronus.* Et paulo ante. *Multum à se inuicem hæc tria in modo differunt, quamuis quandoq; in materia conueniant. Cogitatio per deuia quæq; lento pede sine respectu peruētionis passim huc illucq; vagatur. Meditatio per ardua sæpe & aspera ad directionis finem cum magna animi industria nititur. Cōtemplatio libero volatu, quocumq; eam fert impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit, meditatio incedit, & vt multum, currit. Contemplatio aūt omnia circumuolat, & cum voluerit se in summis librat. Cogitatio est sine labore cum fructu. In cogitatione euagatio, in meditatione inuestigatio, in contēplatione admiratio. Ex imaginatione cogitatio, ex ratione meditatio, ex intelligentia contemplatio. Intelligentia obtinet supremum locum, imaginatio infimum, ratio medium.*


Ex hac descriptione elucet diuinas quidem res & cælestes præcipuè, humanas tamen quoq; & naturales esse cōtemplationi subiectas, quatenus ex earum notitia gradum facimus ad diuinas. *Inuisibilia enim*
Rom. 1. 20. *Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt,* inquit Apostolus, *intellecta conspiciuntur.* Vnde magnus ille contemplator dicebat. *Meditatus sum in o-*
Psal. 142. 5. *mnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar.* Et alius népe

August.

Augst. in libris Confessionum. *Tu Domine fecisti ea, qui pulcher es pul-* A.lib.11.c.4.
chra sunt enim: qui bonus es, bona sunt enim: qui es, sunt enim. Nec ita pulchra
sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum, cui comparata, nec
pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt Scimus hæc, gratias tibi, & scientia nostra
scientia tuæ comparata ignorantia est. Haud secus notitia sui subiecta est
cõtemplationi, quia ex ea tanquam è præcipua creatura ad imaginem
& similitudinem Dei condita gradum facimus ad contemplationem. Psalm.138 6.
Vnde B. Dauid. *Mirabilis facta est scientia tua ex me,* id est, consideratione
mei. *confortata est, & non potero ad eam.*

Et Clemens ALEXANDRINVS in Pœdagogo. *Est vt vide-* Cl.lib.3.c.1.
tur disciplinarum omnium pulcherrima ac maxima seipsum nosse. Si quis enim
seipsum norit Deum cognoscit. Et S. Basil. in dictum Moysis. Attende tibi ip-
si. *Exacta & diligens tui ipsius consideratio viam tibi præstruet ad cognitio-* B.hom.3.
nem Dei. In teipso enim tanquam mundo quodam distinctè adornato licet
exiguo contemplari licebit eximiam conditoris tui & incomparabilem sapien-
tiam, vt ex anima incorporea Deum esse incorporeum, nullo circumscriptum
loco, inuisibilem, &c. Exposita deinde fusius animæ vi, corporisque stru-
ctura. *Per hæc vtique,* subdit, *omnia licet imperuestigabilem eius qui te*
condit sapientiam cognoscere, adeò vt cum propheta ipse tu possis dicere. Mi-
rabilis facta est scientia tua ex me. Attende itaque tibi, vt attendas
DEO.

Deinde S. BERNARDVS in sermone quodam. *Quæramus per ea*
saltem quæ facta sunt intellectum inuisibilium Dei, quæ si in ceteris creatu- In psal.84.
ris intellecta conspicit anima, necesse est vt longè amplius conspiciat, & in-
telligat multo subtilius in ea creatura quæ facta est ad imaginem creatoris,
hoc est, in seipsa. Nullus Deo vicinior gradus inter omnes quæ sub sole habi-
tant creaturas, quam anima humana, vt merito propheta dicat ad ipsum.
Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. Et
post pauca. Ibunt, inquit, de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum
in Sion. De ceteris rebus, nempe diuinis & cœlestibus non
attinet dicere, quia eas contemplationi pro-
priè esse subiectas dubium
non est.



CAPVT II.

De Contemplationis præstantia & dignitate.

CONTEMPLATIONIS præstantiam & dignitatem satis insinuauit Christus Dominus, cum Mariæ Magdalenæ studium in audiēdis & expendendis diuinis sermonibus antepoſuit ministerio Marthę sororis licet ex charitate profecto, dicens. *MARIA optimam partem elegit,*
Luc.10.42. *quæ non auferetur ab ea.* Ex quo loco probant S. Patres contemplationē
B.c.2. actione, & vitam contemplatiuam actiua esse excellentiorem, vt Ba-
A.ser.27. silius in monasticis constitut. August. de verbis Domini. Hieron. in Ie-
H.in c.3. remiam. Cassianus in collationibus. Gregorius in Moralibus, & alii.
C.col.1.c.8. Certe D. Basilius in Apologia ad Cæsarianos vult contemplationem,
G.6.c.28. quod Christus apud Lucam ait, esse intra nos. *Nihil autem, fratres,* in-
Baſ.ep.112. quit, *regnum cælorum putabitis, quam veram eorum quæ ſunt cognitionem,*
Luc.17.21. *quam & felicitatem vocant diuinæ ſcripturæ. Regnum enim cælorum intra vos eſt. Circa verò internum hominem nihil aliud quàm contemplatio conſiſtit. relinquitur ergo contemplationem eſſe regnum cælorum. Quorum enim hic vmbras tanquam in ſpeculo quodam videmus, tandem à corpore iſto terreſtri liberati, incorruptumq; & immortale induti, illorū & archetypa ſpeculabimur.*
Nazianzen. S. Gregorius Nazianzen. in oratione de pauperum amore. *Præclara eſt contemplatio, præclara item actio: illa hinc aſſurgens, atq; in ſancta ſanctorum contendens, mentemq; noſtram ad id quod ipſi cognitum eſt reuehens: hæc verò Chriſtum hoſpitio excipiens, officioſeq; colens, ac vita ipſa & moribus vim ſui erga eum amoris teſtificans. Horum vnumquodq; vna quadam ſalutis via eſt, atque ad aliquam omnino beatarum illarum, & æternarum manſionum ducens.*

S. AMBROSIVS in pſalmum primum. *Præſtare myſtica moralibus*
Ambr. *etiam ipſe Dominus docet in Euangelio ſuo dicens de Maria, quæ ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius, cum Martha circa miniſterium feſtina-*
Luc.10.42. *ret, & quæreretur, quod ſoror eam propria circa menſæ miniſterium non iuuaret. Martha, Martha, Maria optimam partem ſibi elegit, quæ non auferetur illi. Si quæ Chriſto miniſtrabat ad menſam non conferebatur ei, quæ verbum cupiebat audire, quem operantem ſtudioſo cognitionis æternæ conferre poterimus? Ita tamen vt nec illius operationi fides, nec huius cognitioni, ſicut Mariæ, deſit operatio.*

Hier.c.3. S. Hieron. lib. 2. Hierem. *Vna eſt, & ſola Theorica, .i. contemplatio Dei, cui merito omnia iuſtificationū merita vniuerſa virtutum ſtudia poſtponūtur. Actiua .n. vita cum corpore deficit: contemplatiua autem vita hic incipitur, vt in-*

vt in cœlesti patria perficiatur, quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit in amore eius amplius ignescet. S. Augustinus in A. ser. 43.
sermonibus de Tempore. *Vna & sola est contemplatio Dei, cui merito omnia iustificationum merita, vniuersa virtutum studia postponuntur & illa quidem omnia quæ in Apostolo Paulo fuisse prædiximus, non solum bona & vtilia, verum etiam magna atq; præclara. Sed sicut verbi gratia stanni metallum, quod alicuius vtilitatis & gratiæ putabatur fit argenti contemplatione vilissimum, & rursum auri comparatione meritum euanescit argenti, aurum quoque ipsum gemmarum collatione contemnitur, & ipsarum nihilominus quamuis insignium multitudo gemmarum vnius margaritæ candore superatur: ita illa omnia merita quamuis non solum in præsenti bona & vtilia sint, verum etiam donum æternitatis acquirant, tamen si diuinæ contemplationis meritis conferantur, vilia atq; ut ita dixerim, vendibilia censebuntur.* S. Gregorius G. c. 26.
libro 5. moralium, exponens verba Exodi. Quia Moyses ascendit, & Exo. 24. 12.
Dominus in montem descendit. *Mons,* inquit, *est ipsa nostra contemplatio, in quam nos ascendimus, vt ad ea quæ vltra infirmitatem nostram sunt videnda subleuemur. Sed in hanc Dominus descendit, quia nobis multum proficientibus parum de se aliquid sensibus nostris aperit: si tamen dici in illo vel parum vel aliquid potest, qui unus semper & idem permanens intelligi pariliter non potest, & tamen à suis fidelibus participari dicitur, cum in eius substantia pars nullatenus admittatur.*

CAPUT III.

De Contemplationis proprietatibus.

PRIMA proprietas est, quod sit actio intellectus homini imprimis Apolog.
à natura congruens. Vnde S. Basilius epistola 142. *Absurdum esse iudico, quod cum sensus corporum nostrorum congruenter proprijs reficiamus materiis, mens sola à propria summoueatur operatione. Vt enim sensus rerum sensibilium, ita & mens intelligibilium notionem & conceptum habet. Simul autem & hoc dicendum quod naturalem illam iudicandi vim nobis inseuit, ac fecit nihil indigam doctrinæ, qui nos condidit Deus.* Et S. Gregor. octauo G. c. 14.
moralium. *Ad contemplandum creatorem homo conditus fuit, vt eius semper speciem quæreret, atq; in soliditate illius amoris habitaret: sed extra se per inobedientiam missus mentis suæ locum perdidit, quia tenebrosis itineribus sparsus, ab inhabitatione veri luminis elongauit.*

II. Proprietas est, quod sit gratuitum donum Dei. DEUS siquidem teste propheta Dauid, *illuminat tenebras nostras,* & ut loquitur Psal. 17. 20.
Apostolus *illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis* 2. Cor. 4. 6.

A.c.31. *Dei.* vnde S. Augustinus libro de spiritu & anima supra dixit. *Spiritus meditatione atq; contemplatione ad Deum ascendit, Deus verò reuelatione atq; diuina inspiratione ad eum descendit.* Quo sensu & S. Bernardus in paruis sermonibus scripsit, *ex condescensione verbi Dei ad humanam naturam per gratiam, & exaltationem humanæ naturæ ad ipsum verbum per diuinum amorem*, fieri contemplationem.

B.f.56.

III. Est, quod hoc donum nulli hominum statui negatum sit, vt docet S. Gregor. in Ezechielem, *Videmus*, inquit, *alios in summis locis Ecclesiæ sanctæ constitutos alta de cœlestibus loqui miro studio, inquantum illustrata mens sufficit supernæ patriæ secreta rimari. Alij verò in sanctæ Ecclesiæ sinu continentur, & despecti humanis oculis videntur, sed apud se sapientiæ studijs vacant, ad cœlestia anhelant, atq; inquantum præualent quæ sint gaudia æterna considerant.* Exempla in vitis Sanctorum exstant plurima, vt S. Antonij, S. Francisci, & sociorum eius ut Egidij, Bernardi, qui licet litterarum rudes dono contemplandi excelluerunt. Etsi verò hoc donum nulli statui hominum negatum sit, nulli tamen neq; statui, neq; homini est ad salutem necessarium, vt idem ibidem annotauit. *Quamdiu*, ait, *inter proximos viuimus, quamuis vtraque* (contemplatio & actio sancta) *ex dono sit gratiæ: vna nobis in necessitate est, altera in voluntate. Quis enim cognoscens Deum ad eius regnum ingreditur, nisi prius bene operetur? Sine contemplatiua ergo vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt. Sine actiua autem intrare non possunt, si negligunt bona operari quæ possunt.*

G.hom.18.

G.hom.3.

IV. Est, vt qui dono contemplationis valent, suo tempore se ad externas actiones dimittere non negligant. *Cum proximorum*, inquit idem B. Greg. in moralibus, *causis exterioribus qui aptè deseruiant desunt, debent hi quoq;, qui spiritalibus donis pleni sunt, eorum infirmitatibus condescendere, terrenisq; illorum necessitatibus, inquantum decenter valeant charitatis condescensione seruire. Nec tædere animum debet, si sensus eius contemplationi spiritalium semper intentus aliquando dispensandis rebus minimis quasi minoratus inflectitur, quando illud verbum, per quod constat omnis creatura, vt prodesset hominibus assumpta humanitate voluit paulo minus ab angelis minorari. Nec tamen minoratur sensus eum sic attrahitur, quia tanto subtilius superiora penetrat, quanto humilius pro amore conditoris nec inferiora contemnit.* Et in Ezechielem. *Sicut*, inquit, *bonus ordo viuendi est, vt ab actiua in contemplatiuam tendatur: ita plerumq; vtiliter à contemplatiua animus ad actiuam reflectitur, vt per hoc quod contemplatiua mentem accenderit, perfectius actiua teneatur.* Et S. Bernar. in Cantica. *Hoc vera & casta contemplatio habet, vt mentem,*

G.l.19.c.22.

G.hom.14.

B.serm.57.

mentem, quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, vt otium contéplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursum potita votis aliquatenus in hac parte tanto ardentius redeat in idipsum, quanto se fructuosius intermisisse meminerit. Hoc S. Bernardus suo exemplo, ut liquet ex eius vita & epistolis egregie declarauit, & ante eum S. Antonius, multiq; alij anachoretæ qui, licet toti contemplatione absorpti, solitudinibus desertis ad vrbes confugerunt, vt Ecclesiam fluctuantem erigerent, de quibus multa in Ecclesiastica historia. S. Augustinus tractatu 7. in Joannem eodem refert visionem Jacobi Patriarchæ de ascensu, descensuq; angelorum in scala, & dictum Christi ad Nathanaelem de ijsdem ascendentibus & descendentibus super filium hominis. Gen. 28. 12. Ioan. 1. 51.

V. Est, Contemplationem etiam rerum inuisibilium & cœlestium vt vitæ æternæ, angelicorum spirituum, & Dei Opt. Max. cum mysterio S. Trinitatis inchoari in hac uita, *Propter quod,* inquit Apostolus, *non deficimus,* nempe in perferendis tribulationibus, *non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.* Et Christus ad Patrem. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* loquebatur autem de cognitione ab Apostolis in hac vita inchoata. Ita docuit S. Hieronymus loco supra citato, & B. Prosper libro primo de vita contemplatiua cap. 5. & 6. 11. eandem in hac vita, vt salutaris sit, debere esse conjunctam cum affectu voluntatis, quem iungebat illi qui dicebat. *Nostra autem conuersatio in cœlis est,* nempe affectu. Et. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Vnde S. BERNARDVS in Cantica. *Cum duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu vnus, & alter in affectu: vnus in lumine, & alter in feruore: vnus in cogitatione, & alter in deuotione: pius sanè affectus & pectus amore calens, & sanctæ deuotionis infusio, etiam & vehementis spiritus repletus zelo, non plane aliunde, quam è cella vinaria reportantur.* 3. eandem contemplationem, siue intellectum siue affectum spectes non esse certis limitibus circumscriptam, sed in alijs atq alijs esse perfectiorem, ut idem S. Bernardus ostendit in eadem Cantica. Richardus libro quinto de contemplatione assignat & triplicem modum quo in contemplatione, aliquis perficiatur, nempe mentis uel dilatatione, uel subleuatione uel alienatione. *Mentis dilatatio est,* inquit, *quando animi acies latius expanditur, & vehementius acuitur, modum tamen humanæ industriæ nullatenus supergreditur. Mentis subleuatio est, quando intelligentiæ*

2. Cor. 4. 16. Ioan. 17. 3. H. in c. 5. Ierem. Phil. 3. 20. Hebr. 13. 14. B. ser. 49. Id. serm. 62. R. p. 1. c. 2.

ligentiæ viuacitas diuinitus irradiata humanæ industriæ metas transcendit, nec tamen in mentis alienationem transit, ita vt & supra se sit quod uideat, & tamen ab assuetis penitus non recedat. Mentis alienatio est, quando præsentium memoria menti excidit, & in peregrinum quendam, & humanæ industriæ imum animi statum diuinæ operationis transfiguratione transit. Hos tres contemplationis modos experiuntur, qui ad summam eiusmodi gratiæ artem subleuari merentur. 4. deniq; quantacunq; contemplationis perfectio homini in hac vita contingat, tamen esse imperfectam, si conferatur cum contemplatione futura in altera vita. Id clarè testatur Apostolus, qui licet ad fastigium contemplationis peruenisset, in ipsumq;
2.Cor.12.2. tertium cœlum raptus fuisset, tamen ita scripsit in priore epistola ad
1.Cor.13.9. Corinthios. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosce ex parte, tunc*
Phil.3 13. *autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Et ad Philippenses. *Fratres ego*
15. *me non arbitror comprehendisse.* & deinde subiungit. *Quicunq; ergo perfecti*
Pr.l.1.c.6. *sumus, hoc sentiamus.* In quæ dicta ita scribit B. Prosper loco cit. *Si consideramus Apostoli Pauli sermonem, quo inter eam scientiam, quæ hic est, & eam, quæ ibi futura est discriminans, Ex parte scimus, & ex parte prophetamus; contemplationem diuinam, quæ in hac vita est illi futuræ conferre nec possumus, nec debemus, quando idem Apostolus adiungat, & dicat. Cum autem venerit, quod perfectum est, in illa vita significans, tunc euacuabitur, quod ex parte est: ac sic, quod modo ex parte sentimus, tunc ad illam plenitudinem contemplationis diuinæ perducti iam perfectè videbimus.*

CAPVT IV.

De Contemplationis effectis, uel fructibus.

PRIMVS fructus Contemplationis est, quod eximia voluptate spiritali animum perfundat, quietumq; & tranquillum efficiat.
Psal.54.7. Vnde contemplator quidam dicebat. *Quis dabit mihi pennas sicut co-*
Psal 30.20. *lumbæ, & volabo,* nempe per contemplationem, *& requiescam.* Quieto verò potius exclamabat. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ quam ab-*
Matt.17.4. *scondisti timentibus te.* Et Apostolus Petrus cum in monte Thabor contemplatione transfigurati Christi fruitus esset, tanta voluptate exilijt, vt diceret ad Iesum. *Domine bonum est nos hic esse. Contemplatiua vita,*
G.hom.14. inquit S. Gregor. in Ezechielem, *amabilis ualde dulcedo est, quæ super semetipsam animam rapit, cœlestia aperit, terrena autem debere esse contempta ostendit*

ostendit: spiritalia mentis oculis patefacit; corporalia abscondit. Qua de causa suauissimo somno comparatur, in diuinis scripturis, vt idem Greg. Id.lib.5.c.21.
in moralibus añotauit: *Sciendum est,* ait, *quia in Scriptura sacra figuratè positus, tribus modis accipitur. Aliquando enim somno mors carnis, aliquando torpor negligentiæ, aliquando verò exprimitur calcatis terrenis desiderijs quies vitæ, sicut Sponsæ voce in Canticis canticorum dicitur. Ego dormio, & cor meum vigilat, quia videlicet sancta mens, quo se à strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eo verius interna cognoscit, & tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultat.* Cant.5.2. *Quod bene per Iacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem posuit, & obdormiuit, à terra scalam cœlo inhærentem, innixum scalæ Deum, ascendentes quoq; & descendentes angelos vidit. In itinere quippe dormire, est in hoc præsentis vitæ transitu à rerum temporalium amore quiescere. Angelos verò ascendentes & descendentes cernere, est ciues supernæ patriæ contemplari.* Gen.28.11.

II. Fructus, est quod rerum terrenarum amorem conuertat in amorem cælestium. Vnde idem Sanctus exponens verba illa Job. Super hoc expauit cor meum, & motum est de loco suo, ita scribit. *Locus quippe humani cordis est delectatio vitæ præsentis, sed cum diuina aspiratione tangitur locus nostri cordis fit amor æternitatis. Consideratione igitur æternæ patriæ de loco suo animus mouetur, quia derelictis infimis in supernis cogitationibus ponitur. Prius enim quæ essent æterna nesciebat, in præsentium delectatione torpuerat, simulque ipse transiens amore transeuntia tenebat. Sed postquam, quæ essent æterna, cognouit, postquam supernæ lucis radios raptim contemplando contigit, admiratione summorum sese ab infimis suscitatus eleuauit, vt nulla iam ei, nisi quæ æterna sunt libeant, & despectis transeuntibus sola quæ permanent requirat.* G.26.m.c.12. Iob.37.1.

III. Est, quod beneficio contemplationis breuissima nobis paretur via ad vitæ spiritualis perfectionem, quod tot Sanctorum exemplis, maximè anachoretarum ostenditur, quotquot in contemplatione excelluerunt, de quibus ita loquitur summus contemplator noster Gregorius. *Qui sunt in Sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda in quibus animæ per amorem sponso inuisibili iunguntur, vt eius desiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, & amoris amplexu in cælestis sponsi visione requiescere. Mens itaq; quæ iam talis est nullam præsentis seculi consolationem recipit, sed ad illam, quam diligit, medullitus suspirat, feruet, anhelat, anxiatur. Vilis fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris. Vnde & in Canticis dicitur. Vulnerata charitate ego sum.* G.l.2. in Ezech hom.15. Cant.5.

IV. Est, quod mirificè iuuet ad mortificandas omnes animi & corporis perturbationes, totumq; veterem hominem renouandum, vt bene aduertit alius è summis contemplatoribus S. Bernardus in sua Cantica. *Excedente anima,* ait, *etsi nō vita, certe vitæ sensu, necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Vtinam hac morte ego frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis, vt non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, vt non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinū, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte iustorum, vt nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert sed transfert in melius.*

B. serm. 52.

V. Fructus sit zelus animarum, quem idem S. Pater alibi obseruauit. *Hoc vera,* inquit, *& casta contemplatio habet, vt mentem, quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, vt etiam contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat.*

Id. serm. 57.

CAPVT V.

De Impedimentis Contemplationis.

S. BERNARDVS sermone 5. de assumptione B. V. Mariæ tria impedimenta enumerat his verbis. *TRIA sunt, quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque à contemplatione veri luminis excludunt: tenebræ scilicet peccatorum, recordatio eorundem peccatorum, cura terrenorum actuum. Primo illo morbo turbatum se plangebat propheta, cum diceret. Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Cum enim lucе iustitiæ destituimur, nil aliud quam peccatorum nostrorum tenebras inuenimus. Item secundo se grauari sentiebat, cum dicebat. Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina, peccatorum scilicet recordatio. Tertio occupari se conqueritur, cum dicit. Quia cinerem tanquam panem manducabam, cinerem scilicet actionis pro pane contemplationis. Quicunque ergo mentis oculum diuinæ contemplationi vult intendere, profecto necesse est, vt eum prius ab hoc triplici impedimento studeat purgare. Quod si quis facere contendat, nouerit contra triplicem morbum, triplex quoque fore remedium. Nam primus quidem per confessionem, secundus per orationem, tertius curatur per quietem.*

Psalm. 37. 11.
Psalm. 31. 4.
Psalm. 101. 10.

IDEM alibi duo alia commemorat impedimenta, nempe corporis inualetudinem, & irruentium phantasmatum copiam. *In hoc arcanum,* ait,

IV. & V.
B. ser. 23. in Cāt.

ait, *& in hoc ſanctuarium Dei*, contemplationis ſcilicet, *ſi quem forte veſtrum aliqua hora ſic rapi, & ſic abſcondi contigerit, vt minimè auocet, aut perturbet, vel ſenſus egens* (vt in ægro) *vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe, quæ difficilius amouentur irruentium imaginum corporearum phantaſmata poterit quidem hic, cum ad nos redierit, gloriari, & dicere. Introduxit me rex in cubiculum ſuum.* Vnde Ioannes Caſſianus collatione decima non ſemel monet, vt *quales orantes volumus inueniri, tales ſimus ante tempus orandi, neceſſe enim eſſe mentem in tempore ſupplicationis ſuæ de ſtatu præſenti formari. Cum enim ſe mens ad ſtudium orationis erexerit*, ait S. Gregorius 10. moralium, *earum rerum imagines reuerberata patitur, quibus libenter prius otioſa premebatur.* C.c.9.13. G.c.17.

SEXTVM impedimentum profert S. Thomas in altera ſummæ Theologicæ parte, vehementiam paſſionum. *Duo ſunt*, inquit, *quæ impediunt actum contemplationis. Vehementia paſſionum, per quam abſtrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad ſenſibilia, & tumultus exteriores occupationum.* T.22.q.180.a.2

CAPVT VI.

De Medijs quibus ad perfectionem Contemplationis veniatur.

PRIMVM medium aſſignat Ioan. Caſſianus his verbis. *Quiſquè ad Theoreticen voluerit peruenire, neceſſe eſt, vt omni ſtudio atque virtute actualem primum ſcientiam conſequatur, &c. Hæc autem actualis perfectio duplici ratione ſubſiſtit. Nam primus eius modus eſt, vt omnium natura vitiorum, & curationis ratio cognoſcatur. Secundus, vt ita diſcernatur ordo virtutum, earumq; perfectione mens noſtra formetur, vt illis non iam velut coacta, & quaſi violento imperio ſubiecta famuletur, ſed tanquam naturali bono delectetur atq; paſcatur, & arduam illam atq; anguſtam viam cum oblectatione conſcendat.* C.col.14.c.2.&3

II. MEDIVM tradit CLEMENS Alexandrinus Puritatem cordis, immò CHRISTVS ipſe, dum ait. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Conſentit B. BERNARDVS libro quinto, de Conſideratione. *Prima*, inquit, *& maxima contemplatio eſt admiratio Maieſtatis. hæc requirit cor purgatum, vt à vitijs liberum atque exornatum peccatis facile ad ſuperna leuet, interdum quoque vel per aliquas morulas ſtupore & eccſtaſi ſuſpenſum teneat admirantem.* Et in Cl 7.ſtrom. Matt.5 8. Bern.in fine.

Id.ser.62. Cantica. *Placeat necesse est facies, quæ in Dei claritatem intendere potest. Neq; enim id posset, nisi clara ipsa quoq; esset & pura, vtiq; transformata in eandem, quam conspicit claritatis imaginem, alioquin ipsa dissimilitudine resiliret insolito reuerberata fulgore. Ergo cum pura puram intueri potuerit veritatem, tunc faciem ipsius sponsus videre cupit.*

P. de vita cont. cap. 8. III. Medium proponit S. Prosper, idq; multiplex. *Vitæ,* inquit, *contemplatiuæ sectator ad conditorem suum corde illuminandus accedat, ipsi contemplando atq; insatiabiliter perfruendo vigilanter inseruiat, ipsum iugiter concupiscat, præ amore eius omnia quibus inde potest auerti refugiat, omnes cogitationes suas ac totam spem ex illius delectatione suspendat, litterarum diuinarum sacris meditationibus vacet, in his se diuinitus illuminatus oblectet, ibi se totum velut in speculo quodam refulgente consideret, quod in se prauum deprehenderit corrigat, quod rectum est teneat, quod deforme componat, quod pulchrum excolat, quod sanum seruet, quod infirmum, assidua lectione corroboret, &c. Et cum hæc & his similia contemplatiuæ vitæ desiderio affectus impleuerit, non se hîc iam ex parte omni perfectum, sed perficiendum in illa beata vita, quæ futura est, immobiliter credat, atq; ad eandem se, vbi Dei substantiam reuelata facie videre possit, extendat.*

G.hom.18. IV. Medium est S. Gregorii in Ezechielem, nempe consideratio vitæ Sanctorum. *Non solum,* inquiens, *alta Sanctæ Ecclesiæ membra quæ prominent habent contemplationis gratiã, sed plerumq; hoc donum etiam illa membra percipiunt, quæ etsi per desiderium ad summa emicant, tamen adhuc per officium in imis iacent.* Et paulo post. *Sic in contemplationem nostram multa cogitationibus circumeundo proficimus, sicut exempla bonorum sæpe quærimus, vt in moribus proficiamus. Nam cum iam cogitat animus ad meliora transire, quicquid melius de alijs audire posset exquirit, nunc huius, nunc alterius sancti vitam ventilat. Vnde & electus quidam, qui in expanso* Psal.26.6. *riuo Sanctæ Ecclesiæ per vniuersum mundum mentis oculos miserat, bonorum vitam ad imitationem requirens dicebat. Circuibo, & immolabo in tabernaculo Dei hostiam iubilationis. Ecce, vt immolaret iubilationis hostiam circuibat: quia nisi animam huc illucq; ad bonorum vitam exquirendam mitteret, ipse utq; ad iubilationis sacrificium non perueniret. Cum verò sancti viri intra Ecclesiam ad loca summa perducuntur eorum vita quasi in speculo ponitur, vt cuncti videant bona quæ debeant imitari.* Exemplum huius medij habemus in S. ANTONIO, qui ut ad perfectionem vitæ contemplatiuæ & anachoreticæ breui perueniret, adhuc adolescens omnium eremitarum quos laude aliqua virtutis præstare audierat, cellas obibat, & instar apiculæ prudentissimæ variarum virtutum roscida mella colligebat, vt commemorat S. Athanasius sub Sur. tom 1. initium vitæ illius.

V. Medium ſuggerit S. Baſilius in Conſtitutionibus monaſticis, idque monachis congruens in hæc verba. *Quod ſi mauis Mariam Magdalenam imitari, quæ ſpreto corporis obſequio altius ad rerum diuinarum contemplationem aſcendit, legitimè & vt par eſt, verè negotium tractato, corporis curam abiicito, agricolationem deſerito, apparatus etiam epularum & obſoniorum aſpernator, & ad Domini pedes aſſideto, & quæ ille dicat auſcultato, vt arcanorum diuinitatis particeps efficiare. Siquidem officiis iis quæ corpori impenduntur potior eſt dogmatum Chriſti contemplatio.* Et iterum. *Proinde ſi tibi quoque in animo fuerit Chriſti arcanis imbui, & ad pedes illius aſſederis, totam ibi rem deſeres familiarem tuam & vacuus ab omni ſolicitudine deges: corporis proprii etiam obliuiſcère, atq. hoc modo in contemplationibus verſans, familiarius cum eo colloqui poteris, vt Mariam ita imitère, & ſupremæ gloriæ fructum conſequare.* B. cap. 2.

VI. Medium, contemplationi ſemper iungendum, tradit S. BERNARDVS in Cantica, nempe Orationem. *Si quis noſtrum*, ait, *integrè & perfectè iuxta verbum ſapientis cor ſuum tradat ad vigilandū diluculo ad Dominū, qui fecit illum. & in conſpectu altiſſimi deprecetur, ſimulq. votis omnibus ſtudeat ſecundum Iſaiam prophetam parare vias Domini, rectas facere ſemitas Dei ſui, cui cum propheta ſit dicere. Oculi mei ſemper ad Dominū. Et. Quia prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, nonne hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo? Viſitabitur profectò frequenter, nec vnquam ignorabit tempus viſitationis ſuæ, quantumlibet is qui in ſpiritu viſitat, clandeſtinus veniat & furtiuus, vtpote verecundus amator.* Idē tradit Richardus in Beniamin minore *Sine triplici ſtudio ad huius*, inquit, *cognitionis celſitudinem non perducimur. Per ſtudium operis, per ſtudium meditationis, per ſtudium orationis. Multa enim experimur operando, multa inuenimus inueſtigando, multa extorquemus orando. Innumera ſiquidem, quæ nec per experientiam operis, nec per inueſtigationem rationis inuenire valemus, per importunitatem orationis edoceri meremur.* B. ſ. 57. R. p. 1. c. 73.

VIDE *V. Cognitio Dei. Oratio. Et in* PANARIO *V. Illuſiones ſpirituales.*

CORRECTIO.

CAPVT I.

Quid nomine Correctionis intelligatur, & cuius virtutis Actio ſit.

CORRECTIONIS nomine generatim intelligimus quamuis ex charitate profectam admonitionem de cauendo errato, vel lapſu commiſſo,

commisso; siue leniorem, quæ propriè dicitur admonitio & correctio; siue seueriorem, quæ dicitur correptio, reprehensio, obiurgatio, increpatio. Tale discrimen notauit S. Augustinus de verbis Domini in verbis corripiendi & corrigendi, *Debemus*, inquit, *amando corripere, non nocendi auiditate, sed studio corrigendi*, intelligens correctionem quam sequitur emendatio. Et S. Gregorius in vocibus arguendi & corripiendi, exponens verba illa psalmi, *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Sicut maior*, inquit, *est furor quam ira, ita arguere maius est, quam corripere. Teste B. Augustino, hi omnes qui non posuerunt sibi fundamentum Christum in furore arguuntur, quia æterno igne cruciantur. Qui autẽ eidem fundamento superposuerunt lignum, fœnum stipulam, in ira corripiuntur, quia igne purgati ad beatitudinis requiem deducuntur.*

A. serm. 16.

G. in psal. pœni.
Psal 37. 1.
Aug. in ps. 37.

Hæc Correctio, auctore S. Thoma Aquinate in summa Theologica, est actio charitatis, quod indicauit Dominus apud Matthæum dicens. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum.* Nam voce fratris insinuat esse corripiendum ex caritate fraterna. Sic Apostolus agens de homine inobediente. *Nolite*, ait, *quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.* Vnde S. Ambros. in lib. 3. de officiis arbitratur inter amicos quoq;, qui maximè inter se charitate deuincti sunt, laudabilem esse correptionem. *Sicut enim*, inquit, *bonæ correptiones, & plerunq; meliores quam tacita amicitia. Et si lædi se putat amicus, tu tamen corripe, &c.* Ac de Deo ipso legimus in Prouerbiis Salomonis, *Quem diligit Dominus corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi.* Deinde quid est aliud correctio fraterna, quam eleemosyna spiritualis, quam proximi in peccatum lapsi subleuamus miseriam? at eleemosynam esse actionem charitatis, satis declarauit S. Ioannes his verbis. *Qui habuerit substantiam huius mundi & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Qua de causa haud secus quã eleemosyna, potest esse etiam actio virtutis misericordiæ, iuxta illud psalmi. *Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* In quæ verba ita S. Chrysost. *Quod Psalmista dicit est huiusmodi. Eorum qui ad gratiam loquuntur propter damnum cœtus nunquam fuerim particeps: eos autem elegerim, qui sunt acres & vehementes & corrigunt, qui peccatum aperiunt, qui reprehendunt: hoc enim maxime misericordiæ & clementiæ mederi vulneribus. Et ideo dixit quispiam. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.*

Th. 22. q. 33. a. 1.
Matt. 18. 15.
2. Thess. 3. 15.

A. c. 16.

Prou. 3. 11.

1. Ioan. 3. 17.

Psalm. 140. 5.

Prou. 27. 6.

* * *

CAPVT

CAPVT II.

Lege diuina correctionem esse necessariam.

CORRECTIONEM diuina lege esse mandatam patefecit Spiritus Leu.19.17.
sanctus primum in literis sacris, vt in Leuitico. *Non oderis fratrem*
tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Et in
Salomonis Prouerbiis *Argue sapientem, & diliget te.* Et apud Ecclesi- Prou.9.8.
asticum *Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat. Non feci: aut*
si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit: &
si dixerit, ne forte iteret. Corripe animam, sæpe enim fit commissio. Corripe Eccli.19.13.
proximum antequam commineris. Et Christus Dominus apud Matthæ- Matth.18.15.
um. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum so-*
lum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Et Apostolus ad Thessaloni- 1.Thess.5.14.
censes. *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes.* Et ad Timotheum 1.Tim.5.20.
Peccantes coram omnibus argue. Et iterum. *Prædica verbum, insta opportu-* 2.Tim.4.2.
nè, importunè argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Et ad Ti- Tit.1.13.
tum. *Increpa illos* (Cretenses) *durè, vt sani sint in fide.*

SECVNDO patefecit in veterum Patrum libris. ORIGENES in Leuiticum ait. *Vis scire, quia consentiant hæc Euangelicis præceptis? Dominus inquit. Si videris fratrem tuum peccare, argue eum inter te & ipsum solum.*

S. Basilius in Moralibus summa 52. cap 2. inter alia diuina præce-
pta ponit etiam, quod non oportet silere, dum peccantes vides, idq;
confirmat ex B. Luca, vbi Dominus ait. *Si peccauerit in te frater tuus, in-* Luc.17.3.
crepa ipsum. Et ex Apostolo ad Ephesios. *Nolite communicare operibus in-* Eph.5.11.
fructuosis tenebrarum, imò etiam redarguite. S. Hieronymus in verba psal-
mi. Corripiet me iustus in misericordia, &c. non corrigentem cõfert Psal.140.5.
medico, *qui si videas in corpore carnes putridas, & dicat quid ad me pertinet?* Hier. in Psalm.
scias, inquit, *quia crudelis est.* S. Chrysost. hom. 60. in Matthæum. *Si no-*
bis non est satis ad salutẽ quod virtuose viuamus, sed oportet aliorum salutem Chrysostom.
re ipsa desiderare: cum neq; nos rectè viuamus, neque alios hortemur, quid re-
spondebimus? quæ nobis spes salutis reliqua erit? Et lib. 3. contra vituperato-
res vitæ monasticæ. *Iudex pari & fere eadem diligentia nostram & proxi-*
morum nostrorũ salutem requirit à nobis: idcirco Paulus quoq; semper & vbiq;
monet singulos, non quæ sua sunt quærere, sed quæ proximorũ: ideo in Corinthios
inuehitur vehemẽter, quod nullã curã habuerint eius, qui in grauissimũ crimẽ
fornicõis inciderat, sed magis eius vulnus tumidũ, obduratũq; contempserint.

Galatis-

Gal.6.1. *Galatis quoq; eadem scribens aiebat. Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis eiusmodi corrigite. Thessalonicensibus item eadem monita edebat, dicens. Itaq; exhortamini inuicem, sicut & facitis. Itemq; Corripite indisciplinatos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos. Ne quis enim diceret, quid mea interest etiam aliorum curare salutem? qui perit, pereat. & qui seruatur, seruetur, nihil horum pertinet ad me, mei tantum ipsius curam habere mihi imperatum est. Ne quis, inquam, ista diceret, immanē hanc & prorsus inhumanam cogitationem iugulans, legibus istis illam sepsit, quibus plurima iuberet nostrorum cōmodorum negligere, vt proximorum saluti consuleremus, &c.* multa. S. Augustinus de verbis Domini. *Si peccauerit in*
A. ser.16. *te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum. Si neglexeris, peior es. Ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo graui seipsum vulnere percussit. Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu enim vides perire & negligis? Peior es tacendo, quàm ille conuiciando.* S. Gregorius ad Felicem Episcopum Siciliæ. *Sal-*
G.li.12 ep.31. *uator inter cetera de peccante in se fratre præcipiendo ait. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum.* Innocentius III. in Capitulum, Cum ex iniuncto. Extra de hæreticis. *Aliud est,* inquit, *fratrem in se peccantem occultè corripere quod quisq; tenetur efficere secundum regulam Euangelicam, &c. aliud, fratrem suum delinquentem manifestè reprehendere.*

Ratio naturalis quoq; quæ, teste Tertulliano, est *quædam res Dei,*
T. de Pœnit. dictat, vt proximo, siue in salute corporis, siue animi, quæ nobilior est, procuranda, commodemus. *Omne enim animal,* inquit Sapiens, *diligit*
Eccli.13.19. *simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi.* Et iterum *Mandauit (*Deus*) v-*
Ib.17.12. *nicuiq; de proximo suo,* non modo lege diuina, sed etiam naturali. qualis
Matt.7.12. est & illa Christi. *Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines & vos fa-*
Tob.4.16. *cite illis.* Atqui corrigendo sæpenumero prodesse possumus proximo, ergo tenemur eum corrigere. Quare nec Gentiles rationem secuti hanc doctrinam ignorarunt. Plauti verba sunt in Trinummo.

Sed tu ex amicis certis mihi certissimus,
Si quid me scis fecisse inscitè, aut improbè,
Si id non accusas, tu ipse obiurgandus es.

Senecæ quoque Philosophi in Prouerbiis hæ feruntur sententiæ. *Amici vitia si feras, facis tua. Cum his conuersare, qui te corrigant. Secretò admone amicos, palam lauda. Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Bonis nocet, qui malis parcit.*

Capvt

CAPVT III.

De multiplici fructu correctionis.

NEQVE reticuit Spiritus sanctus multiplicem fructum fraternæ correctionis. PRIMVS est, quod sæpe hominem è luto peccatorum extrahat & ad meliorē frugem reducat. Id non obscurè indicant verba Christi. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe illum, &c si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Cum quibus conueniunt & illa Apostoli Iacobi. *Si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Vnde S. AVGVSTINVS de verbis Domini. *Si te ille,* inquit, *in quem peccasti corripuerit inter te & ipsum solum, & audieris illum, lucratus est te. Quid est, lucratus est te. nisi quia perieras, si non lucraretur te: nam si nō perieras, quomodo te lucratus est? Nemo ergo contemnat, quando peccat in fratrem. Ait enim quodam loco Apostolus. Sic peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis, ideo, quia membra Christi omnes facti sumus.*

Matt. 18. 15.
Iac. 5. 19.
A. serm. 16.
1. Cor. 8. 12.

ALTER fructus est, quod correctionis beneficio peccator in agnitionem peccati veniat, & inde ad pœnitentiam adducatur. quem obseruauit sapiens, dum ait. *Corripe amicū, ne forte non intellexerit, & dicat. non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere.* Vnde S AVGVSTINVS libro de correptione & gratia. *Quicunque,* ait, *corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari: non vis vt feriantur, fiatque tibi vtilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi, vt cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices, ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium est, quod malus es & maius vitium, corripi nolle, quia malus es, quasi laudanda, vel indifferenter habenda sint vitia, vt neque laudentur, neque vituperentur: aut verò nihil agat timor correpti hominis, vel pudor vel dolor.* Et paulo post. *Hæc est correptionis vtilitas, quæ nunc maior, nunc minor pro peccatorum diuersitate salubriter adhibetur, & tunc est salubris, quando supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cum facit, vt peccati sui quemque pœniteat.*

Eccl 19. 13.
A. cap. 5.

III. Fructus est, quod plurium beneficiorum tam spiritalium, quam temporalium capaces se reddant ipsi correctores, iuxta illud Salomonis. *Qui dicunt impio, iustus es, maledicent eis populi, & dete-* Prou. 24. 24.

& detestabuntur eos tribus. Qui arguunt eum laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio.

Prou. 9. 8. Ib. 28. 23. IV. est, quod correctio ipsum correctum sæpe reddat chariorem correctori, iuxta illud sapientis. *Argue sapientem, & diliget te.* Et. *Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum magis, quam ille qui per linguæ blandimenta decipit.*

1. Tim. 5. 20. Chr. hom. 15. V. est, quod vtilitas, si non in correctū, saltem in alios redundet, secundum illud Apostoli. *Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant.* In quæ verba Chrysostomus. *Quid ergo! nonne maius scandalum facit coram omnibus arguere? minimè id quidem, magis enim scandalizantur, si peccata non ignorantes nullum inferri videant cruciatum. Sicut enim si impunè peccetur, plurimi delinquunt, ita si peccata puniantur, complures virtuti student. Ita & Deus fecisse deprehenditur.*

A. c. 72. Luc. 11. 41. VI. est Augustini, quod correctio ex caritate profecta non sit aliud, quam spiritualis quædam eleemosyna, quam dubium non est prodesse. *Ad omnia,* inquit in Enchiridio ad Laurentium, *quæ vtili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Non solum autem qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, &c. verum etiam & qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat, & qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius, quo ab illo læsus est, aut offensus dimittit ex corde, vel orat, vt ei dimittatur, nō solum quod dimittit atq; orat, verum etiam in eo quod corripit, atque aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati.*

CAPVT IV.

Quod non Prælatis solis, vel Senioribus, sed omnibus prorsus hominibus incumbat necessitas corrigendi alios, si debitæ circumstantiæ adsint.

PRIMO illud certū & indubitatum est, omnibus Prælatis, & Magistratibus æquè politicis atque Ecclesiasticis, & quotquot aliquod imperium in alios habent, (vt parentes in filios, ludimagistri & pœdagogi in discipulos) non solum lege diuina generali, de qua actum est capite secundo, sed etiam ratione officii, quod gerunt, incumbere necessitatem alios corrigendi. Nam in sacris litteris acriter eis hæc negligentia exprobratur, vt apud Ezechielem prophetam. *Hæc,* inquit, *dicit*

dicit Dominus Deus. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis. Quæ verba exponens S. Gregorius 2 parte pastoral s. *Abiectum,* ait, *reducitur, cum quisque in culpa lapsus ad statum iustitiæ ex pastoralis solicitudinis vigore reuocatur. Fracturam verò ligamen astringit, cum culpam disciplina deprimit, ne plaga vsq; ad interitum defluat, si hanc districtionis seueritas non coarctat. Sed sæpe deterius frangitur, cum fractura incautè colligatur, ita vt grauius scissuram sentiat si hanc immoderatius ligamenta constringant. Vnde necesse est, vt cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se solicitudine etiam districtor ipse moderetur.* Ezech. 34. a. G. c. 6.

Et S. Augustinus libro primo de ciuitate respiciens ad aliam sententiam Ezechielis ita scribit de correctione Prælatorum. *Qua in re non vtique parem, sed longe grauiorem habet causam, quibus per prophetā dicitur. Ille quidem in peccato suo morietur: sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum Præpositi constituti sunt in Ecclesiis, vt non parcant obiurgando peccata.* Ezech. 33. 6. Aug. c. 9.

S. Bernardus etiam iam existens Abbas vel Præpositus sui monasterii vtramque obligationem corrigendi agnoscit dicens. *Vtinam magis neminem obiurgare necesse sit: hoc enim melius Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere, magis autem vrget caritas.* Ex hac verò peculiari obligatione corrigendi prælatorum, illud quoque onus nascitur, vt teneantur inquirere in subditos delinquentes, vt Pastor in oues aberrantes, vel scabiosas. quod & Deus apud dictum prophetam insinuauit, cum ait. *Quod perierat, non quæsistis.* Vnde B. Gregorius loco citato *Nonnulla,* inquit, *subtiliter & occultè sunt perscrutanda, vt quibusdam signis erumpentibus rector in subditorum mente omne quod clausum latet inueniat, & interueniente correptionis articulo ex minimis maiora cognoscat. Vnde rectè ad Ezechielem dicitur. Fili hominis fode tibi parietem. Vbi mox idem propheta. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium vnum & dixit ad me. Ingredere & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi, &c. Notandum itaque est, quia prius foramen in pariete, ac deinde ostium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonstratur; quia nimirum vniuscuiusque peccati prius signa forinsecus, deinde ianua apertæ iniquitatis ostenditur, & tunc demum omne malum, quod intus latet, aperitur.* Bern. serm. 42. in Cant. G. c. 10. Ez. 8. 8.

SECVNDO certum est, omnibus omnino hominibus, tum qua homines, tum qua Chr stiani sunt, etiamsi aliis non præsint, incum-

bere necessitatem corrigendi delinquentes. Sententiæ siquidem è sacris litteris supra allatæ generales sunt, ad nullum hominum genus astrictæ. Deinde S. Patres disertè id fatentur, inter quos est antiquissimus Pontifex S. ANACLETVS, cuius apud Gratianum hæc sunt verba *Tam sacerdotes, quam reliqui fideles omnes summam curam habere debent de ijs, qui pereunt, quatenus eorum redargutione corrigantur à peccato, aut si incorrigibiles apparuerint ab Ecclesia separentur.* Et S. CHRYSOSTOMVS ad populum Antiochenum. *Quisq; proximum corrigat; ædificate enim alter alterum, inquit. Nisi enim hoc faciamus, à quocunq; commissa præuaricatio commune quoddam & intolerabile damnum ciuitati afferet. Nec in excusationem nobis dicere sufficit. Non aderam, non conscius eram, commissis non communicaui,* quando statuæ Imperatoris deiectæ sunt. *Quoniam & is qui talentum defodit, non pro reatibus suis tunc accusabatur: integrum enim depositum reddidit. sed quoniam ipsam non multiplicauit, quoniam non castigauit ceteros, quoniam argentum ad numularios non detulit, non increpuit, non correxit proximos peccatores inordinatos.*

24. q. 5. c tam sacerd.

Chr. hom. 2. 1. Thess. 5. 11.

Et homilia 30. in epist. ad Hebræos. *Si Dominus pecunias habenti, & non largienti supplicium comminatur, ei qui valet proximum commonere vel quolibet modo & minimè facit, quomodo non maioribus supplicijs punietur? Illic enim corpus nutritur, hic autem anima: illic à nocte seruas temporali, hic verò ab æterna. Sed non habeo, inquis, sermonem. Sed non opus est eloquentia. Si videris amicum fornicantem, dic ad eum. rem malam agis, non erubescis? non confunderis? malum hoc est. Quid autem, inquis. ipse malum esse illud opus non ignorat. Ita est, sed cupiditate pertrahitur. Nam & qui æger est, scit verè, quia frigida aqua malum est, si potetur: veruntamen opus habet, qui eum prohibeat. nam dum quis passione detinetur, non facile solus ipse sibi sufficiet. Et si verbis tuis non obediat, interim custodi, intuere quo pergat, & contine à maligno negotio, fortasse enim reuerebitur. &c.* Similia habet homilia 44. in epistolam priorem ad Corinthios allato exemplo de monendo eo, qui commoraretur cum femina solus extra coniugium.

Matt. 25.

Et S. AVGVSTINVS libro primo de ciuitate Dei. *Nec tamen ab huiusmodi culpa non corripiendi alienus est, qui licet Præpositus non sit, in eis tamen, quibus vitæ huius necessitate corrigitur multa monenda vel arguenda nouit & negligit.* RATIO quoque huic doctrinæ manifestè patrocinatur, siue consideremus homines omnes qua homines sunt, ad imaginem Dei, & ad vnam felicitatem æternam conditi, quia omne animal naturaliter diligit simile sibi; siue qua Christiani sunt, sic enim inuicem membra sumus & omnes vnum corpus CHRISTI effici-

A. c. 9.

efficimus iuxta illud Apostoli in priore epistola ad Corinthios. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* At *si quid patitur,* vt ibidem dicitur, *vnum membrum, compatiuntur omnia membra, & idipsum pro inuicem solicita sunt membra.* 1.Cor.12.27

CAPVT V.

De circumstantiis, quibus necessitate corrigendi, tum superiores, tum alii eximuntur.

PRIMA Circumstantia est, si non sit exploratus lapsus proximi corrigendi, quod indicat Christus, cum ait. *Si peccauerit in te,* id est, te conscio, *frater tuus, corripe,* illum vt exponit S. Augustinus de verbis Domini. *Peccauit,* inquit, *in te frater tuus, si tu solus nosti, tunc verè in te solum peccauit. Nam si multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos testes suæ iniquitatis fecit.* Matth.18.15. A.serm.16.

II. Circumstantia est, si lapsus sit noxæ leuioris. Quod enim Christus ibidem de lapsu grauiore corrigendo sit locutus. S. Augustinus loco citato ex Christi uerbis euincit dicens. *Si te ille in quem peccasti corripuerit inter te & ipsum solum, & audieris illum, lucratus est te. Quid est, lucratus est te nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam si non perieras* (noxa graui. sc. & lethali) *quomodo lucratus est te?* Et rursus. *Peccasti in fratrem, fac satis, & sanatus es. Cito fecisti mortiferam rem, sed remedium cito inuenisti.* Deinde ex eo euinci potest, quod dicit habendum pro *Ethnico & publicano,* si Ecclesiam corrigentem non audierit, quæ pœna æquo grauior est, quam ut infligatur pro contumacia in lapsu ueniali. Neq; Origenes nos hîc remorari debet in Matthæum scribens, Christum locutum de correctione noxæ leuioris, eo quod corrigendum appellet fratrem: peccantem autem mortaliter non posse dici fratrem: nam nomine fratris intelligitur hic homo Christianus, quem opponit Ethnico & publicano, & ideò dicit, *Si non audierit, dic Ecclesiæ.* Ad Ecclesiam enim non deferuntur nisi Christiani, & quidem post grauiorem tantum lapsum. O.tract.6.

III. Est, si correctionem suam arbitrentur potius nocituram proximo, quàm profuturam. Vnde Sapiens ait. *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Et S. Augustinus libro primo de ciuitate Dei, monuit ad charitatis virtutem pertinere, vt quis *corripiendis malè agentibus parcat, quia ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur.* Vnde Laertius de vitis Philosophorum refert Zenonem cuidam sciscitanti, cur se vnum Lege Greg. Naz. apolog 1. Prou 9 8. A c.9. L.lib.7.c,1.

omnium non corrigeret, respondisse, quia tibi non credo, subindicans sibi non esse spem, illum, si corriperetur, fore meliorem. Eodem pertinet, si quis confidat proximum, vel correptione alterius, vel sua sponte se ad meliorem frugem reuocaturum.

IV. Est, si quis correctionem differat in aliud tempus, quo fructuosiorem fore arbitretur. Ita enim docet AVGVSTINVS loco sæ-
A. 1. de ciu. c. 9. pe citato. *Si propterea*, inquiens, *quisque obiurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant infirmos alios & premant atq; auertant à fide, non videtur cupiditatis occasio, sed consilium caritatis.*

V. Est, quando constat proximum iam ad meliorem frugem, siue sua sponte, siue aliorum correctione, reuocatum. Excipe superiores aliorum, qui subditos palam delinquentes, etiam cum resipue-
1. Tim. 5. 20. rint, tenentur palam arguere, iuxta illud Apostoli. *Peccantes coram omnibus argue*, idq; propter aliorum exemplum. vnde Apostolus subiunxit, *vt & ceteri timorem habeant. Manifesta peccata*, inquit, B. GRE-
G. in Registro GORIVS, *non sunt occulta correctione purganda, sed palam sunt arguendi, qui palam nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur, dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur.*
Sen. de morib. Et SENECÆ Ethnici sententia est. *Nemo prudens punit, quia peccatū est, sed ne peccetur. Res enim optima est, non sceleratos extirpare, sed scelera.*

VI. Circumstantiam addunt alij, vt qui corrigit sit vitæ inculpatæ aut saltem immunis à vitio, quod reprehendit. Primò, quia ita
psal. 140. 5. videntur tradere diuinæ litteræ. Nam regius psaltes ait. *Corripiet me*
Psal. 49. 16. *iustus in misericordia & increpabit me.* Et Deus apud eundem. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam.* Et sapiens. *Probata virtus corripit insipientes.* Et
Sap. 1. 3.
Matt. 7. 5. Christus apud Matthæum. *Hyppocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.* 2. quia idem videntur docere veteres Patres, vt S. AMBROS. in psalmum 37. *Confiteris peccatum, ait, & medicum te profiteris in alienum. Etsi veritatis est, quod retorques, temporis non est. Peccatori enim dixit Deus. Quare tu enarras iu-*
Cass. c. 5. *stitias, &c* Jo. CASSIANI libro 8. institutionum monasticarum verba sunt. *Oportet illum qui alterius vulneri mederi cupit, omni languoris morbo*
Luc. 4. 23 *alienum, sanumq; subsistere, ne illud Euangelicum dicatur ei. Medice prius cu-*
Matt 7 5 *ra teipsum: ac videns festucam in oculo fratris sui, trabem in oculo suo si non videat, quomodo videbit eijcere festucam de oculo fratris sui, qui trabem furoris gestat in oculo suo?* S. AVGVSTINVS libro 2. de sermone Domini in
A. c. 30. monte. *Piè* inquit, *cauteq; vigilandum est, vt cum aliquem reprehendere, vel*

vel obiurgare nos necessitas coegerit, primum cogitemus, vtrum tale sit vitiũ, quod nunquam habuimus, vel quo iam caruimus. Et si nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse. Si verò habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehensionem, aut obiurgationem, non odium, sed misericordia praecedat, vt siue ad correctionem eius, propter quem id facimus, siue ad peruersionem valuerit, nam incertus est exitus, nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neq; obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus. Et S. GREGORIVS libro 26. moralium. *Omnis per quem necesse est aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne dum aliorum culpas vlciscitur, ipse vlciscendi furore superetur.* Et B. ISIDORVS libro tertio de summo bono. *Non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus seruit. Improbum est enim arguere quenquã in alio, quod adhuc deprehendit in semetipso.* Idem Ethnici scriptores monuerunt, vt HORATIVS libro primo sermonum. G.c 36. Isid. c. 32. H. Sat. 3.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tàm cernis acutum?

Et M. TVLLIVS *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere.* Recr. in Salust. VERVM hæc testimonia non efficiunt peccatorem esse immunem omninò ab obseruatione præcepti corrigendi proximum; (quia vt bene dicunt Theologi scholæ, peccatum neminẽ liberat ab obligatione præceptorum diuinorum) sed tantum indicant eum parum idoneum & efficacem esse correctorem, nisi se primum corrigat, & non increpando, sed monendo leniter & congemiscendo, proximũ secum ad emendationem vitæ inuitet vt dixit S. AVGVSTINVS.

CAPVT VI.

De Modo in correctione proximi seruando.

PRIMVS modus est, vt correctio fiat cum lenitate, modestia & humanitate. Sic enim tradit primum diuina scriptura. Nam rex Psal. 140. 5. Dauid inquit. *Corripiet me iustus in misericordia* Et Apostolus ad Gal. 6. 1. Galatas. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Et ad Timotheum. *Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetũ esse ad omnes, docibilẽ, patientẽ, cũ modestia corripientẽ eos, qui resistunt veritati.* 2. Tim. 2. 24.

Deinde

Deinde S. Patres. B. Grego. Nazianzenus agens de moderatione in
disputationibus seruanda ita scribit. Hanc rationem tene, ut partim fra-
trem corrigas, idq; leniter & humanè, non ut hostis, nec ut durus & rigidus me-
dicus, nec ut sectionibus tantum & cauterijs aduersus morbum sciens grassari;
partim teipsum accuses, infirmitatisq; tuæ tibi conscius sis. Et paulo post.
Habes medicinæ regulam. Christi discipulus es, mitis & humani, infirmita-
tesq; nostras portantis. Si primum obluctetur, leniter expecta, si secundò, ne
animum despondeas: nondum enim curationis tempus effluxit: si tertiò, beni-
gnum illum & humanitate præditum agricolam imitare: Dominum adhuc pre-
A.c.17. care, ne infructuosam ficum excidat, verum conuertat & curet. S. Ambrosius
libro 8. in Lucam. Plus proficit amica correptio, quam accusatio turbulenta:
illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet: seruetur potius, quod prodi
metuat qui mouetur. Bonum quippe est, vt amicum magis te, qui corripitur
credat, quam inimicum. Facilius enim consilijs acquiescitur, quam iniuriæ
C. hom. 3. succumbitur. S. Chrysostomus ad populum Antiochenum. Vis fra-
trem corrigere? lachryma, ora Deum, ex corde apprehensum admone, consule,
2. Cor. 12. 21. exhortare. Sic Paulus faciebat. ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud
vos. Demonstra charitatem erga peccatorem: persuade ipsi, quod consulens
& curans, non peruulgare volens, peccati ipsum commonefacis, comprehende
pedes, osculare, ne erubescas, si modo mederi vis. Hæc & medici faciunt sæpe
difficiles ægrotos habentes, deosculantes, rogantes persuadent salutarem sume-
Id. hom. 7. re medicinam. Idem alibi fusè declarat exemplo Domini Dei, qui
mansuetissime Adamum primum parentem post lapsum corripuit.
C. 8 inst. c. 5. & coll. 2. c. 13. Idem docet Chrysostomi discipulus JOA. CASSIANUS, in institu-
tionibus monasticis; & in collationibus exemplum commemorat de
monacho, qui acriori increpatione Patris spiritualis in desperatio-
nem adactus est.

II. Modus est, vt cum lenior correctio non prodest, aut parum
profutura creditur, vsurpetur durior, sed ex caritate quod sapiens
Eccli. 30. 12. consulit omnibus parentibus in filios. Curua ceruicem eius, inquit, in iu-
uentute, & tunde latera eius, dum infans est, ne forte induret, & non credat ti-
Ib. 1. bi, & erit tibi dolor animæ. Et rursus. Qui diligit filium, assiduat illi fla-
gella. Exemplum habes in historia regum de Heli, qui ob omissam
1. Reg. 2. duriorem in filios animaduersionem grauiter à Deo castigatus est.
Deinde Apostolus hunc modum præscribit Timotheo, & Tito. Prædi-
2. Tim. 4. 2. ca, inquit, verbum, insta opportunè importunè, argue, obsecra, increpa in omni
Tit. 1. 13. patientia & doctrina. Et. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres
Ib. 3. 10. pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè, vt
sani sint in fide. Et. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptio-
nem deuita, sciens quia subuersus est. Idem tradunt S. Patres. Augustinus
in psal-

in psalmum 102. *Quid ergo inquis? dormiet disciplina, auferetur omnis correptio? non auferetur. Quid enim de luxurioso filio facturus es? non castigabis, non uerberabis? Seruum & ipsum tuum si malè viuentem videris, non pœna aliqua, non uerberibus refrenabis? Fiat hoc, fiat. admittit Deus, imò reprehendit si non fiat, sed animo dilectionis fac, non animo ultionis.* Et paulo post. *Qui forte pertinent ad gubernationem tuam, vindica, coerce cum dilectione, cum charitate, attendens salutem æternam ne cum parcis carni, anima pereat.*
Et Gregorius libro 24. Moralium. *Iusti cum seuerè corrigunt, interna dul-* G.c.24.
cedinis gratiam non amittunt. Nam sæpe pro inquietudine refrenanda prauorum duritiam districti rigoris assumunt, sed intus charitatis igne liquefiunt, atq; eorum amore ardent, in quos aspera correptione sæuiunt, seq; etiam eis intrinsecus in secreto cordis humiliant. Sæpe etiam quodam decenti moderamine suas culpas coram discipulis indicant, ut illi audientes discant quomodo semet-
ipsos de suis actionibus subtiliter reprehendant. Paulus disciplinam tenuit, cum 1. Cor. 13.
Corinthijs diceret. Cum enim sit inter vos Zelus & contentio, nonne carnales
estis & secundum hominem ambulatis? Sed humilitatem in disciplina non per- 1. Cor. 1. 10.
didit, quia deprecando præmisit dicens. Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut idipsum dicatis omnes & non sint in vobis schismata. Lege eundem
Gregorium in tertia parte Pastoralis, ubi 36. capita de modo admonē- G. in præfat.
di proponit & declarat. *Vt enim,* inquit, *longe ante nos reuerendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non vna eademq; cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namq; alijs officiunt, quæ alijs prosunt. Quia medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri*
vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Et S. H. in c. 1.
Hieronymus libro 1. in Ieremiam. *Quomodo nux, siue amygdalum amarissimam habet corticem, & testa durissima cingitur, ut detractis austerioribus & duris fructus dulcissimus reperiatur: sic omnis correptio & labor continen-*
tiæ amara quidem uidetur ad præsens sed fructus parit dulcissimos. S. Bernar- B. serm. 44.
dus de eodē modo in Cantica ita scribit. *Quia uulnera illius qui incidit in* Luc. 10. 30.
latrones, & iumento corporis pij Samaritani Ecclesiæ est deportatus in stabulū, non in solo oleo, sed in vino simul & oleo sanitatem recipiunt, necessarium habet spiritualis medicus etiam vinum feruidi zeli cum oleo mansuetudinis: cui sane conuenit, non modò consolari pusillanimes, sed & corripere inquietos. Si enim viderit illum qui vulneratus est, id est, qui peccauit blandis aut lenibus hortamentis, quæ in eum prærogata sunt, minimè emendari, magis autem forte etiam abutentem sua mansuetudine & patientia negligentiorem fieri, & in peccato suo etiam securius obdormire, frustrato tam uauium oleo monitorum, oportebit sane uti mordacioribus medicamentis, & vinum compunctionis infundere, duris uidelicet cum eo increpationibus atq; inuectionibus agere, & si causa requirit & duritia tanta est, etiam censuræ Ecclesiasticæ baculo percellere contem-

ptorem. Hæc ille. Vbi notandum est hunc modum corrigendi durius, vix vnquam seruandum à subditis in Superiores, & seniores, iuxta illud monitum Apostoli. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem.*
1.Tim.5.1. G.p.3 c.1. Vnde S. Gregor. in Pastorali. *Aliter admonendi sunt iuuenes, atq; aliter senes, quia illos plerunq; seueritas admonitionis ad profectum dirigit, istos verò ad meliora opera deprecatio blanda componit. Scriptum quippe est. Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem.* Et infra. *Facta Præpositorum oris gladio*
Admon.5. *ferienda non sunt, etiam cum rectè reprehendenda iudicantur.* ÆQVALES verò possunt aliquando, cum ratio postulat, durius arguere superiores vel seniores, cuius rei exemplum habemus in Paulo Apostolo, qui
Gal.2.11. A.ep.19. in faciem restitit Petro, cum esset reprehensibilis, vt est in epistola ad Galatas. de quo ita S. August. ad Hieronymum. *Ipse Petrus*, inquit, *quod à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis sancta ac benigna pietate humilitatis accepit: atq; ita rarius ac sanctius exemplum posteris præbuit (quo non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi) quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam minores maioribus pro defendenda Euangelica veritate salua fraterna charitate resistere. Nam cum satius multò sit in tenendo itinere in nullo, quam in aliquo declinare, multò est tamen mirabilius & laudabilius libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deuiantem.*

III. MODVS est, vt qui priuatim deliquit, hoc est, coram vno vel
Matt.18. 1.Tim.5.20. altero priuatim corripiatur, secundum illud Christi dictum. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eũ inter te & ipsum solũ:* si verò publicè, & corã multis, publicè iuxta illud Apostoli. *Peccantes coram omnibus argue*, nisi aliud circumstantiæ capite quinto commemoratę depoposcerint. De priuata correctione attestatur S. August. de verbis Domi-
A.serm.16. ni. *Corripe*, inquiens, *inter te & ipsum solum, intendens correctioni, parcens pudori. Forte enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis correctiorem facis peiorem.* Et infra. *Quid est, in te peccauit? Tu scis quia peccauit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccauit secretum quære, cum corrigis quod in te peccauit. Nam si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus. Ipsa corrigenda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Distribuite tempora, & concordat scriptura.* Et S. Hieron. lib.3. commentariorũ
H.c.18. in Matth exponens eadem Christi verba, inquit. *Corripiendus est autem frater seorsum, ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato. Et si quidem audierit, lucrifacimus animam eius, & per alterius salutem nobis quoq; acquiritur salus.* Et S. Ambr. in psal.118. *Si agere aliquid velim*, inquit, *ante cogitem, vtrum agendum sit illud, quod desidero, aut quo agendi modo. Similiter si alloquẽdum, vtrum alloqui debeam? deinde publicè an secretò loqui.*

loqui, præsentibus aliquibus aut nullis. Sicut illud est, vt si velis fratrem corripere, primo solus corripias, secundo præsentibus duobus aut tribus testibus, tertio si non audierit coram Ecclesia. Atq; si prætermisso ordine velis coram Ecclesia fratrem increpare, quem ante monere debueras, erratum ipse agnoscis. Ex quibus Patrum testimoniis perspicue liquet etiam rationi naturali, & morali prudentiæ consentaneum esse, quod Christus præscripsit, atq; ex precepto seruandū nisi circūstantiæ aliud postularēt: vt si modus ille priuatim corrigendi nihil ad emendationē proximi prodesset, vt supra dictū est. 2. si obesset notabiliter toti Reipub. delictū proximi, nisi statim patefiat superiori, vt si quis machinaretur vel proditionem Vrbis, vel necem alicuius. 3. vt si quis ei Religioni vel Sodalitati nomē dedisset, in qua ad maiorem submissionem declarandam, vberioremq; profectum spiritualē, atq; etiam ampliorē à recidiua securitatē, exigeretur, vt quilibet lapsus ēt occultus extra Confessionē sacramentalem perspectus superiori religionis aperiretur. Qua de re lege accurate disputantem nostrum Gregorium de Valentia in S. Thom. 2.2. disputatione. 3. qu. 10. punct. 5. vti & de Testib. in correptione adhibendis ac delatione ad Ecclesiam.

CAPVT VII.

Quod correctio, vel reprehensio sit patienter ferenda.

DE Correctione & reprehensione non solū animo æquo verum ēt libenti toleranda plurima exstant Spiritus S. monita in sacris litteris. Vt in Prouerb. Salom. *Via vitæ,* inquit, *custodienti disciplinā: qui autē increpationes relinquit, errat.* Et. *Qui diligit disciplinam, diligit sciētiam: qui* Prou. 10. 17. *autem odit increpationes insipiens est.* Et *Qui custodit increpationes, astutior* Prou. 12. 1. *fiet.* Et. *Qui increpationes odit morietur.* Et. *Non amat pestilens eū qui se corri-* Prou. 15. 5. *pit, nec ad sapientes graditur.* Et. *Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio* Ib. 10. 12. Ib. 31. 32. *sapientiū cōmorabitur.* Et. *Qui acquiescit increpationib. possessor est cordis.* Et. Prou. 29. 1. *Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur.* Deinde in Ecclesiastico *Vir prudens,* Eccli. 10. 28. Eccli. 19. 5. ait, *& disciplinatus non murmurabit correptus.* Et. *Qui odit correptionem, minuetur vita.* Et. *Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam? sic* Eccli. 20. 4. *enim effugies voluntarium peccatum.* Et. *Qui odit correptionem, vestigium* Eccli 21. 7. *est peccatoris.*

SCRIPTVRIS consentiunt S. Patres. S. Basilius in regulis fusius B. quæst. 52. disputatis. *Vt diximus vacuum affectibus antistitem ad curationes ægris*

adhibendas accedere oportere, ita quoq; eorum vicissim, quib⁹ medicina sit partes existimari debent, antistitis in se animaduersiones non ad odium accipere, neq; impotentem dominationem existimare curationem eam, quam misericordia quis adductus consulendi causa animæ ipsorum saluti ipsis adhibeat. Esset enim à decoro abhorrens, si cum qui ægri sunt tantam medicis suis fidem habeant, vt esto ipsos secent, esto vrant, esto amarissimis dandis medicamentis medeantur, nihilominus tamen inter bene meritos de se illos numerent: nos non itidem quoq; aduersus animarum nostrarum medicos, quandocunq; duriore imponenda nobis re aliqua salutem nobis efficiunt, fuerimus animati; cum Apostolus dicat. Et quis est, qui me lætificat, nisi qui contristatur ex me? Et item. Ecce enim hoc ipsum, quod contristati estis, quam magnam in vobis solicitudinem operatum est? Proinde rei spectari exitus debet, & is bene de nobis meritus iudicari, qui nobis tristitiam afferat, quæ sit secundum Deum. S. Chrysost. in cap. 16. prioris ad Corinthios. *Qui arguit, ne irascatur, non enim est hoc correctionis, sed passionis: neq; qui arguitur ægrè ferat: medicina enim, non in inimicitiæ res est. Si enim medicos, cum vrunt nemo in ius vocat, licet sæpe aberrent: quin vsti, sectiq; in tantis etiam doloribus beneficos illos esse in se putant, qui tantam perturbationem suscitarunt, quanto magis æquo animo perferre castigationem castiganti sic uelut medico intentum esse decet.* S. Avgvstinvs ad Felicitatem & Rusticum. *Quis enim facilè inuenitur, qui velit reprehendi, & ubi est ille sapiens, de quo dictum est, Corripe sapientem, & amabit te? nunquid tamen ideò non debemus reprehendere & corripere fratrem, ne securus tendat in mortem? Solet enim fieri, & frequenter accidit, vt ad horam contristetur, cum reprehenditur, & resistat, & contendat, & tamen postea consideret, in silentio, vbi nemo est nisi Deus & ipse, & timet displicere hominibus quia corripitur, sed timet displicere Deo, quia non corrigitur, & deinceps non faciat illud, in quo iustè reprehensus est, & quantum odit peccatum suum, tantum diligat fratrem, quem sensit hostem peccati sui.* Et ad B. Hieronymum. *Identidem rogo, vt me fidenter corrigas, vbi mihi hoc opus esse perspexeris. Quanquam n. secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus presbyterio maior sit, tamen multis in rebus Augustinus Hieronymo minor est: licet etiam à minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio* S. Gregorius libro 10. moralium. *Sicut recti de quibusdam, quæ ab eis non rectè gesta sunt correptionis vocem ministeriū charitatis æstimant, sic peruersi contumeliam derisionis putant. Illi se protinus ad obedientiam sternunt, isti ad insaniam suæ defensionis erigūtur. Illi correptionis adiutorium vitæ suæ patrocinium deputant: per quod, dum præsentis vitij culpa corripitur, venturi iudicis ira temperatur. Isti cum se impeti redargutione conspiciunt, gladium percussionis credunt: quia dum per correptionis vocē culpa detegitur, præsentis gloriæ opinio fœdatur. Hinc quippe in laudem iusti per Salomonem*

2.Cor 2.2.
2.Cor.7.11.
Chri. hom. 44.
A. ep. 87.
Prou. 9. 8.
H. ep 19.
G.c.3.

monem dicit Veritas. Doce iustum, & festinabit accipere. B. Petrus Damiani epistola ad Desiderium Abbatem. *Fraternæ correctionis zelum noli molestè ferre, sed gratulabundus amplectere, ac velut certæ curationis antidotum in animæ languentis interiora diffunde. Memento itaq., quod per Salomonem dicitur. Melior est manifesta correctio, quàm amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Et ad Aripran- dum monachum. *Inter cetera sanctæ conuersationis insignia vnum præ ceteris caue, ne correptiones aliquando grauiter feras, ne qualibet occasione redargui à tuis quoq. iunioribus erubescas. Quod videlicet huius loci tam familiare est atque natiuum, vt qui corripi fugit, nobiscum habitare non possit. Ad hoc enim homo de seculo magisterio regularis disciplinæ submittitur, vt rubiginem quam de mundo lenocināte contraxerat, aspera correptionis lima detergat. Vnde est quod sapientia loquitur in Prouerbijs. Conuertimini ad correptionem meam, en proferam vobis spiritum meum. Non enim dixit, ad blanditias meas, sed conuertimini, inquit, ad correptionem meam.* Infra verò ostendit, viri feruentis esse correptionem etiam sine culpa ad aliorum profectum amplecti. Ex Ethnicis Philosophis Plutarchus libro de profectu morum. *Omnes,* inquit, *æquo ferentes animo reprehensionem, potissimum si ipsos etiam morbi animorum gratia accedant reprehensores, bonam spem exhibent melioris cuiusdam habitudinis. Qui .n. sese ingenuè offert corripientibus, peccatum profert, malum fatetur, non passus latere, aut ignorari, proditq. corrigenti adiunctis etiam precibus, is demum specimen præstiterit non contemnendi in philosophia progressus. Nam quisquis ad bonam frugem ex corruptis moribus peruenire desiderat, opus habet, auctore Diogene, diligenti amico, feruidoque hoste, vt peccatum fugiat, aut correptus, aut certè humaniter ac blandè curatus.*

Prou. 9. 9. P. ep. 11. lib. 2. Prou 27. 5. Id. ep. 18. lib. 6. Prou. 1. 29.

VIDE *V. Charitas in proximum. & Zelus.*

D.

DEVOTIO.

CAPVT I.

De nomine & definitione Deuotionis.



EVOTIO, si vocem spectes, à vouendo originem trahit. Vouemus cum sanctè promittimus: deuouemus cum solemni ritu promittimus. *Deuoti apud Gentiles olim dicebantur,* inquit S. Thomas, *qui se idolis deuouebant in mortem pro* Th. 22 q 82. a. 1.

 sui

L.dec.1.lib.8. ciis Titus Liuius narrat. Ita nunc religiosi, qui abdicato seculo, totos se in religione approbata per tria vota se consecrant Deo, deuoti appellari queunt. Sed de eo significatu alibi agendum. Vulgus deuotionem arbitratur esse gaudium vel dulcedinem animi spiritualem, quam homo pius haurit ex rerum cœlestium contemplatione, aliisq; spiritualibus pietatis exercitiis, vti S. Augustinus initio conuersionis suæ ex cantu Ecclesiastico; dum nono Confessionum libro ita scribit. *Quantum fleui in hymnis & canticis tuis suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.*

V.Oblatio.

A.cap.6.

Th.ibid. At nos cum eodem S. Thoma & S. Patribus, si res spectetur, nomine deuotionis intelligimus, actum virtutis Religionis, quo voluntas promptam paratamq; se demonstrat ad quoduis diuini cultus exercitium, siue internum, siue externum Deo exhibendum. Quo sensu in Exodo dicitur *multitudo filiorum Israhel obtulisse mente promptissima atq; deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi testimonij.* Et in altero Paralipomenon tempore regis Ezechiæ, eandem *obtulisse hostias & laudes, & holocausta mente deuota.* S. Ambrosius libro primo de Cain & Abel promptitudinem illam deuotionis declarat exemplo Abraham Patriarchæ. *Prima igitur*, inquit, *voti gratia est celeritas solutionis. Denique Abraham filium suum ad holocaustum iussus offerre, non post dies vt Cain obtulit, sed exurgens mane strauit asinam suam, & adhibuit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & concidens ligna ad holocaustum surgens abijt, & venit ad locum, quem dixerat ei Deus die tertia. Primo aduerte immolantis studium maturum atq; festinum, vt mora expectationis non esset, nisi donec audiretur oraculum. Deinde vt sterneret asinam suam, obsequium omne ipse susciperet, & sacrificio necessaria præpararet, duabus quoq; fide & spe virtutibus comitantibus hostiam suam duceret, de potestate Dei certus, & de bonitate securus. Quod autem ait Die tertia, vel quod continua esse debeat & perpetua deuotio.* Et infra. *Adhuc cognosce celeris studia deuotionis. Cucurrit, inquit, & accepit vitulum vnum tenerum & bonum, & dedit puero, & festinauit facere eum. Vbique impigra deuotio, & ideò fuit munus eius acceptum.* Deinde mox subiicit exemplum deuoti Zachæi. *Habes*, inquiens, *in Euangelio dicentem Dominum Iesum. Zachæe festinans descende. Et ille, quia impetrauerat, quod volebat, vt Christum videret, & amplius impetrauerat, vt videretur & vocaretur à Christo, festinans descendit, & accepit illum gaudens. Et ideò probauit Dominus eius affectum, & cum celeri remuneratione donauit dicens. Quia hodie salus domui huic facta est, Festinauit enim & Dominus ad beneficium, & ideò non expectauit, vt promitteret & impleret omnia, sed ante fecit, postea*

Exo.35.20.

2.Par.29.31.
A.c.8.

Gen.22.3.

Luc.19.5.

postea declarauit. Dixit enim. Facta est salus, quod vtique praeuenienti seruit, non promittenti. Iustus ergo votum suum celeritate commendat. S. Bernardus verò declarat hanc deuotionem exemplo Apostolorum. *Sed videte,* inquit in Cantica Salomonis, *quinam de eius copia* (vnguenti deuotionis) *non immerito glorientur. Ibant gaudentes Apostoli à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Multum sibi profecto instillauerant de pinguedine spiritus, quorum lenitas non dico verbis, sed nec verberibus cessit. Erant enim diuites in charitate, quæ nullis exhauritur expensis, & de ipsa facile holocausta medullata offerre sufficiebant. Fundebant passim sudantia pectora liquorem sanctum, quo imbuta plenius erant, quando loquebantur varijs linguis magnalia Dei, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

B. serm. 10. Act. 5. 41. Act. 2. 11.

CAPVT II.

De excellentia & vtilitate virtutis deuotionis.

DIGNITAS & excellentia virtutis deuotionis inde elucet, quod sit actus Virtutis Religionis, quam Theologi scholæ cum S. Patribus faciunt omnium moralium virtutum præstantissimam. Religio enim proximè attingit infinitum & nobilissimum bonum quod est Deus, deferendo illi diuinum cultum. Quę perfectio longe excellit quascunq; aliarum virtutum moralium perfectiones. Qua de causa & in Exodo præcepta ad religionem spectantia primum obtinent locum. Et Lactantius in diuinarum Institutionum libris scribit. *Summum bonũ hominis in sola religione esse; hoc vinculo pietatis nos Deo esse religatos, vnde & ipsa religio nomen acceperit. Nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamq; summa vi oportere defendi: hunc verum & cælestem esse cultum, in quo mens colentis seipsam Deo immaculatam victimam sistit.* S. Augustinus quoq; initio libri de vera religione, ait *omnis vitæ bonæ ac beatæ viam in vera religione constitutam, qua vnus Deus colitur, & purgatissima pietate cognoscitur, principium naturarum omnium, à quo omnis vniuersitas & inchoatur & perficitur, & continetur.*

S. Th. 22. q. 81. a. 6. Exod. 20. L. li. 3. c. 10 & l. 4 c. 28 & l. 5. c 19. Et l. 6. c. 2. A. cap. 1.

Nominatim autem de Deuotionis præstantia ita loquitur S. Ambros. lib. de Abraham primo. *Magnus plane vir, & multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis philosophia non poterit æquare. Itaque cuiusmodi fuerit in eo viro deuotio consideremus. Ea enim virtus ordine prima est, quæ est fundamentum ceterarum, meritoque hanc ab eo primam exegit DEVS, dicens. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo*

A. c. 2. Gen. 12. a.

patris

patris tui. Satis fuerat dixisse, de terra tua Ibi enim erat, exire de cognatione, exire de paterna domo Sed ideo addidit singula, vt eius affectum probaret, &c. Hoc est, quod pro magno inter septem sapientum dicta celebratur ἕπου θεῷ, *id est, sequere Deum. Facto præuenit Abraham dicta Sapientum, & secutus Deum exiuit de terra sua.* Subiicit deinde pater geminum fructum deuotionis, vel promptæ voluntatis obsequendi Deo in omnibus. Primus est, quod hominem efficiat contemptorem rerum terrenarum, & amatorem cœlestium: *Consideremus*, inquit *ne forte hoc sit exire de terra sua, de huius terræ, hoc est, de corporis nostri quadam commoratione egredi, de qua exiuit Paulus, qui dixit. Nostra autem conuersatio in cœlis est: & de illecebris & delectationibus corporalibus, quas velut cognatas animæ nostræ dixit, quam compati necesse est corpori, donec eius colligata vinculo adhæret Ergo exire de conuersatione terrena, & à secularibus oblectamentis, & superioris vitæ moribus atque actibus debemus, vt non solum loca, sed etiam nosmetipsos mutemus. Si cupimus adhærere Christo, deseramus corruptibilia. Sunt autem corruptibilia in nobis, caro, delectatio, vox obnoxia passionibus corruptibilibus.* ALTER fructus est, quod in omnibus periculis hominem reddat, Deo prouidente, securum; nam quia Abraham cum coniuge licet speciosa Ægyptii regis euasit insidias, ita subdit idem Ambrosius. *Pulcherrimus & hic locus ad incitandæ studium deuotionis, quod is qui Deum sequitur, tutus semper est. Et ideo Deum debemus præferre omnibus, nec patriæ contuitu, nec parentum filiorumque gratia, nec vxoris contemplatione reuocari debemus ab executione præceptorum cœlestium, quia Deus nobis omnia illa largitur, & potens est seruare quæ donat. Itaque magnum exemplum deuotionis Abrahæ, quod cum vxore speciosa descendit in Ægyptum. Erat quidem iusto viro cura coniugalis pudicitiæ, sed maius erat studium maturandæ deuotionis, ne prætulisse custodiam thori mandatis videretur cœlestibus. Itaque quoniam propter Deum contempsit omnia, recepit à Deo multiplicata omnia:* sed primam *Deus pudicitiæ tribuit remunerationem, quam gratam sciebat coniugi. Nam quia studio obeundi cœlestis oraculi vxorem quoque in periculum deduxit pudoris, etiam castimoniam coniugii defendit. Primas igitur partes sibi iusto ordine vindicauit deuotio.* ALIVM fructum deuotionis persequitur S. Bernard. in declamatione, de verbis Apostoli Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*, vbi contendit centuplum in hac vita Apostolis apud B. Marcum promissum, esse gratiam deuotionis, & incredibile quoddam gaudium spiritus. *An non, ait, centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu sancto, qui Christum habet in pectore? Nisi quod longè plus quam centuplum est visitatio paracleti spiritus, & præsentia Christi. Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te perfecisti eis qui sperant in te. Vides quomodo memoriam abundantiæ suauitatis huius eructet anima sancta,*

Phil. 3. 20.

Marc. 10. 30.

sancta, quomodo exprimere gestiens verba multiplicet? Quam magna, inquit, multitudo. Psal. 30. 20. *Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertate & primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est, non vtique esca vel potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto, &c.* Rom. 14. 17. *Hæc gratia deuotionis, & vnctio docens de omnibus, quam expertus nouit, inexpertus ignorat, quoniam nemo scit, nisi qui accipit.*

CAPVT III.

De Impedimentis veræ Deuotionis.

PRIMVM impedimentum deuotionis est, procliuitas ad consolationes terrenas huius seculi. *Quæ enim societas luci ad tenebras,* 2. Cor. 6. 14. inquit Apostolus, *iustitiæ cum iniquitate*, mundo cum Deo, carni cum Gal. 5. 17. spiritu? *hæc enim sibi inuicem aduersantur.* vnde deuotus rex Dauid. Psal. 76. 4. *Renuit*, ait, *consolari anima mea*, consolatione, scilicet terrena. *memor fui Dei, & delectatus sum*, nempe consolatione cælesti, *& exercitatus sum, & defecit spiritus meus*, hoc est, tanta voluptate spiritus perfusus sum, vt non potuerim diutius tolerare. Hoc impedimentum annotauit S. BERNARDVS in sermonibus de ascensione Domini. B. serm. 3. *Omnes*, ait, *quod bonum est nostis, & viam, per quam incedere, & quomodo incedere in ea debeatis, sed voluntas non vna est. Quidam enim ad omnia viæ & vitæ huius exercitia non solum ambulant, sed & currunt, imò potius volant, vt eis & vigiliæ breues, & cibi dulces & panni suaues, labores non solum tolerabiles, sed & appetibiles videantur.* Atque hi habent promptitudinem deuotionis. *Alij autem non sic, sed corde arido & affectione recalcitrante vix trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur.* Causamque huius paulo post subijcit his verbis. *Inde autem tam perniciosa tepiditas emanat, quia affectus, id est, voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt, sicut nouerunt, à propria concupiscentia abstracti grauiter & illecti. Amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, siue in verbo, siue in signo, siue in facto, siue in aliquo alio, & si hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde est, quod rarò affectiones suas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continua, sed horaria est. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ his distractionibus subiacet, & quanto magis illis euacuabitur, tanto magis istis implebitur: si multum, multum: si parum, parum. Vel certe, si magis probas, nunquam istæ illis misceri poterunt in æternum, quia vbi vasa vacua non inuenit, oleum stare necesse est: nec mittunt vinum nouum, nisi in vtres no-* Matth. 9. 7.

uos, vt ambo conseruentur. Neq; enim spiritus & caro, ignis & tepiditas in vno
Matt. 9. 17. *domicilio commorantur, præsertim cum tepiditas ipsi Domino soleat vomitum prouoeare.*

II. Impedimentum est immoderata solicitudo rerum temporalium, quod indicauit Christus, cum agens de cura rerum ad victũ quotidianum necessariarũ ait. *Nolite soliciti esse in crastinum.* & cum alibi dixit *sollicitudine seculi* haud secus *suffocari verbum Dei, & sine fructu effici,* quam semen in spinas coniectum. Qua de causa & Apostolus Paulus in priore epistola ad Corinthios hortatus est Virgines, quo diligẽtius sanctitatem corporis & spiritus tuerentur, & cogitarent tantum ea quæ Dei sunt, & non quæ mundi, hoc est, perfectæ vacarent deuotioni, vt curam omnem seculi huius deponerẽt, dicens. *Volo autem vos sine solicitudine esse.* Et. *Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Quod autem impedimentum præbeat ad obsecrandum Dominum & deuotionem in oratione exercendam dicta solicitudo, optimè intelligi potest ex similitudine spinarum suffocantium semen, quibus sollicitudinem seculi Christus comparauit. illæ enim suffocant semen in ipsas iactum propter tria. Primò quia humorem omnem terræ exugunt, vt nihil relinquant semini: sic & solicitudo rerum temporalium omnem diuini amoris, vnde deuotio nascitur, pinguedinem exhaurit. *Si quis enim diligit mundum,* ait B. Ioannes, *non est charitas Patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis &c.* Secundo, Solis radios & imbres impediunt, quo minus in solũ penetrent. sic solicitudo mundi facit, vt nec concio, nec lectio spiritualis, nec oratio vel meditatio ad animum penetret. *Mundus* enim, ait Christus, *quod suum est diligit.* *Nam vt vociferantium clamor,* scribit Grego. Nazianz. in libris de Theologia, *obuij flatus impetu frangitur, sic interna mentis cogitatio externorum solicitudine interpellatur.* Tertiò, spinæ impediunt, quo minus culmus è semine ortus in sublime se attollere possit, sic solicitudo rerum terrenarum, quo minus mens se attollere possit ad consideranda cœlestia. *Vbi enim est thesaurus tuus,* inquit Christus, *ibi est & cor tuum.* Et Gregor. Romanus in 10. moralium. *Sæpe curis mundi libenter occupamur: cumq; post hæc studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad cœlestia erigit, quia pondus hanc terrenæ solicitudinis in profundum mersit, & in prece facies munda non ostenditur, quia cogitationis infimæ luto maculatur.*

Matt. 6. 34. Matt. 13. 22. Chr. hom. 23 in Matt. 1. Cor. 7. 34. 1. Ioa. 2. 15. Ioan 15. 19. G. lib. 2. Matt. 6. 21. G. c. 17.

III. Impedimentum est nimia Curiositas, eaque triplex. Prima est in inquirendis & notandis alienis potius vitiis, quàm propriis;

nam, vt paulo post ostendemus, præcipuum medium acquirendæ deuotionis est propriorum defectuum consideratio.

Vnde B. Gregorius in Euangelia. *Graue*, inquit, *curiositatis est vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam vitam proximi exterius ducat, semper ei sua intima abscondit, vt aliena sciens se nesciat, & curiosi animus, quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui.* ALTERA est in indagandis plus æquo rerum tam naturalium, quàm supernaturalium arcanis. G. hom. 36.

Vnde Augustinus initio quarti libri de Trinitate. *Laudabilior*, ait, *est animus, cui nota est vel infirmitas sua, quàm qui ea non respecta rerum terrestrium cœlestiumque tenet scientiam, aut qui iam cognitas tenet, ignorans ipse qua via ingrediatur ad salutem ac firmitatem suam.* TERTIA est in peruestigandis artibus propriè curiosis, nempe Magicis & superstitiosis, quæ omnem prorsus deuotionem tollunt; Deuotio enim reddit nos familiares Deo, Magicæ verò vtuntur societate dæmonum. *Quæ autem conuentio*, inquit Apostolus *Christi ad Belial?* Ita tradit idem B. Augustinus. *Omnes*, inquiens, *artes huiusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudiāda & fugienda Christiano.* Sed plura de hac re in nostro Panario. A. c. 1. 2. Cor. 6. 15. A l. 2. doct. Christ. c. 23. V. Curiositas.

IV. Impedimentum est Occupatio immodica in laboribus externis, qualis est in agricolis, opificibus mechanicis, mercatoribus, œconomis, cocis. Vnde in Exodo cum Moyses & Aaron apud Pharaonem regem Ægypti obtenderent sibi mandatum à Deo, vt cum populo Israhelitico reciperent se in solitudinem, ibique diuino cultui ac deuotioni suæ vacarent, rex Pharao, qui typum diaboli gessit, pluribus eos oppressit laboribus dicens. *Vacatis otio, & idcirco dicitis. Eamus & sacrificemus Domino.* Exo. 5. 17.

Et apud Lucam, quotquot inuitati erant ad cœnam magnam spiritualis, suauissimæq; deuotionis, omnes per labores immodicos se excusarunt. *Primus enim dixit. Villam emi, & necesse habeo exire & videre illam. rogo te habe me excusatum. Et alter dixit. Iuga boum emi & eo probare illa. Et alius dixit. Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Hoc impedimento, quia à consuetis deuotionis exercitiis EVGENIVS III. ex monacho Cistertiensi factus summus Pontifex videbatur arceri, solicitus de eius salute S. BERNARDVS quinque doctissimos libros de Consideratione exarauit, ac primum quidem his verbis inchoauit. *Vnde iam ergò incipiam? Libet ab occupationibus tuis, quia in his maximè condoleo tibi. Condoleo dixerim, si tamen doles & tu.* Luc. 14. 18.

Alioquin doleo magis dixiſſe debueram, quia non eſt condolere, vbi nemò qui doleat. Itaque ſi doles, condoleo. Si non, doleo tamen, & maximè ſciens longius à ſalute abſiſtere membrum, quod obſtupuit, & ægrum ſeſe non ſentientem periculoſius laborare. Inuitus ni fallor, auelleris à tua Rachelis amplexibus, & quoties id pati contigerit, toties dolor tuus renouetur neceſſe eſt. Et infra. *Vereor, ne in mediis occupationibus, quoniam multæ ſunt, dum diffidis finem, frontem dures, & ita ſenſim teipſum quodammodo ſenſu priues iuſti vtilisq; doloris. Multo prudentius te illis ſubtrahas vel ad tempus, quàm patiare trahi ab ipſis, & duci certè paulatim quo tu non vis. Quæris quo? ad cor durum. Nec pergas quærere quid illud ſit: ſi non expauiſti, tuum hoc eſt. Solum eſt cor durum, quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit. En quo trahere te habent occupationes maledictæ, ſi tamen pergis, vt cæpiſti, ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens. Perdis tempus, & ſi licet nunc alterum me tibi exhibere Iethro, tu quoque in his ſtulto labore conſumeris, quæ non ſunt niſi afflictio ſpiritus, euiſceratio mentis, euacuatio gratiæ, vix relinquitur neceſſitati naturæ, quod corpuſculi pauſationi ſufficiat, & rurſum ad iurgia ſurgitur. Dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam. Vſque adeo non eſt reſpirare in bonis, non eſt alternam capeſſere requiem.*

V. Impedimentum eſt immoderata affectio ad ſtudia litterarum, etiam Theologiæ ſacræ, quæ ſolet, etiam in religioſis hominibus, niſi temperetur, omnem deuotionis ſuccum ebibere, efficereq; vt ſæpe ſtata orandi, ſacrum miſſæ, diuinaq; officia audiendi, libros ſpirituales legendi, & alia eiuſmodi tempora negligantur. Hoc enim differunt occupationes corporis & mentis, quod corporis non omnino excludunt exercitationes mentis. Videmus enim anachoretas olim inter labores manuum corporales pſalmis & hymnis concinendis vacaſſe. Mentis verò occupationes, maxime in rebus theoricis, totum hominem diſtinent. Cui vitio nullo alio antidoto rectius mederi poteſt homo, quam ut temperet ſtudiorum
Eccl.38.25. affectum, & certis finibus atq; cancellis circumſcribat. *Sapientia enim ſcribæ*, inquit Eccleſiaſticus, *in tempore vacuitatis: & qui minuratur actu ſapientiam percipiet.* Ipſiq; Philoſophi gentiles docuerunt animam reddi ſapientem interno quodam otio & quiete. Quemadmodum enim aqua tranquilla aptior eſt, quàm turbida ad repræſentandas rerum imagines, ita animus tranquillus ad contemplandas rerum naturas. Hoc antidotum religioſæ vitæ cultoribus deeſſe non poteſt, cum iuxta leges ab obedientia poſitas ſtata habeant tempora orandi, commentandi, pios libellos lectitandi conſcientiam examinandi, diuinum officium audiendi vel cantandi quæ

quæ si sedulo obseruent, spiritum deuotionis non facile extinguent. Plura impedimenta habet L. GRANATA libro 2. de oratione & Meditatione.

CAPVT IV.

De Medijs ad Deuotionem consequendam opportunis.

PRIMVM medium est consideratio diuinorum beneficiorum, & propriorum defectuum. Hoc indicat Augustinus libro de Spiritu & anima, cum ita scribit. *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio perficit orationem. Compunctio est, quādo ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Deuotio est pius & humilis affectus in Deum, humilis ex conscientia infirmitatis propriæ, pius ex consideratione diuinæ clementiæ.* Et S. Bernardus in Cantica agens de vnguento deuotionis. *Secundi,* inquit, *huius aromata, terra nostra nequaquam profert, sed procul, & de vltimis finibus ea nobis conquirimus. Nempe omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum. Fit enim vnguentum istud de diuinis collatis humano generi beneficiis. Felix, qui ipsa sibi colligere, studiosè, & ante mentis suæ oculos digna cum gratiarum actione reducere curat. Profectò cum fuerint in vasculo pectoris pistillo crebræ meditationis contusa atq; contrita, deindeq; igne sancti desiderij simul decocta omnia, & demum impinguata oleo lætitiæ, erit vnctio longè pretiosior, excellentiorq; priore (contritionis) sufficit ad probandum eius testimonium, qui ait. Sacrificium laudis honorificabit me. Nec dubium, quin excitet ad laudandum beneficiorum recordatio.* Clarius S. Thomas Aquinas in summa Theologica hoc medium proponit. *Necesse est,* inquiens, *quod meditatio sit deuotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationē concipit, quod se tradat diuino obsequio. Ad quod quidem inducit duplex consideratio, Vna quidem, quæ est ex parte diuinæ bonitatis & beneficiorum ipsius secundum illud Psalmi 72. Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam. Et hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima deuotionis causa. Alia verò est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget, vt Deo innitatur, secundum illud Ps. 120. Leuaui oculos meos in mōtes, vnde veniet auxilium mihi. Auxiliū meum à Domino, qui fecit cælū & terram. Et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo se subijciat, dum suæ virtuti innititur.*

A.c.50.

B.serm.10.

Iac.1.17.

Ps.49.23.

S.Th.22.q.82. a.3.

II. MEDIVM est Consideratio præcipui beneficii, nempe Passio-

nis Dominicæ, de qua ita S. Augustinus in libro Meditationum. *Magna & multa, imò certe innumerabilia, quæ mihi Domine Deus contulisti beneficia pro quibus mihi diligendus, & semper es laudandus. Quicquid enim boni habeo, vel habui, vel habiturus sum à te summo bono est, à quo omne quod bonum dicitur & est procedit. Vnum autem est, quod me plus his omnibus accendit, vrget, mouet & promouet ad te diligendum, super omnia, inquam amabilem te reddit mihi ô bone Iesu ignominiosissima & amara mors, quam sustinuisti, opus nostræ redemptionis. Hoc solum, vel hoc omnino totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem deniq; nostrum facile sibi vendicat; totum hoc inquam est, quod deuotionem nostram, & excitat melius, & quærit suauius, & auget amplius.*

B. serm. 20. Et S. Bernardus in Cantica Augustinum imitatus. *Sed est, quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi Iesu bone calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi. Hoc inquam est quod nostram deuotionem & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. Multum quippe laborauit in eo Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Illa denique dixit, & facta sunt: mandauit & creata sunt. At verò hos & in dictis sustinuit contradictores & in factis obseruatores, & in morte exprobratores.*

III. Medium est Oratio, quod tradit idem Bernardus sermone 6. de Ascensione Domini. *Apostoli decem dies in hac expectatione* (Spiritus sancti) *sederunt perseuerantes vnanimiter in oratione cũ mulieribus & Maria matre Iesu. Et tu igitur orare disce, disce quærere disce petere pulsare donec inuenias, donec accipias, donec aperiatur tibi. Nouit Dominus figmentum tuum, fidelis est, non te patietur tentari supra id quod possis. Confide in ipso, quod si fideliter expectaueris, nec diem decimum expectabit. Præueniet certe in benedictionibus dulcedinis desolatam animam & orantem vt feliciter, & non ad insipientiam tibi consolari renuens in ipsius memoria delecteris inebriatus ab vbertate domus, & voluptatis eius torrente potatus. Sic nimirum & Elisæus*

4. Reg. 2. *quondam orasse legitur, cum dulcissimum illud solatium Eliæ præsentiam sibi plangeret subtrahendam.* Et in Cantica Canticorum ita scribit. *Sponsa*

B. serm. 9. *loquente de sponso* (anima deuota de Christo) *repente adest ille, annuit voto, dat osculum, impletq; in ea sermonem, qui scriptus est. Desiderium cordis*

Psal. 20. 3. *tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Tantæ nempe efficaciæ osculum sanctum est, vt ex ipso mox cum acceperit illud sponsa concipiat, tumescentibus nimirum vberibus, & lacte quasi pinguescentibus in testimonium. Quibus studium est orare frequenter, experti sunt quod dico.* Sæpe

cordi

corde trepido & arido, accedimus ad altare, orationi incumbimus, persistentibus autem repente infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis, & si sit, qui premat, lac conceptæ dulcedinis vbertim fundere non tardabunt.

Quoniam verò deuotionis promptitudini aliquando adrepit tædium, alibi hoc præbet consilium. *Cum te torpore, acedia vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere aut desistere à studio spirituali, sed iuuantis require manum, trahi te obsecrans sponsæ exemplo donec denuo suscitante gratia factus promptior, alacriorque curras, & dicas. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Sic autem quamdiu adest gratia, delectare in ea, vt non te existimes donum Dei iure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis: ne subito cum forte retraxerit manum, & subtraxerit donum, tu animo concidas, & tristior quam oportet fias. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus sed clama ad Deum cũ propheta. Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Id.serm.22.

Ps.118.32.

Psal.70.9.

IV. Medium est, assidua diuinæ præsentiæ cogitatio, quod idem mellifluus Doctor non prætermisit, dum ita commonefacit. *Arguit nos pro certo negligentiæ & incuriæ ipsa inopia nostra. Nam si quis nostrum integrè & perfectè iuxta verbum Sapientis cor suum tradat ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecetur, simulque votis omnibus studeat secundum Isaiam prophetam parare vias Domini, rectas facere semitas Dei sui, cui cum propheta sit dicere. Oculi mei semper ad Dominum, & quia prouidebam Dominum in conspectu meo semper, nonne hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo? visitabitur profectò frequenter, nec vnquam ignorabit tempus visitationis suæ, quantumlibet is, qui in spiritu visitat, clandestinus veniat, & verecundus, vtpote furtiuus amator.* Et rursum alibi. *Petijt quondam Elisæus à magistro, cum discessum eius imminere præsensit, nec obtinuit nisi ea quidem conditione si videret, quando tolleretur à se. In figura contigit hoc illis, scriptum autem est propter nos. Vigiles esse & soliciti circa opus nostræ salutis prophetico docemur & monemur exemplo. Nunquam sane sine nostra conscientia, magistra vnctio, quæ docet de omnibus, tollatur à nobis, si duplicato volumus munere non fraudari. Nunquam cum venerit, inueniat imparatos, sed semper vultus suspensos, expansosque habentes sinus ad largam Domini benedictionem. Tales denique quærit, similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs: qui vtique ab illis supernæ mensæ copiosis delicijs vacua nunquam reuertitur manu. Vigilandum proinde, & vigilandum omni hora, quia nescimus qua hora spiritus venturus sit, seu iterum abiturus.*

B.ser.57.in Cãt.
Eccli.39.6.

Isa.40.3.
Ps.24.15.

Ps.15.8.

Id.serm.18.in Cant.
4.Reg.2.

V. Medi-

V. Medium est. Vsus creber breuium & iaculatoriarum orationum ad Deum, quibus quasi scintillis cor nostrum accenditur,& cor Dei quasi ignitis iaculis configitur, vt nostri misereri velit. De eo vsu
A ep.121. ita scribit S. August. ad Probam. *Dicuntur fratres, in Aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est per productiores moras euanescat. atq; hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtendenda, si perdurare non potest: ita si perdurauerit non cito esse rumpendam.* In hunc vsum conuenit memoria comprehendisse versus aliquot psalmorum, quibus affectus & promptitudo seruiendi Deo exprimitur, vti sunt. *Paratum cor meum Deus, pa-*
Psalm.56.1.8. *ratum cor meum Miserere mei Deus, miserere mei. Diligam te Domine fortitu-*
Psal.17.2. *do mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus,*
Psal.41.2. *Deus meus adiutor meus & sperabo in eum. Quemadmodum desiderat ceruus*
Ps.50.12. *ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Cor mundum crea in*
Ps.62 6. *me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.*

Quo autem frequentius huiusmodi breues sententiæ iterabuntur, hoc efficacius valent ad conciliandam deuotionis gratiam. Qua de causa in psal. 118. qui ab Ecclesia quotidie ad minores horas decantatur idem, sed immutatis tantum phrasibus, vt notauit B. Theodoret. & alii, petitur. & in Psal.135. hæc verba, *quoniam in æternum misericordia eius,* vicies septies ad extollendam Dei clementiam iterantur. Eandem ob causam S. August. verba quædam repetiit in precibus suis, vt cum
A.c.17. in decimo Confessionum, ita orat. *Sero te amaui pulchritudo tam antiqua & noua, sero te amaui. Et cognoscam te cognitor meus, cognoscam te.* Vnde S.
B.q.vlt. Bonau. in mystica Theologia sua ita scribit. *Si quis per viam purgatiuam bene præparatus sæpissimè hoc dictum, corde frequētaret, O DOMINE, QVANDO TE DILIGAM? quando te constringam? citius se sciret experimentaliter inflammari, quam si de secretissimis cœlestibus, & æterna generatione vel processione millies cogitaret.* PLVRA media vide in GRANATA loco citato. De Indiciis verò Deuotionis lege nostrum Bernardinum Rosignolium lib. 2. de actionibus Virtutis cap. 7.

VIDE *V. Contemplatio Familiaritas cum Deo. Gaudium spirituale. Gratiarum actio Deo debita Laudatio Dei Oblatio sui Deo facta. Oratio. Pax. Pietas in Deum. Religio Christiana. Et in* PANARIO, *V. Desolatio spiritualis. Distractio in oratione. Et illusiones spirituales.*

DIFFI-

DIFFIDENTIA SVI.

CAPVT I.

Quid S. Scriptura, cum S. Patribus tradat de diffidentia sui.

NOMINE Diffidentiæ ſui, intelligimus actionem virtutis humili-
tatis, qua quis ſolo Deo nixus, diffidit ſuis viribus in exercitiis
Chriſtianæ pietatis præſtandis. Ad quam reſpexit Salomon cum in
Prouerbiis dixit. *Qui bonus eſt, hauriet gratiam à Domino: qui autem con-* Prou.12.2.
fidit in cogitationib. ſuis impiè agit. In quæ verba Hieronymus. *Horum*, in- H.in Prou.tō.7.
quit, *verſiculorum connexio talis eſt. Qui bonus eſt, non confidit cogitationi-
bus ſuis, ſed Domini gratiam quærit, ac per illam accipit, vt piè viuere poſſit.
Qui autem cogitationibus ſuis confidit, bonus eſſe nequit. Nam quia gratiam
superni adiutoris petere non curat, merito in impia actione perdurat.* Huic ſi- Prou.14.16.
milis eſt & illa ſententia. *Sapiens timet & declinat à malo, ſtultus tranſilit* Prou.28.26.
& confidit. Et illa *Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt.* Deinde Eccleſiaſti- Eccl 6.2.
cus. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur
virtus tua per ſtultitiam & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relin-
quaris velut lignum aridum in eremo:* Vnde totus populus fidelis in hiſto-
ria Iudith ſic orat. *Oſtende Domine, quoniam non derelinquis præſumentes* Iud.6.15.
de te, & de ſua virtute gloriantes humilias. Ad eandem diffidentiæ ſui vir-
tutem reſpexit Apoſtolus cum ad Galatas ait. *Si quis exiſtimat ſe ali-* Gal 6.3.
quid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit Vnde D. Cyprianus de ſingularitate
Clericorum. *Vtilius eſt infirmum ſe homo cognoſcat, vt fortis exiſtat, quam
fortis videri velit, & infirmus emergat* *De qua re præſumptores obiurgat A-
poſtolus dicens. Si quis putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ſeipſum implanat.
Pro certo implanator proprius ſuam animam decipit, qui non cauendo contra-
ria noxiis rebus ſemetipſe commiſerit.* CAVSAM verò cur fidere noſtris
viribus non debeamus, Scriptura haud reticuit. Clarè enim monuit Io.15.4.
Chriſtus. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in
vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Et *Sine me nihil poteſtis facere.* Et B.
Paulus in poſteriore epiſt. ad Corint. *Non ſufficientes ſumus cogitare ali-* 2.Cor.3.5.
quid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quæ verba ex-
pendens B. Auguſt. contra 2. epiſtolas Pelagianorum, ait. *Cum ergo mi-* A.lib.2.c.8.
nus ſit cogitare, quam cupere, poteſt enim homo cogitare bonum, quod nondum

cupit, & proficiendo postea cupere, quod antea non cupiendo cogitauit, quomodo ad id quod minus, id est, ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, & ad id quod est amplius, id est ad cupiendum aliquid boni sine diuino adiutorio, (vt contendunt Pelagiani) sumus ex libero arbitrio. Neque enim & hic Apostolus ait. Non quia idonei simus cogitare, quod perfectum est, tanquam ex nobismetipsis, sed cogitare, ait, aliquid, cui contrarium est nihil. Vnde est illud Domini. Sine me nihil potestis facere. Et paulo post inde concludit *Quapropter multa Deus*
Ioan 15.4. *facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.*

Eundem Pauli locum tractans in libris de bono Perseuerantiæ. *Hoc*
A.l.2.c.13. *nobis*, inquit, *expedit & credere & dicere. hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitãtes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus. Quod autem attinet ad pietatis viam & verum Dei cultum non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim est in potestate nostra cor nostrum, & nostræ cogitationes. Vnde idem, qui hoc agit, item dicit* AM-
A. de fuga seculi c.2. BROSIVS.

CAPVT II.

De Præstantia & Vtilitate huius Virtutis.

PRÆSTANTIA, vtilitasque huius virtutis inde liquet & lucet. Primo, quod in scripturis sacris dicantur beati, qui fidunt in Deo, &
Psal. 30.5. sibi diffidunt. nam regius Vates ait *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius* & Christus Dominus apud Matth. *Beati pauperes spiritu.* quæ verba expendens Ioan. Cassian. collatione 10. cap. 11. *Reuera*, inquit, *quæ maior aut sanctior potest esse paupertas quàm illius, qui nihil præsidij, nihil virium habere cognoscens de aliena largitate quotidianum poscit auxilium, & vitam suam atque substantiam singulis quibusque momentis diuina ope intelligens sustentari, verum se mendicum Domini non immerito profitetur, suppliciter ad eum quotidie clamans. Ego autem mendicus & pauper sum, Deus adiuua me.* Psal. ;9:18. Deinde, quod diffidentia sui sit primarius actus virtutis humilitatis, quam constat post charitatem esse præstantissimam, vtilissimamq; homini Christiano. nam S. Basilius in admonitione ad filium spiritualem. *Vir*, inquit, *humilis Deo est similis, superbus autem Diabolo similis est. Humilis licet habitu videatur vilis, gloriosus tamen est virtutibus, &c.* Hieron. ad Celantiam. *Nihil habeas humilitate præstantius, nihil ama-*
H. op. 14. *bilius.*

bilius. Hæc est enim præcipua conseruatrix & quasi custos quædam virtutum o-
mnium: nihilque est quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam si
vitæ merito magni, humilitate infimi simus. *Propter quod Dominus loquitur* Isai. 66 a.
per prophetam Super quem alium requiescam, nisi super humilem & quietum
& trementem verba mea? S. Leo de Epiphania. *Tota dilectissimi Christia-* L. serm 7.
næ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi,
neque in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consi-
stit, quam Dominus Iesus ab vtero matris vsq; ad suppliciũ crucis pro omni for-
titudine & elegit & docuit. Et S. Bernardus in epistola ad Ogerium. *Hu-* B. ep. 87.
militas, ad quam vtiq; ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ funda-
mentum.

II. VTILITAS est quod valeat ad expugnandas omnes, diaboli,
mundi & carnis tentationes. S. Augustinus libro 50. Homiliarum de- A. hom. 31.
clarat illud exemplo adolescentis Dauid, qui, prouocante superbo
Goliath populum Israeliticum ad monomachiam, roboriq; suo pre-
fidente, *ausus, inquit, est non præsumens de viribus suis, sed in nomine Dei sui*
procedere aduersus eum. Nec rex Saul abnuit. Intellexit cum videret auden-
tem puerum, aliquid in eo diuinitatis esse, nec illum tenera ætate sine diuino in-
stinctu talia posse præsumere. Libenter accepit, processit aduersus Goliam. In
omnibus ergo, qui erant in ea parte, vnde procedebat Dauid, non erat præsum-
ptio nisi de Deo: in illis autem tota spes in vnius hominis viribus. Sed quid est
homo, nisi quod in isto psalmo cecinit. Homo vanitati assimilatus est, dies eius Psal. 143. 4.
velut vmbra prætereunt. Plura huius rei exempla inuenias in Scripturis
vt in libro 1. Paralipomenon de filiis Israhel è tribu, Ruben, Gad & Par. c. 5.
Manasse cum dimicarent contra Agareos, eorumq; federatos nume-
ro & viribus potentes, victoriamq; obtinuerunt, quod viribus suis
diffisi, diuinum auxilium implorassent dum præliarentur, *& exaudiuit*
eos Deus, inquit textus, *eo quod credidissent in eum.* Deinde in libro secũ-
do Machabæorum, de iisdem filiis Israhel duce Iuda Machabæo bel- 2. Mach. 15.
lo cum impio Nicanore Demetrii regis duce congressis, de quo ita
loquitur Scriptura. *Iudas, & qui cum eo erant inuocato Deo per orationes*
congressi sunt manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes pro-
strauerunt non minus triginta quinq; millia præsentia Dei magnificè delectati.
Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, vt euidens esset, & manife-
stum signum auxilii Dei.

VNDE S. Patres docent etiam in tentationibus spiritalibus ad præ-
sidiũ diffidentiæ sui. & confidentiæ in solo Deo esse cõfugiendũ. *Qui*
seruiunt Deo, inquit S. Basil. alicubi, *à dæmone frequentibus & variis tenta-* B. in instit. de
tionibus agitantur, tristitia & diffidentia de Deo, vt bona inchoata deserant, vita perfecta.

ut non perseuerent, vt existiment se Deo charos non esse, vt locum, societatem, rationemque viuendi cum alia seueriore commutent, in qua dæmon nouit plura fore pericula. His alijsq; id genus tentationibus boni speciem præ se ferentibus Dæmon seruos Dei aggreditur. Quos verò vincit? Eos vincit qui plus æquo sibi confidunt. Vnde vidimus multos magna virtute præditos, & testimonio aliorum probatos, quos malignus spiritus per nimiam sui confidentiam præcipites egit. Hucusque Basilius. SERAPION quoque apud Cassianum
C.c.4. collatione quinta, cum dixisset tentationum & impugnationum extinctionem à Deo *specialiter ac iugiter poscendam*, subiicit *Impossibile namque est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse.*
R.c.21. Richardus item Victorinus in Cantica Canticorum *Impossibile est*, inquit, *quempiam de seipso triumphare posse, donec experimento didicerit propria virtute se non posse obtinere triumphum. Quantum autem*, addit *fideles de se diffidunt, tantum in diuinæ spei adiutorio confidunt, & quantum de se infirmantur tantum fortes sunt, & potentes in Deo.*

III. VTILITAS est, quod eo longius aberis à maledictione, quam
Ier.17.5. Deus comminatur iis qui confidunt suis viribus apud Ieremiam. *Hæc dicit Dominus. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit, cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Domi-*
H.l.3.in Ier. *nus fiducia eius.* In quę verba Hieronym. *Maledictus qui ponit carnem brachium suum, id est, fortitudinem suam, & quicquid egerit non Domini clementiæ, sed suæ putauerit esse virtutis. Qui enim hoc agit, à Domino recedit cor eius, asserens se posse quod non potest. Et erit quasi myricæ, siue vt interpretatus est Symmachus, lignum infructuosum in solitudine, & terra salsuginis, id est inhabitabili, quæ hospitem non habet Deum, nec angelorum præsidia, nec Spiritus sancti gratiam, nec scientiam magistrorum.* Et August. ad Macedon.
A.ep.52. Ier.17.5. *Maledictus omnis, sicut alibi eædem literæ docent, qui spem suam ponit in homine. Ergo nec in seipso quisquam debet, quia & ipse homo est. Proinde vt transiret omnium vanitatum & insaniarum mendacium limites, atq; ibi beatam vitam poneret, vbi verè est. Beatus, inquit, populus cuius Dominus Deus ipsius.* Et
Ps.143.15. Id.c.114. in Enchiridio. *De ijs omnibus quæ fideliter sunt credenda ea tantum ad spem pertinent, quæ in oratione Dominica continentur. Maledictus est enim omnis, sicut diuina testantur eloquia, qui spem ponit in homine, ac per hoc in semetipso qui spem ponit, huius maledicti vinculo innectitur. Ideo non nisi à Domino Deo petere debemus, quicquid speramus nos, vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos.*

IV. Vtilitas, quod beneficio eiusdem virtutis eximes te pluribus

grauium lapſuum periculis. Et primo à præſumptione, nam ſecundũ S.Bernard. primus gradus præſumptionis eſt ſuis viribus præfidere. Ita enim loquitur ſcribens in pſalmum. *Qui habitat. Nolo ignorare vos fratres quonam modo deſcendatur, imò cadatur in illas*(voragines) *Primus enim gradus deſcenſionis huius diſſimulatio propriæ infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis, dum ſibi parcens ſibi blandiens, ſibi perſuadens homo ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Et infra, docet hanc viam fuiſſe Luciferi cadentis de cœlo, quod nõ agnoſcens imbecillitatem virium ſuarum in tantam præſumptionem lapſus ſit, vt ſe ſimilem fecerit altiſſimo. 2. eximes te periculo perdendi piorum deſideriorum & operum fructum. Habes exemplum in Apoſtolo Petro qui nocte extremæ cœnæ firmiſſimè propoſuerat ſe nulla ratione admiſſurum in animum vel ſcandalum vel cogitationem de negando Chriſto, immò toto pectore dixerat. *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo,* & tamen paulo poſt propoſiti immemor capto Chriſto aufugit, & ter eum negauit. Cuius lapſus nõ alia ſane cauſa fuit, quam ꝙ nimium ſuis viribus fuerit confiſus, vt liquet ex verbis quibus ſe omnibus Apoſtolis prætulit. *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te ego nunquam ſcandalizabor.* Et cum Chriſtus ei diſertè prædiceret. *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequã gallus cantet, ter me negabis,* poſito omni imbecillitatis metu audacter reſpondit, ſe potius moriturum quàm negaturum. Quod accidit Petro ante acceptum Spiritum ſanctum, hoc quotidie accidit nobis, vt cum non omnem fiduciam in Deo collocamus, ſed plus æquo induſtriæ noſtræ præfidimus, auxilium efficax ſubtrahatur, quo muniti pia propoſita perficere poteramus, vt bene obſeruauit Chryſoſtom. in Matthæum 3. eximes te periculo labẽdi in hæreſin: inde enim omnes heretici fiunt, quod nimium fiſi ſuo ingenio proprias opiniones ſequantur; Vnde Hieronymus exponens verba Apoſtoli ex epiſtola ad Titũ. *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. Hæreſis græcè,* inquit, *ab electione dicitur, quod ſcilicet vnuſquiſq; id ſibi eligat, quod melius eſſe videatur. Propterea verò à ſemetipſo dicitur eſſe damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, & cetera vitia per ſacerdotes Eccleſia propelluntur. Hæretici autem in ſemetipſos ſentẽtiam ferunt ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes, quæ receſſio propriæ conſcientiæ videtur eſſe damnatio.* Et Auguſtinus ad Macedonium, qui eum ſapientem vocarat, reſpondet. *Ex iſta ſapientia, quæ vna & vera eſt, ſi quid habeo, à Deo ſumpſi, non à me præſumpſi: non enim meo vel ingenio, vel merito ſed eius dono ſum, ſi quid laudabiliter ſum. Nam quædam acutiſſima & excellentiſſima ingenia tanto in maiores errores ierunt, quanto præſidentius tanquam ſuis viribus cucurrerũt,*

B. ſerm. 11.

Matth. 26. 35.

Ib. 33.

C hom. 83.

Tit. 3. 10.

Epiſt. 52. Aug.

nec suppliciter ac veraciter Deum, vt viam sibi ostenderet, petiuerunt. Vide PANARIVM. V. Hæresis. R. 5.

CAPVT III.

De Medijs quibus hæc virtus parari poßit.

PRIMVM medium est, considerare diligenter Deum omnium bonorum tàm naturalium, quàm supernaturalium, siue essentiam, siue vires, siue actiones nostras spectes, esse auctorem. secundum illud psaltis regii. *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* Et Isaiæ prophetæ. *Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Et Christi Domini. *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* quod dictum verum est de Christo, siue quà Deus, siue quà homo est. Qua Deus quidem, quia homo nullam actionem etiam naturalem & liberam potest siue cooperatione Dei exercere: Qua homo verò, quia homo nihil Deo gratum, vel vitæ æternæ meritorium facere potest sine gratia & merito Christi. Sicut enim viti intimè coniuncti sunt palmites, ita fideles iusti per fidem & charitatem adhærent Christo. Vnde cum quidam à Christo percontarentur, quemadmodum facere possent opera Dei? respondit. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Et non multo post subiungit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Idem docuere Apostoli, vt S. Paulus ad Philippenses. *Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et B. Iacobus. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Immò si Deus vel minimo momento non nobis modo, sed toti adeo mundo præsentiam suam subtraheret, vel actionem eũ conseruandi suspẽderet, repente omnia in nihilum reciderent. *In ipso enim,* inquit Apostolus ad Athenienses, *viuimus, & mouemur & sumus. sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt.*

Psalm. 145. 5. — Isai. 26. 12. — Ioan. 15. 5. — Ioan. 6. 29. — Phil. 2. 13. — Iac. 1. 17. — Act 17. 28.

Vnde S. Augustinus libro 4. de Genesi ad litteram *Neque enim sicut structuram ædium cum fabricauerit quis abscedit; atq; illo cessante atq; abscedente stat opus eius, ita mundus vel ictu oculi stare poterit si ei Deus regimen suum subtraxerit. Proinde & quod Dominus ait. Pater meus vsq; nunc operatur, continuationem quandam operis eius, qua vniuersam creaturam continet atq; administrat ostendit.*

A. c. 12. — Ioan. 5. 17.

II. Me-

II. Medium est, soli diuino numini confidere, & in actionibus omnibus eius opem implorare. Si enim sine eius præsidio nihil facere possumus, vt iam ostensum est, cur viribus nostris fidere pergamus? Id probè animaduertens Sapiens ita loquitur. *Vt sciui, quoniam aliter* Sap.8.21. *non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ scire, cuius esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum illum.* Nomine continē- B.q.16 & 17. tiæ autem S. Basilius in regulis fusius disputatis intelligit abstinētiam Cæl.c.9. ab omni vitiosa affectione.

Hinc S. CÆLESTINVS Papa in epistola ad Episcopos Gallię. *Quod ergo tempus,* inquit, *interuenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus adiutor & protector orandus est. Superbum est enim, vt quicquam sibi humana natura præsumat clamante Apostolo. Non est nobis colluctatio aduersus carnē & sanguinem, &c.* Quod si quis ob- Eph.6.12. tēdat omnia opera hominis esse quidē Dei dona, tamen liberi arbitrii cooperatione effici, scire debet & ipsum liberum arbitrium, & ipsam quoq; cooperationem nostrā esse à Deo, *Deus enim operatur in no-* Phil.2.13. *bis velle & perficere,* vt supra ex Apostolo dictū est, ac vt sit aliquid propriè nostrum, tamen id totum ab homine debetur Deo, tum quia eius creatura est, tum quia compensandis eius beneficiis par non est. Vnde Augustinus alicubi cum Deo ita colloquitur. *Aperuisti mihi ocu-* A.in Soliloq. *los lux, & excitasti, & illuminasti me, & vidi quod gloriari non valeat ante te* c.15. *omnis caro, nec iustificetur omnis viuens, quoniam si quid boni est, parui vel magni, donum tuum est & nostrum non nisi malum est. Vnde igitur gloriabitur omnis caro, nunquid de malo? Hæc non est gloria, sed miseria. Sed nunquid gloriabitur de bono (cooperatione sua bona,) nunquid de alieno? Tuum, Domine est bonum, tua est gloria.*

III. Medium est agnitio suæ imbecillitatis. Hoc medio Deus populum Israheliticum ad saniorem mentem reduxit. nam cum eum ex Ægypto eduxisset, multisq; ac magnis cumulasset beneficiis, ne succedentibus prosperis insolescerent, suisq; confisi viribus obliuiscerentur Dei, magnis afflictionibus eos probauit, vt inopia aquarum in solitudine, serpentum morsu, vicinorum hostium incursione, repentina internecione, vt hac rerum aduersarum secundarumque vicissitudine reipsa cognoscerent omne bonum sibi diuinitus contingere, atque ita industriæ suæ diffisi se humiliarent, & omnem fiduciam in Deo defigerent. Vnde Moyses in Deuteronomio hanc ipsam huius vicissitudinis causam reddit. *Postquam afflixit*, inquiens, *ac probauit, ad extremum misertus est tui, ne diceres in corde* Deut.8.17. *tuo: Fortitudo mea & robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt.*

Sed

Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit vt impleret pactũ suum, super quo iurauit Patribus tuis, sicut præsens indicat dies. Sic & Augustinus fatetur in Soliloquiis se diffidentiam sui didicisse. *Fortissime,*
A.c.15. ait, *magnipotens Deus credebam me fore aliquid cum nihil essem. Cogitabam me esse prudentem & deceptus sum: dixi quod diues essem, & nullius egerem, & nesciebam quoniam pauper eram, cæcus, nudus, miser & miserabilis. Sed nunc video, quoniam si quid boni est, parui vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est, & nisi tu custodieris ciuitatem, in vanum laborant, qui custodiunt eam. Credebam me sufficere per me, nec percipiebam, quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongasti à me, & cecidi statim in me, & quod surrexi fuit ex te.* Plura de dignitate & vtilitate huius medii, ex S. Patribus, & Ethnicis Scriptoribus vide V. *Cognitio sui.*

CAPVT IV.

De Indicijs, quibus homo sibi diffidens agnoscatur.

PRIMVM Indicium est, in cuiusuis operis, maximè si alicuius momenti sit, initio diuinum auxilium inuocare, sæpe etiam intercessionem Sanctorum iam in regno cœlorum cum Christo regnantium atque imprimis beatissim. Virginis MARIÆ EXEMPLO sit exercitatissimus orator DAVID rex, qui imbecillitatem virium suarum agnoscẽs in hunc modum orabat. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus Deus meus adiutor*
Psal.17.2.
A.ep.52. *meus. Protector meus & cornu salutis meæ & susceptor meus.* Vnde S. Augustinus in epistola ad Macedonium. *Si nos virtus vera delectat, ei dicamus, quod in eius sacris litteris legimus. Diligam te Domine virtus mea. Et si verè beati esse volumus quod nolle non possumus, id quod in eisdem litteris didici-*
Psalm.35 5. *mus fido corde teneamus. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias mendaces. Quanta est autem vanitas, quanta insania, quãtumq; mendacium, hominẽ mortalem, ærumnosam vitam mutabili & spiritu & carne ducentem, tot peccatis oneratum, tot tentationibus subditum, tot corruptionibus obnoxium, pœnisq; iustissimis destinatum in seipso fidere, vt beatus sit: quando ne illud quidem quod habet in natura sua dignitate præcipuum, id est, mentem atq; rationem potest vendicare ab erroribus, nisi Deus adsit lux mentium.*

Cas.c.10. HOC exemplum Dauidicum olim secuti sunt eremitæ, qui teste Cassiano collatione decima, ad quasuis actiones, vel tentationes iterabant

rabant illum verſiculum Dauidis. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.* Etiam ſequitur Eccleſia in diuini officii recitatione, cum ſingulas horas canonicas ab eodem auſpicatur. Cuius conſuetudinis, inter ceteras, & hanc cauſam inſtituto noſtro congruentem reddit Caſſianus. *Iſte*, inquiens, *verſus in acedia & anxietate animi collocatos, ſeu triſtitia vel cogitationibus quibuſcunq; depreſſos ſalutis remedia deſperare non patitur, oſtendens illum quem inuocat inſpicere iugiter noſtra certamina, atq; à ſuis ſupplicibus non abeſſe. Iſte nos in ſpiritalibus ſucceſſibus, lætitiaq; conſtitutos admonet extolli penitus non debere, nec inflari de proſpero ſtatu, quem ſine protectore Deo retineri non poſſe teſtatur, dum non ſolum eum ſemper, ſed etiam vt velociter ſibi auxilietur implorat. Nam qui ſe ſemper & in omnibus deſiderat adiuuari, manifeſtat quod non tantum in rebus duris ac triſtibus ſed etiam in ſecundis ac lætis pari modo Deo egeat adiutore, in neutro ſciens humanam fragilitatem ſine illius opitulatione ſubſiſtere.* Quantum autem obſit rem aliquam aggredi, non conſulto prius in oratione Deo, docet exèmplum Ioſue cum Gabaonitis; nam cum horum legati ad Ioſue venißent, & inſigni fraude cōmenti fuiſſent ſe è lō- Ioſ.9.3. ginquis regionibus profectos, eique rei argumento eſſe, veſtium calceamentorumque vetuſtatem, & panum, quos recentes accepiſſent, duritiem; Ioſue cum ſuis nimium ſuæ prudentiæ confiſus pacis fœdera interpoſito iuramento cum eis iniit. Cuius erroris diuina Scriptura cauſam illam commemorat, quod os Domini non interrogauerint, hoc eſt, in precibus conſilium Domini non explorarint.

II. Indicium eſt, ſi quis *cum metu & tremore*, vt loquitur Apoſtolus, Phil.2.12. *ſalutem ſuam operetur. Beatus enim homo*, teſte Sapiente, *qui ſemper eſt pauidus.* 2. ſi pericula, omneſque occaſiones peccati caueat. *Qui enim a-* Prou.28.14. *mat periculum*, inquit Eccleſiaſticus, *peribit in illo.* cuiuſmodi periculum Eccli.3.28. eſt in colloquio & cohabitatione cum mulieribus. *Quid tibi neceſſe eſt*, inquit Hieronymus, *in ea verſari domo, in qua neceſſe habes quotidie, aut* H.ep.47. *perire aut vincere? Quis vnquam iuxta viperam ſecuros ſomnos capit? quæ etſi non percutiat, certe ſolicitat. Securius eſt perire non poſſe, quàm iuxta periculum non periſſe.* 3. ſi ſuorum operum bonorum laudem Deo potius, quā ſibi tribuerit, exemplo D. Pauli in hunc modum loquentis. *Abundan-* 1.Cor.15.10. *tius illis omnibus* (Apoſtolis) *laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Ib.v.57. Et, *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ie-* 2.Cor.2.14. *ſum Chriſtum.* Et. *Deo autem gratias, qui ſemper nos triumphat in Chriſto Ie-* Phil.4.13. *ſu.* Et. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* 4. ſi de ſuis rebus licet præclarè geſtis ſubmiſſe loquatur, ſecundum doctrinam Chriſti. *Cum feceri-* Luc.17.10. *tis*, ait ad Apoſtolos, *omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus.* Vnde S. Chryſoſtom. in Geneſin. *Oportet in virtute & recte factis* Ch.hom.21.

spem salutis habere, imò neq; in illis multum de se sentire, sed tunc magis humilem & modestum esse, cum magnas virtutum diuitias congerere possumus. Sic enim & ipsi collectas diuitias custodiemus, & gratiam Dei nobis conciliabimus. Hoc indicium potest etiam seruire pro Medio consequendi virtutem diffidentiæ sui. nam cum submissè de rebus suis sentire & loqui sit actus humilitatis, vtique prodesse poterit ad parandam diffidentiam, quæ est quædam humilitas. *Siquidem humiliatio*, vt habet S. Bernardus, *via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis.*

B. ep. 87.

VIDE *plura. V. Abnegatio sui. Cognitio sui. Conscientiæ examen. Humilitas. Profectus spiritualis.* SPES. *Et in* PANARIO *V. Præsumptio. Superbia.*

E.

ELEEMOSYNA.

CAPVT I.

Quid sit eleemosyna.



ΛΕΕΜΟΣΗΝΗ græcè, latine est. Misericordia dicitur, enim à verbo ἐλεέω, quod est misereor. *Misericordia* autem propriè, teste S. Basilio, *est affectio animi erga eos, qui aliqua ærumna corporis vel animi affliguntur. Miseramur, enim,* inquit, *eos, qui ex magnis opibus in extremam incidere paupertatem, vel ex optima corporis habitudine in extremam debilitatem.* Quanquam S. Gregorius scribens in psalmum 50. discrimen notauit inter misericordiam & miserationem. *Per misericordiam, ait, miserentis affectum intelligimus, per miserationem verò ipsam misericordiæ exhibitionē signamus, iuxta quod scriptum est Misericors & miserator Dominus. Superfluum enim esset vtrumq; ponere, nisi esset varietas in significatione.* Sic Eleemosynæ nomen, vt in coloniam latinorum translatum est, vsu scripturæ & latinorum scriptorum potius actum vel opus misericordiæ, quam affectū designat, vt apud Dan. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Et apud Matthæum. *Cum facis eleemosynā noli tuba canere ante te.* Vnde S. Augustinus in Enchiridio. *Est enim eleemosyna opus misericordiæ.* Et Spartianus scriptor Ethnicus de Cæsare Caracalla. *Non lentus in eleemosynam.*

B. in psal. 114.

G in 7. ps. pœni.

Psal. 110. 4.

Dan 4. 24.
Matt. 6. 2.

A. c. 76.

EST

Est autem Actvs misericordiæ Virtutis, idq; vt Theologi loquũtur, elicitus. nam, vt est imperatus, est charitatis. Vnde B. Ioannes in prima epistola *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Nec enim audiendi sunt Stoici, qui teste Lactantio & S. Augustino eam inter morbos animi numerant. Senecæ Stoici hæc verba sunt lib. 2. de clementia. *Misericordia est vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis. Hinc est*, inquit Lactantius *illa Plauti detestanda sententia.* 1. Ioan. 3. 17. L. l. 6. c. 14. A. 9. de ciuit. c. 5. Sen. c. 5. L. l. 6. c. 11.

Male meretur, qui mendico dat, quod edat.
Nam & illud quod dat, perit,
Et illi producit vitam ad miseriam.

Et mox addit, *Quid M. Tvllivs in suis Officialibus libris, nonne hoc idem suadet, non esse omnino largiendum?* Augustinus tamen inficiatur Ciceronem à Stoicis stetisse. *Longe*, inquiens libro nono de ciuitate Dei, *melius & humanius & piorum sensibus accommodatius* Cicero *in Cæsaris laudibus locutus est, vbi ait. Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Quid est autem misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua vtiq, si possimus subuenire compellimur? Hanc Cicero loquutor egregius non dubitauit appellare virtutem, quam Stoicos inter vitia numerare non pudet.* T. l. 2. offic. A. c. 5. Cic. pro Q. Ligario.

Signanter autem B. Augustinus expressit, misericordiam esse compassionem, qua, *si possimus*, subuenire compellimur egeno, quia misericordia integrum virtutis nomen retinet si adsit voluntas benefaciendi, licet desit facultas, vt si nihil tibi sit nummorum quod eroges. Vnde Clemens Alexandrin. *Misericordia*, inquit, *non est vt quidam existimarunt Philosophi, molestia propter alienas calamitates sed est potius quid diuinum, vt dicunt prophetæ. Misericordiam, inquit, volo, & non sacrificium. Misericordes autem esse vult, non solum qui faciunt misericordiam, sed etiam qui misereri volunt, etsi non possint, quibus adest, vt sponte & libera voluntate operentur Nonnunquam enim volumus vel dando pecuniam, vel corpoream dando operam, facere misericordiam, vtpote egenti opem ferre, vel ægrotanti inseruire, vel ei adesse, qui est in aliqua calamitate, nec possumus vel propter paupertatem, vel morbum, vel senectutem (nam ea quoque morbus est naturalis) exequi institutum. Eundem autem honorem consequentur ij, qui voluerunt cum ijs qui potuerunt, quorum est voluntas æqualis, etsi superent facultatibus.* Cl. 4. strom. Osee 6. 6.

* * *

Capvt II.

Quot ſint Eleemoſynæ genera.

Aug. in Enchir. c 72.ho.6.ex 50. Gr.21 mor.c.12. Iſid.lib.3.c.64.

SPAtres duo faciunt Eleemoſynæ genera; aliæ enim ſunt corporales, aliæ ſpirituales Eleemoſynæ. Corporales numerantur ſeptem. Eſurientes paſcere, potum dare ſitientibus, operire nudos, captiuos redimere, ægrotos inuiſere, hoſpitio peregrinos ſuſcipere. mortuos ſepelire. Vnde verſus. *Viſito, poto cibo, redimo, tego, colligo, condo.* E quibus ſex apud Matthæum nominantur ab ipſo Chriſto, omiſſa ſola ſeptima de mortuis ſepeliendis, à qua laudantur viri Iabes Galaad in libris Regum, cum ſepeliſſent regem Saul. Et ab angelo laudatur Tobias. Et à Chriſto Maria Magdalena, dum ait. *Opus bonum operata eſt in me, mittens enim vnguentum hoc, ad ſepeliendum me fecit.* Cur autem ſepulturæ non meminerit Chriſtus 21. Matthæi, cauſam vnam reddit S. Auguſtinus libro de cura pro mortuis, quod eſſet omnium minima & obſcuriſſima eleemoſyna. Alteram tradit S. Chryſoſtom. in Ioannem, eo quod ſponte ſua homines non ſolum hanc eleemoſynam faciant, ſed etiam facile in ea per abuſum excedant, vt dum pretioſis veſtibus induuntur cadauera diuitum, quæ vtilius darentur pauperibus. Omnium horum corporalium Eleemoſynarum ex vetuſtiſſimis meminit Lactantius in epitome diuinarum inſtitutionũ his verbis *Si quis victu indiget impertiamur, ſi quis nudus occurrerit, veſtiamus. Si quis à potentiori iniuriam ſuſtinet eruamus. Pateat domicilium noſtrum vel peregrinis, vel indigentibus tecto. Pupillis defenſio, viduis tutela noſtra non deſit. Redimere ab hoſte captiuos magnum miſericordiæ opus eſt: item ægros, pauperes viſitare atque fouere: inopes aut pauperes ſi obierint, non patiamur inſepultos iacere. Hæc ſunt opera, hæc officia miſericordiæ, quæ ſi quis perfecerit, verum & acceptum ſacrificium Deo immolabit.*

Matt.25.37. 2.Reg.2. Tob.12 12. Matt.26.10. A.c.3. C.hom.84. L.c.5.

Spiritvales eleemoſynæ item enumerantur à Theologis ſeptem, è diuinis Scripturis excerptæ. Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè conſulere, pro ſalute proximi Deũ orare, conſolari mæſtos, ferre patienter iniurias, offenſam remittere. Vnde verſus. *Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.* Prima habetur Matthæi 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum.* Et 1. ad Timotheum 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant.* II. habetur Eccleſiaſtici 18. *Qui miſericordiam habet, docet & erudit quaſi paſtor gregem ſuum.* & angelus apud Danielem. *Qui docti fuerint fulgebunt,*

Matt.18.15. Eccli.18.13. Dan.12.3.

bunt, quasi splendor firmamenti & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. III. habetur Prouerbiorum 27. *Bonis amici consilijs anima dulcoratur* Et Ecclesiastici 5. *Si est tibi intellectus, responde proximo, sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato & confundaris.* IV. Matthæi 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Et Iacobi 5. *Orate pro inuicem vt saluemini.* V. Ecclesiastici 7. *Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula, ex his enim in dilectione firmaberis.* Et prima ad Thessalonicenses quinto. *Rogamus autem vos fratres corripite inquietos, consolamini pusillanimes.* VI. Ibidem. *suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* VII. habetur Matthæi quinto. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Et capite 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra.* Et Ecclesiastici 28. *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?*

Prou.27.9.
Matt.5.44.
Eccli.7.38.
Matt 5.23.
Eccli.28.3.

NEQVE idcirco hæ vel corporales, vel spirituales eleemosynæ septenario numero includuntur, quod plures non sint, sed quod ad has omnes aliæ referri possint, quarum nonnullas refert S. Augustinus in Enchiridio. *Non solum autem, inquit, qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medicinam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuiq; necessarium est indigenti, verumetiam & qui dat veniã peccanti, eleemosynã dat, & qui emẽdat verbere, in quem potestas datur, & coercet aliqua disciplina, & tamen peccatũ eius, quo ab illo læsus est, aut offensus, dimittit ex corde, vel orat, vt ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit atque orat, verumetiam in eo, quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati. Multa igitur genera sunt eleemosynarum, quæ cum facimus, adiuuamur vt dimittantur nobis nostra peccata. sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisq; peccauit.* A.c.72.

* * *

CAPVT III.

De Dignitate & præstantia Eleemosynæ.

PRIMO dignitatem vel præstantiam Eleemosynæ, aut Misericordiæ Spiritus sanctus in sacris literis eo nomine imprimis declarauit quod eam non semel prætulerit sacrificio. vt in Prouerbiis. *Facere misericordiam & iudicium magis placet Domino, quam victimæ.* Et apud Matthæum, dicente Christo. *Euntes autem discite quid est. Misericordiam volo & non sacrificium?* quod dictum ex propheta Osee sumptum est. Apostolus quoq; bis eam comparauit hostiis, vt ad Philippenses dum ait, *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorē suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Et ad Hebræos. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Deinde declarauit præstantiā, quod dicat ea nos fieri quasi similes Deo. Nam aliquot operibus misericordiæ, tam corporalibus quā spiritalibus enumeratis, causam cur ea exercere debeamus reddit *vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Et alibi tradit ea posse nos fieri perfectos, vt cum omnia erogantūr in pauperes.

Prou.21.3. Matth.9.3. Ose.6.6. Phil.4.18. Heb.13.16. Matt.5.45. Matt.19.21.

PATRES quoq; veteres dignitatem eius mirificè prædicarunt. S. Cyprianus libro de opere & eleemosynis non dubitat conferre cum sacro Baptismo, *quia*, inquit *sicut lauacro aquæ salutari gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis atque operibus iustis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua & iugis operatio, baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur.* Lactantius libro sexto. *In homine præclarum & excellens est bonum misericordia, idq; diuinis testimonijs & bonorum malorumq; consensu optimum indicatur.* Et rursus. *Primum officium iustitiæ est, coniungi cum Deo, secundum cum homine: sed illud primum religio dicitur, hoc secundum misericordia vel humanitas nominatur. Quæ virtus propria est iustorum & cultorum Dei, quod ea sola vitæ communis in se continet rationem.* Et infra. *Captiuorum redemptio magnum atq; præclarum iustitiæ opus est, pupillos & viduas destitutos & auxilio indigentes tueri atque defendere.* S. Basilius in Hexæmeron. *Salomon sanè quam sapiens, qui è solida Spiritus sancti doctrina suam hausit sapientiam, magnifico planè hominem exornans elogio voce exerta hæc depromebat. Magna res est homo, & res pretiosa vir misericors.*

Cyp. initio. L.c.4. Id c.10. cap.12. B. hom.11.

Gregor. Nyssenus libro de Beatitudinibus. *Si misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi vt Deus fias, tanquam insignitus propria nota Deitatis?* S. Greg. Nazian. in oratione de pauperū amore.

amore. *Nihil tam diuinum homo habet, quam de alijs bene mereri tametsi ille maiora, hic minora beneficia conferat, vterque nimirum pro suis viribus. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Et infra. *Dominus misericordiam mauult, quam sacrificium, ac pinguium agnorum myriades commiseratio superat.* Et sub initium *Si ex Pauli, atq; ipsius etiam Christi sententia & auctoritate charitatem, vt legis & prophetarum caput, praeceptorum omnium primum maximumque censendum est, huius potissimam partem in eo sitam esse cōperio, vt pauperes amore & beneuolentia complectamur. Neq; enim vlla omnino res est, quae Dei beneuolentiam perinde conciliet, ac misericordia.* S. Ambrosius libro primo Officiorum *Bona etiam misericordia, quae & ipsa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat Christianam animam, quam misericordia.* S. Chrysost. ad populum Antiochenum. *Non dixit Christus, si ieiunetis eritis similes Patri vestro neq; dixit, si virginitatem illaesam seruaueritis, eritis similes Patri vestro, &c. nihil enim horum est circa Deum: sed quid. Estote misericordes, sicut & pater vester, qui in coelis est. Hoc Dei est opus. hoc si nō habeas, quid habes? Misericordiam volo, inquit, non sacrificium. Fecit coelum Deus, fecit terram, mare: magna haec, & ipsius digna sapientia: Sed illorum nullo tantum humanam attraxit naturam, quantum misericordia & clementia.* Et alibi ad eundem. *Melius est hanc artem, dandi eleemosynam, scire, quam esse regem, & diademate coronari. Non enim est haec sola eius praecellentia, quod aliarum non indiget, verum & diuersarum rerum est expeditoria. Domos enim aedificat in coelis semper mansuras, & qui se consecuti fuerint, docet, quemadmodum immortalem fugiant mortem, &c. Et quid opus est omnia particulatim dicere artis huius merita? haec namq; te docet, quomodo possis Deo similis fieri, quod est omniū summa bonorū. Haec est quae Sophistis & oratorib. te potentiorem efficit.* Et alibi. *Ait* scriptura *Magna res homo & pretiosa vir misericors. Haec maior est gratia, quam mortuos resuscitare. Multo namq; maius est quam in nomine Iesu mortuos suscitare, esurientē pascere Christum. nam hic quidem tu de Christo bene mereris, illic autem ipse de te. Ac merces est in bene gerendo, non in bene patiendo. Hic in signis ipse Deo debes, in eleemosyna verò Deum habes debitorem.* Et de poenitentia. *Eleemosyna regina illa virtutum homines in ipsorum coelorum arces celerrimè adducet aduocati optimi loco fungens. Magna res est eleemosyna, praecidit aerem, transit lunam, solis radios caedit, ad ipsum venit coelorum culmen, ipsos pertransiens coelos, & angelorum populos decurrens, archangelorumq; choros, & omnes superiores potestates, ipsi assistit regali throno.* S. Hieronymus ad Hedibiam. *Vis esse perfecta & in primo stare fastigio dignitatis? fac, quod fecerunt Apostoli: vende omnia quae habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem. Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis? dimitte omnia quaecūq; habes,*

[Margin notes: A cap. 5. — C. hom. 36. — Luc. 6. — Osee 6. 6. — Matt. 9. 13. — Hom. 33. — Hom. 36. ad p. — Hom. 9. — H. ep. 150. q.]

da filijs,

A hom.29. *da filijs, da propinquis.* S. Augustinus libro 50. homiliarum. *Sacrificium Christiani est eleemosyna in pauperem. Hinc enim fit Deus peccatis propitius. Nisi autem peccatis propitius fiat Deus, quis remanebit nisi reus?* Et iterum. Hom 39. Eccli.3 33. *Magnum opus est eleemosyna, vt faciat homo, quod fecit Deus, quia hos paucos esurientes in terra dimisit, qui vno vasculo orbem cœli pascit, per quem & nobis liceat erogare. Sed si vbiq; fuisset abundans perierat misericordia, dedit nobis secundum baptismum. Quis enim sine peccato? Nam sicut aqua extinguit ignem, sic & eleemosyna extinguit peccatum. Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti.*

L. ser. 5. S. Leo in serm. de quadragesima. *Clementes animos largitas decet. Nihil est enim dignius, quam vt homo sit sui auctoris imitator, & secundum modum propriæ facultatis diuini sit operis executor. nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, fouentur infirmi, nonne auxilium Dei manus explet ministri, & benignitas serui munus est Domini?*

CAPVT IV.

De necessitate virtutis Misericordiæ.

NECESSITATEM misericordiæ tàm corporalis, quam spiritualis primum exponunt sacræ litteræ, dum satis indicant eam esse à Domino præceptam, idq; dupliciter, generatim & speciatim. Generatim quidem, quia Ecclesiasticus dicit. *Vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo.* Eccli.17.12. Christus verò apud Matthæum *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ.* Et. Matt.7.12. Luc.6.31. *Secundum,* mandatum *simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his* Matt.22.39. *duobus mãdatis vniuersa lex pendet & prophetæ.* Dein B. Paulus ad Romanos. *Si quod est mandatum, in hoc instauratur. Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Rom.13.9. Et ad Galatas. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Gal.6.2. Ac S. Pet. in epist. priore *Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Pet.4.8. Et S. Ioannes in epistola prima *Filioli mei non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere & veritate.* 1. Ioan.3.18. Charitas certè opere præstita maximè cernitur in operibus misericordiæ.

SPECIATIM verò esse præceptam demonstrant hæc testimonia. Nam in Deuteronomio Dominus sic loquitur. *Ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui versatur in terra.* Deut.15.11. & in Tobia. *Quo modo potueris ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Tob.4.8. Et in Pro-

in Prouerbiis. *Præcepta mea cor tuum custodiat: Misericordia & veritas te*
non deserant. Et in Ecclesiastico. *Fili eleemosynam pauperis ne defraudes, &* Eccli. 4. 1.
oculos tuos ne transuertas à paupere. Et. *Pauperi porrige manum tuam, vt* Eccli. 7. 36.
perficiatur propitiatio & benedictio tua, Et. *Propter mandatum assume pau-*
perem & propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum. Et in Isaia. *Frange* Eccli. 29. 15.
esurienti panem tuum, egenos vagosq; induc in domum tuam Cum videris nu- Isa. 58. 7.
dum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Et apud Zachariam Domi-
nus. *Misericordiam & miserationes facite vnusquisq; cum fratre suo*. Et apud Zach. 7. 9.
Lucam Christus *Date & dabitur vobis* Et. *Date eleemosynam, & ecce o-* Luc 6. 38.
mnia munda sunt vobis. Et ad Ephesios Paulus. *Estote inuicem benigni,* Luc. 11. 41. Eph. 4. 32.
misericordes donantes inuicē. Et ad Hebræos. *Beneficentiæ & communionis* Heb. 13. 16.
nolite obliuisci. Denique si opera misericordiæ non essent in diuinis
litteris præcepta, non damnarentur immisericordes in iudicio extre-
mo; his enim à Iudice supremo dicitur. *Discedite à me maledicti in ignem* Mat. 25. 41.
æternum. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, &c Vnde S. Iacobus
in epistola sua. *Iudicium enim*, inquit *sine misericordia illi, qui non fecit mi-* Iac. 2, 13.
sericordiam.

SCRIPTVRIS cōsentiunt S Patres S. Cypr. *In Euangelio Dominus,* C. de. eleem.
doctor vitæ nostræ & magister salutis æternæ, inter sua mādata diuina & præ-
cepta cœlestia nihil crebrius mādat & præcipit, q̄ vt insistamus eleemosynis dādis. Luc. 12. 33.
Vendite inquit *res vestras, & date eleemosynā*. S. Greg. Naz. de Pauperum
amore. *Quodnā porrò hoc mandatū est, de beneficentia? ac videte quæso quàm*
cōstans sit, minimeq; fucatū. neque enim hominibus Spiritu sancto afflatis fuit
satis semel atq; iterum de pauperibus sermonem habuisse, nec quidam duntaxat
verum omnes in vniuersum & sedulo quisque ad eam rem nos inhortantur, nūc
admonentes, nunc comminantes, nunc exprobrantes, nonnunquam etiam eos,
qui hanc virtutem assequuntur laudibus efferentes: nimirum vt assidua com-
monitione nos ad præcepti huius expletionem inflamment. S. Hier. in Micheæ H lib. 2. c. 6.
verba *Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus quærat à te: v-*
tique facere iudicium, & diligere misericordiam Quærit, inquit, à nobis Do-
minus, & necessariam habens nostram salutem poscit accipere, quod danti pro-
sit: vt faciamus iudicium, id est, vt nihil absque ratione & consilio faciamus,
vt ante mens iudicet, quod factura sit, & postea opere compleat: vt misericor-
diam diligamus, & non quasi compulsi, aut ex necessitate misericordes simus,
quoniam hilarem datorem diligit Deus S. Chrysostom. in epistolam ad E-
phesios. *Quid igitur, inquis, in ignem minatur Dominus ingressuros eos, qui* Chr. serm. 4.
eleemosynam non dederunt, neq; simpliciter in ignem, sed in eum qui diabolo Math. 25.
præparatus sit & angelis eius? Quamobrem hoc est quæso? Nihil ita Deum irri-
tat, sed omnibus illud malis præponit Si enim inimicos diligere oportet, per-
pende qua pœna dignus sit qui amicos etiam perire sinit, hoc ipso gentibus quoq;

peior. Magnitudo itaq; peccati huius cum diabolo gehennam ingredi facit. Væ siquidem eleemosynam non facienti. Nam si in veteri istud testamento fuit, multò magis in nouo. Si enim vbi concessa erat pecuniarum possessio, fruitio, ac cura, tanta prouidentia pauperum habita est ratio, quanto magis hoc fieri debebat, vbi omnia proijcere iubemur. Quid enim non fecerunt hac in re Iudæi? Et in epistolam ad Philippenses. *Ex natura ad misericordiam vniuersi mouemur homines: atq; nihil ita bonum est in natura nostra. Vnde merito quis quæsierit cur potissimum hoc naturæ nostræ seminario sit inditum, quod lachrymis frangimur, quod ad misericordiam paratissimus. Nemo natura strenuus est, nemo natura vanæ gloriæ studio caret, nemo natura zelo atq; æmulatione superior est: misereri verò natura est omnibus inditū, vtut crudelis quispiam sit & immitis.* S. Augustin. in sermonibus de Tempore. *Mutat quidem hominem in melius pœnitentia peccatorum, sed nec ipsa videtur aliquid profutura si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit. Testatur hoc veritas per Ioannem, qui venientibus ad se dicebat: Generatio viperarum, quis vobis ostendit fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Qui sint autem isti fructus, ipse consequenter ostendit. Nam post hæc eius verba interrogabant eum turbæ dicētes. Quid ergo faciemus, id est, qui sunt isti fructus, quos vt faciamus hortaris & terres? Respondens autem dicebat illis. Qui habet duas tunicas det vnam non habenti, & qui habet escas similiter faciat. Quid manifestius fratres mei quid certius, quid expressius? Quid ergo aliud sonat, quod superius ait. Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur, nisi quod sinistri audituri sunt, Ite in ignem æternum. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.*

(Margin: id. ser. 4. — A. ser. 50. — Matt. 3. 7. — Luc. 3. 11.)

CAPVT V.

De multiplici fructu Eleemosynæ.

TAM magni, variiq; sunt eleemosynæ vel misericordiæ fructus, atq; vtilitates vt B. Ioan. Chrysostomus integra homilia ad populum Antiochenum habita conatus sit demonstrare Eleemosynam esse artem & quidem omnium quæstuosissimam. Sic enim eam exorsus est. *EIA charissimi hodie ostendamus, qualiter est ars omnium artium quæstuosissima Eleemosyna. Si enim artis est proprium, ad aliquam vtilitatem peruenire: eleemosyna verò nihil est vtilius, clarum est profectò, quod & ars & omnium est artium optima.*

(Margin: Chr. hom. 33.)

PRIMVS fructus est, quod præ aliis operibus bonis conciliet magnam apud Deum fiduciam. Nam Tobias. *Fiducia,* inquit, *magna erit*

coram

coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam, Et Osee. *Misericor-* Tob.4.12.
diam & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper. Misericordiam & veri Ose.12.6.
tatem, ait rex Dauid, *diligit Dominus Deus*. Vnde S. Cyprianus lib. de E- Psal.83.12.
leemosyna. *Præclara & diuina res, fratres carissimi, salutaris operatio, sola-*
tium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum
spei, tutela fidei. & Chrysostom. in Genesin. *Hic erudiamur vt magna in* Ch.hom.34.
danda eleemosynis largitate vtamur, quo datis paruis, adipiscamur magna
Quomodo enim paria sunt, dic obsecro, dare parum argenti, vel pascere esuri-
entem, & die illa horribili fiduciam assequi, & audire verba nulli regno confe-
renda: Esuriui, & dedistis mihi quod comederem Et intra. *Eleemosyna ma-*
gnam nobis fiduciam conciliat, & præparat, vt ineffabilibus illis bonis frui tunc
liceat.

II. Frvctvs, quod præparet & disponat hominem ad gratiam
iustificationis, si fiat ab eo qui pœnitentiam agere incipit. Nam ange-
lus apud Tobiam ait. Eleemosyna *ipsa est, quæ purgat peccata, & facit in-* Tob.12.8.
uenire misericordiam & vitam æternã. Et Ecclesiasticus. *Sicut aqua extin-* Eccli.3.33.
guit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Et Christus apud Lucam. Luc.11.41.
Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et in Actis Angelus Act.10.31.
ad Cornelium dixit *Corneli exaudita est oratio tua & eleemosynæ tuæ com-*
memoratæ sunt in conspectu Dei. Mitte ergò in Ioppen, & accersi Simonem.
Vnde probat S. Augustinus in primo libro de prædestinatione Sãcto- A.cap.7.
rum Corneliũ per eleemosynas impetrasse à Deo gratiam fidei Chri-
stianæ & iustificationis perfectæ. Eodem modo accipiẽdum est, quod
Daniel suasit Nabuchodonozori *Consilium meum placeat tibi, & peccata*
tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan Dan.4.24.
ignoscet Deus delictis tuis. Ideo enim vsus est Daniel vocula dubitandi
Forsitan, vt indicaret eleemosyna non redimi peccatum ex iustitia,
sed ex gratia, & ideo hominem tantum disponi ad iustificationem, &
de congruo illam mereri, quod indicat in hunc locum S. Hieron. H.in c.4.Dan.

III. Frvctvs est, quod mereatur vitam æternam, si fiat ab ho-
mine iusto ex charitate. Vnde Tobias. *Qui faciunt eleemosynam & iu-* Tob.12.9.
stitiam saturabuntur vita Et Dauid. *Beatus, qui intelligit super egenum &* Ps.40.1.
pauperem in die mala liberabit eum Dominus. Et. *Dispersit dedit pauperibus,* Ps.111.9.
iustitia eius manet in seculum seculi. Et Salomon. *Qui miseretur pauperis, be-* Prou.14.21.
atus erit. Et. *Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inueniet vitam, iusti-* Prou.21.21.
tiam & gloriam. Et Christvs. *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ*
habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Et. *Venite benedi* Matt.19 & 25.
cti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuri- Heb.13.16.
ui enim & dedistis mihi mand. &c. Et Paulus. *Beneficentiæ & commu-*
nicationis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur DEVS. Et 2.Cor.9.6.

Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. IDEM docuere S. Patres S Cyprianus *Quae illa erit, fratres carissimi, operantium* C de eleem. *gloria, quam grandis & summa laetitia, cum populum suum Dominus coeperit recensere, & meritis atque operibus nostris praemia promissa contribuens, pro terrenis coelestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna praestare, offerre nos patri, cui nos sua sanctificatione restituit.* Lactantius sexto diuinarum institutionum. L.c.12. *AEgros quoque, quibus defuerit qui assistat, curandos fouendosque suscipere, summae humanitatis & magnae operationis est: quod qui fecerit, hic viuam hostiam Deo acquiret, & quod alteri dederit ad tempus, ipse à Deo accipiet in aeternum.* Greg. Nyssenus de amandis pauperibus. G.orat.1. *Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni benignique fuerint summa & perpetua requies tribuitur in regno coelesti, in humanis autem & improbis supplicium ignis, idque sempiternum* Chrysost. de Poenitentia. C.hom.5. *Nundinae nobis profecto mirabiles sunt. harum nulla alia est professio, & negotiatori nulla alia intentio, quam paruo quidem emere, magno vendere: nam ea cuiuscunque negotiantis industria. Num negotiationibus alia ratio est, quam quod minori empta maiori pretio vendat, atque duplicatam sibi summam inueniat? Tales igitur nobis Deus nundinas proposuit medico iustitias eme, quo multo vendas in seculo futuro. Hic modico iustitia emitur, nisi pro panis fragmento, pro calice aquae frigidae. Amen dico vobis, inquit spiritualis mercaturae* Matt.10.42. *Doctor, non perdet mercedem suam* Augustinus libro primo contra ad- A.c.16. uersarium legis & prophetarum. *Dominus ad sinistram positis gentibus* Matt.25.41. *minatur esse dicturum. Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Huius tanti supplicii quaeris causam? Esuriui, inquit, & non dedistis mihi manducare. Ecce pro esca temporali non ablata, sed non data aeternum & horrendum supplicium comminatur Et rectè, si consulas veritatem. Perparuum est enim, quod eleemosynis datur, sed cum piè datur, aeternum inde meritum comparatur. Et ideo potius, quia paruum est, quod datur, magna impietate non datur* Idem libro 50 homiliarum docet Deum nobis fieri debito- A.hom 39. rem vitae aeternae, cum pascimus pauperem, quod etiam docuit Chri- Ch.hom 36. sost. ad populum Antiochenum Basilius in diuites auaros. & Cypria- B.hom.6. nus de eleemosyna. Habes in Prato spirituali exemplum de Philosopho, qui chirographum ab Episcopo postulauit quo testaretur retributionem pro eleemosyna fore in vita aeterna.

Tob.4.11. IV. FRVCTVS est, quod satisfaciat pro peccatis, hoc est, pro poena temporali peccatis debita. Quo sensu accipe illud Tobiae. *Eleemo-* Eccli 3.33. *syna ab omni peccato & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Et illud Ecclesiastici. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit* Amb.serm.31. *peccatum.* Eodemque sensu accipiendum est, cum Cyprianus & Ambrosius eleemosynam comparāt baptismo, Sicut enim baptismus cul-

pam

pam & pœnã tollit: ita vt si quis mox à baptismo moriatur, nihil sit ei periculi à gehẽna, vel Purgatorio. Sic eleemosynæ post culpam pœnitentia remissam, satisfaciunt pro pœna temporali. imò vt Ambros. ait, in eo superant baptismum, quod hic semel tantum, illæ verò sæpius peccata remittant. Deinde Salomon in Prouerbiis. *Misericordia*, inquit, *& veritate redimitur iniquitas* Redemptionis enim vox æquiualet satisfactioni, imò plus est esse redemptore, quam satisfactorem Sic S. Ambrosius de Elia & ieiunio. *Habemus plura subsidia quibus peccata redimamus nostra. Pecuniam habes? redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus sed tu ipse venalis es, peccatis tuis venundatus es. redime te operibus tuis, redime te pecunia tua.* Nazianzen. de pauperum amore. *Misericordia & fide peccata purgantur. Ergo miseratione purgemur, animiq; labes egregia illa herba detergamus, & dealbemus, alij vt lana, alij vt nix pro misericordiæ videlicet proportione.* August. in Enchir. *In melius est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus, vt ea semper liceat impunè committere: nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.* Idem testatur satisfactione per eleemosynam etiam piè defunctos iuuari, nempe sermone 32. de Verbis Apostoli, sicut & Chrysostomus homilia 69. ad populum & Hieronymus epist. 26. ad Pammachium

Prou. 16. 6.
A c. 20.
Naz. orat.
A. c. 70.

V. Frvctvs, quod impetret subsidium precum ab iis, quibus gratis confertur. vnde Ecclesiasticus *Conclude eleemosynam in corde pauperis & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Eodem pertinet, quod Christus dixit apud Matthæum. *Qui recipit iustum nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* id est, quam iustus impetrabit orando pro illo. Et apud Lucam. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.*

Eccli. 29. 15.
Matt. 10. 41.
Luc. 16. 9.

Exemplum habemus in Actis Apostolicis de Tabitha eleemosynaria. Vt enim S. Petrus illam mortuam corporaliter precibus viduarum, quæ ab eleemosynas acceperant, vitæ restituit, ita Deus sæpe excitat spiritaliter mortuos intuitu eleemosynarum. Hunc fructum notauit S. Ambrosius, cum in sermone quodam ita scripsit. *Mete ergo vberes pecuniæ tuæ fructus, orationes dico pauperum, intercessionemque sanctorum, qui pro te, officiorum tuorum memores apud iustum iudicem Deum dignis operum tuorum allegationibus postulent* Deinde subiicit exemplum viduarum dictarum, quæ procedentes, & ostendentes vestimenta sua à Tabitha donata rogarunt Petrum pro ea. Chrysostom. quoq; ad populum. *Sunt & hic castra pauperum, & bellum, in quo pro te pauperes pugnant. Cum enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium;*

Act. 9. 40.
A serm. 81.
C. hom. 33.

propitiū aūt facientes, pro barbaris dæmonū insidias repellūt: neq; sinunt vehementer infestum esse malignum, neq; semper irruere, sed ipsius soluunt potentiam. Hos itaque conspiciens millies quotidie pro te cum diabolo precibus & orationibus pugnantes, à temetipso pulchrum istud tributum exige, illorum alimenta.

VI. Fructus est, quod augeat bonorum temporalium prouentum sæpissimè. Quod primum Scriptura disertè affirmat. vt in Prouerbiis.
Qui dat pauperibus, nunquam egebit. Et. *Fœneratur Domino, qui miseretur*
Prou. 28. 27. Prou. 19. 17. Luc. 6. 38. *pauperis.* Et apud Lucam Christus. *Date & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatā & supereffluentem dabunt in sinum vestrū.*
Et ad Corin. S. Paul. *Qui parcè seminat, parcè & metet: qui seminat in bene-*
2. Cor. 9. 6. *dictionibus, de benedictionib. & metet. Potens est aut Deus omnē gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abūdetis in omne opus bonum. Qui autem administrat semen seminanti & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Et ad Timotheum. *Pietas ad omnia v-*
1. Tim. 4. 8. *tilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Nec desunt exempla in Scripturis eorum, qui crebris eleemosynis locupletiores fa-
3. Reg. 17. cti sunt, vt Iob, Tobias & vidua Sareptana prophetæ altrix.

S. Patres quoque eundem fructum commemorant, vt S. Cyprianus
Cypr. de eleem. loco sæpe citato. *Si vereris,* inquit, *& metuis, ne si operari plurimum ceperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriam forte redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus, finiri non potest, vnde in vsus Christi impenditur, vnde opus cæleste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctarum scripturarum fide, & diuinæ pollicitationis auctoritate promitto. Loqui-*
Prou. 28. 27. *tur per Salomonem Spiritus sanctus, & dicit. Qui dat pauperibus, nunquam egebit: qui autem auertit oculum suum in magna penuria erit, ostendens misericordes atq; operantes egere non posse.*

B. hom. 6. S. Basilius homilia in ditescentes *Imitare homo vel terram, vt illa fructus proferto, vt ne illa conspiciaris esse deterior, quæ inanimis est. Sane illa non in suum vsum aut commodum sed in tuum ministrare contendit. Tu autem quem debueras ostendere beneficentiæ fructum, illum tibi ipsi congregas? Nam benefactorum gratiæ in dantes reuertuntur. Dedisti esurienti? tibi consuluisti. Quod dedisti ad te cum auctario reuertetur. Quemadmodum enim frumentū in terram cadens lucrum proÿcienti parit, sic & panis in esurientem proiectus, multam in posterum tibi reddet vtilitatem.* Comparat deinde opes elegāti similitudine aquis puteorum, quæ quo crebrius hauriuntur, eo puriores & copiosiores fiunt, si verò immotæ maneant, computrescunt. Exempla huius fructus exstant apud Gregorium Turonicum libro 5. historiæ Francorum cap. 19. de Tiberio Cæsare. Leontium Episco-

pum

pum Cypri in vita Ioannis Eleemosynarii, qui distribuens certabat cũ Domino Deo illi data compensante. S. Greg. Magnum lib. 2. dial. cap. 29. de S. Benedicto, cuius precibus oleum creuit. Et Sophronium in Prato spirituali c. 185. 195. & 201.

VII. Fructus, quod gratiã impetret, si frequentetur, feliciter ex hac vita excedendi. Nam apud Tobiam dicitur. *Eleemosyna à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Et in Psalmis Dauid. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum & viuificet eum & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* Vnde S. Augustinus libro 50. homiliarum. *In tali causa operarius felix viuit, & securus iam moritur cum quo ambulat patrimonium in immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum alterum pascit dando. Nullam poterit incurrere perniciem, qui comparauerit eleemosynis pietatem. cui propheta tale exhibet testimonium. Salua eum, & viuifica eum Domine. O duplex prophetæ beneficium Saluat pariter, & commendat pariter vt saluetur, quia & ipse saluauit, vt viuificaretur, & ipse vitam poscenti donauit in terra* Et Chrysostomus ad populum. *Non sinit nos eleemosyna eo decidere vbi diues ille epulo, nec audire verba tremenda* (Discedite à me maledicti) *sed in Abrahæ sinus deducit. Domos enim ædificat in cœlis semper mansuras, & qui se consecuti fuerint docet, quemadmodum immortalem fugiant mortem, & quomodo anima & corpus indiminuta conseruentur ostendit* Et alibi ad eundem, docet neminem à cœli ianitoribus repelli, qui eleemosynæ symbolum ostenderit *Tanta*, inquit, *vis est eleemosynæ cum multa fiducia suos introducit alumnos: est enim cœli nota ianitoribus sponsalis thalami fores obseruantibus, quin & venerabilis & quos sui cultores agnouerit cum multa introducet libertate & contradicet nemo, sed omnes cedent.*

Tob. 4. 11. Psal. 40. 2. A. hom. 39. Ps. 40. 3. Ch. hom. 33. Id. h. 36.

CAPVT VI.

Ex quibus bonis fieri debeat eleemosyna.

DIVINÆ literæ primum tradunt non debere fieri ex bonis alienis, nempe furto partis, sed ex propriis. Vnde Tobias ad filiũ. *Ex substantia tua fac eleemosynam.* Et Salomon. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei.* & Ecclesiastic. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris.*

Tob. 4. 7. Prou. 3. 9. Eccli. 34. 24.

patrū sui. Et Isaias. *Frange esurienti panem tuum.* Consentiunt S. Patres.
Isa.58.7 S. Basilius in admonitione ad filium spiritualem. *Eleemosyna*, inquit,
cum iniquitate acquisita abominatio est coram Christo.

S. Ambrosius libro primo de officiis. *Non probatur largitas, si quod*
A.a.30. *alteri largitur, alteri quis extorqueat: si iniustè quærat, & iustè dispensandū*
putet. S. Hieronymus exponens illud Hieremiæ, *Holocausta vestra non*
H.l.2.in c.6. *sunt accepta.* *Hoc*, ait *propriè conuenit his, qui de rapinis se putant redimere*
Prou.13.8. *posse peccata dicente Scriptura Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ, quæ non*
de iniquitate, sed de labore & iustitia congregantur.

S. Augustinus in 50. homiliis. *De iustis laboribus iussit Deus dari, de ra-*
A.hom.47. *pinis verò prohibuit dari.* S. Chrysostom. ad populum Antiochen. *Aliena*
Ch hom.33. *rapiens profectò non est misericors, licet infinita largiatur. Nam si propriis frui*
simpliciter est inhumanitatis, multo magis alios expilare. S. Greg. in regesto.
G.ep 110. *Eleemosyna redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus, &*
iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & bene acquisitis impenditur.
Loquitur autem in eodem loco de eleemosyna etiam ex lucro Simo-
niaco parta.

SECVNDO sacræ litteręindicant maximè debere eas fieri ex facul-
tatibus superuacaneis, nam S. Ioannes baptista apud Lucam ait ad
Luc.3.11. turbas. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas simili-*
ter faciat. Et Christus apud eundem. *Veruntamen quod superest date ele-*
Luc.11.44. *emosynam.* Deinde idem Lucas describit diuitem indutum purpura &
Luc.16. bysso, epulantemq; quotidie splendide, nihil autem Lazaro pauperi
porrigentem, quem S. Augustinus in 50. homiliis ait non alia de cau-
A.hom.7. sa damnatum, quam quod superuacaneas suas opes non communes
fecerit pauperibus. IDEM testantur alii S. Patres. S. Basilius. *At tu,*
B.hom.6. ait ad diuitem auarum, *nonne spoliator es, qui quæ dispensanda accepisti pro-*
pria reputas? est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam tu in concla-
ui conseruas, discalceati calceus. qui apud te marcescit, indigentis argentum,
quod possides inhumatum. S. Ambrosius sermone 81. *Sed ais: quid iniustum*
est, si cum aliena non inuadam propria diligentius seruem! ô impudens dictum,
H.q 1. *propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?* S. Hiero-
nymus ad Hedibiam. *Si plus habes, quam tibi ad victum, vestitumq́; ne-*
C.hom.34. *cessarium est, illud eroga, & in illo debitricem te esse noueris.* S. Chrysostom.
ad populum. *Nunquid graue quippiam & onerosum à nobis requirit? neces-*
sitatē excedentia vult nos facere necessaria, & quæ inutiliter reposita sunt hæc
vult bene distribui, vt hinc occasione sumpta nos coronet. Et infra agens de
A.in psal.147. superfluis *Non ad hoc accepisti*, inquit, *vt in delicias absumeres, sed vt ine-*
Id.tract.50. *leemosynam erogares.* S. August. in psalmos *Superflua diuitii necessaria sunt*
B.ep.42. *pauperi: aliena retinet qui ista tenet.* Et in Ioannem. *Tibi superflua sunt, sed*

Domini

clamant, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis.

TERTIO consulunt diuinæ literæ vt etiam necessaria aliquando erogemus in pauperes. Nam apud B. Lucam à Christo laudatur vidua Luc.21.3. quæ totum victum suum misit in gazophylacium. Et S. Paulus in altera 2.Cor.8.3. epistola ad Corinthios commendat Macedones, quod etiam supra virtutem eleemosynas dederint. S. Greg. Nazianzen. in oratione de funere patris sui Gregorii ita scribit. *Quis pauperibus vel animo condolentior vel manu liberalior? Sic enim haud dubiè quasi alienorum bonorum procurator de bonis suis existimabat, pauperum inopiam quantum poterat subleuabat, nec superflua tãtum sed necessaria quoq; in eam rem insumens, id quod hominis amicissimè erga pauperes affecti clarissimum est argumentum.* Eandem laudem paulo post tribuit eius vxori, *quæ,* inquit, *ad bene de omnibus merendum sic erat prompta & alacris, vt nulla huius rei satietate affici posset: quæ denique non opes solum omnes, quas vel primum habuit, vel postea consecuta est cupiditate sua minores existimabat, sed se quoq; ipsam si fieri potuisset, & liberos, vt ex ipsa sæpe audiui prompti ac lubenter vendidisset, vt in pauperum vsus insumerentur.*

S. Ambros. lib. 2. offic. *Hoc maximum incentiuum misericordiæ, vt compa-* A.c.28. *tiamur alienis calamitatibus, necessitate aliorum quantum possumus iuuemus, & plus interdum quam possumus. Melius est n. pro misericordia causas præstare, vel inuidiam perpeti, quam prætendere inclementiam.* Hoc autem ille scripsit, cum & omnia sua, & sacra Ecclesiæ vasa conflari & pauperibus S.c.2. dari iussisset. Sulpitius de S. Martino in eius vita scribit, eum pauperi occurrenti, cum nihil præter chlamydem, qua indutus erat, haberet, (pecuniam enim iam omnem in pauperes erogarat) dimidium chlamydis impertiuisse, cum quo Christum ipsum vestitum fuisse nocturno H.ep.27. viso cognouit. S. Hieronymus refert Paulam Romanam alioquin G.c.1. locupletissimam eousq; omnia erogasse in pauperes, vt ne quidẽ nummum filiæ dereliquerit. S. Paulinus, teste S. Gregorio libro tertio dialogorum, Nolanus Episcopus, cum omnia sua in captiuorum redemptionem, & pauperum sustentationem impendisset, ad extremũ se in mancipium vendidit, vt filium viduę cuiusdam seruitute exime- Id.c.28. ret. Eodẽ teste libro 2. dialog. S. Benedictus, cum prouincia, in qua viuebat, fame laboraret, omnia monasterii sui bona in pauperes eroga- I.c.10. uit. Et ipse S. Gregorius, auctore Ioanne diacono libro primo vitæ eius, cum aliquando pecunias & vestes omnes dedisset pauperibus, etiam argenteam scutellam, quæ supererat, erogauit, dicens malle se nihil habere, quam pauperem sine consolatione dimittere. S. Ioannes Eleemosynarius Alexandrinus Patriarcha, teste Leontio in eius vita,

omnia prorſus, quæ habere potuit, etiam lectorũ ſtragula diſtribuit, pauperibus, cumque pauperes tam profuſam liberalitatem mirarentur reſpondebat. Fratres nondum ſanguinem pro vobis fudi, ſicut mandauit mihi Dominus IESVS Chriſtus.

CAPVT VII.

Quinam poßint vel debeant facere eleemoſynam.

THEOLOGI ſcholæ pleriq; omnes docent diuitum proprium eſſe facere eleemoſynam, ac eorum quidem qui proprietatem & dominium ſuorum bonorum habẽt. Itaque excipiunt vxores, quæ ſunt in poteſtate virorum, licet hæ cum facultate virorum poſſint (vt feciſſe vxorem Gregorii patris G. Nazianzeni diximus) 2. filios, qui in poteſtate parentum. 3. ſeruos, qui ſunt in poteſtate dominorum. 4. religioſos, qui ſunt ſub poteſtate Præpoſitorum, & ſemel omnia ſua erogarunt in pauperes. *Nemo autem melius erogat*, inquit S. Hilarion apud Hieronymum, *quam qui nihil ſibi reſeruat.* [H. in vita eius.]

S. Patres tamen ſcribunt omnes poſſe & debere facere eleemoſynam, ſi non corporalem, ſaltem ſpiritualem Grego. Nazianz. de pauperum amore. [G. orat.] *Summi muneris loco alacritatem dona: ſi nihil habes collacryma. Magnum eſt infortunato remedium miſeratio ex animo collata.* [Eccl. 7. 19.] Hieron. in Eccleſiaſten *Poterat aliquis reſpondere. Si omnibus benefacere voluero, non habeo vnde faciam. Propterea nunc ait. Quos non potes opibus, conſilio adiuua, ſolatio foue. Plus enim potes in anguſtia conſtituto præſtare ſapientiæ, quã quilibet maximæ poteſtatis.* Chryſoſt. in Acta Apoſt. [Ch. hom. 25.] *Ne dicas, quoniam pecuniæ mihi non ſunt Hoc nihil eſt dicere. Quemadmodum ſi aurum dediſſes, ita affectus eſto. Potes miniſtrare? etiã hoc facito. Si medicus es arte, diligenter cura infirmos, eſt etiam hoc magnum. Vales conſilio, hoc omnibus maius eſt, quantoq; maius habet lucrum. An putas, paruã eſſe eleemoſynam animam conſilio deſtitutã, morbo poſſe liberare?* Et in pſal. 127. *At non habes pecuniam? ſed potes viſitare ægrum, vel incarceratum, dare poculum frigidæ, præbere duos obolos ſicut vidua, ingemiſcere propter eos qui affliguntur: nam hoc quoq; eſt eleemoſyna.* Auguſt. in pſal. 125. *Aliquando & diues inuenitur pauper & à paupere præſtatur illi aliquid Venit neſcio quis ad flumen. tanto delicatior, quanto ditior. trãſire non poteſt. Si nudatis membris tranſierit, frigeſcet, ægrotabit, morietur. Accedit pauper exercitatiore corpore, traiicit diuitem, eleemoſynam fecit in diuitem. Ergo nolite tantum eos putare pauperes, qui non habent pecuniam. In quo*

quiſque

quisque pauper est ibi illum vide, quia forte tu in eo diues es, in quo ille pauper est & habes vnde accommodes. Forte membra tua accommodas, & plus est, quam si pecuniam accommodares. Consilio indiget, tu plenus es consilio. In consilio ille pauper, tu diues es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis, das consilium, & præstitisti eleemosynam. Et in sermonibus de tempore. *Dicit aliquis. Pauper* Id. ser. 217.
sum, ideo eleemosynam dare non possum. Vt nullus se pauper excusare posset, Dominus & Saluator pro calice aquæ frigidæ mercedem se redditurum esse promisit. Dicis ergo. Pauper sum. Si nihil amplius habes in substantia tua, quam tibi in victu aut vestitu rationabili, aut mediocri sufficiat, sola tibi potest bona voluntas sufficere.

CAPVT VIII.

Quibus impertienda sit eleemosyna.

PRIMVM ex diuina Scriptura constat peccatoribus, nempe, quâ
peccatores sunt, non impertiendam. *Da bono,* inquit Syracides, *&*
ne receperis peccatorem: probibe panes illi dari. quia si improbo daretur ele-
emosyna, qua improbus, hoc nihil aliud esset, quàm diligere iniquita- Eccli. 12.6
tem, inquit Augustin. in psalm. 102. II. constat & illis, alijsq; omnibus,
qua homines sunt, dum egent, esse dandam. Nam Salomon ait. *Si esu* Prouer. 25.21.
rierit inimicus tuus ciba illum, quod dictum citauit Apostolus in epist. ad Rom. 12.20.
Rom. Et Christus apud Matth *Benefacite his, qui vos oderunt.* Et apud Math. 5.44.
Lucam. *Omni petenti te tribue.* III. vnusquisq; eam inchoare debet à sei- Luc. 6.30.
pso iuxta illud Eccli. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Vnde Augustin. in Eccli 30.24
Enchir. *Qui vult eleemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam* Aug cap. 76.
sibi primum dare. Est n. eleemosyna opus misericordiæ, verissimeq; dictũ est. Mi-
serere animæ tuæ placens Deo Propter hoc renascimur vt Deo placeamus. Pro-
pter quem dilectionis ordinem dictum est Diliges proximum tuũ sicut teipsum. Math. 22.39.
IV. præ aliis impertire eam debet domesticis, & cognatis, si egeant. *Si*
quis. n. suorum, ait Apostolus, *& maximè domesticorũ curam non habet fidem* 1 Tim. 5.8.
negauit, & est infideli deterior. In quæ verba Chrysost. *Idem,* inquit, *fermè* Chr. hom. 14
Isaias quoq; Prophetarũ eximius admonet dicẽs. Domesticos seminis tui ne despe- Is. 58.7. iuxta 70.
xeris, Nã si quis propinquos genere ac affinitate cõiunctos aspernetur, quomodo
erit in alienos clemens? Nonne vanitati iudicio hominũ, erit obnoxius si alienos
beneficiis fouens propinquos summa immanitate despiciat? Quid item si illos de
fide instruat, hos in errore iacere permittat, quibus benefacere iu-
re suo facilius & commodius possit, quantæ istud immanitatis erit?
Et est, inquit, infideli deterior, cur id? quia ille etsi alienos despicit,

propinquos tamen nequaquam aspernatur. Diuinas plane leges violat & iura naturæ, qui negligit suos Et Augstinus in homiliis 50. *Date omnibus dile-*
A.h.39. *ctissimi fratres date præcipuè ad domesticos fidei, date omnibus, ne cui non dede-ritis ipse sit Christus.* 5. post domesticos maximè commendantur viduæ
Psal.9 14. & pupilli in Scripturis. Sic vt psalmo nono rex Dauid dicat ad Domi-
Iac.1.27. num. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor* Et S. Iacobus Scribat. *Religio munda apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* 6. inter probos & improbos anteponendi sunt probi, tum quia sunt digniores, tum quia id vtilius esse potest eleemosynarum largitoribus, vt docet Gregor. Nazianz. oratio ne depauperum amore. Hieronymus aduersus vigilantium, & Chrysostomus oratione de pauperibus non curiosè scrutandis.

CAPVT IV.

De modo quo facienda sit Eleemosyna.

AD Modum pertinent conditiones variæ, quæ Eleemosynam reddunt magis laudabilem & salutarem. PRIMA est, si fiat ab homine iusto, id est, vera fide & caritate prædito. *Sine fide* enim, teste Apo-
Heb.11.6. stolo, *impossibile est placere Deo.* Ac similiter sine charitate. *Nam si distri-*
1.Cor.13.3 *buero*, inquit idem, *in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Vnde S. Augustinus in Enchiridio.
A.c 75. *Sane qui sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam moresq; corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant frustra sibi ideò blandiuntur, quoniam Dominus ait Date eleemosynam, & ecce omnia mūda sunt vobis. Hoc enim quàm latè pateat, non intelligunt.* Vnde capite sequenti docet quemque debere primum dare eleemosynā sibi, iuxta
Luc.11.41. illud sapientis. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Et S. Gregorius libro 22.
Eccli.30.24. Moralium. *Ab omnipotente Deo munus ex manu nō accipitur quod corde ob-*
G.c.12. *ligato in malitia profertur. Mundari etenim debet prius animus qui e-*
Id.c.20. *leemosynam præbet, quia omne quod datur Deo ex dantis mente pensatur.* Et libro 19. *Multi proximis quasi opera misericordiæ impendunt, sed iniustitiæ facta non deserunt. Qui si proximis veraciter misericordiam facere student, si-*
Eccli.30. *bi ipsis prius debuerant iustè viuendo misereri. Vnde scriptum est. Miserere animæ tuæ placens Deo. Qui ergo misereri vult proximo à se trahat necesse est originem miserendi. Scriptum namq; est Diliges proximum tuum sicut*
Matt.22.39. *teipsum.*

II. Conditio est, si fiat bono fine vel intentione; nam Christus red-
Matt.6.2. arguit eos apud Matthæum, qui largitione eleemosynæ aucupabantur vanam gloriam. *Cum ergo*, inquiēs, *facis eleemosynam, noli tuba canere*

ante

ante te sicut hypocritæ faciunt. Vnde S. Ambrosius libro altero de Pœni-
tentia. Sunt qui ad iactantiam solam decorem largitatis affectent, vt eo se pro-
batos vulgo velint, quod sibi nihil reliquerint, sed dum præsentis sæculi merce-
dem requirunt, non recondunt in futurum, & quia hîc perceperunt mercedem
suam, illic sperare non possunt.

III. est, si fiat animo non solum æquo, sed etiam lubenti. vnde To- Tob. 4. 9.
bias ad filium. Si exiguum tibi fuerit, libenter impartiri stude. Vnde Augu-
stin. in psalmum 125. Ipse Dominus dicit. Verum date eleemosynas, & ecce o- Luc. 11. 41.
mnia munda sunt vobis. Vnde autem procedit eleemosyna? de corde. Si enim
manum porrigas, nec in corde miserearis, nihil fecisti: Si autem in corde mise-
rearis, etiamsi non habeas quod porrigas manu acceptat Deus eleemosynam tu-
am. Exemplum habes in Tobia, qui quotidie quærebat pauperes, vt
eleemosynam impertiret. Tob. 1. 3.

IV. est, si non differatur de die in diem, sed detur statim, iuxta illud
Sapientis. Cor inopis ne afflixeris, & non differas, quod erogaturus sis in ege- Eccli 4. 3. B. hom. 6.
num. Vnde S. Basilius in ditescentes. Iam quando suppetit, quid prohibet,
quo minus liberaliter impartiare? nonne inops adest? non sunt plena horrea?
non merces à Domino parata? non mandatum manifestum? Esuriens fame ab-
sumitur, nudus frigore rigescit, & tu eleemosynam in crastinum differs? Audi Prou. 3. 28.
Salomonem. Ne dicas, regressus reuertere, & cras dabo: ignoras enim, quid se- G. admon. 21.
quens pariet dies. Idem Gregorius 3. parte pastoralis. Ne quæ præbenda Prou. 3. 28.
sunt citius, sero præbeantur: audiant quod scriptum est. Ne dixeris amico tuo,
vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.

V. si fiat hilariter, iuxta illud Ecclesiastici. In omni dato hilarem fac Eccli. 35. 11.
vultum tuum. Et. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam. Et Apostoli. Ib. 4. 8.
Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Am- 2. Cor 9. 7. A. c. 30.
brosius primo de officiis. Nec satis est benefacere nisi id ex bono fonte, hoc est,
ex bona voluntate proficiscatur. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nam si
inuitus facias, quæ tibi merces est? Vnde Apostolus generaliter inquit. Si vo-
lens hoc ago, mercedem habeo: si inuitus, dispensatio mihi credita est. Et Au- 1. Cor. 17.
gustinus in psalmum 42. Si fregeris ex animo esurienti panem, quia plerunque
fit à tristibus & à murmurantibus, vt careant tædio interpellantis, non vt re-
ficiant viscera indigentis. Hilarē autem datorem diligit Deus: at si panem dede- 2. Cor 9. 7.
ris tristis, & panem & meritum perdidisti. Ergo ex animo fac, vt ille qui intus
videt adhuc loquente te dicat. Ecce adsum.

VI. Si fiat humiliter, hoc est, putet se potius beneficium accipere
quam dare, Nam apud Lucam Christus dixit. Et ego vobis dico Facite
vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æ- Lu. 16. 9.
terna tabernacula. Vnde Gregorius 21. moralium. Multum ad edoman- G. c. 14.
dam dantis superbiam valet, si cum terrena tribuis verba sollicitè magistri cæ-

lestis penset, qui ait, Facite vobis amicos, &c. Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quam egenis dona largimur. Idem sæpius probat Chrysost. in sermonibus de Eleemosyna.

VII. Si fiat liberaliter, iuxta cuiusq; facultatẽ. Ita præscripserit To-
Tob. 4. 9. bias filio suo. *Quomodo potueris, ita esto misericors si multum tibi fuerit, ab-
undanter tribue. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stu-*
2. Cor. 9. 6. *de.* Et S. Paulus in epistola 2. ad Corinthios vult eleemosynam dari tã-
quam benedictionem. *Qui parcè,* inquit, *seminat, parcè & metet. Qui se-*
Chr. hom. 37 *minat de benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Vnde Chrysosto. ad
populum *Non dare sed cum copia dare eleemosyna est.* Et addit idcirco eos
qui dicunt. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam,* de-
bere etiam misereri pauperum secũdum magnam eleemosynam suã.
Si quæras, in quo præcipue consistat magnitudo eleemosynæ apud
Deum. Respondeo magis consistere in affectu dantis, quam quantita-
Luc. 21. 1 te dati. Ideo enim Dominus apud Lucam viduę minuta duo antepo-
suit donariis diuitum; Vnde Ambrosius libro de Viduis *Liberalitas,* in-
quit, *non cumulo patrimonii; sed largitatis definitur affectu.* & Chrysosto. ad
Chr. hom. 24 & 32. ad Hebreos. populum. *Eleemosynæ magnitudo non in pecuniarum multitudine iudicatur,*
L. serm. 4 *sed in dantium promptitudine.* S. quoq; Leo sermone de Quadragesim. *Ex
affectibus,* ait, *piorum benignitatis mensura taxatur.*

VIII. Si fiat prudenter, vel cũ discretione. ac primo vt potius mul-
tis aliquid, quam paucis multum detur; Vnde de Tobia legitur. *Quo-*
Tob. 1. 2. *tidie pergebat per omnem cognationem suam, diuidebatq; singulis prout poterat*
Amb. c. 30. *ex facultatibus suis. Non enim sunt profundendæ opes,* inquit, Ambrosius li-
Hier. ep. 27. bro primo officiorum, *sed dispensandæ. Solent pleræq;,* ait Hieronymus
in vita Paulæ Romanæ, *matronarum in paucos largitate profusa, manum à
ceteris retrahere, quo Paula omnino carebat vitio. Ita enim singulis suam pecu-
niam diuidebat, vt singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessi-
tatem.* 2. vt cuiq; id detur, quod ratio postulat, vt admonet S. Grego. in
Gr. 3. p. admo. 21 Pastorali, *ne quædam,* inquit, *quibus nulla, ne nulla quibus quædam, ne multa
quibus pauca, ne pauca quibus multa impendere debuerunt; ne præcipitatio-
ne hoc quod tribuunt inutiliter spargant, ne tarditate petentes nociue crucient,
ne in bene oblato munere animus plus quam decet hilarescat, ne impensæ gra-
tiæ vicissitudinem requirant, &c.*

IX. Si non curiosè scrutentur pauperes, examinentq;, vel de otio,
Eccli. 4. 1. Eccli. 18. 15. segnitie, vel simulatione accusent, antequã eis conferant eleemosynã
secundũ illud Sapientis. *Non exasperes pauperem in inopia sua.* Et. *In omni
dato non des tristitiam verbi mali.* Contra hos scrutatores agunt GREG.
Naz. in oratione de pauperum amore, & persæpe CHRISOSTO. vt
hom.

hom.36.in Matthæum.ferm.14.in epist.ad Romanos homil.11, in 1.ad Corinth.hom.41.in Genes.ferm. de eleemosyna.

X. Conditio est, si fiat constanter vsq; ad finem vitæ. Vnde Chryso. in præfatione epistolæ Pauli ad Philippenses. *Neq; putemus*, inquit, *omnia nos præstitisse, si quando semel atque iterum quidquam dederimus: per omnem quippe vitam id facere oportet: non.n. semel tātum, sed indesinenter Deo placere debemus. Quod si à bonis operib. exorsi nouissimè defecerimus, totū perdidim⁹, totū corrupim⁹. Audi monitionē perutilē, quæ dicit. Eleemosynæ ac fides ne deserant te. Nō dicit. Semel facias, neq; secūdo, neq; tertio, nec decies, nec cēties, sed perpetuo Nō deserāt te, inquit. Et nō dicit, ne deseras illas, sed ipsæ ne deserāt te, ostendens nos illarum, non illas nostro adiumēto opus habere, docensq; eò satagendum nobis esse, vt illas apud nos contineamus. Adapta eas, inquit, collo. Quemadmodum diuitum liberi circa collum ornatum habent aureum, illumq; nunquam deponunt, vtpote quem tanquam nobilitatis suæ insigne gestant, ita et nos eleemosyna semper amiciendi sumus.* Et S. GREGORIVS epistola ad Sauinellam in pauperes misericordem. *Quisquis, ait, copiosum in cœlis fructum desiderat, seminare dum tempus est non omittat, vt manipulos in die messis cum lætitia colligat. Nam qui seminant in lachrimis, in exultatione ac gaudio metent. Ibi desideria figite, vbi quicquid retribuitur finem non suscipit. Bonum ergo facientes non deficiatis, vt illic vobis thesauros thesaurizare possitis, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Prouer.33

CAPVT X.

De Mediis idoneis ad parandam virtutem misericordiæ.

PRIMVM Medium est, considerare te in impertiēda pauperi Eleemosyna Dei O. M vices tenere, & esse quasi Deum, vt ex S. Patribus græcis duo Gregorii Nyssenus & Nazianzenus loquuntur. Huius verba sunt in oratione de Pauperum amore. *O serue Christi & Dei, atque hominum amore prædite, ne fratrem despicias, ne prætereas, ne vt scelus, vt piaculum, vt aliud quiddam fugiendum & interdictum auerseris. Membrum tuum est, licet calamitate frangatur. Tibi, licet animo admodum forti prætercas,* P.35 102.110 111 Ion.4.
pauper relictus est, vt Deo: his enim verbis pudore te fortasse promouebo. Nyss. Exo 34.
vero in lib. de beatitudinib. hæc sunt. *Scio in multis locis diuinæ Scripturæ nomine misericordis sanctos viros diuinam potētiam appellare. Sic Dauid in psal-* Deu.4.

Ps. 85. 102. 110. 111
Ion. 4.
Exo. 34.
Deu. 4.

in Psalmis, sic Ionas in sua Prophetia, item magnus Moyses in multis locis suæ sanctionis nominat nomen diuinum. Si ergo misericordis appellatio Deum decet; ad quid aliud te sermo hortatur, nisi vt Deus fias tanquam formatus, & insignitus propria nota Deitatis Eodem pertinent illa B. Leonis in sermone de Quadragesima. *Nihil est dignius, quam vt homo sit sui auctoris imitator, & secundum modum propriæ facultatis diuini sit operis executor. Nam cũ aluntur esurientes, vestiuntur nudi, fouentur infirmi, nonne auxilium Dei manus explet ministri, & benignitas serui munus est Domini?*

II. Medium est considerare, te quod impertis pauperi impertire Christo vel Deo; fallere enim nequeunt verba Christi apud Matthæum, cum sermo esset de operibus misericordiæ dicentis. Amen dico vobis *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Vnde Chrysostom. in Matthæum. *Certe si ipsum Christum nunc videretis non dubitaret vnusquisque vestrum vniuersam substantiam in eum erogare. verũ nunc nec teruncium erogas. Non audis dicentem Quod vni ex minimis meis facis, mihi facis Nihil nempe interest, siue huic pauperi, siue ipsi Christo dederis. Nihil enim minus habes his mulieribus* (Magdalena & cæteris) *qui tunc Christum alebant, imò (sed nemo his verbis turbetur) multo etiam maius Non enim est æquale, ipsum Dominum præsentem alere, cuius præsentia vel lapideum ad se animum attraheret, & propter eius verba duntaxat pauperes, mendicos ægrotos alere atq; curare. Accedit quod maioris erga Christum reuerentiæ signum est, quandoquidem ideo conseruum tuum in omnibus diligenter pascis atque curas.*

Matt. 25. 40.
Ch. hom. 89.

Idem habet homilia nona de pœnitentia. Qua de causa Christus ipse, vt liquet ex diuersis sanctorum historiis, persæpe declarauit se eleemosynam sub specie pauperis accepisse, vt liquet in vita S. Martini Turonum antistitis apud Seuerum Sulpitium, & in vita B. Gregorii Pontificis Romani apud Ioan. Diaconum libr. 2. cap. 22. Et de monacho Martyrio, qui Christum in forma leprosi in humeros sustulit apud B. Gregor. homilia 39 in Euangelia. Immò in extremò die iudicii, vt liquet ex Matthæo Christus ipse non in pauperis persona, sed sua dicet. *Esuriui, & dedistis vel non dedistis mihi manducare.*

Matt. 25. 35.

III. Medium est, considerare te omnia beneficia corporalia & spiritalia, quæ habes, vel habiturus es, à Deo accepisse, quare & merito te ad ea in pauperibus compensanda teneri Vnde Nazianz. loco sæpe citato. *Nihil tàm Dei proprium homo habet, quàm de aliis bene mereri, tametsi ille maiora, hic minora beneficia conferat, vterq; nimirum pro suis viribus. Ille hominem condidit, ac solutum rursus colligit, tu lapsum ne despicias. Ille eum maximis in rebus commiseratus est, cum ei præter cetera, legem prophetas, ac prius etiam naturalem legem non scriptam rerum quas gerimus iudicem*

N. de paup. amore.

dicem dedit, cum arguit, admonuit, castigauit, postremo se pro Mundi vita in redemptionis pretium tradidit; atq; insuper Apostolos, Euangelistas, magistros, pastores, morborum depulsiones, miracula, reditum ad vitam, mortis oppressionẽ, trophæum aduersus eum qui vicerat. fœdus in vmbra, fœdus in veritate, diuisas Spiritus sancti gratias, nouaq; salutis mysterium largitus est. Tu verò, siquidem maiora quoq; beneficia conferre potes, & quibus anima iuuatur (nam his etiam rebus diuitem te, si volueris, Deus fecit) ne his quoq; te abstine, quo minus egenti benignè facias. Similia beneficia Christi inculcat copiosè in Matthæum Chrysostom. & tandem concludit. *Quæ iugiter animo versantes, ac recolentes, quæ accepimus, quæ accepturi sumus, quæ à nobis repetuntur, omni studio rebus spiritalibus incumbamus, humiles atq; misericordes simus, ne intolerabiles nobis cruciatus attrahamus. Cur enim non putes sufficere ad condemnandos nos, quod magna consecuti, parua non reddamus, ibiq; ea repetantur, quæ inuiti relinquimus: quorum singula ad condemnationem meam certe sufficiunt.* Ch.hom.47.

IV. Medium est; considerare, vt omnium rerum vicissitudo est, te in eandem inopiæ calamitatem posse delabi, aliorumq; implorare beneficentiam. Quod medium præscripsit Lactantius in epitome suarũ institutionum his verbis. *Ergo animal commune atque consors esse debemus vt nos inuicem præstandis, recipiendisq; auxilijs muniamus. In multis enim casibus & incommodis fragilitas nostra subiecta est. Speres tibi accidere posse, quod alteri accidit. ita demum excitaberis ad opem ferendam, si sumpseris eius animum qui opem tuam tunc in malis constitutus implorat. Si quis victu indiget, impertiamur: si quis nudus occurrerit, vestiamus.* Et in sexto libro de vero cultu disputans contra eos, qui parciores sunt in pauperes, eo quod vereantur sibi tandem defutura in victum necessaria, ita respondet. *Quid tu tam pusillo animo paupertatem times? quam etiam vestri Philosophi laudant: nihil hac tutius, nihilq; tranquillius esse testantur. Hoc, quod times, solicitudinum portus est. An ignoras quot periculis, quot casibus cum his malis opibus subiaceas? Quæ tecum bene agent, si sine tuo cruore transierint. Quid ergo dubitas bene collocare id, quod tibi forsitan eripiet aut vnum latrocinium, aut existens repente proscriptio, aut hostilis aliqua direptio? Quid verere fluxum & fragile bonum facere sempiternum aut thesauros tuos custodi Deo credere, vbi non furem, prædonemq; timeas, non rubiginem, non tyrannum? Qui apud Deum diues est, pauper esse nunquam potest.* L.cap.5. Id.c.12.

V. Medium est, quotidie aliquid, licet modicum sit in vsum pauperum seponere. Quod ex Apostolo Paulo sumptum est. Scribit enim priore epistola ad Corinthios in hunc modum. *Per vnam Sabbathi vnusquisq; vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit, vt non cum venero tunc collectæ fiant.* Quæ verba expendens S. Chrysost. 1.Cor.16.2. Chr hom 43. in 1.ad Cor.

 Pareamus

Pareamus beato Paulo cōstituentes nostris in ædibus arculā pauperibus, quæ eo in loco, vbi quisq; consistere & orare solitus est, reponatur: ita vt eleemosynā primum, quoties accesseris oraturus imponas, & deinde orationem proferas. Vt verò ad orationem illotis manibus venire nolles, sic neq; sine Eleemosyna accedas. Et profectò non minus est iuxta lectum eleemosynam reponere, quā si isthic Euangelium suspendas, siquidem Euangelium isthic suspensum nihil agit, nec tantillæ quidem virtutis est. In hac verò arcula aduersus diabolum armaturam habes repositam, hac orationem tuam penetrantem efficis, domum sanctam reddis, in hac conclusas habes regias dapes. Ea propter ad lectum deponetur illa, & sic absque phantasiis tranquillè noctem transiges. Iam & commoditates, quibus liceat admodum facile colligere vultis vt recenseam? Fiet. Sic igitur adiectionem suam artifex aliquis, vel sutor, vel coriarius, vel faberærarius, vel quicunq; tandem is fuerit, leuem reddet. Si aliquid vendiderit ille, sui artificij primitias eius pretij offerat Deo, & huc paululum quid conijciat exiguamque Domino partem diuidat. Multum enim vt huc conferat non postulo, sed tantum, quantum vel infantes pueruli, vel miseri & egeni homines peterent, tantum nos, qui cœlū speramus, demus. Neq; de vendentibus tantū hæc, verum & ementibus & alijs operantibus dicta sint. Eam regulam & agricolæ in prouentu rerum eam semel omnes, quotquot legitimos colligunt censùs, obseruent. Facilis autē illa nobis ex consuetudine res fiet, paulatimq; à paruis ad magna ascēdemus, & studebimus opes contemnere, ipsamq; radicem malorum euellere.

VI. est Consideratio Exemplorum ex diuinis litteris, & historia Ecclesiastica desumptorum, & quidem eorum, qui virtute misericordiæ in pauperes excelluere, nam singulorum misericordiæ operum exempla hic describere, esset infinitum.

VIDE *V. Hospitalitas. Liberalitas. Sepultura.* Et in PANARIO *V. Auaritia.*

S. EVCHARISTIÆ COMMVNIO.

CAPVT I.

De nomine & significatione Eucharistiæ & Communionis.

EVCHARISTIA græcè, latine significat vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem. Bona gratia dicitur, tum quia vitam æternum, de qua

de qua Apostolus. *Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino no-*
stro, præsignificat; tum quia Christum Dominum gratiæ atq; adeo o- Rom. 6. 23.
mnium charismatum fontem in se continet. Vnde B. Cyprianus de Cypr.
lapsis eam appellat latina voce gratiam, cū nonnulla miracula de Eu-
charistia retulisset. *Documento*, inquiens, *vnius ostensum est Dominum re-*
cedere cum negatur: nec immerentibus ad salutem prodesse, quod sumitur,
quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente mutetur. Et S. Am- A. c. 3.
brosius libro 5. de Sacramentis. *Venisti ad altare, accepisti gratiam Chri-*
sti. GRATIARVM actio verò appellatur, tum quia cum ea hoc my-
sterium institutū est. Vt. n. tres Euangelistæ cū Apostolo narrāt, Chri- Matt. 26. 27.
stus accipiens panem, fregit, ac gratias egit: tum quia cum Eucharistia Mar. 14. 23.
quotidie in sacrificio Missæ conficitur, Deoq; immolatur, immensæ Luc. 22. 19.
Deo gratiæ pro vniuersis in nos beneficiis aguntur. Vnde Orige. con- 1. Cor. 11. 24.
tra Celsum. *Nos qui rerum omnium conditori placere studemus, cum precibus* Orig. lib. 8.
& gratiarum actione pro beneficijs acceptis oblatos panes edimus, corpus iā per
precationem factos sanctum quoddam & sanctificans, vtentes eo cū sano propo-
sito, &c. Hoc cauemus, ne ingrati erga Deum habeamur. Habemus enim eius
gratiarum actionis symbolum panem, qui Eucharistia vocatur. Et Chrysost. Chr. hom. 24. in
exponens verba Pauli. *Calix benedictionis cui benedicimus. Quid dicis*, in 1. ad Cor.
quit, *beate Paule, cum vis auditorem confundere, & horrendorum mysteriorū* 1. Cor. 10. 16.
meminisse calicem benedictionis appellas calicem illum formidolosum & horro-
ris plenum? Sane quidem. Non. n. paruum est, quod dicitur. Siquidem cum be-
nedictionē dico, Eucharistiam dico, & dicendo eucharistiam omnē benignitatis
Dei thesaurū aperio: etenim cum calice inenarrabilia Dei beneficia, & quæcunq;
consecuti sumus, addimus: ita ad eum accedimus cum eo communicamus grati-
as agentes, quod humanum genus errore liberauit.

COMMVNIO latinè, græcè dicitur κοινωνία, quæ vox ex eodem B.
Paulo sumpta est, cum ait. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne com-*
municatio sanguinis Christi est? & panis quē frangimus, nonne participatio cor- 1. Cor. 10. 16.
poris Domini est? Nam vt S. Damasc ea verba explanat lib. de orthodo- Dam, c. 14.
xa fide quarto, *communicamus per ipsam Eucharistiam Christo, & participa-*
mus eius carne & diuinitate, & quia communicamus & vnimur inuicem per
illam. Nam quia ex vno pane participamus omnes vnum corpus Christi, & v-
nus sanguis, & inuicem membra efficimur incorporati Christo existentes. Ad
eadem verba Pauli respiciens S. Cyrill. Alexandrinus in Ioann. *Consi-* Cyr. lib. 10. c. 13
derandum est, inquit, *non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur,*
Christum in nobis esse, verum etiam & participatione naturali. Nam quemad-
modum si igne liquefactam ceram, aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit,
vt vnum quid ex vtrisque factum videatur, sic communicatione corporis &
sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso.

Quod verò ad significatum vocis Eucharistiæ attinet. S. Eucharistia aliud non est, quam corpus & sangius Christi sub speciebus panis & vini cum anima & diuinitate realiter & substantialiter existẽs: firmissima enim fide cum SS. Patribus, totaque Ecclesia Catholica credimus post consecrationem à legitimo sacerdote in sacrificio Missæ peractam totum Christum Deum & hominem sub illis contineri, eo quod verba Christi, HOC EST CORPVS MEVM. Et. HIC EST SANGVIS MEVS, sole sint clariora. Vnde S. Hilarius in libris de Trinitate. *De veritate*, ait, *carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus.* S. Cyrillus Hierosolymitanus in catechesi mystagogica. *Cum Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane. Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente, Hic est sanguis meus, quis inquam dubitet, & dicat non esse illius sanguinem?* S Chrysostomus in Matthæum. *Verbis Christi defraudari non possumus, sensus vero noster deceptu facillimus est: illa falsa esse nõ possunt, hic sæpius atq; sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meũ, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus.* S. Leo I. sermon de ieiunio septimi mensis. *Dicente Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur.*

H. lib. 8. C. c. 4. Ch. hom. 83. L. ser. 6. Ioa. 6. 53.

COMMVNIO denique Eucharistiæ, de qua hic agimus, non est aliud quam sumptio eiusdem Eucharistiæ vel sub vtraq;, vel sub altera tantum specie, à Christo Domino pręcepta apud B. Ioannem, cum ait. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et apud Matthæum. *Cœnantibus eis accepit Iesus panem & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis & ait. Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Et apud S. Paulum. *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit & dixit. Accipite & manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

Io. 6. 54. Matt. 26. 26. 1. Cor. 11. 16.

CAPVT

CAPVT II.

De dignitate & excellentia communionis S. Eucharistiæ.

DIGNITAS & excellentia communionis S. Eucharistiæ, ab Eucharistia ipsa sumitur, cuius non minor, vt ex dictis liquet, est, quam ipsiusmet Christi Dei & hominis, qui in illa sumitur, cōditoris cœli & terræ, & totius humani generis vindicis maiestas, qua sane nec esse, nec excogitari sublimior pōt, vtpote immensa & infinita. Quare diuina Scriptura in veteri testamento eā nobilissimis quibusq; figuris adumbrauit & præsignificauit. ac I. quidem typo panis & vini à Melchisedec rege Salē, Dei summi sacerdote, Abrahā patriarchæ oblati.
Deinde panum propositionis, qui solum à pueris & sanctificatis comedi poterant. Item panis primitiarum in Leuitico. Demum panis angelici, quo Elias propheta roboratus 40. diebus ambulauit vsq; ad montem Dei Oreb. II. figura fuit AGNVS Paschalis in Exodo, à quo Christus in nouo testamento dicitur agnus qui tollit peccata mundi, & ideo post agnum Paschalem manducatum Christus in cœna hoc sacramentum Eucharistiæ instituit, vt notauit B. LEO in sermone de passione Domini. III. Figura fuit SANGVIS testamenti, quo Moyses aspergebat populum, vt est in Exodo, dicens. *Hic est sanguis testamenti, quem misit ad vos Deus.* Vnde Christus iisdem fere verbis vsus est apud Matthæum in institutione Eucharistiæ, dicens. *Hic est sanguis meus noui testamenti.* IV. est MANNA, teste Christo apud Ioannem. *Patres vestri*, inquit, *manducauerunt manna in deserto & mortui sunt: qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Et. *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Quibus verbis Christus præfert Eucharistiam mannæ, licet factus esset manu angelorum, dicitur enim in psalmis panis angelorum.

Gen. 14. 18. Heb. 7. 1. Exo. 40. 23. 1 Reg 21. 6. Leu. 23. 17. 3 Reg. 19 8. Exo. 12 3. Ioa. 1. 29. L. serm. 7. Exo. 24. 8. Heb. 9. 20. Matt. 26 27. Exo. 16 4 13. Ioan 6. 48. Ib. v 32. Psal. 77. 24.

QVOD ad nouum testamentum attinet, in eo apud B. Ioannem iam citatum Christus ex 4. nobilissimis eius effectibus non obscure indicat Eucharistiæ dignitatem.

Primus est, quod sit panis verus & viuus de cœlo descendens. *Hic est panis*, ait, *de cœlo descendens.* Et. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* 2. est, *quod præbeat vitam æternam. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternū: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* 3. est, quod vim habeat excitandi à mortuis.

Ioan. 6. 50. v. 50. v. 92.

mortuis. *Qui manducat meam carnem, inquit, & bibit meum ſanguinem*
v.54. *habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* 4. eſt quod
v.57. beneficio illius CHRISTVS ſit in nobis, & nos in illo. *Qui mandu-*
cat, ait, *meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*
APOSTOLVS verò Paulus in priore epiſtola ad Corinthios ex alio
capite inſinuat eius dignitatem, nempe ex grauitate pœnæ, quæ in-
1.Cor.11.27. cumbit indignè communicantibus. *Quicunq;*, inquiens, *manducaue-*
rit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè reus erit corporis & ſan-
guinis Domini, id eſt, ac ſi denuo Chriſtum prodidiſſet & crucifixiſſet,
v.29. vt exponunt Patres. Et rurſus *Qui manducat & bibit indignè, iudicium*
Chryſ. orat. de *ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ideò inter vos multi*
non ſpern. my- *infirmi & imbecilles & dormiunt multi.* Deinde ex probatione ad ſum-
ſteriis. ptionem Euchariſtiæ requiſita. *Probet*, ait, *ſeipſum homo, & ſic de pane il-*
lo edat de calice bibat. Quæ probatio nulla re fructuoſius quam diligen-
ti examine conſcientiæ, & exomologeſi peccatorum cum dolore ſa-
cerdoti facta perficitur.

S. PATRES eandem dignitatem variis dictis, quorum nonnulla hic
ſubiiciam, demonſtrarunt. Primus ſit S. Pauli diſcipulus DIONYSI-
D.c.3. VS Areopagita, qui libro de Eccleſiaſtica hierarchia Euchariſtiam
vocat *omnium ſacramentorum conſummationem, diuiniſſimum & ſacroſan-*
ctum ſacramentum ſacroſancta & auguſtiſſima myſteria. S. IGNATIVS
epiſtola ad Epheſios. *Frangite panem vnum, quod pharmacum immorta-*
litatis eſt, mortis antidotum, vitamq; in Deo concilians per Ieſum Chriſtum,
M.c.3.&4. *medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.* S. Martialis epi-
ſtola ad Burdigalenſes, Euchariſtiam appellat *communionem Dei viui,*
Ir.c.32. *menſam diuinam, & eſcam in fide perfecta totam cœleſtem.* S. IRENÆVS
libro quarto aduerſus hæreſes *noui teſtamenti nouam oblationem.* S. CY-
PRIANVS libro de Cœna Domini *cibum incõſumptibilem.* OPTATVS
Mileuitanus vocat *pignus ſalutis æternæ, tutelam fidei, & ſpem reſurrectio-*
nis. S. EPHRÆM in libro de natura Dei minimè ſcrutanda ita ſcri-
Ep.c.5. bit. *Quid ſcrutaris inſcrutabilia? ſi iſta curioſè rimaris, non iam fidelis voca-*
beris, ſed curioſus. Eſto fidelis atque innocens, participa immaculato corpori
Domini tui, fide pleniſſima, certus quod agnum ipſum integrum comedis. Ignis
immortalis ſunt myſteria Chriſti, noli temere ea perſcrutari, ne in ipſorum per-
ſcrutatione comburaris. Et rurſus. *Hoc ſanè excedit omnem admirationem,*
omnem mentem, omnemq; ſermonem quod fecit nobis vnigenitus filius Chri-
ſtus Saluator noſter. Ignem & ſpiritum manducandum ac bibendum præſtitit
nobis, corpus ſcilicet, & ſanguinem ſuum.
Chryſ. Chryſoſtomus libro ſexto de Sacerdotio. *Per id tempus & angeli*
ſacerdoti

ſacerdoti aſſident, & cœleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat; & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur angelorum choris plenus eſt, id quod credere abundè licet vel ex tanto illo ſacrificio, quod tunc peragitur. Ego verò & commemorantem quendam audiui, cum diceret ſenem quendam, virum admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa diuinitus fuiſſent detecta ſibi narraſſe ſe tali olim viſione dignum habitum à Deo fuiſſe ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conſpexiſſe, (quatenus aſpectus humanus ferre poterat) fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circumdantium, denique ſic capite inclinatorum vt ſi quis milites præſente Rege ſtantes videat. Et homilia de Euchariſtia in Encœniis. *Agnus Dei immolatur, Seraphin aſtant ſex alis faciem tegentia, &c.* Et hom. 24. in 1. ad Corinthios. *Dum in hac vita ſumus, vt terra nobis cœlum ſit, facit hoc myſterium. Aſcende igitur ad cœli portas, & diligenter attende, immò non cœli, ſed cœli cœlorum, & tum quod dicimus, intueberis. Etenim quod ſummo honore dignum eſt, id tibi in terra oſtendam: nam quemadmodum in regijs non parietes, non tectum aureum ſed regium corpus in throno ſedens omnium præſtantiſſimum eſt, ita quoq; in cœlis regium corpus, quod nunc in terra tibi videndum proponitur: neque enim Angelos, neque Archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum, ſed ipſum horum omnium Dominum tibi oſtendo.*

Gregorius Nazianzenus, Ambroſius & Auguſtinus docent corpus Chriſti in altari colendum & adorandum. *Chriſtus, quia in ipſa carne hic ambulauit,* inquit Auguſtinus, *& ipſam carnem manducandam nobis ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit; inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini* (de quo in pſalmo, Adorate ſcabellum pedum eius.) *vt non ſolum non peccemus adorando ſed peccemus non adorando.* Naz. de obitu Gorgoniæ. A 3. de SS. c. 12. Aug. in pſ. 98.

Addam, omiſſis aliis, vnum locum ex S. Gregorio Magno libro 4. dialogorum. *Quis,* inquit, *fidelium habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus iungi, vnum quid ex viſibilibus atque inuiſibilibus fieri?* Concludam cum Chryſoſtomo libro tertio de Sacerdotio. *Hoc ergo myſterium omnium maximè horrendum, verendumq;, quis tandem qui inſanus idem minimè ſit, quiq; è poteſtate non exierit, faſtidire ac deſpicere poterit?* G. c. 58.

* * *

CAPVT

CAPVT III.

De fructu sacræ Communionis.

IMMENSAS & admirabiles sacræ communionis vtilitates, & fructus esse inde manifeste liquet, quod eius beneficio non de riuulo, sed fonte omnium charismatum & donorum cœlestium participemus. PRIMA vtilitas sit, quod per illam intimè coniũgamur Christo anima & corpore, vt indicat Christus ipse Ioannis capite sexto. Vnde
Ioa.6.v.57. S. Cyprianus de natiuitate Christi. *Sacramentorum communicatio per quam illius corporis sinceritati vnimur, nos in tantum corroborat, vt de mundo & de diabolo & de nobisipsis victoria potiamur, & sacramentali gustu viuificis mysterijs inhærentes vna caro; & vnus spiritus simus, dicente Apostolo.*
1.Cor.6.18. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Sic hi, ad quos sermo fit, dicuntur Dij, & filij excelsi nominis, & hæreditatis & æternitatis participes.*
Ch.hom.45. Et Chrysostom. in Ioannem. *Vt non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem conuertamur per cibum id efficitur, quem nobis largitus est Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobiscum commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur: hoc enim*
Iob.31.31. *amantium maximè est. Hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem exprimentes dicebant. Quis dabit nobis vt eius carnibus saturemur?* Ex quibus verbis primum id efficitur hoc sacramentum non, vt panis & vinum in substantiam nostram mutari, sed nos
A.7.cõfes.c.10. quodammodo in eius naturam conuerti, vt recte illud B. Augustini ad nos eloqui possit Christus. *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Et S. Leo de passione Domini. *Non aliud agit participatio corporis & sangui-*
L.serm.14. *nis Christi, quam vt in id, quod sumimus, transeamus.* Deinde efficitur nos rectè post sacram communionem peractam posse dici Christophoros, vt docet S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogi-
Cyr.cat.4. ca. *Sic Christophori, inquit erimus, hoc est, CHRISTVM ferentes, cum eius cor-pus & sanguinem in membra nostra receperimus, atq; ita, vt B. Petrus dicit, di-*
2.Pet.14. *uinæ naturæ consortes efficimur.*

II. VTILITAS est, quod eius vi quotidianas animi sordes facilè eluamus, vulneribusque inflictis medeamur. Vnde Cyprianus de Cœna Domini *Panis iste supersubstantialis & calix benedictione solenni sacratus ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens.* Am-
A.c.4. brosius libro de sacramentis. *Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est*

nus est, quia sub peccato sumus. Medicina est cœleste & venerabile sacramentum. Et in psalmum 118. *Venias ad cibum Christi, ad epulas sacramenti, ad illud poculum, quo fidelium inebriatur affectus. vt lætitiam induat de remissione peccati, curas seculi huius, metu mortis, solicitudinesq; deponat.* Chrysost. in Ioannem. *Si quis æstuat, ad hunc fontem* S. Eucharistiæ *se conferat & recreabitur. Mundat squalorem & sordes, æstus mitigat, non solares, sed quos ignitæ sagittæ imprimunt. Etenim ortum suum supernè habet, inde radicem vnde irrigatur.* Id.serm.15. C.hom.46.

III. Vtilitas. Valet ad coercendos prauos animi motus & perturbationes. Vnde S. Ambrosius sic orat in prima precatione ad Missam. *Rex virtutum, castitatis & intregritatis amator Deus cælesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis vt maneat in me tenor totius castitatis animæ & corporis. Mortifica in me carnis stimulos, & omnes libidinis commotiones, & da mihi veram & perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, vt sacrificium laudis casto corpore, & mundo corpore valeam tibi offerre* B. Cyrill libro 4. in Ioannem *Pias quæso cogitationes suscipias,* C.cap.17. *studiosè, sancteq; viuas, & benedictione participes, quæ, mihi crede, non mortem solum, verumetiam morbos omnes depellit. Sedat enim quum in nobis maneat Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus sumus peccatis considerat, sed ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, qui animam suam pro ouibus posuit, ab omni nos erigit.* casu. Vnde Ioan. Cassi. collatione 22. do- C.c.6. cet Dominici corporis virtutem valere magnopere ad cauendas corporis pollutiones, aliasq; dæmonum illusiones.

IV. Vtilitas. præseruat à lapsu in grauiora peccata. Hanc tradit S. Bern. Bernardus in sermone de baptismo in cœna Domini habito. *Duo illud,* inquit, *sacramentum operatur in nobis, vt videlicet & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut ceterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo, & gaudeat quod pessimum hulcus accedat ad sanitatem.* Quo fit vt qui diutius à communione abstinent, facile in lethalia crimina labantur, vt bene obseruauit B. Cyrillus Alexandri- Cyr.c.37. nus libro in Ioannem tertio *Sciant,* ait, *baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, si rarius in Ecclesiam proficiscantur, & longo temporum spatio propter simulatam religionem mysticè communicare Christo recusent ab æterna se vita procul depellere. Sed variæ sunt diaboli multiplicesq; ad decipiendum insidiæ Nam primum ad viuendum turpiter inducit, deinde cum malis onerati fuerint, tunc abhorrere à Christi gloria persuadet, qua possent à turturpitudine voluptatis, quasi ab ebrietate reuocari.* Et Chrysost. in priorem Ch.hom.24.

ad Corinth. *Vt frigida ad Eucharistiam accessio periculosa est, ita nulla my-*
sticæ illius cœnæ participatio pestis est & interitus. Ipsa namq; mensa animæ no-
stræ vis est, nerui mentis, fiduciæ vinculum, spes, salus, lux & vita no-
stra.

V. Vtilitas. Valet ad expugnandas omnes tentationes Dæmonis,
C.Hom.45. mundi & carnis. Vnde Chrysost. in Ioannem. *Hic mysticus sanguis dæmo-*
nes procul pellit, angelos & angelorum Dominum ad nos allicit. Dæmones enim
cum Dominicum sanguinem in nobis vidēt, in fugam vertuntur, angeli autem
concurrunt. Hic sanguis effusus vniuersum abluit orbem terrarum. Et in
psalmi. 22. verba. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos
qui tribulant me. *Ista mensa,* inquit, *agnoscitur altaris Domini consecra-*
tio. Qui sunt isti, qui nos tribulant? suggestiones inimici, exagitationes,
cupiditates, voluptates, seculi honores. Isti tribulant, quia qui ita viuunt tri-
bulationes carnis habent, sed veniunt ad mensam potentis considerantes ea,
quæ apponuntur eis, accipere cum timore & tremore, & tribulationes effici-
untur consolationes. Auferuntur ea quæ sunt carnis, infunduntur ea quæ
sunt spiritus, & ex mensa præparata proficiunt contra eos qui tribulant
eos.

VI. Vtilitas. Maiorem apud Deum gratiam conciliat. *Si enim*
Ioan.6.53. teste Christo, *qui manducat eius carnem, & bibit eius sanguinem habet*
vitam æternam, multo magis habet gratiam. *Gratia* enim Dei vt loqui-
Rom.6.23. tur Apostolus, *vita æterna est in Christo.* Vnde B. Cyprianus de cœna
Domini. *Panis hic azymus, cibus verus & syncerus per speciem & sacramen-*
tum nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Et sicut
panis communis quem quotidie edimus, vita est corporis: ita panis iste super
substantialis vita est animæ, & sanitas mentis. Deinde subiicit externos
huius gratiæ fructus. *Esurientes* inquiens, *& sitientes iustitiam cum satu-*
rati fuerint, vide quid agant, intellige quæ loquantur, quam sancti odoris sit,
quicquid illa eructat plenitudo: verbū bonū, mores compositos, affectus pudicos,
sensus pacificos illa interior sinceritas vbiq; diffundit, ita vt post odoramēta ista
gratiæ huius comparticipes discurrant, mutuis ad inuicem affectionibus
complectantur, & quibus vnus est panis, vnum est corpus, & omnium v-
num cor & anima vna vni Christo adhærens, cætera omnia quasi fermenta-
ta respuens in vnius azymi sinceritate lætatur. Nec mirum est tam grati-
tiosos esse communionis Eucharistiæ effectus, cum à gratia nomen-
claturam acceperit.

VII. Vtilitas. Vehementer accendit in amorem Dei, & ad ardua
quæq; pro Christo perferenda. Qua de causa cum olim à Tyrannis fi-
deles ad tormenta & cædem propter Christiani nominis confessio-
nem vulgò raperentur: ne illi fortè dolorum acerbitate victi in salu-

tari certamine succumberent, vetus in Ecclesia Catholica mos fuit, vt iis ab Episcopis Dominici corporis & sanguinis sacramenta præberentur. Vnde S. Cyprianus epistola 54. *At verò nunc fortibus & viuentibus communicatio à nobis danda est, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus, & cum ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quo modo docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?* Et Chrysost. ad populum Antiochenum. *Propterea Dominus,* inquit, *corpus suum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur tanquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc est. Tanquam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput nostrum mente reuoluentes, & charitatem, quam nobis exhibuit. Nã parentes quidem alijs sæpe filios tradunt alendos: ego autem, inquit, non ita sed carnibus meis alo & meipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens, & bonas vobis prætendens de futuris expectationes.*

C. 1. ep. 12.

Chr. hom. [illegible]

VIII. Vtilitas, Magnam affert voluptatem & consolationem spiritus piè communicantibus. Vnde Ecclesia sic canit. *O quam suauis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares pane suauissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes.* Et. *Pinguis est panis Christi, & præbebit delitias regibus.*

Vnde Cyprianus. *Panis iste angelorum omne delectamentum habens virtute mirifica, omnibus qui dignè & deuotè sumunt secundum suum desiderium sapit, & amplius quam manna illud eremi implet & satiat edentium appetitus, & omnium carnalium saporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinum voluptates. Vide quo modo his qui Christi commemorant passionem intra sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lachrymis nectareis anima delectetur, quantam suauitatem animæ inquirēti, vbi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procellosæ tẽpestatis deponunt, ros matutinus est de celestibus stillans, & quasi vnctio spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat.* Et infra. *Hanc Dei gratiam recolens, qui de sacro calice bibit, amplius sitit, & ad Deum viuum erigens desiderium, ita singulari fame illo vno appetitu tenetur, vt deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis sapor delectamentorum carnalium sit ei quasi rancidum, radensq; palatum acutæ mordacitatis acetum.*

C. loco cit.

IX. Vtilitas, Antidotum est præsentissimum ad perfectionem vitæ

Christianæ & religiosæ consequendam, quæ consistit in perfecta abnegatione sui, mortificatione passionum, & verò contemptu mundi, quam consecutus erat, qui dicere potuit. *Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Et. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Gal 2.26. Galat.6.14.

Hunc fructum pręclarè sane idem Cyprianus annotauit. *Quam præclarus est*, ait, *calix iste, quàm religiosa est huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro sunt obliti ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi, sed diuitis purpurati delicias contemnentes cruci hæremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interius exteriusq; rubricati à sapientibus huius seculi iudicamur amentes, qui religionis huius abhorrentes mandatum vsq; hodie retro abeunt, & à secretis diuinis omnium intra se mysteriorum continentibus summam diffugiunt, & recedunt. Qui manducat ex hoc pane, vltra non esurit: qui bibit, vltra non sitit, quoniam mysterii huius sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, vt cuiuscunque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine inuicto Christi baiulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, & omni tempore habitatori suo dicta & facta iubilatione consona laudes resonent, & gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum: in hoc vino non est luxuria, nec mouetur ad ludum post hunc potum lasciuia. Cum sopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira sunt, quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur. Quem agnus iste Paschalis inhabitat cuius animam meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat & delectat.* Huc vsq; ille.

Loc.cit.

X. Vtilitas est, quod sit Viaticum nostræ peregrinationis, cuius rei duplex in veteri testamento typus præcessit. Primus Agni Paschalis, qui vt est in Exodo, manducabatur à Iudæis habitum peregrinorũ præ se ferentibus, cum baculis, calceis, &c. Quid autem est aliud Eucharistia, nisi viaticum peregrinantium ad veram ac cœlestem patriam? Alter fuit Eliæ prophetæ qui subcinericei panis fortitudine, vt est in tertio Regum, ambulauit vsque ad montem Dei Horeb, & fideles idcirco pascuntur sacra Eucharistia in Ecclesia, vt virtute illius roborati aliquando ad montem cœlestem ascendant. Quare in Concilio Nicæno aliisque iam olim mandatum est, vt nemini morti proximo hoc viaticum negetur. PAVLINVS certè in vita S. Ambrosii, scribit eum iam moriturum ab Honorato Vercellensi Episcopo diuinitus monito Eucharistiam tanquam viaticum accepisse. Chrysostomus verò in libris de Sacerdotio ita de hoc viatico scribit. *Quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui & id vidisset ipse*

Exo.12.11. Reg.19.8. Nic.1.mu.12. Ch.lib.6.

ipse & audijsset, quod qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi ab angelis, illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptum illud sacramentum hinc recta in cœlum abducuntur.

CAPVT IV.

De frequentatione sacræ Communionis.

QVAMVIS cuiuis tam multas eximiasq; vtilitates expendenti procliue sit cogitare, cõsultissimam esse eiusdem communionis frequentationem: Quis enim rem ad æternam animæ salutem tàm salutarem non velit creberrimè vsurpare? operæ pretium tamen facturi videmur, si ostendamus hoc de iteranda sæpius communione consilium, etiam diuinæ Scripturæ, S. Patribus, & vetustissimæ Ecclesiæ Catholicæ consuetudini esse consentaneum. LOCVS Scripturæ est in Actorum Apostolicorum historia. Nam S. Lucas de primorum Christianorum à S. Petro Apostolo conuersorum more ita scribit. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus.* (Act. 2. 42.) SYRVS interpres habet. In fractione Eucharistiæ. Et paulo post subiicit. *Quotidie quoq; perdurantes vnanimiter in templo & frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum & habentes gratiam ad omnem plebem.* Syrus pro, *frangentes panem*, vertit, *frangentes munus benedictum.* Ac doctissimi quiq; de Eucharistia & hunc locum acceperunt. (C. Baronius. Gagnæius.) Piè huic consuetudini fidelium quotidie communicandi, deinde accessit præceptum summi Pontificis ANACLETI, in hæc verba, quæ apud Gratianum exstant. (G. De conf. d. 2. c. peracta.) *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* (Can. 9. Apost.) Qua de causa diu in Ecclesia mos viguit, vt sacerdos peracto sacrificio, cum Eucharistiam sumpsisset, vt liquet ex Dionysio Areopagita, (D. de Eccl. h. c. 3. p. 2.) ad populum præsentem conuersus his verbis ad sacram mensam fideles inuitaret. *Venite fratres ad communionem.* Verum cum pietatis studium labentibus annis paulatim adeò refrixisset, vt rarò ad communionem fideles accederent, sancitum est à S. Fabiano Pontifice & martyre, vt habes in eius epistola tertia ad Hilarium Episcopum, (De conf. d. 2. c. etsi non.) vt ter quotannis, Natali Domini, & Resurrectione, & Pentecoste omnes Eucharistiam sumerent, id quod postea à multis Conciliis, præsertim vero ab Agathensi primo confirmatum est. Ad extre-

mum autem re eo adducta, vt non modo salutaris illa pręceptio seruaretur, sed in plures etiam annos S. Eucharistię communio differretur, decretum est in Lateranensi Synodo sub Innocentio III. celebrata,

C. Lat. c. 21.

vt semel ad minus singulis annis in Pascha fideles omnes sacrum Domini corpus acciperent: qui verò id facere neglexissent, Ecclesię aditu prohiberentur. Quod decretum renouatum est in extrema Synodo Tridentina.

C. Trid. sess. 13. can. 9. & sess. 21. c. 4. & can. 4.

QVOD verò admodum salutare & fructuosum sit sæpius per annũ iterare dictam sacram Synaxin, omnes S. Patres & Theologi ad hoc vsq; æuum constanter docuerunt. S. Ignatius martyr Apostolorum condiscipulus in epistola ad Ephesios. *Date*, inquit, *operam vt crebrius congregemini ad Eucharistiam, & gloriam Dei. Quando enim sæpius in idem loci conuenitis labefactantur vires Satanæ, & ignita illius ad peccatum iacula irrita resiliunt.* S. Iustinus Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem. *Die qui solis dicitur omnes qui in oppidis, vel agris morantur vnum in locum conueniunt, &c. conclusisq; precibus panis vinumq; & aqua offeruntur, tumque is qui primum locum tenet eodem modo preces; gratiarumq; actionem pro viribus mittit, & iis quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, vnusquisq; participat.*

Cyp. serm. 6.

S. Cyprianus de oratione Dominica, dum exponit verba illa. *Panem quotidianum da nobis hodie. Hunc*, ait, *panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accepimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Vnde apparet vsum quotidianæ communionis in Africa vsq; ad tempora Cypriani perdurasse. Certe & eius magister Tertullianus in libro de oratione, nomine panis quotidiani, intelligit Eucharistiam, vel Christum, *cuius*, inquit, *corpus in pane censetur.*

De cons. d. 2.

S. Hilarius apud Gratianum. *Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare. Vnde timendum est, ne diu abstractus à corpore Christi alienus remaneat à salute: qui peccare quieuerit, communicare non desinat.* S. Basilius ad Cæsariam patritiam. *Communicare per singulos dies, & participare de sacro corpore & sanguine Christi pulchrum est, & valde vtile, ipso manifeste dicente. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Quis enim ambigit, quin frequens vitæ participatio nihil aliud sit, quam pluribus modis viuere? Nos idcirco quater singulis hebdomadis communicamus; in die Dominico, in quarto die hebdomadæ, in parasceue, & in Sabbatho, ac in aliis diebus, si qua memoria fuerit sancti alicuius.*

A c. 4.
Eodem ser. 28.

S. Ambrosius libro quinto de Sacramentis. *Quare in oratione Dominica ait Panem nostrum? Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον dixit, hoc est, supersubstan-*

ſubſtantialem. Non iſte panis eſt, qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, de verbis d. in
qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Ideò græcè ἐπιούσιον *dicitur. Latinus au-* Auguſt.
tem hunc panem quotidianum dixit, quem græci dicunt aduenientem τὴν ἐπιοῦ-
σαν ἡμέραν *aduenientem diem. Ergo quod Latinus dixit, & quod Græcus, vtrū-*
que vtile videtur. Græcus vtrunq; vno ſermone ſignificauit, Latinus quotidia-
num dixit. Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis, quemadmo-
dum græci in Oriente facere conſuêuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi
proſit Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie acci-
pere, non meretur poſt annū accipere: quomodo Iob ſanctus pro filiis ſuis offere- Iob. 1. 5.
bat quotidie ſacrificium, ne forte aliquid, vel in corde, vel in ſermone peccaſ-
ſent.

S. Hieronym. ad Lucinium. *De Sabbatho quod quæris, vtrum ieiunan-* H. ep. 28.
dum ſit, & de Euchariſtia, an accipienda quotidie, quod Romanæ Eccleſiæ &
Hiſpanicæ obſeruare perhibentur, ſcripſit quidem & Hippolytus vir diſertiſſi-
mus, & carptim diuerſi ſcriptores è variis auctoribus edidere. Sed ego illud te
breuiter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non
officiant, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetu-
dinem, aliorum contrario more ſubuerti. Nec tamen Manicheæ hæreſios accu-
ſandi ſunt, cum carnalis cibus præferri non debuerit ſpirituali: Euchariſtiam
quoq; abſq; condemnatione noſtri & pungente conſcientia, ſemper accipere, &
pſalmiſtam audire dicentem. Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, Pſal. 33. 9.
& cum eo canere. Eructauit cor meum verbum bonum. Et in Apologia ad Pſ. 44. 1.
Pammachium pro libris in Iouinianum ſcriptis. *Scio Romæ hanc eſſe con-*
ſuetudinem, vt fideles ſemper Chriſti corpus accipiant: quod nec reprehendo, nec
probo. vnuſquiſq; n. in ſuo ſenſu abundet. ſed ipſorū conſcientiā conuenio, qui eo-
dē die poſt coitum cōmunicant. &c. Probet ſe vnuſquiſq;, & ſic ad corpus Chriſti
accedat: non quod dilatæ communionis vnus dies, aut biduum ſanctiorem effi-
ciat Chriſtianum, vt quod hodie non merui, cras vel perendie merear: ſed quod
dum doleo me non communicaſſe corpori Chriſti, abſtineam me pauliſper ab v-
xoris amplexu, vt amori coniugis amorem Chriſti præferam.

S. Chryſoſtom. in epiſtolam ad Epheſios. *In aliis quidem temporibus* Ch. hom 3.
ſæpenumero, neq; cum mundi eſtis, acceditis, in Paſchate verò, etiamſi quid te-
merarium vobis ſit commiſſum, nihilominus acceditis. O conſuetudinem, ô præ-
ſumptionem. Fruſtra habetur quotidiana oblatio, fruſtra ſtamus ad altare. Ne-
mo eſt qui ſimul participet. Iſta non ideo dico, vt ſimpliciter quomodocunq; com-
municetis, ſed vt dignos voſipſos conſtituatis. Et paulo poſt. *Sed veſtibus es*
mundis? recumbe itaq; & cōmunica Quotidie venit, vt diſcumbentes videat,
omnibus loquitur, & nunc etiam in conſcientiis dicit. Amici, quomodo ſtatis hic
veſtem nuptiarum non habentes? Et in epiſtol. ad Hebræos. *Plurimi ex hoc* Id. hom 17.

ſacrificio

sacrificio semel accipiunt in toto anno, alij bis, alij sæpius. Ad omnes ergo nobis sermo est, non ad eos tantum qui hic sunt, sed etiam ad eos, qui in eremo sedent. Illi.n.semel in anno participãtur: fortassis & post duos annos. Quid ergo est? quos magis acceptabimus? eosné qui semel, an eos qui sæpius, an illos qui raro accipiũt? Neq; illos qui semel, neq; qui sæpius, neq; qui raro, sed eos qui cũ mũda cõscientia, qui cũ mundo corde, cũ vita irreprehensibili, isti semper accedãt. Qui verò tales non sunt, neq; semel. Quid ita? quia iudicium sibi accipiunt, & damnationem & supplicium. Et paulo post *Hæc dicens, non ab vna in anno perceptione vos veto, sed volo semper vos accedere, sanctis hæc concessa sunt. Hoc etiam diaconus insonat in illa hora sanctos vocans, & per hanc vocem veluti maculas inspiciens. Sicut enim in grege, vbi multæ quidem saluæ sunt pecudes, multæ autem scabie plenæ sunt, necesse est vt hæ prohibeantur à sanis, sic etiam in Ecclesia.* Et rursum. *Quando enim diaconus dicit Sancta sanctis hoc dicit. Si quis non est sanctus non accedat. Sanctum autem non mundatio peccati tantum facit, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum opulentia.* Ioann.

Cass.c.21. Cassianus Chrysostomi discipulus, collatione 23. cum retulisset quosdam in monasteriis semel tantum communicare ex reuerentia *Multo,* inquit, *iustius est, vt cum hac cordis humilitate, qua credimus & fatemur illa sacrosancta mysteria nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis diebus ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quam vt vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eorum participio nos esse credamus.*

A.epist.118. S. Augustinus ad Ianuarium. *Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam. quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusq; viuit, quo ad tantum sacramentum dignius accedat. Qui enim manducauerit indignè iudicium sibi manducat & bibit. Alius contra. immò, inquit, si tanta est plaga peccati, atq; impetus morbi, vt medicamenta talia differenda sint auctoritate Antistitis debet quisq; ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non vt arbitrio suo cum libet, vel auferat se communioni vel reddat. Cæterum si peccata tanta non sunt, vt excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare. Rectius inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet, vt præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem vnusquisque quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Neq; enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum: alter dixit. Non sum dignus, vt intres sub tectum meum. ambo saluatorem honorificantes diuerso, & quasi contrario modo: ambo peccatis miseri, ambo misericor-*

Luc.19.1. Matt.8.8.

diam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem, quod in primo populo vnicuiq; manna secundum propriã voluntatem in ore sapiebat, sic in ore cuiusq; Christiani sacramentum illud quomodo sumatur æstimandum. Nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium. Inde enim & Apostolus indignè dicit acceptum ab eis, qui hoc non discernebant à ceteris cibis veneratione singulariter debet. Continuo quippe cum dixisset, iudicium sibi manducat & bibit, addidit vt diceret; non diiudicans corpus Domini. IDEM libro 2. de sermone Domini in monte. *Panis quotidianus, aut pro ijs omnibus,* (à Christo apud Lucam) *dictus est, quæ huius vitæ necessitatem sustentant, aut pro sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus: aut pro spiritali cibo, de quo idem Dominus dicit. Operamini escam, quæ nõ corrumpitur.* Et rursus. *De sacramento autem corporis Domini, vt illi non moueant quæstionẽ qui plurimi in Orientalibus partibus non quotidiæ cœnæ Dominicæ communicant, &c. vnde probatur non hunc in illis partibus intelligi quotidianum panem.* Et homil. 42 ex 50. *Intelligitur hoc etiam valde bene. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant, vt bona faciant, vt in bonitate, & fide & bona vita perseuerent. Hoc optãt, hoc orant, quia qui non perseuerant in bona vita, separabuntur ab illo pane.* AVCTOR libri de Ecclesiasticis dogmatibus in tomo 3. Augustini, quem multi volunt esse GENNADIVM, ita scribit. *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit.* Addam angelicum Doctorem, qui pro omnibus Scholæ Theologis quotquot à 300 annis ad hoc vsque seculum vixere, sententiam pro pane angelorum, dixit quoties sumi queat, Ita enim scribit in tertia suæ summæ Theologicæ parte. *Circa vsum Sacramenti Eucharistiæ duo possunt considerari. Vnum quidem ex parte huius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris: & ideo vtile est quotidie ipsum sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Vnde AMBROSIVS dixit in libro de sacramentis, Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere: quia semper pecco, debeo semper capere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione & reuerentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideò si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quod quotidie sumat. Vnde AVGVSTINVS cum dixisset. Accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit: subiungit. Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt propter corporis indispositionem*

1. Cor. 11.26.
Id. c. 12.
Luc. 11.3.
Matth. 6. 11.
Ioan. 6.27.
Tom. 10.
Gen. c. 53.
S. Thom. 3. p. q. 68. a 10.
A. l. 4. c. 6.
A. serm. 28. de verb. dom.

nem vel animæ, non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescunque se ad illud homo inuenerit præparatum. Vnde in libro de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur. Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.

c. 53.

Ex his omnibus liquet, primum S. Thomæ declarationem nihil discrepare ab veterum Patrum sententiis, deinde nullam certam legẽ de frequentatione huius sacramenti posse præscribi, sed pro discrimine Statuum, vt si quis religiosus sit, vel clericus, vel laicus, vel pro diuersitate morum id esse prudenti arbitrio definiendum. Secundum prudens autem iudicium, videtur sanè rarò alicui esse consulendum vt ordinaria consuetudine frequentius, (excipio sacerdotes) quis cõmunicet quam octauo quoque die, & festis maioribus, atque ita Doctores scholæ pleriq; omnes nunc sentiũt, & Ecclesiæ vsus confirmat. Nam hoc modo & prospectum est abundè fructui animarum, & ratio etiam habetur reuerentiæ tanto Sacramento debitæ. Tot siquidem sunt humanæ vitæ negotia & impedimenta, quæ animum distrahant, vt non possint homines quotidie cum præparatione congruenti accedere. Scripsit de hoc argumento ex nostris Patribus P. Christoph. Madridius libellum integrum, qui exstat.

Fran. Suar. in 3. p. disp. 69. q. 80. a. 9. sect. 4.

CAPVT V.

De Præparatione ad sacram communionem.

SEVCHARISTIÆ mysterium, vt ceteris sacramẽtis longissime præstat, ita meritò maiorem postulat præparationem, siue animi, siue corporis. Quod ad animum attinet, quoniam omnem intelligentiam humanam superat, postulat firmissimam FIDEM à cõmunicante, qua diiudicet, vt Apostolus loquitur in priore epist. ad Corinth. *corpus Domini*, hoc est panem cœlestem, à profano, substãtiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini comprehẽsam à substantia corporea panis discernat, quod facit, si certissime credat sub accidẽtibus panis & vini, verè & realiter totum Christum Deum & hominem sumi. Vnde Chrysost. in epist. ad Ephes. *Quotquot corpore Christi communicamus, quotquot sanguinem illius degustamus, cogitemus quod illius corpus & sanguinem gustamus, qui in cœlestibus sedet, qui ab angelis adoratur, qui proximè assistit immortali Dei potentiæ.* Et ante eum S. Basil. declarat, quid Fidẽ eam gignere in nobis debeat. Nam in regulis breuioribus, quæstione posi-

1. Cor. 11. 29.

Ch. hom. 3.

B. quæst 172.

posita, *Quanto cum timore, qualiué cum animi persuasione corpus & sangui-*
nem Christi communicemus. respondet. *De timore quidem habemus Aposto-* 1.Cor.11.29.
lum, qui dicit. Qui manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit. Luc.22.19.
Fidem autem faciunt verba Domini qui dixit. Hoc est corpus meum, quod pro
vobis datur. hoc facite in meam commemorationem. Idem Damasc. lib. 4. or-
thodoxæ fidei c. 14.

II. Postulat PROBATIONEM. *Probet aũt,* inquit S. Paulus, *seipsum homo,* 1.Cor.11.28.
& sic de pane illo edat. Probet, id est accuratè discutiat conscientiã, num
obnoxia sit alicui peccato lethali, quo indignus reddatur cõione & si
deprehendat obnoxiũ, pœnitentiam agat. Quo sensu & illud accipiẽ-
dum, ꝙ proximè subiicitur. *Quod si nosmetipsos diiudicarem⁹*, hoc est per
examen cõscientię reos ageremus, *non vtiq; iudicaremur*, h. e. damna-
remur à Domino. In quem locũ scribens Theophylact, *Non aliũ inquit*
Apostolus, tibi iudicẽ attribuo, verũ teipsum tibiipsi commendo. Iudica igitur &
explora conscientiam tuã, & sic accede, non quando fuerint feriæ, sed quãdo pu-
rum teipsum ac dignum inueneris. Et B. Ansel. ibidẽ. Nemo præsumat ac-
cedere indignus, sed homo, i. rationabiliter agens, probet, i. discutiat
& examinet, i. vitam suã consideret, an dignè possit accedere vel non.
Indignè n. manducat & bibit, qui vel aliq; graue peccatũ, vel multa le-
uia cõmisit, & non confitetur ea priusquã ad cõionem accedat. Quod
autem Paulus ibidem ẽt verbo *diiudicandi* examen cõscientiæ intelle-
xerit fuse probamus ex SS. Patribus titulo *Conscientiæ examen.* cap. 1.

III. postulat Pœnitentiã, hoc est, contritionẽ, & confessionem de
peccatis corã sacerdote factam, id. n. nomine probationis apud Apo-
stolũ significari œcumenica Synodus Tridentina recenter declarauit Trid. sess. 13. c. 7.
his verbis. *Cõmunicare volenti reuocandum est in memoriam Apostoli præce-*
ptũ. Probet seipsum homo Ecclesiastica aũt cõsuetudo declarat eam probationem
necessariã esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantũuis sibi contritus
videatur, absq; præmissa sacramentali confessione ad S. Eucharistiam accedere
debeat, quod à Christianis omnibus, ẽt ab ijs sacerdotibus, quibus ex officio incu-
buerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo seruandum esse decreuit, modo nõ
desit illis copia Confessoris. Quæ declaratio consentanea est & S. Patrũ di-
ctis. Ita enim scribit S. Greg. in 1. lib. Reg *Probet seipsum homo: &c. Quid*
n. est hoc loco se probare, nisi euacuata peccatorũ nequitia se probatũ ad Domini- G. lib. 2. c. 1.
cã mensam & purum exhibere? Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœ-
nitentiæ lamẽta curramus, quia ipsa sola virtus est, quæ euacuat, quod in ven-
tre animæ culpa coadunat.

Et Hesychius Hierosol in Leu. Probet aũt se homo. &c *Qualẽ probatio-* H. in c. 26.
nẽ dicit? i. vt in corde mũdo atq; conscientia & pœnitentiã eorum quæ deliquit
intendenti participetur sanctis ad ablutionem peccatorum suorum. Et August. A c. 53.

libro Ecclesiasticis dogmat. *Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt; hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere.*

Ch.hom.30. Hebdomas sancta. Et Chrysost. in Genesin. *Quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus Dei gratia, nunc maximè, & ieiunii cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaq. diligens & pura peccatorum confessio, & in bonis operibus sedulitas, eleemosyna larga, æquitas, mansuetudo, alieq. virtutes, vt talibus ornati virtutibus, vbi in diem Domini venerimus, Domini liberalitate fruamur.* Deniq; exomologesin ante communionem non semel postulat B. Cyprianus in epistolis, vt epistola 10. 11. 12. & 75. editionis Pamelianæ, & libro de lapsis, vbi ait grauius delinquere sine exomologesi communicantes, quam qui Christum Dominum negarunt.

QVOD ad Corpus attinet postulat sacra communio præuium ieiunium. Vnde antiquissimus Tertullian. ad vxorem, sui æui morem indicans. *Non sciet*, inquit, *maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes: & si sciuerit panem non illum credit esse, qui dicitur.* Et Chrysostomus in epistolam I. ad Corinthios. *Aequum est ante & post communionem ieiunare: oportet enim vtroq. tempore continentem esse, sed maximè post acceptum spiritum:* ante, vt dignus *fias accipiendi, post vt non indignus videaris, qui acceperis. Quid igitur? ieiunare oportet post eius acceptionem non dico hoc, neq. cogo, licet bonum sit: tamen non compello, sed admoneo, ne in delitiis viuas ad saturitatem.* Vnde in epistolam ad Hebræos scribens grauiter inuehitur in eos qui post communionem Paschatis in pristinam vitæ intemperantiam recidunt. S. Augustinus ad Ianuarium ita scribit de hoc ieiunio. *Liquidò apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. nunquid tamen calumniandum est propterea vniuersæ Ecclesiæ, quod à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.*

T. lib. 2.

Ch. hom. 27.

Ch. hom. 17.

A. ep. 118.

2. Postulat, vt qui matrimonio iuncti sunt, aliquot dies concubitu vxorum abstineant, Dauidis regis exemplo moniti, qui cum panes propositionis, vt est in sacra Regum historia, à sacerdote accepturus esset purum se, & pueros suos ab vxorum consuetudine tres ipsos dies esse professus est. Vnde Hieronymus in Apologia pro libris aduersus Iouinianum. *Paulus Apostolus dicit, quando coimus cum vxoribus, nos orare non posse.* (Nolite, inquit, fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.) *Si per coitum, quod minus est, impeditur,*

1. Reg. 21. 5.

1. Cor. 7. 5.

ditur, id est, orare, quanto plus quod maius est, id est, corpus Christi prohibetur accipere? Alia testimonia vide apud Gratianum 33. q. 4. & Magistrum sententiarum lib 4 distinct. 32.

QVOD denique ad vtrumq; & animam & corpus attinet, sunt & aliæ virtutes ad dignam communionem valde salutares. I. est HVMILITAS, quam in abluendis Apostolorum pedibus, atq; adeo etiam ipsius Iudæ, ante porrectam communionem Christus declarauit, & verò etiam imitandam proposuit dicens. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ioan 13. 15. Deinde cum se totum Deum & hominem in ipsa institutione sacramenti ore corporis & animi sumẽdũ dedit atq; etiã impiis licet indigne sumendũ permisit, quid est nisi ineffabilis humilitas? A. conc. 1. Vnde S. Augustinus in psalmũ 32. *Notus*, inquit, *est Dominus noster Iesus Christus. In corpore & sanguine suo voluit esse salutẽ nostrã Vnde autẽ cõmendauit corpus & sanguinẽ suum? De humilitate sua. Nisi n. esset humilis, nec manducaretur nec biberetur. Respice altitudinem ipsius. In principio erat verbũ, &c Ecce cibus sempiternus, sed mãducant angeli, mãducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus, & manducant, & saginantur, & integrũ manet, quod eos satiat & lætificat. Quis autẽ homo posset ad illũ cibum? Quomodo ergo de ipsa pauit nos sapientia Dei? quia verbum caro factũ est, & habitauit in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem angelorũ* Psal. 77. 24. *manducauit homo, vt scriptum est. Panem cæli dedit eis.*

2. VIRTVS est, Timor & REVERENTIA. Quis enim non timeat audiens ex Apostolo indigne communicantem esse REVM corporis & sanguinis Domini æquè ac Iudam proditorem? vt exponit B. Theodoretus. Th. in c. 11. 1. ad Corinth. Reuerentiæ exemplum præbuit Centurio Euangelicus. de quo ita Origenes in diuersos Euangelii locos. Matth. 8. O. hom. 5. *Quando sanctum cibum illum, illudq; incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians teipsum imitare hunc Centurionem & dicito. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Quod certe dictum nunc in communione S. Eucharistiæ vniuersa vsurpat Ecclesia, & quidem verè, cum enim nullus sit qui possit se dicere ab omni peccato immunem, non erit quoque vllus perfectè dignus hac communione, vt bene docet Cassianus. Cass. col. 23. c. 21.

2. DESIDERIVM ingens sumendi cibum illum cælestem, & ardens deuotio cum gaudio spirituali coniuncta cuius exemplum præbuit Zachæus in Christo recipiendo apud Lucam, vt indicauit supra S. AVGVSTINVS. Vnde S. CHRYSOST. in Matthæum. *Nemo igitur* A. ep. 118. *nauseans accedat, nemo remissius, sed excitati, incensi, ac feruentes omnes accedant. Nam si Iudæi stantes, calceati, & baculos in manibus habentes cum festi-* Luc. 19. Chr. hom. 83.

natione comedebant, quanto magis nobis vigilandum est? Et infra. *Non videtis, quanta infantes animi alacritate mammillas arripiunt? qua pressione pupillis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoq; ad hanc mensam, & ad huius calicis spiritalem accedamus papillam: imò verò maiore desiderio, quasi lactentes pueri gratiam Christi sugamus vnus sit nobis dolor, vna mæstitia si hoc alimento spiritali priuamur.* Et S. Ioan Damascenus libro 4. orthodoxæ fidei. *Accedamus desiderio ardenti manus in crucis modum formantes crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos & labia & frontem diuinum carbonem concipiamus, vt ignis in nobis desiderii eo ex carbone ignitionē cōburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur & deificemur. Carbonem vidit Isaias, carbo autem simplex non est, sed vnitus igni. sic panis communionis non panis simplex est. sed vnitus diuinitati.* ATQVE hæc sufficiant de Præparatione, quæ seruire quoq; poterunt pro Mediis ad comparandam virtutem frequenter communicandi.

L.c.14.

Isa.6.6.

EXEMPLA

Miraculosa de indignè communicantibus.

1. Exemp. S. CYPRIANVS libro de lapsis refert 4. exempla. Primum de infante solebant enim infantes olim communicare. Parentes forte fugientes (sæuiente persecutione) dum trepidi minus sibi consulunt sub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratum. illi ei apud idolum, quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panē mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella cōmissum tàm loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, vt sacrificantibus nobis eam secū mater inferret Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mētis æstu cœpit fluctuabunda iactari. Vbi verò solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipiētibus ceteris locus eius aduenit, faciem suam paruula instinctu diuinę maiestatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamē diaconus, & reluctanti licet de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atq; ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit: tanta est potestas Domini, tanta maiestas. Hoc circa infantem.

At verò ea quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena letalia inter fauces & pectus sanguinem admittens, angi, & anima exæstuante concludi postmodùm cœpit. Et pressuram non iam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen: quę fefellerat hominem, Deum sensit vltorem. 2. Exemp.

Et cum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. 3. Exemp.

Et alius, qui & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum ceteris ausus est latenter accipere, sanctum Domini edere & contrectare non potuit: cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Documento vnius ostensum est, Dominum recedere, cum negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutetur. Quam multi quotidie pœnitentiam non agentes nec delicti sui conscientiam confitentes immundis spiritibus adimplentur: quam multi vsq; ad insaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur? Hucusque Beat. Cyprianus. 4. Exemp.

Gvilielm. Abbas in vita S. Bernardi. Agebatur, inquit, solemnitas quædam præcipua, & frater aliquis, quem pro secreta culpa ab altaris sacri communione suspenderat, notari timens, & ruborem non sustinens, ad manum eius cum ceteris nimium præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit, sed intimo corde orabat Deum, vt de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaq; sumens homo Eucharistiam, non poterat ad interiora traiicere & diu multumq; conatus, cum nullo modo præualeret, anxius & tremebundus clausam ore seruabat. Expleta deniq; hora orationis patrem sanctum traxit in partem, cuius pedibus aduolutus cum multis ei lacrymis quod patiebatur aperuit, & aperto ore ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum confitentem absoluit, & sine difficultate recepit Dominica sacramenta. Guil. lib. 1. c. 10.

F.

FAMA BONA.

CAPVT I.

Quid nomine Famæ bonæ intelligatur.



AMÆ vocabulo Latini Scriptores, intelligunt quicquid de aliquo ſermone hominum diuulgatur, ſiue in bonam, ſiue malam partem. In bonam, vt cum Poeta ait. *Famâ*
Virg. 1 Aenid. *ſuper æthera notus.* In malam vt cum idem. *Fama malum,*
Id. 4. Aen. *quo non aliud velocius vllum,* Vnde cum famâ tempore Tertulliani falſo vulgatum eſſet Chriſtianos carne humana veſci, ſic ipſe reſpondet *aduerſus gentes. Natura famæ omnibus nota eſt veſtrum. Eſt fama malum, quo non aliud velocius vllum. Cur ea malum? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem, quum aliquid veri affert, ſine mendacij vitio eſt, detrahens, adijciens, demutans de veritate. Quid, quod ea illi conditio eſt,, vt non niſi, cum mentitur, perſeueret, & tamdiu viuit, quamdiu non probat. Siquidem vbi probauit ceſſat eſſe, & quaſi officio nunciandi functa rem tradit, exinde res tenetur, res nominatur. Nec quiſquam dicit, verbi gratia, fama eſt hoc Romæ factum aut fama eſt illum prouinciam ſortitum: ſed ſortitus eſt ille prouinciam, & hoc factum Romæ.* Et S. Hieronymus Ruffino
Hier. ep. 131. de iudicio Salomonis. *Multum in vtramq; partem crebro fama mentitur, & tàm de bonis mala, quàm de malis bona falſo rumore concelebrat.*

Nos de bona tantum fama loquimur, quæ etſi virtus per ſe non ſit ex virtute tamen originem habere debet, teſte S. Bernardo
B. ſerm. 71. in Cantica. *Quod,* inquit, *de corde puro, & conſcientia egreditur bona candidum eſt, & eſt virtus. Si autem bona fama ſecuta fuerit, & lilium eſt, quippe cui nec candor lilij deſit, nec odor. Quod ſi in conſcientia næuus fuerit, nec quod ex ea prodierit carebit næuo. Nam ſi radix in vitio, & ramus. Nec n. fama*
A. lib. 3. c. 9. *valebit vendicare virtuti quod eſſe vitium conuicerit conſcientia.* Et Auguſtinus contra Creſconium Grammaticum, qui dicebat bonam famam miniſtri mali baptiſmi, ad ſanctificationem ſufficere. *Si,* inquit,
Ier. 17. 6. *maledictus eſt qui ſpem ſuam ponit in homine, quanto magis, qui ſpem ſuam ponit in falſitate opinionis humanæ, & in illud aliud incidat, quod ſcriptum eſt,*
Prov. 10. 4. *qui fidit in falſis, hic paſcit ventos, id eſt, fit eſca ſpiritibus malis.* Deinde bonitas

nitas famæ fidorum hominum, licet paucorum, testimonio esse roborata, vt docet S. Hieronymus in verba illa Salomonis. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Prou.22.1. *Nomen*, ait, *bonum dicit, non quod à turbis vulgi imperiti, sed quod à fidelium quamuis paucorum testimonio laudatur. Neq. enim bonus habere nomen bonum refugit, sed bonis solum quærebat laudari, qui ait. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Gal.1.10. *Nomen ergo bonum est nomen religionis, quod diuitijs mundialibus iure præfertur.*

CAPVT II.

De præstantia & fructibus bonæ famæ.

ETSI ex B. Hieronymi expositione iam allata satis appareat bonæ famæ præstantia, eam tamen adauget, quod idem Sapiens mox subiungit. *Super aurum & argentum gratia bona. Illam enim significat*, ait Prou.22.1. Hieronymus, *gratiam cum quis pro bono opere laudatur à bonis, imò pro collatis ei donis meritorum glorificatur pater qui in cœlis est.* Eandem sententiam habet illud Ecclesiastæ. *Melius est nomen bonum, quam vnguenta pretiosa.* Eccl.7.2. Chaldæus Paraphrastes addit, *quibus vngebantur capita Regum & sacerdotum.*

S. Basilius oratione in S. Gordium. *Quemadmodum*, inquit, *suauia aromatum odoramenta proprium quiddam per aerem continentem spirãt, quibus præsentes recreantur: ita vir bonus toti sibi commorantium contubernio salutaris & iucundus est.* Et Ecclesiasticus ait. *Curam habe de bono nomine,* Eccli.41.15. *hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum.* Quibus extremis verbis indicat Sapiens. Bonam vitam ex virtute actam licet breuis sit temporis, immortale & perpetuum nomen parere. At diuitiæ & thesauri corruptibiles sunt, multisque pereunt modis, & morientem minimè sequuntur. Vnde bene CATO monuit. *Omnia si perdas famam seruare memento.* & Plautus in Mostellaria. *Ego si bonam famam seruasso, sat ero diues.* Accedit, quod si in Republica aliqua nomen & famã obtinuisse apud homines præclarius est & melius quã multas cõsecutũ esse opes, multo magis diuitiis anteferẽdum sit, si quis apud Deum & Sanctos bonum nomen obtinuerit. Addam vnum locum ex S. Hieronymo, vnde bonæ famæ præstantiam intelligas. Nã ad Principiam S. Marcellæ viduæ Epitaphium scribens. H.ep.16. *Difficile est*, inquit, *in maledica ciuitate, & in vrbe, in qua orbis quondam populus fuit, palmaq. vitiorum, si honestis detraherent, & pura ac munda macularent, non aliquam si-*

sinistri rumoris fabulam contrahere. Vnde quasi rem difficillimam, & penè impossibilem optat propheta, potius quam præsumit, dicens: Beati immaculati in Psal. 118. 1. *via, qui ambulant in lege Domini. Immaculatos in via huius seculi appellat, quos nulla obscœni rumoris aura macularit, qui opprobrium non acceperint aduersus proximos suos, de quibus Saluator in Euangelio. Esto, inquit, beneuolus,* Matt. 5. 25. *siue bene sentiens de aduersario tuo, dum es in via cum illo.*

Prou. 15. 30. INTER fructus primus sit, quem Salomon famæ bonæ tribuit in suis Prouerbiis. *Lux oculorum*, inquit, *lætificat animam, fama bona impinguat ossa*, hoc est, magis magisq; excitat ad solidum virtutis studium iuxta illud Poetæ.

Ouid. 4. de Ponto eleg. 2.

Excitat auditor studium, laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

2. Fructus, quod nihil æquè hominem prouehat ad honores & dignitates, atque existimatio bona ex virtutum studio conciliata; contra verò nihil æquè etiam optimos viros de excelso gradu præcipites agit, quam nota infamiæ, quantumuis à maleuolis iniquè aspersa, vt G. ora. in Cæsar. obseruauit S. Gregorius Nazianzenus. *Artis*, inquit de fratre suo Cæsario Imperatoris Medico, *beneficium proceribus gratuitum proposuit, non ignarus nihil esse, quod hominem ad altiores honorum gradus prouehat, quàm virtus & fama honestis rationibus collecta.* Et in epistola ad Vitalianum filiorum eius nomine scriptam. *Atq; vt nulla omnino culpa ipsius,* (patris) *sit, graue tamen est sinistra fama laborare, quæ bonos etiam viros sæpè perculit, humique prostrauit. Tametsi enim plerisque rei veritas nota sit, plerique tamen opinionem hominum spectant. Id quod etiam atq; etiam vt consideres moneo.*

3. Fructus est, quod virtutes ex quibus orta est reddat illustriores, vt docet S. BERNARDVS in Cantica. *Virtus*, inquit *etsi non* B. serm. 71. *propterea maior*, hoc est, propter bonam famam, *pulchrior tamen illustriorq; efficitur.*

G. ep. 74. 4. Est, quod latissimè instar lucis spargatur. Vnde S. Gregorius Romanus, ad Gaudiosum. *Sicut lucernæ lumen per collimitantia quæque quo lucet loca diffunditur, ita cuiuslibet personæ bonorum actuum probitas, non solum quo degit, sed per diuersas prouincias fama loquente cognoscitur: vt quoniam præsentiæ nulla potest esse notitia, hoc discursus opinionis efficiat, quod rei veritas per præsentiam poterat exhibere.* Et S. Paulus in al- 2. Cor. 2. 14. tera ad Corinthios typo boni odoris vitæ Christianorum hunc fructum ob oculos ponit his verbis. *Deo autem gratias, qui semper trium-*

phat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui fiunt.

Quæ tractans Hieronymus ad Hedibiam quæst. vndecima. *Est sensus*, ait, *Nominis Christi in omni loco bonus odor sumus Deo, & prædicationis nostræ longè lateq; spirat fragrantia. Agit autem gratias Deo in Christo Iesu, quem gentibus prædicabat, quod dignum se elegerit, in quo ageret triumphum filij sui. Triumphus Dei est passio Martyrum, & pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit tanta perseuerantia stare martyres atq; torqueri, & in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in gentes, & subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Euangeliũ nunquam sanguine defenderetur.* H.ep.150.

DICES, ibidem à Paulo bono odori vel famæ, tribui contrarium effectum, nempe quod mortem, hoc est, damnationem aliis consciuerit, nam ait. *Christi bonus odor sumus Deo in ijs qui salui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam.* Respondet Hieron. *quia homines suo arbitrio derelicti sunt, neq; enim bonum necessitate faciunt, sed voluntate, vt credentes coronã accipiant, increduli supplicijs mancipentur, ideo odor noster qui per se bonus est virtute eorum & vitio, qui suscipiunt, siue non suscipiunt, in vitã trãsit aut mortem: vt qui crediderint salui fiant: qui vero non crediderint pereant. Nec hoc mirandum de Apostolo, cum etiam de Domino legerimus. Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israhel, & in signum cui contradicitur: Solisque radios tam munda loca excipiant, quã immunda, & sic in floribus, quomodo in stercore luceant, nec tamen solis radij polluuntur Sic & Christi bonus odor, qui nunquam mutari potest, nec suam naturam amittere, credentibus vita est, incredulis mors. Mors autem non ista communis, qua cum bestiis morimur & iumentis sed illa, de qua scriptum est. Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Eodem modo S. August. respondet in psalmum 44. *Saluum*, ait, *fieri hominem bono odore non est improbabile, nec incredibile: perire autem hominem bono odore, quæ ratio est? Vt noueritis, quia difficile capitur, statim subiecit. Et ad hæc quis idoneus? Quis intelligat homines mori bono odore? Tamen aliquid dicam fratres. Ecce ipse Paulus prædicabat Euangelium: multi illum amabant prædicatorem Euangelii multi illi inuidebant. Qui illum amabant bono odore saluabantur, qui illi inuidebant bono odore peribant; ideo & pereuntibus non malus odor, sed bonus odor.* Luc. 2. Ezech. 18.

***

CAPVT III.

Quod homo teneatur habere rationem bonæ famæ.

DVPLICI ex capite tenetur homo rationem habere suæ bonæ famæ. Semel, quia tenetur dare operam virtuti, ex qua sola, vt diximus, oritur bonitas famæ nostræ. Iterum, quia tenetur non dare scandalum proximo, sed bonum exemplum, vt alibi ex Scripturis & S. Patribus probauimus. Deinde supra præcepit Syracides, vt *curam haberemus de bono nomine.* Nec non prisci Patres diserte ita docent, & ex sacris literis probant. Hieronym. ad Ageruchiam, de monogamia. *Fuge personas, in quibus potest malæ conuersationis esse suspicio: nec paratum habeas illud è triuio. Sufficit mihi conscientia mea non curo, quid de me loquantur homines. Et certe Apostolus prouidebat bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ne per illum nomen Dei blasphemaretur in gentibus. Habebat vtiq. potestatem Sororem mulierem circumducendi, sed nolebat se iudicari ab infideli conscientia, &c. Si scandalizat, inquit, esca fratrem, in æternum carnem non manducabo.* Et ad Celantiam, de ratione piè viuendi. *Apostolici verò præcepti & exempli est, vt habeamus rationem non conscientiæ tantum sed etiam famæ. Non superfluum & à fructu vacuum gentium magister hoc docet. Vult enim etiam extraneos ad fidem homines, per fidelium opera proficere, vt religionem ipsam religionis disciplina commendet. Et ideò sicut luminaria in mundo lucere nos iubet in medio nationis prauæ & peruersæ, vt incredulæ mentes errantium ex nostrorum actuum lumine ignorantiæ suæ tenebras deprehendant. Vnde ipse ad Romanos ait. Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et alibi. Sine offensione estote Iudæis & gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut ego per omnia omnibus placeo non quærens, quod mihi vtile est, sed quod multis. Beatus est, qui tam sanctè, tamq. grauiter disposuit vitam, vt de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit, dum aduersus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo, nec fingere quisquam ausus est, quod à nullo putat esse credendum.* Quia verò fieri potest, hominem quantumuis pie viuentem obrui detractorum calumniis, subiicit Hieronym. *Si autem nobis diligenter atq. solicite omnia ad honestatem prouidentibus, cunctisq. actibus nostris timorem Dei præferentibus illi nihilominus insaniunt, consoletur nos conscientia nostra, quæ tunc maxime tuta est, tūc optimè secura est, cum ne occasionem quidem malè de se sentiendi dedit. Illis enim væ dicitur per prophetam, qui dicunt quod bonum est malum, qui lucem appellant tenebras, & quod dulce est amarum vocant.* Haud secus docet S. Augu-

Panar v. Exemplum.
Eccli. 41. 15.
H. ep. 11.
Rom. 12. 17.
1. Cor. 8. 13.
H. ep. 14.
Phil. 2 15.
Rom. 12. 17.
1. Cor. 10. 32.

Augustinus lib. de bono Viduitatis *In omnibus sane*, inquit, *spiritalibus delicijs, quibus fruuntur innuptæ sanctæ earum conuersatio cauta etiam debet esse, ne forte cum mala vita non sit per lasciuiam, mala sit fama per negligentiam. Nec audiendi sunt, siue viri sancti, siue feminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit vt in malam veniat suspicionem, vnde suam etiam longe abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solum, sed etiam crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum siue blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum: siue etiam cum excusatione imitantium, nõ quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam suam custodit sibi bene facit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, alijs fama nostra, & vtiq; etiam, quod alijs ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoq; redundat vtilitatem. Vnde non frustra Apostolus: Prouidemus, inquit, bona non solum coram Deo, verũ etiam coram hominibus. Item dicit. Placete omnibus per omnia sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. In quadam etiam exhortatione dicit. Decetero fratres, quæcunque sancta, quæcunq; iusta, quæcunq; iusta, quæcunq; casta, quæcunq; charissima, quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & vidistis in me. Cernis, quemadmodum inter multa, quæ exhortando commouit, non neglexit ponere, quæcunq; bonæ famæ, duobusq; verbis cuncta concluserit, vbi ait. Si qua virtus si qua laus. Ad virtutem namq; pertinent, quæ antea memoraui bona, fama verò ad laudem* Deinde subdit. *SED quoniam quantalibet humana cautela suspiciones maleuolentissimas non potest omni ex parte vitare, vbi pro existimatione nostra, quicquid rectè possumus, fecerimus si aliqui de nobis vel malè fingendo vel malè credendo famam nostram decolorare conantur, assit conscientiæ solatium, planeq; etiam gaudium, quod merces nostra magna est in cœlis, etiam cum dicunt homines multa mala de nobis piè tamen iusteq; viuentibus: illa enim merces tanquam stipendium est militantium per arma iustitiæ non solum dextra, verum etiam sinistra, per gloriam scilicet & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* Huc vsque Augustin. Non ignari huius doctrinæ fuerunt Scriptores Ethnici. Nam Plato libro 12. de Legibus cauet, *ne quis vnquam parui faciat, probus né alijs videatur, an improbus* Et M. Tullius li. 1. de offic. *Negligere, ait, quid de se quisq; sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.* Et tertiò de Finibus. *Est hominis ingenui, & liberaliter educati, velle bene audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris: & futuræ post mortem famæ, etiam detracto vsu, consulendam est.*

Isa. 5. 20. A. c. 21.

Rom. 12. 17.

1. Cor. 10. 33.

Phil. 4. 8.

2. Cor. 6. 8.

Cicero.

CAPVT IV.

De Medijs quibus bona fama colligi, & conseruari queat.

PRIMVM Medium, & quidem efficacissimum sunt bona opera, & vita piè sancteq; acta, quo medio sanctus sanctorum, Deipara Virgo, Apostoli, Martyres sanctiq; omnes famam & existimatonem sanctitatis in tota Ecclesia obtinuerunt. Virtutem enim, non secus atq; vmbra corpus sequitur bona fama, honor & gloria. Vnde Christus Dominus, cum dixisset Apostolis. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona,* adiunxit, *vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Et B. Paulus. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum.* Et. *Sitis sine querela, & simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* id est celebres estis propter bona opera. Et iterum. *Oportet autem illum* (Episcopum) *& testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.* Deinde S. Petrus. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis tanquã de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Et S. IACOBVS. *Quis Sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.*

Matt. 5. 16. Rom. 2. 10. Phil. 2. 15. 1. Tim. 3. 7. 1. Pet. 2. 12. Iac. 3. 13.

IDEM docuere S. Patres. Sic enim scribit S. GREGORIVS libro 14. Moralium. *Sicut bonus odor ex virtute est, Paulo attestante, qui ait, odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, ita è contrario fœtor ex vitio.*

G. c. 28. 2. Cor. 2. 14.

Et S. AVGVSTINVS libro tertio de doctrina Christiana. *Odor bonus fama bona est, quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes eius pretiosissimo odore perfundit.* Alludit ad Mariam Magdalenam, quæ opere eximio famam sibi peperit immortalem: nam, vt refert B. Matthæus, cum alabastrum vnguenti pretiosi in caput Christi effudisset, eaq; de causa Iudas cum sociis obmurmurasset, Christus dixit. *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.* & mox, vt ostenderet, quam gloriosam famam eo opere meruisset, subiunxit *Amen dico vobis, vbicunq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Sic exponit hoc factum Origenes homilia prima in Cantica, & Augustinus in psalmum 21.

A. c. 12. Matth. 26. 7. Ioan. 11. 3. A. præfat. 2. exposit.

Hoc

Hoc medium, quia naturæ & rationi consentaneum est, non potuit esse ignotum Ethnicorum Sapientibus. Nam, auctore Plutarcho, Agesilaus rex rogatus, qua ratione potissimum quis assequi posset, vt apud homines honestam haberet famam. Si loquatur, inquit, quæ sunt optima, & faciat quæ sunt honestissima. Quid dici poterat breuius? Et SOCRATES, teste VALERIO Maximo, humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, expedita & compẽdiaria via eos ad gloriam peruenire dicebat, qui id agerent, vt quales videri vellent tales etiam essent. Qua quidem prædicatione apertè monebat, vt homines ipsam potius virtutem, quam vmbram eius consectarentur. EPICTETUS quoq; vt refert Stobæus, interrogatus quo pacto quis honestam famam assequi posset: Respondit, si vis bene audire, discito bene loqui, & cum bene loqui didiceris, recte facere conator, & hoc modo bonam famam acquires. Deniq; Ouidius 2. Fastorum.

A. præfat. 2. exposit. P. in Lacon. apopht. V. lib. 7. cap. 2. St. ser. 4. de Temp.

Fama manet facti posito velamine currunt:
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.

II. Medium ad famam bonam obtinendam, retinendamué necessarium est, cauere omnes occasiones scandalorum, vel prauarum suspicionum, iuxta illud Christi. *Si oculus tuus scandalizat te erue eum, & proiice abs te.* Et Apostoli. *Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum.* Exempli causa est clericus, is si famam obtinere, vel retinere bonam velit, non commoretur cum femina, etiamsi nullum putet esse periculum lapsus. Ita enim scribit S. Bernardus in Cantica *Cum femina semper esse & non cognoscere feminam, nonne plus est quã mortuũ suscitare? Quod minus est, non potes, & quod maius est vis credã tibi? Quotidie latus tuũ ad lat⁹ iuuenculæ est in mensa, lectus tuus ad lectũ eius in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere, & continens vis putari? Esto vt sis, sed ego suspicione non careo. Scandalo mihi es, tolle scandali causam, &c.* Plura de hac re in Panario. *V. Exemplum prauum,* &. *Mulierum commoratio cum clericis.*

Matth. 5. 29. 2. Cor. 6. 3. B. serm. 64.

III. Est Testimoniũ fide dignorum hominũ de virtute, vel vita inculpatè acta datũ. Vnde Apostolus Paulus, ne forte aliquis infamiæ nota aspersus in Episcopatum irrueret, voluit Episcopũ esse irreprehẽsibilem, ac ẽt testimoniũ inculpatæ vitæ habere ab iis qui foris sunt, id est, gentilibus. Et S. Ioannes epistola tertia ad Gaium *Gauisus sum,* inquit, *valde venientibus fratribus, & testimonium præbentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas.* Et infra. *Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus, & nosti quoniam*

1. Tim. 3. 7.

testim-

testimonium nostrum verum est. Sic de fama sanctitatis Ioan. Baptistæ non
Matt. 11. 11. dubitamus, quia Christus palam testatus est inter natos mulierum
eo non surrexisse maiorem. Sic de Sampsonis, Iephte, Raab meretricis
Heb 11. 31. 32. sanctitate non dubitamus, quia eos S. Paulus in catalogum Sanctorum retulit. Sic nec de aliorum Sanctorum vita sancta ambigimus, quorum vita vel à Scriptoribus sanctitate & doctrina claris conscripta est, vt S. Antonio ab Athanasio Pauli eremitæ ab Hieronymo, vel ab Ecclesia publicè colitur & commendatur. Nec aliam fere nunc homines eluendæ notæ infaniæ, si quæ contracta est, aut contrahenda formidatur rationem meliorē habent, quam vt fide dignorum hominum, quibuscum vixerunt, testimoniis, innocentiam suam tueantur.

FAMILIARITAS cum Deo.

Caput I.

De duplici familiaritate vel amicitia cum Deo.

Familiaritas, vel quod idem est, Amicitia cum Deo duplex in diuinis Scripturis reperitur. Altera, omnibus iustis in gratia Dei constitutis communis. de qua intelligitur illud Sapientis. *Infinitus*
Sap 7. 14. *thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona cōmendati.* Et illud Apostoli Pauli. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri.* ac B. Ioannis Apostoli. *Quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos*
1. Cor. 1. 9. 1. Ioan. 1. 3. *societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo.*

Altera peculiaris, ad quam admissi sunt magni quidam sancti, peculiariter à Deo dilecti, quorum primus fit Abraham, qui crebrius in Scripturis, *amicus Dei*, vt in Isaia, Iudith, & epistola Iacobi appel-
Isa. 41. 8. Iud 8. 22. Iac. 2. 23. Exo. 33. 11. 1. Reg. 13. 14. Psal. 88. 21. Act 13. 22. latur. 2. Moyses, de quo dicitur in Exodo. *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* 3. Rex Dauid *vir secundum cor Dei* in libris Regum, psalmis & Actis Apostolicis nominatus, qui fecerit *omnes Dei voluntates*, & *dilexerit Deum*, vt loquitur

quitur Ecclesiasticus, *qui fecit illum.* 4. MARIA DEI mater, quæ in Can- Eccli.47.10.
ticis Salomonis octies nouiesué amica sponsi dicitur, & ab archan- Cant.1.2.4.5.6
gelo *gratia plena*, & Domino coniunctissima. 5. S. Ioan. Baptista quo, te- Luc.1.28
ste Christo, inter natos mulierum non surrexit maior. De quo, S. Ioan- Mat.11.11.
nes Euangelista ait. *Amicus sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet pro-* Ioan.3.29.
pter vocem sponsi. Amicus sponsi Christi, erat ipse Baptista, qui gaude-
bat quod Christum Ecclesiæ sponsum videre audireq; meruisset. 6.
CHRISTVS Dominus ipse, secundum humanitatem familiarissimus
Dei patris amicus, quem & in Canticis sponsa, siue Ecclesia, siue Ma- Can.6.16.
ria Virgo, vocat amicum, & dilectum suum. 6. discipuli Christi Apo-
stoli de quibus ipse Magister. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcun-* Ioan.15.15.
que audiui à Patre meo nota feci vobis. 7. sit LAZARVS, nam eo mortuo
Christus ad discipulos apud Ioannem dixit. *Lazarus amicus noster dor-* Ioan.11.11.
mit Deinde cum peruenisset ad sepulchrum lacrymatus est, vnde ipsi
Iudæi coniecerunt Lazarum Christo imprimis charum fuisse, dicen-
tes *Ecce quomodo amabat eum.*

CAPVT II.

Cur nomenclatura amici DEI oraculo diuino nominatim Abrahæ Patriarchæ tributa?

CAVSÆ variæ dari possunt, cur Patriarchæ Abrahæ in primis no-
men Amici Dei obtigerit. S. Iudith videtur tribuere eius constan- Iud.8.22.
tiæ in ærumnis & afflictionibus. nam ait. *Memores esse debent* (presbyteri
populi Dei) *quomodo Pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribu-*
lationes probatus Dei amicus effectus est. S. Iacobus Apostolus, cum B. Ba- Iac.2.23.
silio contra Eunomium, fidei eius excellenti operibus demonstratæ. Basil.lib.5.
Credidit, inquiens, *Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus*
Dei appellatus est. Clemens Alexandrin. in Pœdagogo refert in contem- Cl.lib.3.c.2.
ptum fortunarum. *Apertissimè*, inquit, *docet Dominus per Abraham, & pa-*
triam & cognatos, & possessiones, & omnes diuitias contemnere eum qui Deum
sequitur, cum eum fecit aduenam. Et ideo eum appellauit amicum, vt qui suas
facultates habuisset contemptui: erat enim honesto loco natus & valde diues. Et
infra referre videtur in studium & industriam eius, verum Deum, ve-
ramq; religionem quærentis, his verbis. *Alii verò sua sponte virtutem vel* Ib c.8.
amplexi sunt vel quæsierunt.

Hesiodus. Optimus ille quidem est, qui percipit omnia per se.

Ipse est Abraham, qui DEVM quæsiuit.

Is bonus est rursus, qui pcret recta monenti.

Hi sunt discipuli, qui verbo crediderunt. & ideò ille quidem appellatus est amicus: illi autem Apostoli. Eodē collimant ista verba prisci Tertul. *Vnde Noe iustus inuentus, si non illum naturalis legis iustitia præcedebat? Vnde Abraham amicus Dei deputatus, si non de æquitate & iustitia legis naturalis?* Certe CHRISTVS ipse nomen amici spopondit Apostolis, si leges suas præstarent. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.*

T. cont. Iudæos

Ioan. 15. 14.

Cyr. l. 10. in Io. c. 23.

S. CYRILLVS vero Alexandrinus causam huius appellationis reuocat ad eximiam Abrahæ obedientiam in deserendo patrio solo declaratam, atq; in promptam immolationē filii. *Quomodo autem,* ait, *amicus Dei credens appellatus est? Dictum ei fuit Exeas de terra cognationeq; tua, & veni in terram, quam ego monstrabo tibi. Cumq; filium suum in figuram immolare Christi iuberetur, tunc intentionem Dei abditam docebatur. Obedientia ergo & immolatione amicitiam Dei consecutus est, & consilium eius innouissimis temporibus futurum cognouit.* DENIQVE S. Augustinus reuocat ad singularem coniunctionem animi cum Deo his verbis. *Merito huius viri fidem commemorans Iacobus Apostolus, ait. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Amicos, vt nouimus, coniunctio animorum facit. Vnde quidam sapiens huius mundi ait: idem velle atq; nolle ea demum firma amicitia est. Ergo amicos, vt nouimus, coniunctio animorum facit. Quemadmodum iste sanctus animum coniunxerit Deo, vt eius amicus appellaretur, vultis nosse? Sicut enim Deus Pater vnico filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ita & iste vnico filio non pepercit, sed iubente eo vt immolaretur ei qui dederat eum, deuoto corde obtulit eum.* Hæc Augustinus. Quod si omnes has Patrum causas cōiunxeris, plenissimam huius nuncupationis causam reddideris.

A. ser. 46. de tēp.

Iac. 2. 23.

CAPVT III.

Quod fere omnes humanæ amicitiæ leges in hanc amicitiam cum Deo conueniant.

Vide V. Amicitia.

AMICITIÆ humanæ leges in amicitiam hanc cum Deo conuenire, imò perfectius conuenire, facile ostendi potest. Hæc enim amicitia, vel familiaritas cum Deo, primo non nititur, nisi virtute. vnde Rex Dauid. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neq; habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operan-*

Psal. 5. 5.

perantur iniquitatem. Et S. Paul. *Quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial?* Et B. Iacob. *Quicunq; voluerit esse amicus seculi huius,* cupiditatibus prauis obsequentis, *inimicus Dei constituitur*. Theologorum quoq; pronunciatum est, quisquis vel vni lethali noxæ se obstrinxerit, eum gratia amicitiaq; Dei excidere. II. est idẽ velle & nolle in amicitia Dei. Exemplũ habes in summo Dei amico Christo Domino, qui etiam qua homo dixit *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me*. Habes in propheta regio Dauide, qui idcirco vir secundũ cor Dei dictus est, vt indicauit S. Steph. in concione ad Iudæos, dum testimonium Dei producit in psalmis dicentis. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. Habes exemplũ domesticum in teipso quotidie in Dominica orõe dicente. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*. III. hac amicitia amico amicus est alter ipse. *Qui enim adhæret Domino*, ait Apostolus, *vnus spiritus est*. Sic orabat Christus, pro Apostolis, *vt omnes vnũ sint sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnũ sint*. Talis amicus erat Paulus quũ dixit. *Viuo iã non ego, viuit vero in me Christus*. Et. *Mortui estis, & vita vestra est abscondita cũ Christo in Deo*. Talis ipse Christus, in quo verè Deus erat homo & homo, Deus postquã *Verbum caro factum est*. Et licet Deus esset & homo, non duo tamẽ, vt loquitur in Symbolo suo Athanasius, sed vnus erat Christus. IV. in eadẽ amicorum omnia sunt cõia. vt testatur Clemens Alexand. ita scribens in fine protreptici ad gentes. *Si communia sunt ea quæ sunt amicorum; est autem homo religiosus & Dei amicus verbo intercedente: fiunt itaq; omnia hominis quia sunt Dei omnia, & sunt omnia amborum amicorum communia, Dei & hominis*. Quod Deus omnia bona sua nobis communia fecerit, his verbis probat B. Paulus. *Si Deus pro nobis, quis cõtra nos. Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnib. tradidit illum: quo modo non etiam cũ illo omnia nobis donauit?* Tãtum restat, vt nostra quoq; bona cõia cum Deo faciamus. Faciemus autem, si nos quanti, quanti sumus Deo offeramus. *Nil melius*, inquit S. August. *possumus dicere Deo, quàm posside nos. Totũ Deo dedit*, scribit ad Paulinũ Hieron. *qui se obtulit*. V. cõis est cõuersatio, cohabitatio, colloqa, q. Arist. maximè in amicitia requirit. Nã Christus apud Io. ait. *Si quis diligit me sermonem meũ seruabit & Pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus*. & S. Paulus, in altera ad Corinth. *Vos estis templũ Dei viui, sicut dicit Deus. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorũ Deus & ipsi erunt mihi populus*. Et ad Philip. *Nostra aũt cõuersatio in cælis est: vnde et Saluatorẽ expectamus Dominũ nostrũ Iesum Christũ*. Cõicatio quoq; autore Aristot. inter amicos est intimorum consiliorũ, & arcanarum cogitationũ. Et hæc fuit inter Christũ & Apostolos cũ dixit. *Vos aũt dixi*

2. Cor. 6. 15. Iac. 4. 4. Ioan. 4. 34. Act. 13. 22. Psal. 88. 21. Matth. 6. 10. 1. Cor. 6. 17. Ioan. 18. 21. Gal. 2. 20. Colos. 3. 3. Ioa. 1. 14. Clem. Rom. 8. 32. A. in psal. 131. A. lib. 8. Eth. c. 5. Ioan. 14. 23. 2. Cor. 6. 16. Leu. 26. 12. Philip. 3. 20.

amicos, quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo nota feci vobis. Tu quoque
nihil arcanorum tuorum cœla vel Deũ, *omnia enim nuda & aperta sunt*
Heb.4.12. *oculis eius*, teste Apostolo, vel Dei locum tenẽtes, vti sunt peccata. *Qui*
Prou.28.13. *enim abscondit scelera sua*, ait Sapiens, *non dirigetur: qui autem confessus fu-*
erit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. VI. hac amicitia amicus
pro amico paratus est vitam profũdere, Deus pro homine, homo pro
Deo. Deus quidem pro homine, quia Christus Dominus ad Nicode-
Ioan.3.16. mum apud B. Ioannem dixit. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium suum v-*
nigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æ-
ternã. Filius autem ille non modò pro amicis, sed etiam inimicis nobis
Rom.5.8. dignatus est mori, vt ad Romanos præclare tradit Apostolus. *Commẽ-*
dat, inquiens, *charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores*
essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis
nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum i-
nimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii eius, &c. Homo verò
pro Deo, quia id omnes amici Dei ab orbe condito, cũ ita tulit casus
Gen.22. fortiter pręstiterunt, ac imprimis ille excellens Dei amicus Abraham,
qui non dubitauit, etiam proprium filium suũ, ita à Deo iussus, immo-
lare. Sic Abel, Isaias, Babylonii pueri, Machabæi, innocentes sub nati-
uitatem Christi, Ioannes Baptista, Apostoli, aliiq; innumerabiles mar-
tyres & quotquot in hũc vsq; diem pro Deo, diuinisq; legibus, vel pro
Christi fide & religione occubuerunt. Idem ab omnibus Christianis
in sua lege exposcit Christus. *Si quis*, inquiens, *vult post me venire abne-*
Matt.16.24. *get semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit ani-*
mam suam saluam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam suam, id
est, vitam, *propter me, inueniet eam.* Et iterum. *Si quis venit ad me, & non o-*
dit patrem suum, & matrem, &c, adhuc autem & animam suam nõ potest meus
esse discipulus. Deinde subiecta duplici parabola, altera de inchoante ę-
dificium, quod non potuit consummare, altera de mouente bellum,
quod non potuit perficere, concludit. *Qui non renunciat omnibus quæ*
possidet non potest meus esse discipulus debemus enim quoad animi præpa-
rationem, vti exponunt Sancti, potius permittere nos facultatibus i-
psasq; vita exui, quam peccato lethali Deum offendere. VII. & postre-
ma deniq; Lex sit, vt familiaritas vel amicitia cum Deo, sit insolubilis
V. Amicitia. & sempiterna. si enim amicitia cũ homine inita indissolubilis esse de-
bet, vt supra ostendimus, quanto magis hæc cum Deo. amicitia siqui-
dem humana veri nominis amicitia non est, nisi fundata sit in amici-
tia Dei, sicut dilectio proximi vera dilectio non est nisi sit propter De-
A serm.256.de um. Vnde August. *Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut*
temp. *quia est in illo, aut vt sit in illo.* Deinde multæ causæ esse possunt cur hu-
mana:

mana amicitia dissoluatur, omnis enim homo mendax, nullus ἀναμάρτητος, at nulla cuiquã causa iusta esse potest, cur familiaritatem cum Deo initã vel dissuat vel discindat. Quis enim audeat ab eius amicitia se subducere, à quo innumeris beneficiis, affectus est & indies afficitur nisi ingratissimus improbissimusq́;? Deus ab omni æternitate, & ante mundi cõstitutionem *benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo, & gratificauit nos in dilecto filio suo*, vt loquitur Apostolus in epistola ad Ephesios, proculdubio vt illa benedictione in æternum perfruere- mur. *Iesus enim Christus*, inquit idem ad Hebræos, *heri & hodie: ipse & in secula*. DEVS, nemini teste, Sapiente, *dedit spacium peccandi, nemine vult perire*, vt loquitur B. Petrus, *sed omnes ad pœnitentiam reuerti: omnes*, vt habet Paulus, *vult saluos fieri*, ergo & amicos. Tantum restat vt ex parte nostra hanc amicitiam semel initam non disrumpamus, sed clamemus cum Apostolo & fidelibus Romanis, post expensa sedulo immortalia Christi in nos beneficia. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi, tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum, an persecutio? an gladius. Certus sum, quia neq́ mors, neq́ vita, neq́ angeli, neq́ principatus, neq́ virtutes, neq́ instantia, neq́ futura, neq́ fortitudo, neq́ altitudo, neq́ profundum, neq́ creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*. Vnde B. August. alicubi conferens amicitiam humanã cum hac diuina, *In homine*, inquit, *sunt quæ offendant, per amicitiam tamen cogis te, vt etiam illa, quæ offendunt in homine toleres propter amicitiam. Si ergo non debes propter quædam toleranda dissoluere hominis amicitiam, Dei amicitia quibus rebus debet cogi vt dissoluatur à te? Nihil inuenis delectabilius Deo. Deus non est qui te offendat, si tu eum non offendas, nihil illo pulcrius, nihil illo dulcius*. S. Bernard. verò, describens, quam difficile sit homini spirituali qui semel gustauit suauitatem familiaritatis cum Deo eam relinquere, in hunc modum loquitur. *Quæ anima semel à Domino didicit & accepit intrare ad seipsam, & in intimis suis Dei præsentiã suspirare, & quærere faciẽ eius semper. (Spiritus enim est Deus, & qui quærunt eum, oportet eos in spiritu ambulare & non in carne, vt secundum carnem viuant) talis, inquam, anima nescio, an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius, pœnaliusue ducat, quam post spiritualis studii huius gustatam semel suauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potius ad molestias carnis, sensuumq́ inexplebilem repetere curiositatem, dicente Ecclesiaste. Oculus non impletur visu, nec auris auditu. Audi enim hominem expertum quæ loquimur. Bonus es, inquit, Domine sperãtibus in te, animæ quærenti te. Ab hoc bono si quis auertere sanctam illam animam conaretur, puto haud secus accepisset quam si se de paradiso, & ab ipso introitu gloriæ conspiceret deturbari*.

Eph. 1. 3. Heb. 13. 8. Eccli. 15. 21. 2. Pet. 3. 9. 1. Tim. 2. 4. Rom 8. 35. A ho. 35. ex 50. B ser. 25. in Cant. .1. Thren. 3. 1.

CAPVT IV.

De fructibus diuinæ familiaritatis.

FRVCTVS diuinæ amicitiæ vel familiaritatis sunt varii. Primus est,
quod reddat nos *diuinæ consortes naturæ*, vt Petrus loquitur, imò *De-*
os vt ex psalmis probat Christus. Deinde *filios Dei*, vt S. Ioa. *& ex Deo na-*
2. Pet 1 4. *tos*; *fratres & coheredes Christi heredes Dei vt ciues sanctorũ, & domesticos Dei*,
Ioan. 10. 34. Apostolus Paul. 2. q. oĩa siue prospera siue aduersa nobis cooperentur
Ps. 81 6. in bonũ. *Diligentib. n. Deũ* teste Apostolo *omnia cooperantur in bonum* 3.
Ioan. 1. 12. 13. quod multa sapientia mentes nostræ illustrentur, iuxta illud eiusdem.
Heb. 2. 12 Rom. 8. 17. *In quo*, nempe Christo, *habemus redemptionem per sanguinem eius, secun-*
Eph. 2. 19 Rom. 8. 28. *dum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapiẽtia & pru-*
Eph. 1. 8. *dentia*. 4. quod omni gaudio spiritali, consolationeq; repleantur, vn-
Rom. 15. 13. de idem sic loquitur ad Romanos iam Dei amicos. *Deus autem spei reple-*
at vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe & virtute Spiritus
sancti. 5. quod in omni necessitate nobis subueniatur: *Iunior fui*, inquit
Psal. 36. 25. rex Dauid, *& senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens*
panem. 6. quod in omni tentatione in Deo inueniamus perfugium &
remedium. *Fidelis Deus est*, ait Paulus *qui non patietur vos tentari supra id*
quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum vt possitis sustinere 7.
1. Cor. 10. 13. quod magna virtute & potentia malignorum spirituum conatus ex-
pugnemus, & pedibus conculcemus. Vnde Apostolus Romanis. *Deus*
pacis, inquit, *conterat Satanam sub pedibus vestris*. Tertullianus in A-
Rom. 16. 20. pologetico ad gentes ita scribit. *subiecta est Christianis diuinitas ve-*
Ter. c. 23. *stra, & à quolibet iussus Christiano dæmon se dæmonem profitetur*. Exemplũ
illustre habes in historia Greg. Thaumaturgi Neocæsariensis Episco-
pi à Gregorio Nysseno descripta. Nam cum Gregorius adolescens
Christianus ex itinere forte in delubrum idolorum sub noctem ad ef-
fugiendam pluuiam diuertisset, & inuocato nomine Christi, crucisq;
signatione dæmonẽ oracula fundẽtem abegisset, postera luce ab ido-
lorum sacrifico rogatus est qua potestate id fecisset? respondit Chri-
sti Domini; & arrepta schedula scripsit. *Gregorius Satanæ imperat vt re-*
deat in delubrum, eaq; à sacrifico aræ imposita ilico reuertit. Quæ causa
fuit, vt sacrificus deinde deserto dæmonis cultu Christo nomen dede-
rit. 8. & vltimus fructus sit, beneficio huius familiaritatis cum Deo
imprimis ad veram humilitatem, & perfectam cognitionem sui, o-
mnium virtutum basin & fundamentum peruenir, vt multi S. Patres
Ch. ho. 39. in Ge. annotauerunt, vt Chrysostomus tractans locum Geneseos, vbi Abra-
ham,

ham, post habitam Dei visionem, auditamq; promissionem de filio nascituro, dicitur cecidisse in faciem. *Gratus, inquit, & religiosus Dei famulus Abrham , videns tantam Dei erga se misericordiam, obsequium atq; curam, obstupefactus animoq; versans & naturam suam & bonitatem immensam Dei: Cecidit, ait, in faciem suam: qua figura suam indicauit gratitudinem. Non solum enim tunc non fuit factus arrogantior, neq; superbiebat propter fauorem Dei, quem experiebatur, sed & multo magis humiliabatur. Gratæ siquidem animæ, quanto maiori fruuntur fiducia, tanto maiorem Deo reuerentiam exhibent, vnde & iustus iste seipsum naturæq; suæ imbecillitatem videns, neq; oculis nutare ausus fuit, sed deorsum conspexit.*

Et ante eum S. Gregorius Nazianzenus in Apologetico ad Patrē Isa.6.
suum Gregorium coram Basilio dicto tractans verba Isaiæ *Super me rursus vnctio & spiritus, & rursus ego lugens & tristis incedo. Nec vero,* inquit, *id vobis mirum videri debet, nam Isaias priusquam Domini gloriam conspexisset, nihil huiusmodi loquitur, nec animo languet, sed postquam vidit, ac vocem illam sanctam & arcanam audiuit, tum vero sui magis con-* Isa.6.5.
scius. Me miserum, inquit, quia compunctus sum Occurrunt etiam hic Iud.13.22.
antiquus ille iudex Manue, & Petrus Ecclesiæ columen, quorum alter cum præstantiorem quàm natura eius ferret, visionem sensisset: actum est ait, de nobis vxor Deū vidimus: alter verò Seruatoris præsentiam in naui non ferens, i- Luc.5.8.
psum à naui summouere voluit causam afferens, quod diuina præsentia esset indignus. Nam quemadmodum Sol oculorum hebetudinem, imbecillitatemque prodit, ita morbum animæ Deus adueniens coarguit, atque aliis quidem lux, aliis ignis est, vnicuiq; videlicet secundum subiectam materiam & qualitatem.

CAPVT V.

Quibus mediis ad perfectam cum Deo familiaritatem perueniatur.

PRIMVM medium sit magna humilitas. *Vbi enim humilitas*, ait Salomon, *ibi & Sapientia, Ad quem autem respiciam*, loquitur Deus ipse a- Prou.11.2.
pud Isai. *nisi ad humilem, & contritum spiritu, & trementē sermones meos?* A- Isa.66.2.
brahā Patriarcha singularis amicus Dei cū familiari colloquio Dei frueretur in Genesi. *Quia semel cœpi*, inquit, *loquar ad Dominum, cum sim pul-* Gen.18.27.
uis & cinis.

Dauid rex & propheta, tātus Dei amicus, licet vir secundū cor Dei appellaretur, tamen in hæc verba canit. *Domine non est exaltatum cor me-* Psal.130.
um, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. S. MARIA DEI mater, ad tantam dignitatem euecta vt an-

vt angelico non solum colloquio frueretur, sed etiam cœli & terræ conditorem in vtero suo gestare & gignere mereretur humilitati suæ ductu Spiritus sancti asscripsit. Luc.1.48. *Quia respexit*, inquiēs, *humilitatem ancillæ suæ, ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. CLEMENS Alexandrinus in protreptico hortatur, vt huius tam præclaræ amicitiæ consequēdæ causa etiam ad animi submissionem nos demittamus, eo quod Matt.18.3. CHRISTVS dicat. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum*.

II. MEDIVM est, Eximia animi puritas. *Beati enim mundo corde*, ait Christus, *quia ipsi Deum videbunt*. Matt.5.8 Deus .n. vti est purissimus, ita neminem ad colloquium & familiaritatem suam admittit, nisi ab omnibus sordibus peccatorum immunem. Exo.3.5. Ios.5.15. Vnde cum aliquando Moyses, & successor eius Iosue in conspectum Dei se dedissent, iussit Deus vtrunq; calceamenta de pedibus suis soluere, hoc est, exuere impuras Exo.3.5. Ios.5.15. animi affectiones, per calceamenta designatas. Hoc medium annotauit S. Augustinus contra Manichæus. A lib.1.de Gen.c.2. *Si voluntatem*, inquiens, *Dei nosse quisquam desiderat fiat amicus Deo, Quia si voluntatem hominis nosse vellet, cuius amicus non esset, omnes eius impudentiam ac stultitiam deriderent Non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus, & illo fine præcepti de quo Apostolus dicit. Finis autem præcepti est charitas de corde puro,* 1.Tim.1.5. *& conscientia bona & fide non ficta*.

III. MEDIVM, Contemptus huius mundi & omnium terrenarū facultatum. Hoc enim medio, teste Clem. Alexandrino supra allegato, Abraham ad amicitiam Dei intimā perductus est, & omnes quotquot Deum sequuntur perduci debent. Quod verissimum est in Apostolis, qui quod Christum secuti essent, omnibus opibus, honoribusque huius seculi contemptis ad tantam Christi familiaritatem e- Matt.19.28. uecti sunt, vt etiam potestatem iudicandi omnes tribus Israhel in extremo iudicii die vna cum Christo consecuti sint.

Vnde B. CYRILLVS in Ioannem conferens factum Abrahæ cum Cyr lib.10.c.13. Apostolis. *Quomodo*, inquit, *Abraham amicus Dei credens appellatus est? Dictum ei fuit. Exeas de terra cognationeque tua* Gen.12.1. *Sed considera quæso, quomodo similia fiunt in iis, qui ad amicitiam Christi conscendunt Apostolis. Audiuerunt & ipsi. Exeatis de terra vestra Quod quam libenter fecerint, Paulum audi Non enim habemus hic ciuitatem stabilem, sed futuram inquirimus, cuius* Heb.13.14. *artifex & conditor est Deus*.

IV. MEDIVM est, Oblatio cordis sui Deo facta. Quod mediū excogitauit S. Augustinus occasione immolationis filii ab Abraham animo iam destinatæ, qua nihil gratius Deo fuisse, luculenter declarant illa

angeli

angeli verba flagrantis affectus plenissima. *Per memetipsum iuraui, dicit* Gen.22.16.
Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me,
benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, &c. Ergo Augu- A.serm.47.
stinus sic philosophatur in sermonibus de Tempore. *Si qua es anima, quæ cupis sequi vestigia fidei patris nostri Abraham, exi de terra tua & cognatione tua, id est, fideliter renuncia diabolo, pompis & angelis eius, & sequere viam rectam, quæ te perducat ad terram, in qua ditescas. Sed si virtus charitatis, quæ omnia credit, est in te, expectet à te sacrificium dilecti tui. Dicet tibi sapientia. Da mihi fili cor tuum. Ipse est dilectus vnicus. Offer sacrificium contritionẽ cordis Domino Deo tuo, & dic ei cum propheta. Holocaustis non delectaberis. Sa-* Psal.50.18.
crificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Nihil metuas tali sacrificio oblato, & tibi acceptum erit, & quod obtuleris integrum permanebit.

V. MEDIVM est erogatio omnium bonorum in pauperes, quam Matt.19.21.
Christus consuluit adolescenti diuiti, si vellet esse perfectus. Hoc sug- Chr.hom.1.
gerit Chrysost. in epist. ad Coloss. in hæc verba. *Pauperum mensæ amicitiam generant, non erga homines, sed erga Deum, eamq; cumulatam & auctã, quoniam & ipsæ cumulatæ sunt. Nam qui partim in pauperes, partim verò in diuites insumit, etiamsi multa dederit, nihil tamen magni fecit. Qui verò in pauperes omnia impenderit, etiamsi modica dederit, totum tamen perfecit. Non enim quæritur, num multa quisquam dederit vel modica, sed an non minus dederit, quam potuerit. Consideremus eum qui quinq; & qui duo talenta*
lucratus est. Consideremus eam quæ duos obolos in gazophylatium misit Consi- Luc.21.2.
deremus viduam illam quæ pauit Eliam. Non dicebat illa quæ duos obolos misit. 3 Reg.17.
Quid nocuerit, si vnum quidem obolum mihi retinuero, alterum verò dedero? sed totum suum victum dabat. Ne negligamus itaq; nostrã salutem sed summo studio eam per eleemosynam procuremus.

VI. Medium & nouissimum est Obseruatio diuinorum mandato-
rum, quod Saluator ipse discipulis patefecit dicens apud S. Ioann. *Vos* Ioan.15.18.
amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis. Neq; hinc rectè conficiunt
hæretici, amicos Christi non fore, qui fecerint, quę præcepta nõ sunt; Ioan.13.15.
nam cum eâdem die lauisset discipulorum pedes, dixit. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis* quod tamen non præcepit.

VIDE *V. Amicitia. Charitas in Deum. Cogitatio diuinæ præsentiæ. Cognitio Dei. Contemplatio. Deuotio. Eucharistiæ frequentatio. Gratiarum actio Deo debita. Laudatio Dei. Oblatio sui. Perfectio Christiana. Sapientia.*

FIDES.

CAPVT I.

De nomine & Definitione fidei.

Aug. ep. 19. FIDES, si nomen spectes, *in latino sermone* teste S. Augustino in epist.
ad Hieronymum, *ab eo dicitur appellata, quia fit quod dicitur*: quam no-
tationem habet M. Tullius in officiorum libris. Huic autem nomini
Cic. lib. 1. vt in profanis, sic & in sacris literis, varia significata subiecta sunt, præ-
cipue quatuor. Nam primo significat fidelitatem, hoc est, constanti-
am in seruanda promissione, vel voto, vt in epist. Pauli ad Romanos.
Rom. 3. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit.* & ad Timoth. *Primam*
1. Tim. 5. 12. *fidem irritam fecerunt*, 2. significat conscientiam, vt ad Romanos. *Quod*
Rom. 14. 23. *non est ex fide peccatum est.* 3. fiduciam vt apud B. Iacob. *Postulet in fide, ni-*
Iac. 1. 6. *hil hæsitans.* 4. virtutem Theologicam, qua firmissimè credimus omnia
à Deo reuelata, & ab Ecclesia Catholica proposita. de qua B. Paulus
Rom. 3. 28. dixit. *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Et. *Sine fi-*
Heb. 11. 6. *de impossibile est placere Deo.* Et de hoc quarto significato tantum hic agi-
mus.

DEFINITVR autem secundum hanc significationem Fides ab A-
Heb. 11. 1. postolo in epist. ad Hebr. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumē-*
tum non apparentium. Primo dicitur substātia, ὑπόστασις græcè, id est, so-
lidum fundamentū. *Audis substantiam?* ait S. Bernard. contra Abailar-
B. epist. 190. dum hæreticū, *nō tibi licet in fide putare, vel disputare pro libitu, nō hac illac-*
que vagari per inania opinionum, per deuia errorum: substātiæ nomine aliquid
tibi certum fixumq; præfigitur. certis clauderis finibus, certis limitibus coarcta-
ris. Et Chrysostomus in verba Apostoli. *Habentes eundem spiritum fi-*
Chrys. 2. Cor. 4. 13. *dei. Sicut* ait, *planta absq; radice fructum non profert ita absq; fidei funda-*
mento non prouenit sermo doctrinæ. Sicut enim membra tremula & lan-
guida se baculo tuto deducente labi non permittuntur, sic etiam animam nostrā
incertis ratiocinationibus circumactam fides quouis baculo tutius sustentans,
suaq; vireficiens summopere firmat, nec sinit subuerti infirmas cogitationes sua
virtutis præstantia corrigens. 2. dicitur. *Sperandarum subst, rerum.* rerum
cœlestium & supernaturalium, vt resurrectionis mortuorū, vitæ æter-
næ & similium, quæ licet reuera non sint, cum sint futuræ, fides tamen
ita nobis eas repræsentat, quasi iam subsisterent. ita Chrys. & alii Græ-

ci hunc locum exponentes. Neq; inde efficitur solas res speratas, aut res futuras tantum obiecto fidei contineri: nam exempla quæ subiicit Apostolus declarant fidem non esse tantum sperandarum, sed etiam timendarum rerum (vt enim speramus vitam æternam, sic ignem æternum timemus) nec tantum futurarum, sed etiam præsentiu & præteritarum. 3. dicitur, *argumentum non apparentium*, græcè ἔλεγχος, id est, demonstratio, seu conuictio, vt August. legit eorum quæ non videntur: Fides enim facit, quod faciunt argumenta & maximè demonstrationes, nempe vt intellectum conuincat, & ad assensum pertrahat nō euidentia rei, sed auctoritate dicentis Dei, qua, vt loquitur in epist. ad Corinth. idem Apostolus, *in captiuitatem redigit omnem intellectum in obsequium Christi.* Est autem *non apparentium. quæ etenim apparent.* ait S. Gregorius, *iam fidem non habent, sed agnitionem.* Vnde sæpe Augustin. *Quid est fides, nisi credere, quod non vides?* Hinc verò liquet discrimen fidei ab aliis habitibus intellectualibus. ac primo quidem à scientia & intellectu, quia non auctoritate, sed euidentia rei nitūtur. 2. à fide humana vel ciuili, tum quia fallax est, & substantiæ nomen non meretur, tum quia non est rerum cœlestium & diuinarum. 3. ab opinione, dubitatione & suspicione, quia non conuincunt intellectum, sicut fides diuina.

2. Cor. 10. 5.
G. hom. 26 in Euang.
A tract. 4. in Io. & hom. 32 ex 50

CAPVT II.

De præcipuis Fidei proprietatibus.

PRIMA proprietas est, quod sit simplex, id est, non nitatur ratione vel demonstratione, sed auctoritate tantum. Primò, quia Apostolus dicit eā *in captiuitatē redigi omnem intellectum* 2. quia S. Patres ita docent. Clemens Alexandr in Pædagogo, ait, *eam absq; literis disci.* S. Hilarius in libris de Trinit. *Habet*, inquit, *non tam veniam, quàm præmium ignorare quod credas.* S. August. contra epistol. Fundamenti. *Turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Et de vtilitate credendi. *Quod intelligimus, aliquid rationi debemus: quod autem credimus, auctoritati.* S. Gregorius in Euangelia. *Sciendum nobis est, quod diuina operatio, si ratione comprehenditur non est admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Causa huius proprietatis est manifesta, quia cum sine fide nemo saluari possit, multi rustici & alii homines stupidi, qui nihil de S. Trinitatis, Incarnationis aliisq; mysteriis capere queunt salute excluderentur. Vnde S. Greg. Nazianz. in hæc verba scribere ausus est in lib. de moderanda disputatione *Nihil fide nostra fratres iniquius fingi posset si in eruditis tantum dicendiq; facultate, ac logicis demonstrationibus excellentes caderet.*

2. Cor. 10. 5.
C. lib. 3. c. 11.
H. lib. 8.
A. c. 4.
Id. c. 11.
G. hom. 26.

nem remoueat. nec mirum, quia Dei autoritate nititur, qua nihil certius. Vnde S. PETRVS in altera epistola. *Et habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* S. Basilius sermone de vera ac pia fide. *Est igitur fides, eorum quæ dicta sunt assentiens approbatio sine vlla hæsitatione.* S. Ambros. in 1. Hexæmer. c. 6. *Fidei simplicitas omnibus argumentis antecellit.* S. Chrysostom. sermone de fide, spe & charitate. *Fides est innocens ac pura credulitas. Hæc excludit dubia, tenet certa, promissa consignat. Hanc qui tenet felix est, qui deseruerit, miser.* S. Leo serm. de Natiuitate. *Huic vnitati fidei inconcussis mentibus in hærete.* S. Bernard. epist. ad Innocentium Papam. *Absit vt putemus in fide vel spe nostra aliquid dubia æstimatione pendulum, & non magis totum, quod in ea est certa ac solida veritate subnixum, oraculis & miraculis diuinitus persuasum. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis.*

2. Pet. 1. 19.
L serm. 4.
B. ep. 190.
Psal 92. 5.

III. quod vna sit omnium temporum, iuxta illud Apostoli. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Et, *Habentes autem eundem spiritum fidei* (nempe cum Patribus veteribus testamenti) *sicut scriptum est. Credidi propter quod locutus sum & nos credimus.* In quæ verba scribens Chrysost. *Cur*, ait, *dixit, eundem? magnam cognationem noui testamenti & veteris vult ostendere, ideo prophetæ etiam verba subiungit Sicut scriptum est. Credidi, propter quod locutus sum Hoc autem iam dudum, & ante multas ætates Dauid dixerat, quod nunc Paulus adduxit, indicans quod eadem spiritus gratia & tunc in illo, & nunc in nobis fidei vim radicauit, Idem, inquit, est fidei spiritus, qui in illo locutus est, & in nobis operatus.* Et Augustin. lib. 18. de Ciuitate Dei. *Vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus in carne venturus sic antiquis sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, vt vna eademq; fides per ipsum omnes in Dei ciuitatem prædestinatos perducat ad Deum.* Et Leo magnus de natali Domini. *Magnum præsidium est fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab vllo quicquam, nec minui potest; quia nisi vna est, fides non est, dicente Apostolo Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium qui super omnes.* Et S. Greg. in Ezech. *Quia omnes electi, siue qui in Iudæa esse potuerunt siue qui nunc in Ecclesia existunt in mediatorem Dei & hominum crediderunt, & credunt, qui præeunt,* (Christo intrante Hierosolymam cum asello,) *& qui sequuntur, Osanna clamant. Osanna autem latina lingua, salua nos, dicitur. Ab ipso enim salutem & priores quæsierunt, & præsentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini confitentur, quoniam vna spes, vna fides est præcedentiū atq; sequentium populorum.*

Eph. 4. 4.
2. Cor. 4. 13.
Psal. 115. 1.
Chr. hom. 2.
A c 47.
L. ser. 4.
Eph. 4. 4.
G. hom. 17.
Matt. 21.
Marc. 11.
Luc. 19.

IV. quod sit immutabilis & incorrupta, nec mirum, quia nititur tātum verbo Dei, qui est immutabilis. *Ego Deus & non mutor.* Vnde Tert. lib. de Velandis Virginibus. *Regula quidem fidei vna omnino est, sola immobilis.*

Mal. 3. 6.
T. initio.

bilis, & irreformabilis, credendi scilicet in vnicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium eius Iesum Christum, &c. Hac lege fidei manente cetera iam disciplinæ & conuersationis admittunt nouitatem correctionis. S. Hieronym. ad Damasum agens de fide Ecclesiæ Romanæ. *Profligato,* inquit, *à sobole mala patrimonio apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hæreditas. Ibi cespite terra fœcundo Domini seminis puritatem centeno fructu refert* Quo sensu ante illum & S. Cypr. epist. ad Cornelium Papam, scripsit, *eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata, ad quos perfidia habere nō possit accessum.* Aug. epist. ad Casulan. *Sit ergo,* inquit cum Tert. *vna fides vniuersæ quæ vbiq. dilatatur Ecclesiæ, tanquā intus in mēbris, etiam ipsa fidei vnitas quibusdam diuersis obseruationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum est impeditur. Omnis enim pulcritudo filiæ regis intrinsecus: illæ autem obseruationes, quæ variæ celebrantur, in eius veste intelliguntur. vnde ibi dicitur. In fimbriis aureis circumamicta veritate.* Agatho Papa cum Romana Synodo in actione sextæ Synodi generalis sic loquitur. *Execratur vera confessio pietatis iuxta diuersitates temporum variari fidem, sicut nec ipse varietatem variari admittit, de quo est ipsa vera confessio, qui dicit. Ego sum, & non sum mutatus.*

H.ep 57. C.lib 1.ep 3. A.ep.86. Psal.44.14. A.Act.4. Mal.3.6.

V. Fides, caritate aliisq; virtutibus destituta, qualis est in Catholicis peccatoribus, potest esse vera, & dicitur à Theologis informis. Nā S. Ioannes c. 12. sui Euangelii docet in Principibus quibusdam Iudęorum fuisse fidem sine charitate. *Multi,* inquit, *ex Principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur: dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.* Ita enim intellexit S. August. tract. 45. in Ioan. Et Apostolus in priore ad Corinth. ait, *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferā, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Deinde S. Iacobus sic loquitur. *Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare illum?* Ita Hieronymus exposuit in epistolam ad Galat. & Chrysost. hom 2. in Genesin. cuius quoq; clarissima est sententia in psal. 13. dum exponit verba illa. *Non est qui faciat bonum, non est vsq. ad vnum. Ab vltimo paupere vsq. ad eum qui rerum potitur, vniuersus mundus ægrotat. Sed illi quidem nec fidem, nec rectam habent vitā: illi verò veram habent fidem, sed vitam rectam non habent. Deum confitentur scire, factis autem negant De Deo splendide loquuntur, & veluti tuba canunt, in bene autem faciendo dormitant.* Et S. August. lib 15. de Trinitate. *Fides,* inquit, *sine charitate potest quidem esse, sed non & prodesse.* Et S. Gregorius in Euangelia. *Quid,* inquit, *fratres charissimi, exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem baptisma vel fidem dicimus, quis sine baptismate & fide has nuptias intrauit? Eo enim ipso foris est, quo necdum credi-*

Ioan.12.42. 1.Cor.13.2. Iac.2.14. H.in c.5. A.c.18. G.hom.38. Matt.22.12.

dit: Quid ergo debemus intelligere nuptialem vestem, nisi charitatem. Intrat enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in sancta Ecclesia assistens fidem habet, sed charitatem non habet.

Caput III.

De dignitate & præstantia fidei Catholicæ.

AD dignitatem fidei Catholicæ pertinet quod à spiritu sancto sæpissimè inter dona Dei numeretur, quod S. Augustinus contra Pelagianos libro de prædestinatione sanctorum primo fere toto, & libro secundo de bono perseuerantiæ per multa capita ex scripturis probat. B. Prosper item contra Collatorem cap 36. & 37. & libro primo de vocatione gentium cap. 23 & 24. Testimonia scripturæ clarissima sunt. *Gratia estis saluati per fidē*, ait Apostolus ad Ephesios *& hoc non ex vobis, donum enim Dei est.* Et ad Philippenses *Vobis donatum est, non solum vt in illum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Et ad Corinthios. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. Si non sumus idonei cogitare*, inquit Augustinus libro de prædestinatione citato, *profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobis, sed sufficientia nostra qua credere incipimus, ex Deo est.* Neque dici potest, quod Pelagiani contendebant saltem initium aliquod fidei esse ex nobis, nostroque arbitrio, quia tunc initium vitæ vel salutis esset ex nobis, quod est contra Apostolum dicentem. *Quid habes quod non accepisti?* imo contra Christum aientem. *Sine me nihil potestis facere.* Quare Concilii Arausicani Patres iam olim hunc canonem condiderunt. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei non per gratiæ donum nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur.*

Eph. 2. 8.
Phil. 1. 29.
2. Cor. 3. 5.
A. c. 2.
1. Cor. 7. 3.
Ioan. 15. 5.
Conc. 5 5.

DEINDE beneficio fidei patriarcha Abraham ad tantam dignitatem à Deo prouectus est, vt *in eius semine omnes gentes benedicerentur* vt est in Genesi, & in epistola S. Pauli ad Romanos; cuius & nos sumus facti participes teste eodem ad Galatas. *Igitur*, inquiens, *qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.*

Gen. 15. 6.
Rom. 4. 18.
Galat. 3. 9.

AD hæc per donum fidei omnes ex Deo nascimur, efficimurq; filii Dei *Dedit eis potestatem*, inquit B. Ioannes *filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* Et. *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Reddimur per eandem hæredes vitæ æternæ, vt idem testatur Ioannes non semel, *Amen amen dico vobis*, inquit Christus, *quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam.*

Ioan. 1. 12.
1 Ioan. 5. 1.
Ioan. 5. 14.

Et. *Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt filium, & cre-* Ioan.6.40.
dit in eum, habeat vitam æternam Et *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te so-*
lum verum Deum, & quem misisti Iesum Christũ. Deniq; fidei licet exiguæ Ioan.17.3.
tribuitur vis efficiendi miracula. Matt. 21. Marc. 11 Luc. 17. Heb. 11.

S. Patrum quoq; magna pro fide exstant encomia. Clem. Alexandr. C. l. 1. c. 6.
in Pædagogo appellat *Doctrinæ perfectionem, cui nihil desit.* Basilius *sa-* B. in psal. 115.
crorum quæ de Deo sunt eloquiorum Ducem. Ambrosius de Virginibus *O* A. lib. 3.
thesauris omnibus, inquit, *opulentior fides. O virtutibus corporis omnibus fides fortior, ô medicis omnibus salutarior.* Et in psalmum 40. *Fides virtutum omnium stabile fundamentũ est* Et serm. des Nazario & Celso. *Mater Mar-* A. ser. 92.
tyrij fides catholica est, in qua iste illustris athleta sanguine fuso mortem pro ipsa calcauit; mater, inquam, martyrij fides est. Chrysost. in sermone de fide, spe & charitate. *Fides est origo iustitiæ, sanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum. Nullus vnquam sine hac Dominum promeruit, nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit.* Eusebius Emisenus de Symbolo. E. hom. 2.
Fides religionis catholicæ lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. Hanc nobis velut magnam lampadem Christus aduéniens errantibus viam monstraturus exhibuit, per quã possit Deus ignotus requiri, quæsitus creditus inueniri. Hieron. in Iouinianum, ait fidem esse *propriam Christiano-* H. lib. 1.
rum. Et lib. 6. in Hieremiam sub finem, *populi Christiani religionem esse*
fidem. Augustinus de verbis Apostoli. A. serm. 38.
1. Cor. 4. 7

Non enim fides nihil est, sed magnũ aliquid, quam si habes, profecto accepisti. Quid enim habes quod non accepisti? Videte charissimi, vnde Domino Deo gratias agatis, ne in aliquo dono eius ingrati maneatis. Laus fidei à me explicari nullatenus potest, sed à fidelibus cogitari potest. Porrò si ex aliqua parte, ut di-
gnum est, cogitetur, quã multis donis Dei ipsius præferatur? Et alibi *Nullæ sunt* Id serm. 1.
maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi huius maior substantia, quam est fides catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, &c. S. Bernardus sermone 76 in Cantica. *Fides attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima, ipsam deniq; æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit Fidenter dixerim, æternam beatamque Trinitatem, quam non intelligo, credo, & fide teneo, quod sana capio mente.*

CAPVT

Caput VI.

De necessitate fidei Christianæ.

Necessitatem fidei Christianæ probat imprimis dictum Christi apud B. Marcum. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:*
Marc. 16.16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et dictum Apostoli in epistola
Heb. 11.6. ad Hebræos. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Quare & subiicit ibidem, quotquot ex veteri testamento Patres vel prophetæ Deo placuerunt, aut saluati sunt, beneficio fidei placuisse. Nec alius est scopus eiusdem Apostoli in epistola ad Romanos, Galatas & Ephesios, quam probare fidem imprimis omnibus hominibus necessariam esse ad iustificationem & salutem. Nec aliud docuerunt S. Patres:
Cl. 2 strom. Nam Clemens Alexandrinus id probat ex propheta Abacuc & Isa-
Abac 2.4. ia. *An non*, inquit, *Heraclitus quoq; tibi videtur eos, qui non credunt vitupe-*
Isa. 7.9. *rare? Iustus autem mens ex fide viuet, dixit propheta Dicit autem alius quoq; propheta. Nisi credideritis, non intelligetis. Quomodo enim admirabilem, & supernaturalem eorum contemplationem capere potuerit anima, si intus in eis discendis depugnet incredulitas?* Et infra. *Fides æquè est necessaria, ac ei qui in hoc mundo viuit ad viuendum respiratio.* Lactant. in epit. diuinarum institutionum. *Fides quoq; magna iustitiæ pars, quæ maximè à nobis, qui nomen fidei gerimus conseruanda est præcipuè in religionem, quia Deus prior est & potentior quam homo. Itaq; cum inciderit huiusmodi necessitas, vt discedere à Deo, atq; ad ritus gentium transire cogamur, nullus nos metus, nullus nos terror inflectat, quo minus traditam nobis fidem custodiamus.*

B. c. 11. S. Basilius de Spiritu sancto. *Fides ac baptisma, duo sunt modi parandæ salutis inter se cognati & inseparabiles: nam fides perficitur per baptismum, baptismus verò fundamento fidei nititur, & vtraq; res per has voces impletur. Sicut enim credimus in patrem, & filium & Spiritum sanctum sic & baptizamus in nomine patris & filii & Spiritus sancti.*

Ruffinus in expositione Symboli Apostolorum *Primo in loco fons & origo omnium bonorum ponitur, cum dicitur. CREDO in Deum patrem omni-*
Heb 11.6. *potentem, sicut & Paulus Apostolus ad Hebræos scribens dicit. Credere enim primo omnium accedentem oportet ad Dominum, quia est, & credentibus in se re-*
Isa. 7 9. *munerator sit, sed & propheta dicit. Nisi credideritis, non intelligetis.*

A. serm 38. S. Augustinus in sermonibus de Tempore. *Fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire, quia sine ipsa*

ipsa nec in hoc seculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, neq; in futuro vitam possidebit æternam. S. Leo de natiuitate Christi. *Sine fide impossibile est placere Deo, & nihil sine illa sanctum, nihil castum, nihil viuum.* L. ser. 4.

CVR autem medio fidei, & non alterius cognitionis vel demonstrationis voluerit nos Deus pertrahere ad felicitatem æternam, inde probat Chrystomus in commentario epistolæ ad Colossenses, quod multa de Deo & creaturis non solum supernaturalia in diuinis Scripturis patefacta, sed etiam naturalia nequeant in hac vita ratione comprehendi. Et in epistolam primam ad Timotheum addit, & Gentiles sine ratione credidisse Deorum nepotes, Seductorem quoque & Magnum Pytagoram templis inscribi iussisse silentium. Denique nullas artes sine fide esse posse & discere cupientem credere debere, non quæstiones ponere. Eodem collimant quæ Ruffinus loco citato annotauit. *Vt,* inquit, *intelligentia tibi aditus patescat rectè primo omnium te credere profiteris (in Symbolo) quia nec nauem quis ingreditur, & liquido ac profundo vitam committit elemento, nisi prius se credat posse saluari. Nec agricola semina sulcis obruit, & pro frugibus spargit in terram, nisi crediderit venturos imbres affuturum quoq; solis teporem, quibus terra confota segetem multiplicata fruge ac ventis spirantibus nutriat. Nihil deniq; est quod in vita geri possit si non credulitas ante præcesserit. Denique ideò & matrimonia contrahuntur, quia creditur sucessura posteritas, & pueri discendis artibus traduntur, quia magistrorum in discipulos transfundenda creditur disciplina. Imperii quoque insignia vnus suscipit, dum credit sibi vrbes & populos, armatum etiam exercitum parituros. Quod si hæc singula nisi prius crediderit futura nullus aggreditur, quo modo non multo magis ad agnitionem Dei credendo veniatur?* Ch. hom. 5. Id hom. 1.

CAPVT V.

De Fidei Christianæ effectis.

PRIMVS effectus Fidei est iustificatio vel iustitia, & si quidem sit fides viua & perfecta per charitatem, erit perfecta iustitia: sin minus, erit saltem imperfecta inchoataq; iustitia. Clare enim Apostolus vbique ostendit fidem esse causam iustificationis. *Arbitramur,* inquit ad Romanos, *hominem iustificari per fidem.* Et ad Ephesios. *Salui facti estis per fidem.* Et ad Hebræos. *Sancti per fidem vicerunt regna operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* Vnde S. Patres. S. Ignatius epistola ad Philippenses. *Principium,* inquit, *vitæ est fides finis verò eius dilectio. Ambæ autem simul iunctæ hominem Dei perficiunt.* Clemens Alexandrinus libro 2. Stromatum, citans Pastorem. *Præcedit,* ait, *fides, timor autem ædificat,* Rom. 3. 28. Eph. 2. 8. Hebr. 11. 6. 33.

A.ferm.20. *perficit autem dilectio.* S. AMBROSIVS in psalmum 118. tractans illud, Au.ser.16. *Principium sermonum tuorum veritas Fides,* inquit, *principium Christiani est, plenitudo autem Christiani iustitia* & S. Augustin. de verbis Apostoli. Id. ferm.22. *A fide incipit homo, sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem & charitatem. Et iterum. Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*

II. EFFECTVS est, impetratio remissionis peccatorum. Nam apud B. Lucam Dominus mulieri cui dixerat: *remittuntur tibi peccata tua,* dixit quoq; *Fides tua te saluam fecit,* nempe à peccatis. Et Apostolus in epistola ad Hebræos per multa exempla docet homines per fidem placuisse Deo, non potuerũt autem placere nisi remissis peccatis. S. Petr. quoq; in Actis Apost. *Fide* inquit, *purificãs corda eorum.* Deinde S. Augustinus constanter docet fidem non solum impetrare, sed etiam mereri (intellige saltem de congruo) remissionem peccatorum & iustificationem. Nam in epistola ad Sixtum. *Nec ipsa,* inquit, *remissio peccatorum sine aliquo merito est si fides hanc impetrat. Neq. n. nullũ est, meritum fidei qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus merito fidei humiliatus, quoniam qui se humiliat exaltabitur.* Et libro de spiritu & littera. *Quod factorum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat.* Et libro de prædestinatione Sanctorum. *Ex fide ideò dicit Apostolus iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa datur, ex qua impetrentur cetera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iustè viuimus.* Quod autem non solum fides vt hæretici nugantur, sit causa horum duorum effectuum, nempe remissionis peccatorum & iustificationis, sed etiam opera bona docebimus in titulo de Operibus bonis.

Luc.7.47. Heb.11.4.ex se. Act.15.9. A.ep.105. Luc.18.14. Id.c.13. Id.c.7.

III. Effectus, sunt virtutes omnes bonaq; opera, vt liquet ex exemplis ab Apostolo in epistola ad Hebræos commemoratis. Ait enim fide Abel hostiam Deo obtulisse, Noe arcam aptasse, Abraham obediuisse, & vnigenitum filium Isaac immolare voluisse, Moysen magis elegisse affligi cũ populo Dei quàm temporalis peccati habere iucũditaté. Fide Rahab meretricem exploratores excepisse, Gedeonẽ Barac, Samsonem, Iephte, Samuelem & prophetas, per fidé vicisse regna, operatos iustitiam &c. Quæ omnia sunt opera magnarũ virtutũ. Vnde S. August. libro de spiritu & littera. *Vnde est dilectio, id est, charitas per quam fides operatur, nisi vnde illam fides ipsa impetrauit?* Et præfatione in psalmum 31. *Magnum opus, sed ex fide. Laudo super ædificationem operis, sed video fundamentum fidei, laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem.* Et epistola 106. ad Paulinum. *Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mercatur, negare non possumus, imò gratissime confitemur.* Et libro primo contra aduersariũ legis & prophetarum. *In nouo testamento*

Heb.11.& seq. A.c.32. Id.c.17.

fides impetrat charitatē. Deniq; li. de gratia & libero arbitrio. *Fides & non petita conceditur, vt ei petentia alia concedantur.*

IV. Effectus est recta intelligentia, & cognitio doctrinæ veræ, iuxta illud Isaiæ. *Nisi credideritis non intelligetis.* Vnde Clemens Alexandrin. *Qui ex fide conuiuari instituerit, is ad diuinorum verborum susceptionem firmus est ac stabilis, vt qui iudicium, quod bona nititur ratione nempe fidem habeat. Eum autem hinc ex redundanti copia sequitur persuasio Hoc itaq; erit illud propheticum. Nisi credideritis non intelligetis.* Et Tertullianus libro 4. contra Marcionem agens de hæmorrhoissa per fidem à fluxu sanguinis apud Matthæum seruata: *Hæc,* inquit, *erat fides, quæ contulerat etiam intellectum. Nisi credideritis, inquit, non intelligetis.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 5. *Oculus omnem illuminans conscientiam est fides, & intelligentiam efficiens: dicit enim propheta. Nisi credideritis, non intelligetis.* Augustinus in sententiis à B. Prospero excerptis. *Intellectui fides viam aperit, infidelitas* claudit. Vnde S. Ioan Chrysostom. ad finem homiliæ 23. in Acta Apostolorum, docet opera vnius fidei plurimas difficillimasq; in Scripturis solui quæstiones. *Abyssus quæstionum,* inquit, *Scriptura est. Quas si soluerimus non omninò soluimus, sed iuxta humanam rationem. Propria earum solutio fides est, scire quod omnia iustè & misericorditer Deus ac vtiliter facit, quia possibile non est vt ratio illa capiat. Vna hæc solutio est, & hac non est alia melior. Et si hoc tibi ipsi persuaseris, quod prouidentia Dei omnia dispensentur, alia quidem permittente ob causam sibi cognitam, alia verò operante, liberaberis à quæstionibus, & solutionis lucrum acceperis.*

Isa.7.9. iuxta 70.

Cl.2.strom.

Matt.9.22.

Sen.128.

Et S. Ambros. sermone 12. de mirabilibus, docet vbi fides sana est, ibi etiam veram tradi doctrinam. *Vbi,* inquiens *fides integra est, ibi Saluator docet, vigilat & exultat: ibi requies, ibi tranquillitas, ibi cunctorum est medicina.* Contra verò Tertullian. in libro de Trinitate, & Augustinus de agone Christiano tradunt eos, qui vel negligentes sunt in fide Catholica, vel legitimam fidem deseruerunt, facile prolabi in periculosos errores.

A c.28.

V. Effectus est, incredibilis fortitudo & constantia in atrocissimis etiam suppliciis pro ea tolerandis, quem declarauit Apostolus cū ita scripsit ad Rom. *Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia neq; futura, neq; fortitudo neq; altitudo, neq; profundū, neq; creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro Vnde.n. certus erat nisi ex fidei firmitate?* inq̃t S. Hier. in caput primum epistolæ ad Galat. Innumera huius rei exempla proferri ex historia Ecclesiastica possent. Tertulli. ad Scapulam. *Arrius,* inquit, *Antoninus, cum persequeretur instāter in Asia fideles, omnes illius ciuitatis Christiani ante tribunalia se manu facta obtulerūt.* Et Nicep. in Eccli. histo-

Rom.8.38.

N.lib.7.c 6.

historia. *Diocletiani tempore cum natalis dies Christi festus adesset, viginti millia Christianorum in templo à tyranno conclusa, igni conflagrare maluerunt, quam tantillum à Christianæ fidei stabilitate deflectere.* Hac fortitudine animi Philosophi eloquentissimiq; Oratores, potius quam rationibus conuicti, manus Christo dederunt.

L. lib. 5. c. 13. Vnde Lactantius in hæc verba scribit. *Cum ab ortu Solis vsq; ad occasum lex diuina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas, & gens & regio vnitis ac paribus animis Deo seruiant, eadem sit vbiq; patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerant aliquid in ea esse rationis, quod non sine causa vsque ad mortem defendebatur: aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantum iniuriis ac vexatione non soluat, sed augeat semper & faciat firmiorem,*

VI. Effectus est, immunitas à vitio Curiositatis. Cum enim omnium rerum fide comprehensarum auctor sit ipse Deus, hoc est, ipsa veritas, non est quod aliam rationem vel demonstrationem rei credendæ indagemus. Priscæ Philosophiæ gentilitiæ auditoribus sufficiebat Magistri auctoritas, nempe Pythagoræ, rationisq; vicem subibat illud ἀυτὸς ἔφα, quãto magis diuini numinis, de quo hanc sententiam tulit Apostolus. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, &*

1. Cor. 1. 25. *quod infirmum est Dei fortius est hominibus.* Qua de causa ita scripsit in libro de Præscriptionibus Tertullianus. *Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium. Cum credimus, nihil desideramus vltra credere: hoc enim prius credimus, non esse quod vltra credere debeamus.* Et paulo post. *Cedat curiositas fidei, cedat gloria (humanæ scilicet sapientiæ ac rationis) saluti.*

Et S. BASILIVS in psalmum 115. *In vniuersum, si fides substantia est earum, quæ sperantur, rerum, & eorum quæ non videntur argumentum, ne mihi tu curiosius anxiusq; contendas videre quæ longiore seposita sunt interuallo, neu quæ speras te olim consecuturum in ambiguam reuoces dubiamué partem, quod ad ea nondum potueris certa notione pertingere.*

***

CAPVT

CAPVT IV.

De Medijs ad veram Catholicamq́; fidem conseruandam, roborandamq́; idoneis.

PRIMVM medium est, Post diuinas Scripturas firmiter adhærescere Traditioni, successioniq; summorum Pontificum Romanæ Ecclesiæ inde à D. Petro, & definitioni Catholicæ Ecclesiæ. Hoc enim tradunt omnes veteres S. Patres, vt B. Vincentius Lirinensis in libello aureo contra profanas nouitates. *Sæpe*, inquit, *magno studio & summa attentione perquirens à plurimis sanctitate & doctrina præstantibus viris quoniã modo possim certa quadam, & quasi generali ac regulari via Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli, quod siue ego, siue quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosq́; vitare, & in fide sana sanus atq; integer permanere duplici modo munire fidem suam Domino adiuuante deberet. Primo scilicet diuinæ legis auctoritate, tũ deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione. Hic forsitan requirat aliquis, cum sit perfectus Scripturarum canon, sibiq; ad omnia satis superq; sufficiat, quid opus est, vt ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro sua altitudine non vno eodemq; sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atq; aliter, alius atq; alius interpretatur, vt pœnè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur.* Ireneus libro 4. aduersus hæreses. Paulus ait. *Posuit Deus primò in Ecclesia Apostolos, secundò prophetas, tertio Doctores. Vbi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatẽ apud quos est ea quæ est ab Apostolis, Ecclesiæq; successio, & id quod est sanum & irreprobabile sermonis constat.* Et iterum *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo & charactere corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoq; loco est Ecclesiam tradiderunt quæ peruenit vsque ad nos sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima &c.* Hieronymus contra Luciferianos. *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur auctoritatem sibi scriptæ legis vsupauerunt.* AVGTSTINVS contra epistolam Manichæi. *Ego verò Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.*

Ir. c. 45. Eph. 4. 11. Id. c. 63. A. c. 5.

II. Medium est Constantia in vita sancta, bonorumq; operum ex-

ercitatione. Nam Apostolus disertè docet se si etiam perfectissimam
1.Cor.13.2. efficacissimamq; fidem habeat, si caritate destituta sit, nihil fore *Si habuero*, inquiens, *omnem fidem ita vt montes transferam charitatem autem non habuero, nihil sum* Et S. Iacobus *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Vnde Augustinus libro 15. de Tri-
A.c.18. nitate. *Fides sine caritate potest quidem esse, sed non & prodesse.* Imo scriptu-
1.Ioan.2.4. ra ita loquitur ac si cum prauis moribus etiam perdatur fides. *Qui di-*
Gr.hom.29. *cit se nosse Deum & mandata eius non seruat, hic mendax est*, ait B. Ioannes. Et S. Gregorius in Euangelia. *Vera fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Pau-*
Tit.1.16. *lus dicit. Qui confitētur se nosse Deū, factis autē negant. Hinc Ioannes ait. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit mendax est Quod cum ita sit fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus operibus complemus.* Quamuis enim per praua opera non amittatur fides vera, vt supra ex ipso S. Gregorio probauimus, tamen valde obscuratur cum facto cōtrarium videamur declarare. Vnde cum Scriptura S Patres declarant ex peruersa vita proximum lapsum esse in errores & hæreses, quibus prorsus perit vera fides. Apostolus enim dum hortatur Timotheum
1.Tim.1.19. suum ad seruandam fidem, bonamq; conscientiam, addit, *quam*, nempe conscientiā, *quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, inter quos*
Ch.hom.5. *est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ.* In quæ verba ita Chrysostomus. *Et merito sane naufragarunt. Nam vbi vita reprehensibilis fuerit, dogma item huiusmodi sit necessarium est: ac videas plurimos in profundum malorum corruisse atq; ad gentilem ritum fuisse conuersos.* Eodem modo per bonam conscientiam Theodoretus & Ambrosius hoc loco exponunt *vitam laudabilem, cum temperantia & iustitia coniunctam.*

III. MEDIVM Crebra exercitatio in actionibus fidei tam externis quam internis. Innumerę enim occasiones in dies se offerunt eam exercendi. Si enim mane tibi surgendū est, consignas te sacro signo crucis, quod est Christianæ fidei Symbolum. Si orandum, per fidem Deum, quem credis tibi propitium fore & clementem supplex imploras. Si obediendum Superiori, in eo Deum contemplaris secundum illud
Luc.10.16. dictum. *Qui vos audit, me audit.* Si eleemosyna danda sit pauperi, das
Matt.25.40. libenter illi tanquam Christo, quia credis verbis illis Christi. *Quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis.* Et illis. *Hospes eram, & collegistis me.*

Vnde S. Patres libere sic loquuntur. Ad mensas vestras Christum inuitate. Peregrino Christo hospitium præbete. nec mirum, quia Christus, teste Seuero Sulpitio, S. Martino per visum noctu oblatus

dixit. *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* Si baptismi vel Pœnitentiæ sacramenta vsurpare velis, sine fidei beneficio, qua confidis Deum tibi omnia scelera condonaturum, non exequeris. Sulp. in vita. Crebro quoq; occasio se offert fidei profitendæ ex formula Concilii Tridentini, vt cum vel beneficia Ecclesiastica vel Ordines, vel Gradus Academici sunt suscipiendi, quod eo libentius quisque, interno quoq; actu fidei adiuncto facere debet, quo certius nouit se præstantissimum, Deoq; gratissimum religionis actum exercere.

Hortatur S. AMBROSIVS alicubi, vt quotidie Symbolum Apostolicum, quod certe est Symbolum fidei & quidem primarium, antelucanis horis recitemus. A lib. 3. de Virg. Augustinus vero libro primo de Symbolo ad Catechumenos monet vt eodem etiam ante somnum nos muniamus. A. c. 1. *Quando enim,* inquit Ambrosius, *sine militiæ sacramento miles in tentorio, bellator est in prælio?* Quotidianæ certè nos pulsant tentationes mundi, carnis & Satanæ, ac aliquando audent arcem fidei inuadere, quomodo autem illæ repellentur nisi ignito fidei iaculo, nisi vehementi aliquo fidei in Deum ac Christum Dominum actu? Beatus enim, inquit insignis Christi miles Dauid, *qui tenuerit ac alliserit paruulos suos ad petram.* Psal. 136. 9. Plura de hoc medio reperies apud nostrum P. Rosignolium de Actionibus virtutum lib. 1 c. 15.

IV. MEDIVM est Timor Domini. *Principium enim sapientiæ*, ait Salomon *timor Domini* Et Ecclesiasticus. Prou. 1. 7. *Qui timetis Dominum, credite illi.* Et. *Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo illius.* Eccl. 2. 8. & 18. Et. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua.* Ib. 27. 4. Hoc medium præscripsit Christus Apostolis, ne sæuiente persecutione desererent fidem. *Nolite,* inquiens, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Matt. 10. 28.

Et S. Gregorius in moralibus. *Terræ,* ait, *fundamentum fides est.* G. lib. 28. c. 10. *Huius terræ fundamentum iacitur, quando in occultis cordis prima sodalitatis causa diuinus timor inspiratur. Iste necdum credit æterna quæ audit. huic cum fides datur, ad ædificium subsequentis operis iam fundamentum ponitur. Ille æterna iam credit, nec tamen metuit: venturi iudicii terrorem despicit, peccatis se carnis & spiritus audenter inuoluit. Huic repente cum futurorum timor infunditur, vt bonæ vitæ surgat ædificium, iam fundamenta construuntur. Posito itaque prosperæ formidinis fundamento, cum virtutum fabrica in altum ducitur, necesse est vt vnusquisq; proficiens vires suas cautè metiatur, vt cum diuina constructione magnus esse iam cœperit, semetipsum respiciat sine cessatione quod fuit, quatenus attendens humiliter quod per meritum inuentus*

est, ne-

est, nequaquam sibi arroget, quod per gratiam factus est. Et Tertullianus de præscriptionibus aduersus hæreticos. *Doctrina*, inquit, *index disciplinæ. Negant Deum timendum. Itaq; libera sunt illis omnia & soluta. Vbi autem Deus non timetur, nisi vbi non est? Vbi Deus non est, nec veritas vlla est. Vbi veritas nulla est, merito & talis disciplina est. At vbi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium Sapientiæ. Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta & diligentia attonita, & cura solicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio moderata, & Ecclesia vnita, & Dei omnia.*

CAPVT VII.

De signis & indicijs veræ fidei.

INTER veræ fidei indicia primum merito locum obtinet, vita pia hominis fidelis, Deiq; & Christianæ fidei legibus consentanea. Hoc enim tradidit apud Matthæum Christus, cum discipulos docuit, quo indicio cognoscere debeant falsos prophetas, id est doctores qui adulterinam fidem tradunt. *Attendite*, inquid, *à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor bona malos fructus facere, neq; arbor mala bonos fructus facere.* Quem locum rectè interpretatur de fide, Tertullianus contra Marcionem, cum agatur de falsis prophetis. Itaq; arborem bonam vel malam appellat Christus hominem bonam aut malam fidem habentem. Si dicas aliquando bona fide præditos malos fructus facere, id est, malè viuere: respondeo, non dicere Christum, quid aliquando, sed quid plærumque: neque quid hominum peruersitate, sed quid naturâ fidei soleat accidere. Fides autem natura sua neque bonos gignit fructus, si mala sit, neque malos, si bona sit. Neque enim, vt bene in commentario suo animaduertit noster Maldonatus, fuit Christi institutum, hoc loco certum, sed admodum probabile indicium suggerere docereq; non posse pseudoprophetas vel hæreticos, qui simulatione sanctitatis falsam doctrinã probant, diu se ita ouina pelle tegere, quin tandẽ, qui sub ea lateat lupus, appareat. vti apparuit in hæreticis nostri sæculi, qui quos sua fide noua vel Euangelio præclaros scilicet, fructus ediderint, prolixè prosequitur, Apologia prior Friderici Saphyli. Lindani Episcopi Dubitantius, Thomas Stapletonus libro de principiis fidei, & breuissimè in Promptuario morali Dominicæ 7. post pentecosten puncto 2. Hoc indi-

Matt. 7. 15.

Tertul. lib. 1.

Mal. in c. 7. Matth.

indicium iam olim exegit Apostolus Iacobus à fidelibus fidei suæ veritatem obtendentibus. *Quid proderit*, inquit, *fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem nō habeat? nunquid poterit fides saluare eum? si autē frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis. Ite in pace calefacimini & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sed dicet quis. Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Hoc indicium contra Manichæos pro defensione fidei Catholicæ dedit suo æuo S. Augustinus libro de vtilitate credendi his verbis. *Parumnè consultum rebus humanis arbitraris, quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil deniq; quod corporis sensus attingit pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non paucis doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus marium feminarumque in tam multis diuersisque gentibus, & credit, & prædicat? Quod continentia vsque ad tenuissimum victum panis & aquæ, & non quotidiana, sed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia: quod castitas vsque ad coniugii prolisque contemptum: quod patientia vsque ad cruces flammasque neglectas: quod liberalitas vsque ad patrimonia distributa pauperibus, quod denique totius huius mundi aspernatio vsque ad desiderium mortis intenditur? Pauci hoc faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt, sed populi probant, populi audiunt, populi fauente, diligunt postremo populi. Populi, suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine prouectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant. Hoc factum est diuina prouidentia per prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per sanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuersis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate, miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio partim Conciliorum grauitate partim etiam miraculorū maiestate damnatis culmē auctoritatis obtinuit?* Hucusq; Augustinus.

Iac 2.14.

A.c.17.

II. Indicium est zelus tuendi, propagandiq; fidem Catholicā Romanā. *Vis scire*, inquit S. Hieronymus epistola ad Pammachiū, *quantus sit ardor bene credentium? Audi Apostolū Et si nos, aut angelus de cœlo aliter euangelizauerit nobis, anathema sit.* Vnde prisci Patres sub tempora Constantini Magni, exortis iam Arianis, non passi sunt vel syllabam in articulo fidei, vel verbulo Catholicis vsitato, vt erat homousiō vel Consubstantiale, immutari. Fides siquidem, Auctore Tertulliano in libro de Præscriptionibus, virgo est integerrima, talisq; nobis à Christo tra-

H.ep.61.

Gal.1.8.

dita, quam vt stuprare conantur hæretici, sic Catholicos eam omninò incorruptam caste tueri necesse est. Talem zelum habebat S. Clemens Romanus, qui cum S. Petrum de fide in Christum disserentem audisset. *Deo gratias ago,* inquit, *qui, vt optaui, institutus sum, ac certo scias, Petre, fieri non posse, vt dubitem de his quæ ex te audiui de Christo propheta, etiamsi tu ipse aliter doceres & me in aliam fidem transferre conareris. Hoc enim mihi certum est, eum qui doctrinam hanc de vero propheta acceperit, non posse de hac veritate vltra dubitare. Ad hæc Petrus. Gratias ago Deo & pro salute tua, & pro quiete mea: valde enim delector, quia intellexisse te video, quanta sit Christiana virtutis magnitudo, & in eo, quod ais, me si ego ipse cupiam, quod absit, possim te transuertere in aliam fidem.* Talis erat zelus pro fide S. Elzearii Comitis in Galliis, quem vitæ auctor apud Surium ita loquentem ad vxorem suam, cum qua perpetuam coluerat castitatem, inducit. *Ecce Dalphina, si magister Franciscus Maironis, qui in præcipuis Christiani orbis Theologis numeratur, estq́; in fide benè instructus & firmus, itemq́; frater Ioannes Iuliani Confessarius noster, illuminata fide, & vita sanctitate clarus, venirent ad me, dicerentq́; vno animo fidem nostram falsam esse, nosq́; hactenus in magno errore vixisse, & deceptos esse, Pontificemq́; & Cardinales velle fidem mutare idq́; etiam pariter totus clamaret orbis, equidem non deficerem vlla in parte ab illa fide, quam mihi Deus ostendit, etiamsi ea causa mille mihi mortes oppetendæ forent.* Eodem zelo excelluerunt martyres omnes, qui nullis neq; blanditiis neq; suppliciis adduci potuerunt, vt uel fidem veram negarent, vel etiam simularent se aliquid in ea negasse.

Cl. lib. 1. recognit.

17. Sept c 29.

Fr. Mayronis professor Theolog. Parisiis.

III Indicium superiori affine est, abhorrere vehementer ab omni nota hæreseos, hæreticorum colloquiis & conuersatione, librorum quoq; hæreticorum lectione & tractatione. Quo horrore tenebatur Apostolus cum scripsit. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita sciens quia subuersus est qui eiusmodi est* Et cum Hymenæum & Alexandrum à fide naufragos tradidit Satanæ, ut ipse testatur in epistola ad Timotheum, quo *discerent non blasphemare.* Tenebatur & B. Ioannes Euangelista cum scripsit. *Si quis hanc doctrinam non affert nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* Et cum reperto Cerintho hæretico in balneis teste B. Irenæo, repente exiliit non lotus, timens scilicet balneas corruituras, *cum esset intus inimicus veritatis.* Eodem tenebatur quondam S. Polycarpus auctore eodem, *qui Marcioni* hæretico *aliquando occurrēti, & dicenti sibi, Cognosce nos, respondit. Cognosco te primogenitum Satanæ.* Tenebatur & Magnus S. Antonius, de quo sic Athanasius. *Manichæis aut aliis hæreticis nunquam saltem amicabilia uerba largitus est, denuncians talium amicitiam atq́; sermones perditionem esse animæ. Sic etiam Arianos detestabatur, vt omnibus diceret, ne iuxta quidem eos esse*

Tit. 3. 10.

1. Tim. 1. 20.

2 Ioa. 10.

Iren. l. 3. c. 3.

Ibid.

esse accedendum. Et ipse iam moriturus. Hæreticorum, inquit, & Schismaticorum venena vitate, meumq́; circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis vnquam fuerit. Tenebatur S. Hieronymus omnium hæreticorum sui æui hostis acerrimus. Vnde ita scribit aduersus Pelagianos. *Fateor me nunquam hæreticis pepercisse, & omni egisse studio, vt hostes Ecclesiæ mei quoq; hostes fierent.* Et ad Vigilantium. *Vnde satis miror te voluisse Origenis mihi obijcere dogmata. Ego ne hæreticus? & cur me, quæso, hæretici non amant?* Et ad Pammachium. *Nolo in suspicione hæreseos quenquam esse patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam eius, dissimulatio conscientia iudicetur, si taceat.* Vnde ad Marcum Celedensem ita philosophatur. *Hæreticus vocor, homousion prædicans Trinitatem. Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentes, veras, integras, perfectasq́; personas indefessa voce pronuncians. Si ab Arianis, merito: si ab orthodoxis, qui huiusmodi arguunt fidem, orthodoxi esse desierunt, aut si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est cum Damaso Petroq; condemnent.* Deniq; in Apologia aduersus Ruffinum ostendens quantopere horreret consuetudinem hæreticorum. *Nobis*, inquit, *in monasterio hospitalitas cordi est, omnesq; ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus. Veremur enim ne Maria cum Ioseph locum non inueniat in diuersorio, ne nobis Iesus dicat exclusus. Hospes eram, & non suscepistis me. Solos hæreticos non recipimus.* Hier lib. I. Id. ep. 75. Id. ep. 61. ep. 77.

IV. Indicium est Simplicitas in credendo ea quæ etiam humanam intelligentiam excedunt. Cuius virtutis egregium exemplum præbuit omnium credentium pater Abraham Patriarcha. primo, cum Deo promittenti credidit se centenarium ex vxore nonagenaria Sara pariturum filium, idq; simpliciter. Nam sic loquitur Apostolus de eius fide. *Et non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum cum iam fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunq; promisit potens est & facere.* Secundo, cum iussus est à Deo offerre filium Isaac in holocaustum, credebat enim potius ab eo filium resuscitandum, quàm promissionem de seminis benedictione prius facta irritam futuram. Vnde idem Apostolus. *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones ad quem dictum est. Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* Vnde IO. CHRYSOSTOMVS agens de hac simplicitate Abrahæ in credendo, *Videamus*, inquit, *iusti obedientiam, & quomodo fecit, quod à Domino imperatum est, non quærens causam sicut multi insipientes faciunt, & de his quæ à Deo* Gen. 17. 4. Gen. 15. 5. Rom. 4. 19. Heb. 11. 17. Ch. hom. 40. in Gen.

fiunt curiosè quærunt, & dicunt. Quare hoc, & quare illud? & quæ hinc, & quæ illinc vtilitas enascitur, sed sicut famulus diligens Dominum, quæcunq; præceperit, implere studens. nihil vlterius percontans Postquam enim Dominus promissionem ei fecit, & compleuit sermonem suum, statim iustus quæ imperata fuerunt perfecit.

2. Exemplum præbuit regius propheta Dauid cum ait. *Credidi propter quod locutus sum*, quæ verba repetens apostolus in altera ad Corinthios. *Habentes autem*, ait, *eundem spiritum fidei, sicut scriptum est. Credidi propter quod locutus: & nos credimus propter quod & loquimur*: nempe de re captum ingenii superante, hoc est, de resurrectione Christi & nostra. Ea verò idem Chrysost. exponens. *Necesse est ergo*, inquit, *primũ dicere, quomodo eo vsus est Apostolus, & de quonã sermo esset ab eo institutus. Ita n. cognoscemus sibi velit propheta. Quanquã alioqui hæc est optima docendi ratio, non orationis contextum circumcidere, nec parte accepta, in ea immorari, sed ab alio incipere exordium narrationis De quonam ergo disserens Paulus meminit huius vocis prophticæ! De resurrectione, & futurorum bonorum perceptione quæ omnem rationem, cogitationemq; superant. Quoniam ergo fide ad ea suscipienda opus est, ne conturbaretur Iudæus, & vana se spe fuisse deceptum existimaret, prophetico* dicto *corrigit eius imprudentiam, propemodum dicens. Non rem aliquam nouam requiro, fidem, sed vetus bonum. Atque sic quidem Paulus. Propheta autẽ, cum ipse quoque esset prædicturus bona quædam euentura Iudæis, quæ superabant humanam consequentiam, ne quis possit eis fidem derogare, ita psalmum incepit dicens. Credidi, propter quod & locutus sum.*

Psal. 115. 1.
2. Cor. 4. 13.
Chri. in ps. 115.

3. Exemplum præbuere Magi, apud Matthæum, cum responso accepto in somnis post adoratum Christum ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. De quibus in hæc verba scribit idem Chrysost. *Considera etiam hoc loco admirabilem Magorum fidem, qui in nullum hinc scandalum commouentur, sed ad cuncta obedientes permanent atque flexibiles, nihilque omnino turbantur, neq; ipsi secum disputant, dicentes. Si magnum quiddam esset hic puer, & potentiæ aliquid obtineret, nobis adoratorib. eius quid opus esset, fuga occultusq; discessus Curenim nos qui palam ac liberè venimus, nec tanti populi fragorem, nec tyranni furorem pauentes quasi reos quosdam atq; fugitiuos angelus ciuitate propellit? Verum nihil omnino tale, vel ore proferunt, vel mente concipiunt. Hoc est enim fidei insigne, vt absq; controuersia vlla imperanti obediant, nec tamen mercedem reposcant obsequii.*

Matth. 2. 12.
Ch. hom. 8. in Matt.

4. Exemplum simplicitatis fidei præbuit S. Petrus, qui apud Matthæum in tempestate maris conspecto Christo dixit. *Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait, Veni. & descendens*

Matth. 14. 28.

inquit

inquit, Petrus de nauicula ambulabat super aquas. In quæ verba ita Hieronym. in commentariis. *In omnibus locis,* ait, *ardentissimæ fidei inuenitur Petrus. Interrogatis discipulis, quem homines dicerent Iesum, Dei filium confitetur Volentem ad passionem pergere prohibet, & licet erret in sensu, tamen non errat in affectu, nolens cum mori, quem filium Dei paulo ante fuerat confessus. Post passionem, cum essent in lacu Genezareth & piscarentur, & Dominus staret in littore, aliis paulatim nauigantibus, ille non patitur moras, sed accinctus ependyte suo statim præcipitatur in fluctus. Eodē igitur fidei ardore, quo semper, nunc quoq; ceteris tacentibus credit se posse facere per voluntatem magistri, quod ille poterat per naturam. Iube me venire ad te super aquas. Tu præcipe, & illico solidabuntur vndæ, leue fiet corpus, quod per se graue est.* Et paulo post. *Si Apostolo Petro, qui confidenter rogauerat Saluatorem. Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas, quia paululum timuit dicitur. Modicæ fidei, quare dubitasti? quid nobis dicendum est, qui huius modicæ fidei ne minimam quidem habemus portiunculam?* H.lib.2.c.14.

VIDE V. *Cognitio Dei Opera bona Pietas in Deum. Religio Christiana. Spes. Veritas. Et in* PANARIO. *V. Hæresis.*

FORTITVDO.

CAPVT I.

De fortitudinis definitione.

FORTITVDINIS nomine S. Patres aliquando firmitudinem animi in quauis virtute exercenda necessariam intelligunt, eo quod in omni virtute difficultas aliqua superanda occurrat: nam *tendit* vt poeta quidam ait, *in ardua virtus.* Et alius *via virtutis dextrum petit ardua callem difficilemq́; aditum primum spectantibus offert.* Quo sensu S. Ambrosius libro primo de officiis. *Iure,* inquit, *ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atq; inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione.* Ouid.2 de Pōto. Virg lit. Pyth. A.c.36.

Et S. Prosper lib. 3. de vita contemplatiua. *Animi fortitudo ea debet intelligi, quæ nō solum diuersis pulsata molestiis inconcussa permaneat, sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbat.* Aliâs vero iidē Patres voce fortitudinis peculiarem quandam virtutem, quæ vna sit ex quatuor P.c.20.

virtutibus, quas vocant, Cardinalibus accipiunt, qua animus rectè se habet in rebus acerbis & terribilibus perferendis & expugnandis. S.
A.q.31. Augustinus lib. 83. quæstionem sic definit, *Fortitudo est considerata peri-*
Id.c.13. *culorum susceptio & laborum perpessio.* Et libro 1. de libero arbitrio. *Est animæ affectio, qua omnia incommoda & damna rerũ non in nostra potestate con-*
Am.l.3. *stitutarum contemnimus.* Et S. Ambrosius de virginibus. *Fortitudo vim*
Id.c.9. *quandam ferocientis virtutis habet, mortisq; contemptum.* Et li. 2. de officiis. *Vulgi usu diuiditur vna quædam forma virtutum, vt temperantia sit in despiciendis voluptatibus, fortitudo spectetur in laboribus & periculis.* Eodem mo-
Ar.c.6. do eam definiuerunt Ethnicorum Philosophi. Aristoteles in tertio Ethico. *Fortitudo*, ait, *est mediocritas circa metum & audaciam*, hoc est, vir-
Cicero. tus, quæ in metu & audacia moderandis posita est. M. Tullius in quarta Tusculana. *Fortitudo est scientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo & perferendo summæ legi parens sine timore.* Et in Secunda. *Viri propria maximè est fortitudo, cuius munera duo maxima sunt sunt mortis dolo-*
S.c.34. *risq; contemptio.* L. Annæus Seneca lib. altero de beneficiis. *Est virtus pericula iusta contemnens; aut scientia periculorum repellendorũ, excipiendorum,*
Id.ep.88. *prouocandorum.* Et ad Lucilium *Fortitudo contemptrix timendorum est: terribilia & sub iugum libertatem nostram mittentia despicit, prouocat, frangit.*

CAPVT II.

De eius præstantia & vtilitate.

PRÆSTANTIA & vtilitas virtutis huius inde liquet, quod Spiritus sanctus in verbo diuino creberrimè suos ad eã cohortetur, cum adiuncta promissione cõmodi inde secuturi. Ita Dauid spiritu Dei plenus.
Psal.26.14. *Expecta*, inquit, *Dominũ, viriliter age, & confortetur cor tuum & sustine Do-*
Ps.30.25. *minum.* Et iterum. *Viriliter agite & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Sic Azarias *facto in se spiritu Dei*, dixit ad regem Asam, & o-
2.Par 15. mnẽ Iudam. *Vos ergo confortamini, & non dissoluantur manus uestræ, erit m-*
Isa.35.4. *merces operi uestro.* Et Isaias. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimis. Confortamini, & nolite timere, ecce Deus uester vltionem adducet retributionis. Deus ipse veniet & saluabit vos.* Et S. Paulus ad
1.Cor.15.58. Corinthios. *Fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles abundantes in o-*
1.Cor.16.13. *mni opere Domini semp, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Et
Eph.6.10. rursus *Vigilate, state in fide, viriliter agite, & cõfortamini.* Et ad Ephes. *De cetero fratres, cõfortamini in Domino, & in potẽtia virtutis. Induite vos armaturã Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Eodem collimãt illa mo-
1.Pet.3.14. nita B. Petri. *Timorem eorũ ne timueritis. Quis est, q vobis noceat si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiã, beati.* Imò & Christi
Matt.10.28. Domini. *Nolite timere eos q occidunt corpus, animam a. non possunt occidere.*

S. PATRES quoq; præstantiam fortitudinis variis modis ob oculos po-

los ponunt. Clemens Alexandrinus libro Stromatum quinto commemorat, quibus Symbolis Ægyptii eam repræsentarint. *Roboris & fortitudinis symbolum*, ait, *est eis Leo, magniq; animi & virtutis & libertatis Equus; roboris autem rursus cum ingenij solertia Sphinx, quæ totum quidem corpus habet leonis, faciem autem hominis.* Et libro septimo agens de homine perfecto quibus virtutibus vtatur. *Magni autem*, inquit, *animi virtute non solum in ferendis casibus, sed etiam in eo, quod resistat voluptati & cupiditati, doloriq; & iræ, & in summa cuiuis rei, quæ nos vel vi, vel fraude aliqua illicit.* S. Ambrosius eam locat inter virtutes Cardinales quatuor, id est, principales, eo quod sicut ostium in cardine, sic omnis vitę honestæ ratio in illis versetur, boniq; operis structura vniuersa iis nitatur. *Et quidem scimus, ait*, in Lucam, *virtutes esse quatuor Cardinales, temperantiam, iustitiam, prudentiam, fortitudinem.* Et de officiis *Fortitudo velut excelsior ceteris diuiditur in res bellicas & domesticas. Sed bellicarum rerum studium à nostro officio iam alienum uidetur, quia animi magis, quã corporis officio intendimus, nec ad arma iam spectat vsus noster, sed ad pacis negotia. Maiores autem nostri, vt Iesus Naue, Hierobaal, Samson, Dauid summam quoq; rebus bellicis retulere gloriam: Est itaq; fortitudo velut excelsior ceteris, sed nunquam incomitata virtus.* Et infra. *Non est igitur mediocris, nec discreta à ceteris animi fortitudo, quæ bellum cum virtutibus gerat, sed quæ sola defendat ornamenta virtutum omnium, & iudicia custodiat, & quæ inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decernat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, dura aduersus illecebras, quibus aurem deferre nesciat, nec ut dicitur aue dicat, pecuniam negligat, auaritiam fugiat. nihil enim tàm contrarium fortitudini, quàm lucro vinci.* S. Hieronymus in caput 6. ad Ephesios. *Hæc apud nos est consuetudo Scripturarum, vt indifferenter* ἰσχὴν *&* ἀρετὴν *virtutem nominent, maximè quia fortitudo corporis virtus animi existimatur. Quanquam & apud Philosophos inter quatuor virtutes fortitudo sit posita quam vtiq; animi & non corporis esse manifestum est. Quod igitur ait Paulus, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius totum sentitur in Christo.* S. Augustinus libro 2. de doctrina Christiana, & libro primo de sermone Domini in monte c. 9. fortitudini attribuit quartum locum inter octo beatitudines. *Fortitudo*, inquiens, *congruit esurientibus & sitientibus: laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, & amorem à terrenis & corporalibus auertere cupientes.* Et ad fratres in eremo. *Est & alia fortitudo, qua boni quotidie certant vsq; ad mortem. Tales sunt fundati in Deo, & ideo nec verba, nec impiorũ verbera timent. Hæc est illa mirabilis fortitudo, qua Moyses asperitatem viæ deserti vicit. Hic est panis cælestis, qui Eliam in deserto pauit. Hæc est fortitudo quæ mortem spernit. hæc est clauis, qua domus Dei patescit & aperitur. Hæc est quæ habenas voluptatis sub fræno rationis*

A. in c. 6.
Id. l. 1. c. 35.
Id. c. 39.
H. lib. 3. comm.
Eph. 6. 10.
A. c. 7.
Matt. 5.
Id. serm. 19.

iacere cogit. Hæc est, qua Ioannes in deserto decoratur. Hæc est, qua Paulus eremitarum forma beatificatur. Hæc Antonii aliorumq́ sanctorum Patrum lorica est & zona, qua præcincti & armati in excelsis indefessa voce quotidie clamare non cessant. B. Prosper de vita contemplatiua. *Principales quatuor*

P.c.18. *esse virtutes non solum Philosophi sentiunt, sed etiam nostri consentiunt. Quaternarium numerum perfectioni sacratum pene nullus ignorat: siquidem totus orbis Oriente & Occidente Aquilone & Meridie quatuor determinari partibus siue angulis inuenitur, &c. & ideo virtutes istæ, quæ tantum continent perfectionis in numero solicitè considerare debemus, quantam sanctitatem conferant animo Christiano, & quam nihil perfectionis vsquam sit, quod in istis virtutibus non sit. Verumtamen hoc inprimis nosse & tenere debemus, quod istæ 4 virtutes, vel omnes quæ ex illis existunt dona sint Dei, & quod nullus eas habet, habuit, aut habebit, nisi cui Deus, qui est omnium virtutum proprietas & origo contulerit: quoniam quicunque, quocunq́ tempore, in quacunq́ gente in Deum credentes ex fide vixerunt illius dono temperantes ac prudentes, iusti ac fortes fieri vtiq́ potuerunt.* Haud secus philosophatur

G.c.36. S. Gregorius in secundo Moralium. *In quatuor angulis domus ista consistit, quia nimirum solidæ mentis nostræ ædificium, prudentia, temperantia fortitudo, iustitia sustinet. In quatuor ergo angulis dom⁹ ista subsistit, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. Vnde & quatuor paradisi flumina terram irrigant, quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur.* Ethnici quoq; scriptores magnificè hanc virtutem prædicant. Cicero in secundo de O-

Cicer. ratore. *Magna*, inquit, *laus & admirabilis videri solet tulisse casus sapienter aduersos non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem.* Et

Sen. Seneca epist. 114. *Fortitudo est munimentum humanæ imbecillitati inexpugnabile: quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat.*

CAPVT III.

De Proprietatibus veræ fortitudinis.

PRIMA Proprietas est vt sit rectæ rationi consentanea. *Fortis*, enim

A.4.Eth.c.7. inquit Aristoteles, *pro dignitate, & vt ipsa ratio iubet, tàm patitur, quam*

Cl.7.strom. *etiam agit.* Vnde Clemens Alexandrinus. *Nullus citra rationem fortis, est cognitione præditus: nam pueros quoque sic dixerit aliquis fortes, qui quæ sunt formidabilia sustinent, propter eorum, quæ sunt grauia, ignorationem: & feras, quæ in hastas incurrunt, cum sint fortes citra rationem, vocauerit ratione præditas.* Deinde subiicit Martyres pro fide Christiana verè esse fortes,

se primum

ſe primum ex recta ratione componentes, dein de cum Deus vocauerit prompto
& alacri animo ſe tradentes, nullumque alium ſcopum ſibi proponentes, niſi G.hom. 19.
vt Deo placeat. Et GREGORIVS in Ezechielem. *Sæpe fortitudo ſi*
improuida fuerit, & minus circa vitia circumſpecta, ipſa ſui præſumptione
in caſum ruit. Aſcendat ergò ad Conſilium. Sed eſſe conſilium non poteſt, ſi in-
tellectus deeſt. Et in Iob. *Ceteræ virtutes, niſi ea quæ appetunt, prudenter*
agant, virtutes eſſe nequaquam poſſunt. Aduerſus hanc proprietatem de- Id l.2.mon c.25.
linquunt, qui velut fortes, rem aggrediuntur, quam nequeunt proſe-
qui de quibus S Ambroſius de Officiis. *In omnibus non ſolum, quid hone-* A.lib.1.c.37.
ſtum, ſed etiam quid ſit poſſibile ſit quæramus, ne forte aggrediamur aliquid
quod non poſſimus exequi. Vnde nos tempore perſecutionis de ciuitate in ciuitatē Matt.10.23.
concedere imo vt ipſius verbo vtar fugere vult Dominus, ne temere aliquis dum
martyrii deſiderat gloriam, offerat ſe periculis, quæ fortaſſe caro infirmior, aut
remiſſior animus ferre ac tolerare non queat. Deinde & ii delinqunt, qui
vt robur animi ſui declarent, temere Magiſtratus Ethnicos laceſſunt,
vel hæreticos ad mouendā perſecutionem. Vnde idē Doctor, ait ibidē. lib.1.c.42.
Cauendum etiam reor, ne dum aliqui nimia gloriæ ducuntur cupiditate, inſo-
lentius abutantur poteſtatibus, & plerumq; auerſos à nobis animos, Gentilum
in ſtudia perſecutionis excitent, atq; inflamment ad iracundiam. Itaq; vt illi per-
ſeuerare poſſint, & ſupplicia vincere, quantos perire faciunt? Et Seneca ad Lu-
cilium. *Si bonum eſt, inquit, fortiter torqueri, & magno animo vri, & patien-* S.ep 67.
ter ægrotare, ſequitur vt iſta optabilia ſint, Diſtingue iſta & intelliges eſſe in his
aliquid optandum. Tormenta à me abeſſe velim: ſed ſi ſuſtinenda fuerint, vt me
in illis fortiter, honeſtè animoſeq; geram optabo: velim non incidere in bellum,
ſed ſi incido & vulnera & famem, & omnia, quæ bellorū neceſſitas affert, vt ge-
neroſè feram, optabo, Ita non incommoda optabilia ſunt ſed virtus, qua perfe-
runtur incommoda. Pati tormenta non optabile eſt, ſed fortiter pati.

II. Proprietas eſt, *vt nunquam*, ſit, vt Ambroſius loquitur *incomita-*
ta, nēpe, fide, iuſtitia, ceterisq; virtutibus. *Non enim ſeipſam*, inquit, *com-* A.l 1.off.c.35.
mittit ſibi: alioquin fortitudo ſine iuſtitia iniquitatis materia eſt Quo n. vali-
dior eſt eo promptior eſt vt inferiorē opprimat, cū in ipſis reb. bellicis iuſta bella an
iniuſta ſint ſpectandū putetur. Et Lactantius de falſa religione. *Ille ſolus vir* L.lib.1 c.9.
fortis debet iudicari qui temperans eſt, moderatus & iuſtus. Idē ſenſere Eth- Cic.lib.1.
nici. M. Tullius primo de officiis ita ſcribit. *Probe definitur à Sto-*
icis fortitudo: cum eam virtutem eſſe dicunt propugnantem pro æquitate, quo-
circa nemo, qui fortitudinis gloriam conſecutus eſt, inſidiis & malitia lau-
dem adeptus: nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod iuſtitia vacat. Præclarum
igitur Platonis illud. Non ſolum, inquit, ſcientia, quæ eſt remota à iuſtitia cal-
liditas potius quam ſapientia eſt appellanda: verum etiam animus paratus ad
periculum, ſi ſua cupiditate, non vtilitate, communi impellitur audaciæ potius

P. in apophr. lacon. *nomen habeat, quam fortitudinis.* Nobile huius rei exemplum prodit Plutarchus. *Agesilaus,* inquiens, *Rex sciscitatus, vtra virtus esset præstantior, fortitudo an iustitia? grauiter respondit. Fortitudinis nullum esse vsum, nisi adsit iustitia. Quod si omnes essent iusti, nihil opus foret fortitudine. En animum summo dignum duce, qui nihil præter æquum iudicarit faciendum:* inquit ille.

III. Proprietas est, vt aduersus omnia vitia dimicet: *inuicta* inquit Ambrosius loco citato de Officiis, *ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, dura aduersus illecebras, quibus aurem deferre nesciat.* Et paulo post. *Quia virtus sibi constat fortiter omnia persequatur vitia, tanquam virtutis venena. Gloriæ quoque caueat appetentiam, quæ frequenter nocuit immoderatius appetita, semper autem vsurpata. Quid horum sancto Iob, vt in virtute defuit, vel in vitio obrepsit? Quomodo laborem ægritudinis, frigoris, famis pertulit? Quomodo despexit salutis periculum? Nunquid auaritia, census, aut voluptatis studia, cupiditatesque excitauit? Nunquid trium regum iniuriosa contentio, vel seruorum contumelia in iram excussit? Nunquid gloria sicut leuem extulit, qui imprecabatur grauia sibi, si vnquam vel non voluntariam colauisset culpam, vel reueritus esset multitudinem plebis, quo minus eam annunciaret, in conspectu omnium? Neque enim consentaneæ sunt vitiis virtutes, sed sibi constant.* Et B. Prosper de vita contemplatiua, *Animi fortitudo,* ait, *si inter inimicitias ac damna præsentia atque multimodas persecutiones infatigata persistat & tamen de ipsa se aduersariorum sustinentia iactet, ne de dono Dei quo illustratur exultet, sed carnaliter se de vulgi fauore, quo prædicatur, oblectet, plusque gaudeat ex eo quod laudatur, quam ex eo quod habet vnde laudetur, & per hoc humanam laudem diuinis muneribus anteponat, quis dubitet hanc animi intentionem virtutem dici non posse? Quæ si virtus esset, fortiter etiam talibus blandimentis repugnaret, nec acquiesceret mollibus quæ adiuuante Domino, dura quæque vel aspera superasset.*

A. lib. 1. c. 36.

P. c. 20.

IV. Proprietas est, ut obstruat omnium vitiorum fontes, hoc est, coerceat omnes animi perturbationes ac cupiditates, ac imprimis voluntatem propriam & iudicium. Lactantius enim loco citato ita scribit, contra Herculem fortitudinis nomine apud Ethnicos clarum. *Quid enim tàm magnificum, si leonem aprumque superauit? si aues sagittis deiecit, si regium stabulum egessit, si viraginem vicit, cingulumque detraxit: si equos feroces cum Domino interemit? Opera sunt ista fortis viri, hominis tamen. Illa enim quæ vicit, fragilia & mortalia fuerunt. Nulla est enim, vt ait Orator, tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari, frangique possit. At animum vincere, iracundiam cohibere fortissimi est: quæ ille nec fecit vnquam, nec potuit. Hæc qui faciat, non modo ego eum cum summis viris compare,*

L. lib. 1. de inst. cap. 9.

Cic. orat. pro Marc.

paro: sed simillimum Deo iudico. Vellem adiecisset de libidine, luxuria, cupidita-
te, insolentia, vt virtutem eius impleret, quem similem Deo iudicabat. Non
enim fortior iudicandus est, qui leonem, quàm qui violentiã in seipso inclusam
feram superat iracundiam: aut qui rapacissimas volucres deijcit, quam qui
cupiditates auidissimas coercet: aut qui Amazonem bellatricem, quam qui li-
bidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem: aut qui fimum de stabulo, quam
qui vitia de corde suo egerit, quæ magis sunt perniciosa, quia domestica & pro-
pria mala sunt, quam illa, quæ vt vitari poterant & caueri. Ambrosius A.c.36.
libro allegato. *Reuera iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisq; seip-*
sum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atq; inflectitur, non ad-
uersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum
rerum circumfertur mutatione. Quid autem excelsius & magnificentius,
quam exercere mentem, afficere carnem & in seruitutem redigere, vt obediat
imperio, consiliis obtemperet? Et Gregorius magnus in psalmos Pæni- G.in psal.2.
tentiales. *Quid fortius, quam omnes animi sui motus rationi subigere, o-*
mnia carnis desideria spiritus virtute frenare, proprias voluntates abiicere,
contemptis visibilibus ea quæ non videntur amare? Vnde & Salomon ait. Prou.16.32.
Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbi-
um. Ab his non dissentit Cicero in paradoxis. *Laudetur,* inquiens, C.par.5.
verò hic Imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur: quo
modo? aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest suis cupiditatibus
imperare? refrænet prius libidines, spernat voluptates, iracundiã teneat, coer-
ceat auaritiam, ceteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum
ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini parere desierit. Vnde Se- S.ep.113.
neca scribens de maximo Imperatore. *Alexander quidem* inquit, *Per-*
sas & Hyrcanos & Indos, & quicquid gentium vsq; in Oceanum extendit Ori-
ens vastabat fugabatq;. Sed ipse victor tot Regum atq; populorum iræ tristitiæq;
succubuit. Id enim egerat, vt omnia potius haberet in potestate, quam affe-
ctus. O quam magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans
maria cupiunt mittere, felicissimosq; se iudicant si multas per milites prouinci-
as obtinent, & nouas veteribus adiungant, ignari, quod sit illud ingens para-
tumq; regnum. Imperare sibi maximum imperium est.

V. Proprietas est, vt nullos labores, nulla discrimina, nulla aduer-
sa reformidet, dicatq; cum Paulo ad Romanos. *Quis nos separabit à*
caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an peri-
culum? an persecutio? an gladius? &c. Et ad Philippenses. *Scio & sa-* Rom.8.35.
tiari & esurire, & abundare & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me Phil.4.12.
confortat. Deinde cum fortissimis Machabæis ita alloquẽtibus Antio-

G. orat. de Machab. chum tyrannum apud Greg. Nazianzenum. *Eleazari discipuli sumus, cuius tu fortitudinem perspectam & exploratam habes. Pater prior decertauit, decertabunt postea filii. Abscessit sacerdos, sequentur victimæ. Multarum tu quidem rerum terrorem nobis inijcere tentas, verum ad plura parati sumus. Quid autem nobis vir superbe atq; insolens minis istis tuis facies? quos cruciatus inferes? nihil his hominibus fortius, qui ad quiduis perferendum prompto & alacri sunt animo. Quid cunctamini carnifices? quid moras nectitis? vbi gladij, vbi vincula? Festinationem requiro. Ignis maior accendatur, acriores bestiæ, magisq; actuosæ producantur, exquisitiora tormenta proferantur, sint omnia regia & magnifica.* Hanc proprietatem agnouerunt & Ethnici, vt M. Cic. 3. offic. Tullius. *Harum virtutum,* nempe magnitudinis & fortitudinis, inquit, *proprium est, nil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare,* idemq; confirmat illustri M. Attilii Reguli fortissimi viri exemplo, qui acerbissimos cruciatus pro Reipubl. S. ep. 67. salute contempsit. Agnouit & Seneca, ad Lucilium ita scribens. *Nonne fortitudo optabilis est? atqui pericula contemnit & prouocat. Pulcherrima pars eius, maximeq; mirabilis illa est, non cedere ignibus, obuiam ire vulneribus. Interdum tela ne vitare quidem, sed pectore excipere. Si fortitudo optabilis est, & tormenta patienter ferre optabile est? Non pati tormenta optabile est, sed pati fortiter. Illud opto fortiter quod est virtus.*

Am. c. 45. Ar. c. 9. Th. 22. q. 123. a. 6. VI. Proprietas est, vt potius in tolerando, quam in aggrediendo vel vincendo consistat, vt docet S. Ambrosius in primo de officiis, atque etiam Aristoteles in tertio Ethico. cuius rei tres reddit causas, S. Thomas Aquinas. 1. quia toleramus valentiores, inuadimus verò, quos putamus imbecilliores. 2. quia tolerando mala præsentia experimur, aggrediendo futura operimur. 3. quia puncto temporis aggredi possumus, sustinemus autem aliquo temporis interuallo. Accedit quod ex beatitudinibus Christi doctrina celebratus est, *pati per-* Matt 5. 11. *secutionem propter iustitiam.* Denique minor in tolerando, quam inuadendo est proprii amoris suspicio, aut vanæ gloriæ occasio. Exempla huius proprietatis complura recitat S. Ambrosius loco allegato, De Machabæis, S. Agne. S. Stephano, S. Laurentio, & Sixto Pontifice.

Cl. 7. strom. VII. Proprietas, quod sibi partes aliquas, vel species vendicet. Vnde Clemens Alexandrinus. *Magni,* inquit, *animi & excelsi virtutis species sunt Tolerantia ingens spiritus, magnitudo animi, liberalitas, magnificentia. Propter quam causam, nec reprehensionem, nec vulgi malam famam apprehendit is qui est cognitione præditus.*

A. q. 32. S. Augustinus libro 83. quæstionum. *Fortitudinis partes sunt, magnificentia, fidentia, patientia, perseuerantia. Magnificentia est rerum magnarum & ex-*

& excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione cogitatio, atq; administratio. Fidentia est, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ cum certa spe collocauit. Patientia est honestatis aut vtilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. Perseuerantia est in ratione bene considerata stabilis, & perpetua permansio. Eodem collimant verba Senecæ ad Lucilium. *Cum aliquis tormenta* S.ep.67. *fortiter patitur, omnibus virtutibus vtitur fortasse, cum vna in promptu sit & appareat patientia. Ceterum illic est fortitudo, cuius patientia, & perpessio, & maximè tolerantia rami sunt. Illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium quæ suadet, quod effugere non possis, quàm fortissimè ferre. Illic est constātia, quæ deijci loco non potest & propositum nulla vi extorquente dimittit. Illic est indiuiduus ille comitatus virtutum.*

CAPVT IV.

De Medijs idoneis ad obtinendam fortitudinem.

PRIMVM medium est imploratio diuini nominis cum magna fiducia coniuncta. Hoc medium diuina Scriptura tradit in rebus asperis vsurpandum, & sancti semper vsurparunt. *Inuoca me*, ait in psalmis DEVS, *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Et. *Clamabit ad me, & exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Fortium & in Deo solo præfidentium voces sunt. *In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi caro. Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia susceptor meus es.* Et. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.*

Psal.49.15. Psal.90.15. Psal.55.5. Psal.26.1. Psal.58.10. Isa.12.2.

Vnde S. Ambrosius. *Dauid*, inquit, *nunquam nisi consulto Domino bellum adorsus est. Ideo in omnibus victor prælijs vsque ad summam senectam manu promptus, bello aduersum Titanas suscepto ferocibus bellator miscebatur agminibus, gloriæ cupidus, incuriosus salutis.* A.1.offic.c.35.

S. Augustinus in psalmum 32. *Spes tua Deus sit, fortitudo tua Deus sit,* A.conc.2. *firmitas tua Deus sit, exoratio tua ipse sit, laus tua ipse sit, finis in quo requiescas ipse sit, adiutorium cum laboras ipse sit. Audi veritatem. Non saluus fiet Rex per multitudinem virtutis suæ.* Et in verba psalmi 117. Fortitudo & laus mea Dominus. *Quapropter*, ait, *cuius laudatio & fortitudo est Dominus, tàm non cadit, quam non cadit Dominus, & ideò eis factus est in salutem.*

 lutem.

P lib 3. c. 20. lutem. Et B. Prosper de vita contemplatiua. *Hæc animi fortitudo ab illo est nobis, cui cum propheta cantamus. Fortitudo mea, & laus mea Dominus,* Isa. 2. 2. *& factus est mihi in salutem. Fortitudo nostra est, quia ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroborat, vt animum nostrum, nec blanda dissoluant, nec aduersa deijciant, & tunc laus nostra Dominus fit, si non nos de muneribus Dei sed diuina in nobis cupiamus munera prædicari, &c. Sit illi Deus laus tota, perfecta gloria, delectatio pura, spes certa, securitas firma, possibilitas sana, sanitas incorrupta, vt ei quicquid carnalibus placet, in hoc mundo displiceat, &c.*

G. 4 mor. c. 13. II. Medium, Timor Dei. Hoc tradit S. Gregorius in illa verba Iob. 4. Iob. *Vbi est timor tuus, fortitudo tua, & patientia tua, & perfectio viarum tuarum,* ita scribens. *Quatuor gradibus vitam B. Iob virtutes enumerando distinxit, dum & timori fortitudinem, & fortitudini patientiam, & patientiæ perfectionem iunxit. In via etenim Dei à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Nam sicut in via seculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit: & sicut in via seculi timor debilitatem, ita in via Dei* Prou. 14. 26. *timor fortitudinem gignit Salomone attestante, qui ait. In timore Domini fiducia fortitudinis. Timori quippe Domini inesse fiducia fortitudinis dicitur, quia nimirum mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quanto se auctori earundem veracius per formidinem subdit. Quæ in timore Domini constituta non inuenit extra quod metuat, quia dum recto metu conditori omnium iungitur, potestate quadam supra omnia sublevatur.*

A. c. 22. III. Medium est, Amor Dei, quod tradit S. Augustinus in libro primo de moribus Ecclesiæ Catholicæ. *Amat,* inquit, *homo corpus suum vi consuetudinis non intelligens, si eo bene atque scienter vtatur resurrectionem, reformationemque eius ope ac lege diuina sine vlla molestia iuri suo subditam fore, sed cum se hoc amore tota in Deum conuerterit, his cognitis mortem non modo contemnet, verum etiam desiderabit. Sed restat cum dolore magna conflictatio. nihil est tamen tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur. Nisi verò amatores auri, amatores laudis, amatores feminarum, amatoribus suis Deus sinat esse fortiores, cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet, quantus sit impetus animi ad ea quæ diliguntur indefesso cursu per immania quæque tendentis, argumentoque nobis est, quam sint omnia perferenda ne deseramus Deum si tanta illi, ut deserant, perferunt.* Subiiciens deinde exem-2. Mach 7. plum ex libris Machabæorum de 7. filiorum matre. *Quid,* inquit, *ad tantam patientiam quæso addi potest? Quid tamen mirum si omnibus medullis conceptus Dei amor, & tyranno, & carnifici, & dolori, & corpori, & sexui & affectui*

affectui resistebat? An non audierat. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius? Non audierat, melior vir patiens fortissimo? Non audierat. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua habe patientiam, quoniam in igne probatur aurum & argentum. Non audierat. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis?

IV. Medium est prouidentia futurorum, de quo neglecto queritur Moyses in Deuteronomio dicens. *Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Præscribit autem dum agit de fortitudine S. Ambrosius, his verbis. *Hoc igitur diligentiæ est, vt quis ita se comparet: illud ingenij, si quis potest vigore mentis præuidere quæ futura sunt, & tanquam ante oculos locare, quid possit accidere: & quid agere debeat, si ita acciderit, definire: interdum duo & tria simul voluere animo, quæ coniiciat, aut singula, aut coniuncta accidere posse, & aut singulis, aut coniunctis disponere actus quos intelligat profuturos. Fortis ergo est viri, non dissimulare cum aliquid immineat, sed prætendere, & tanquam explorare de specula quadam mentis & obuiare cogitatione prouida rebus futuris, ne forte dicat postea. Ideo ista incidi, quia non arbitrabar posse euenire. Deniq; nisi explorentur aduersa, cito occupant. Vt in bello improuisus hostis vix sustinetur, & si imparatos inueniat facilè opprimit, ita animum mala inexplorata plus frangunt.* Huius medii apud Ethnicos memor Theseus apud Euripidem, teste M. Tullio. ait

Deu.32.29. A lib.1 offic. cap.38. Tul.5. Tusculana.

Nam qui hæc audita à docto meminissem viro
Futuras mecum commentabar miserias,
Aut mortem acerbam, aut exilii mæstam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali,
Vt si qua iniecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

Senecæ quoq; in libro de tranquillitate animi dictum est. *Nisi quicquid fieri potest pro futuro habeas, das in te vires rebus aduersis, quas infregit, quisquis prior vidit.* S.cap.11.

V. Medium, Exercitatio in frangendis prauis animi motibus. Est Clementis Alexandrini in septimo Stromateo ita loquentis. *Ei, qui est cognitione præditus, vna cum cognitione augetur perfectio fortitudinis ex vitæ exercitatione, quæ semper est meditata vincere motus animi. Metu ergo & formidine vacuum, & in Domino confidentem reddit suum athletam inungens & exercens charitas, quomodo ei tribuit iustitia, vt per totã vitam verũ dicat.* Et S. Ambrosii. *Est etiam,* inquit, *quæ dicitur vacuitas animi ab angoribus, vt neq; in doloribus molliores simus, neq; in prosperis elatiores. Quod si hi qui ad capessendam Rempublicam adhortantur aliquos, hæc præcepta dant,* A.1.offic. c.37.

quanto

quanto magis nos qui ad officium Ecclesiæ vocamur talia debemus agere, quæ placeant Deo: vt & prætendat in nobis virtus Christi, & ita simus nostro probati Imperatori, vt membra nostra arma iustitiæ sint arma, non carnalia in quibus peccatum regnet, sed arma fortia Deo, quibus peccatum destruatur. Moriatur caro nostra, ut in ea omnis culpa moriatur, & quasi ex mortuis viuentes
Id. cap. 38. nouis resurgamus operibus ac moribus. Et paulo post. Qua gratia præparandus est animus, exercenda mens, stabilienda ad constantiam, vt nullis perturbari animus possit terroribus, nullis frangi molestijs, nullis supplicijs cedere. Quæ difficile quidem sustinentur: sed quia omnia supplicia grauiorum suppliciorum vincuntur formidine ideò si consilio firmes animum tuum, nec à ratione discedendum putes, & proponas diuini iudicij metum, perpetui supplicij tormenta, potes animi subire tolerantiam,

VI. Medivm est Cogitare quam honestum sit, pro iustitia, salu-
Cic. 2. Tuscul. te, Christo fortiter perferre aduersa. Hoc tradit M. Tvllivs disputatione secunda Tusculana. Ad ferendum, inquit, dolorem placidè & sedatè plurimum proficit toto pectore, vt dicitur, cogitare, quam id honestum sit sumus enim natura, ut ante dixi, (dicendum est enim sæpius) studiosissimi, appetentissimiq; honestatis, cuius si quasi lumen aliquod aspexerimus, nihil est, quod vt eo potiamur, non paratisimus & ferre & perpeti. Ex hoc cursu atq; impetu animorum ad veram laudem atq; honestatem illa pericula adeuntur in prælijs. Non sentiunt vi i fortes in acie vulnera, vel sentiunt, sed mori ma-
A. 1. off. c 36. lunt, quam tantillum modo de dignitatis gradu dimoueri. Nec hoc medium reticuit S. Ambrosivs. In duobus generibus, inquiens, fortitudo spectatur animi. Primo vt externa corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis, quam expetenda ducat. Secundo, vt ea quæ summa sunt, omnesq; res, in quibus honestas, & illud πρέπον cernitur, præclara animi intenti ne vsq; ad effectum persequatur. Quid enim tam præclarum, quam vt ita animum tuum informes, vt neq; diuitias, neq; voluptates, neq; honores in maximis c nstituas, neq; in his studium omne conteras? Quod cum ita affectus a imo fueris, necesse est vt illud honestum ac decorum præponendum putes, illiq; mentem ita intendas tuam, vt quicquid acciderit, quo frangi animi solent, aut patrimonij amissio, aut bon ris imminutio, aut obtrectatio infidelium quasi superi r, non sentias.

VII. Medium est considerare exempla eorum qui vera fortitudine animi excelluerunt, quæ pæne sunt innumera, maximè apud
A. c. 11. Christianos. S. Ambrosius primo libro de Officiis exorditur à belli-
Jos. 10. ca virtute claris. Quam fortis, inquit, Iesus Naue, vt vno prælio quinq; reges captos sterneret cum populis suis? Deinde cum aduersus Gabaonitas surgeret prælium, & vereretur ne nox impediret victoriam, magni udine mentis & fidei

fidei clamauit. Stet Sol, & stetit, dum victoria consummaretur. Gedeon in trecentis viris de ingenti populo & acerbo hoste reuexit triumphum. Ionathas adolescens virtutem fecit in magno prelio, &c. Virtutem ducis Iudæ Machabæi de vno eius milite considerate. Namq; Eleazarus cum supereminentem ceteris elephantem lorica uestitum regia aduerteret, arbitratus quod in eo esset rex cursu concito in medium legionis se proripuit, & abiecto clypeo vtraq; manu interficiebat bestiam, atq; intrauit sub eam, & subiecto gladio interemit eam. Itaq; cadens bestia oppressit Eleazarum, atq; ita mortuus est. Quanta igitur virtus animi? primo, ut mortem non timeret, deinde ut circumfusus legionibus immicorum in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abiecto clypeo, vtraq; manu vulneratæ molem bestiæ subiret ac sustineret, post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu, cuius ruina inclusus magis, quam oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamuis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes sic trepidauerunt, vt impares se omnes vnius virtuti arbitrarentur. Hæc de bellica uirtute Ambrosius. subijcit deinde de quibusdam virtute patiendi claris in hæc verba.

Iud 7.
1. Reg 14.
1. Mach 6.

QVID *autem de martyrum dicam passionibus? Non minorem de superbo rege Antiocho Machabæi pueri reuexerunt triumphum, quam parentes proprij. Siquidem illi armati, isti sine armis vicerunt. Stetit inuicta septem puerorum cohors regijs cincta legionibus: defecerunt supplicia, cesserunt tortores, non defecerunt martyres. Alius corium capitis exutus, speciem mutauerat, virtutem auxerat. Alius linguam iussus amputandam promere, respondit. Non solos Dominus audit loquentes, qui audiebat Moysen tacentem. Quid de matre loquar, quæ spectabat læta filiorum, quot funera, tot trophæa, & morientum vocibus tanquam psallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris sui citharam in filiis cernens, & pietatis harmoniam omni lyra numero dulciorem.* Subijcit de noui testamenti sanctis.

Quid loquar de S. Agne, quæ in duarum maximarum rerum posita periculo, castitatis & salutis, castitatem protexit, salutem cum immortalitate commutauit? Non prætereamus etiam S. Laurentium, qui cum videret Sixtum Episcopum suum ad martyrium duci flere cœpit non passionem illius sed suam remansionem. Et infra. *Laurentium sanctum ad hoc nullus urgebat nisi amor deuotionis, & ipse post triduum, cum illuso tyranno impositus super craticulam exureretur. Assum est, inquit, versa & manduca. Ita animi virtute vincebat ignis naturam.*

S. HIERONYMVS libro tertio commentariorum in epistolam ad Ephesios exemplum Ioseph & Iob proponit. *Ioseph*, inquit, *vnum habebat propositum placere Deo. Hoc nulla varietate temporis immu-* Eph 5.

tatum est: nec fratrum inuidia, nec conditione seruitutis, nec ætatis illecebris nec dominæ repromissis, nec squalore carceris, nec postea tumore Ægyptiæ potestatis, sed semper vnus fuit, & varietatem, vt diximus, temporum sibi redimens, malos dies vertit in bonos. Hoc idem & de Iob sentiendum est, quod per varia tentamenta vexatus, nec diuitiis, nec damnis, nec orbitate, nec vulnere, nec exprobratione amicorum, nec solitudine, nec postea bonorum omnium restitutione mutatus est.

S. Chrysostomus in homilia, Quod nemo læditur nisi à seipso, prædicat fortitudinem trium puerorum Babyloniorum. *Pueri*, inquiens, *nostri primo omnium gloriosum istud obtinuere certamen, ne cibis immundis contaminarentur. Deinde proponitur ijs multo dirior conditio. Fornax igne succenditur, barbaricæ in eos turmæ ipso tyranno Nabuchodonozore sæuiente consurgunt, commouetur omnis fera Persica, & ad decipiendos pueros natio implacabilis consurgit, musica diuersa præparantur instrumenta, nouoq; crudelitatis genere inuento musicis ignis & flamma coniungitur. Sed maiorem eis gloriam tyrannica crudelitas acquisiuit. In medio enim fornacis p siti clarissimam de hoste sumpsere victoriam. Et tres pueri captiui totam gentem cum Rege pariter mirabili magnificentia duxere captiuos. Sed dicis, Deus eos de incendio liberauit. Liberauit, sed ex illis sine dubio verbis, quibus cum omni fiducia & libertate responderunt regi dicentes. Non opus habemus nos de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus noster in cælis, cui nos seruimus, qui potest nos liberare de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberabit nos. Quod etsi non voluerit, notum tibi sit rex, quia Diis tuis non seruiemus, & imaginem auream, quam statuisti, non adorabimus. In hac confessione victoriæ suæ palmam acceperunt. In hoc fuit cursus eorum, quem in confessionis martyrio consummauerunt.* Idem commendat in homilia de verbis Isaiæ. *Vidi Dominum.* fortitudinem Azariæ sacerdotis obiurgantis regem Oziam. Et fortitudinem S. Pauli Apostoli, in homilia quarta de eius laudibus. Item S. Babylæ martyris fortissimi in libro contra gentiles. Et Eliæ prophetæ aliorumq; homilia octaua ad populum Antiochenum. Sed infinitum esset omnia exempla persequi, quibus abundat historia Ecclesiastica, & Vitæ Sanctorum à Surio descriptæ. Lege Thomam Stapletonum in Promptuario morali ad Dominicam 2. aduentus, numero 8.

Daniel. 3. 16. — Chr. hom. 5. — 2. Par. 26.

Concludo hoc Medium vnico illustri Ethnicorum Scriptorum exemplo ex A. Gellio in Noctibus Atticis desumpto. *Lucium Sicinium Dentatum, qui Tribunus plebis fuit Sp. Tarquinio & A. Themio Consulibus, Scriptum est in libris Annalium, plus, quam credi debeat strenuum bellatorem fuisse, nomenq; ei factum ob ingentem fortitudinem, appellatumq; Achillem Romanũ. Is pugnasse in hostem dicitur centum & viginti prælis, cicatricem auer-*

G. lib. 2. c. 11.

auersam nullam, aduersas quinq; & quadraginta tulisse. Coronis esse donatum aureis octo, obsidionali vna, muralibus tribus, ciuicis quatuordecim, torquibus tribus & octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeuiginti. Phaleris quoq; donatus est quinquies, viciesq;. Populi militaria dona habuit multiiuga in his prouocatoria pleraq;. Triumphauit cum imperatoribus suis triumphos nouem.

CAPVT V.

De Indicijs ueræ Fortitudinis.

PRIMVM indicium veræ fortitudinis est, si repentinos & graues casus fortiter toleres. Ita censuit Aristoteles in tertio Ethicorum. Ar.c.6. *Is*, inquit, *homo fortis propriè dicitur, qui circa honestam mortem, & ea omnia, quæ repente eueniunt, atq; afferunt ipsam, interritus est.* Et iterum. *Magis* Id.c.8. *fortis esse videtur, subitis potius in terroribus interritum esse, ac sine turbatione quam in præuisis: est enim ex habitu magis, aut minus ex apparatu: nam antea visa, cogitatione & ratione quispiam eliget: at ea quæ repente eueniunt, habitu.* perspicuum enim est in eius animo magis roboratam esse fortitudinis virtutem, qui malis inexpectatis & subitis non turbatur. *Fortis siquidem animi* vt scribit M. Tullius libro primo de officiis, *& constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu deiici, ut dicitur, sed præsentis animi vti consilio, nec à ratione discedere: quanquam hoc animi illud etiam ingenii magni est præcipere cogitatione futura, & aliquando ante constituere quid accidere possit in vtramq; partẽ, & quid agendum sit, tum quid euenerit, nec committere aliquid, vt aliquando dicendum sit, non putaram.* Hoc indicium fortitudinis suæ egregiè præbuit fortissimus Iob, qui multis licet malis repente à Satana obrutus permansit tamen infractus. Vnde Ambrosius. *Si quid acciderit aduersi, idq; graue & acer-* A.1.offic.c.38. *bum putetur, ita feras, vt nihil præter naturam accidisse putes, cum legeris. Nudus sum natus, nudus exibo, quæ Dominus dedit, Dominus abstulit, & vtiq;* Iob.1.21. *& filios amiserat & facultates: seruesq; in omnibus personam sapientis & iusti, sicut ille seruauit, qui ait. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.*

II. Indicium est animus caritate in Deum & proximum flagrans. *Fortis enim est ut mors dilectio*, quemadmodum dicitur in Canticis. Cu- Cant.8.6. ius animi indicium dabat Apostolus exclamans. *Quis ergo nos separabit* Rom.8.35. *à caritate Christi, tribulatio an angustia? an fames, an nuditas? an periculũ? an*

persecutio? Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Et
Rom 9.3. paulo post. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui*
A.c.47. *sunt cognati mei secundum carnem.* Vnde S. Augustinus de vera religione. *Ille*, inquit, *verissimè atq; certissimè inuictus homo est, qui cohæret Deo, non vt ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud quam ipsum hærere Deo bonum est. Hic vir quamdiu est in hac vita, vtitur amico ad rependendam gratiam: vtitur inimico ad patientiam: vtitur quibus potest ad beneficentiam, vtitur omnibus ad beneuolentiam.* Et paulo post. *In omnibus autem officiosis laboribus futuræ quietis certa expectatione non frangitur. Quid enim ei nocebit, qui bene vti etiam inimico potest? Eius enim præsidio atq; munimento inimicitias non pertimescit, cuius præcepto & dono diligit inimicos.*
Matt 5 44. *Huic viro in tribulationibus parum est non contristari, nisi etiam gaudeat, sciens quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem,*
Rom. 5 3. *spes autem non confundit. Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Quis hanc subiugabit?*

III. Indicium est desiderium Martyrii, quo tantopere ardebat
H. de scriptor. Eccles. quondam S. Ignatius, ut teste S. Hieronymo, in epistola ad Romanos in hæc verba scripserit. *Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans vt Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar.*

IV. Indicium est, susceptio ingentium laborum pro salute proximi procuranda, idq; cum magno discrimine vitæ. Talis est fortitudo eorum, qui tempore pestis omnia officia deferunt peste correptis. vti fuerunt tempore Valeriani Imperatoris, multi clerici & laici, qui teste
Eus. c. 16. & 17. Eusebio Cæsariensi in historiæ Ecclesiasticæ libro sexto, cum Alexandriæ sæuissima pestis grassaretur, cum maxima laude pestiferis seruierunt. *Virtutis ergo*, inquit ibidem Dionysius Episcopus Alexandrinus *multum laudati erant, qui in eo ministerio obierant, adeò vt hoc mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem suscipiebatur nihil à martyrii splendore abesse videretur.* Huic muneri voto addixit se nostro seculo Romæ noua Clericorum religio, infirmis ministrantium. Illustre quoq; exemplum in hoc officio fortitudinis & caritatis præbuit anno 1576. sanctissimus Cardinalis Carolus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis, qui grassante pestilentia Mediolani ædes ci-

uium peste infectas inuisit, confessiones ægrorũ audijt, & Euchari-
stiam administrauit, ut liquet ex eius vita sæpius in lucem edita. Simi- Sur.20. Maij.
le habes in vita S. Bernardini. Talis quoq; fortitudo eorum est, qui
cum perspicuo periculo vitæ remotas regiones adeunt, ut infideles
conuertant, vt sunt Patres de nostra Societate, qui hactenus profecti
sunt in vtramq; Indiam, Iaponiam & Chinas; vel vt hæreticos ad ma-
trem Ecclesiam reducant, vt sunt Angli, qui de nostris & aliis non re-
formidant in ipsam Angliam proficisci. Quam prouinciam non an-
te suscipiunt, aut suscipere à Superioribus suis permittuntur, quam
vires suas gratia Dei nixas egregiè ad calculos reuocarint, & iuxta pa-
rabolam Euangelicam subduxerint sumptus ad perficiendam rem Luc.14.28.
tantam necessarios: ne si post iactum fundamentum oneri succum-
bant, omnes qui uident incipiant illudere eis dicentes: Quia hi ho-
mines cœperunt ædificare, sed non potuerunt consummare.

V. Indicium est, Mortificatio omnium passionum, quod tradit S. G.c.9.
Gregorius septimo Moralium. *Sciendum*, inquit, *quod alia iustorum,
atq; alia est fortitudo reproborum. Iustorum quippe fortitudo, est carnem vin-
cere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis ex-
tinguere, huius mundi aspera pro æternis præmijs amare, prosperitatis blandi-
menta contemnere, aduersitatis metum in corde superare. Reproborum verò
fortitudo est transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris in-
sensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec aduersitate quiesce-
re, bonorum vitam non solum verbis ac moribus, sed etiam gladijs impu-
gnare, &c.*

VIDE, *V. Martyrium. & in* PANARIO. *V. Immortificatio
passionum. Impatientia in aduersis. Mortis metus immodi-
cus. Præsumptio. Pusillanimitas. Timor humanus.*

G.

GAVDIVM SPIRITVALE.

Caput I.

De nomine & definitione Gaudij spiritualis.



E Nomine Gaudii, ita scribit in Tusculanis disputationi-
Cic.lib.4. bus Latini sermonis Princeps. *Cum ratione animus mouetur placide, atq; constanter tum illud Gaudium dicitur: cum autem & inaniter, & effuse animus exultat tum illa lætitia gestiens, vel nimia dici potest: quam ita definiunt, sine ratione animi elatio-*
H.cap.5. *nem.* Ad quæ verba respexisse videtur S. Hieronymus libro tertio commentariorum in epistolam ad Galatas, cum ait *In secundo spiritua-*
Gal.5.22. *lium fructuum loco gaudium* (ab Apostolo) *positum est: quod Stoici quoq; qui distinguunt inter verba subtilius aliud quid esse æstimant quam lætitiam. Gaudium quippe esse aiunt elationem animi super his quæ digna sunt exultantis. Lætitiam verò effrenatam animi elationem, quæ modum nesciat, & in his quoq; quæ vitio sint mixta lætetur.* Verum quia Hieronymus ambigit de veritate discriminis, Lactantius verò libro sexto de vero cultu ir-
L.cap.15. ridet, nos pro synonymis cum Scriptura & Patribus vsurpabimus, non quatenus significant animi passionem vel perturbationem,
H.lib.2. quam græci teste Hieronymo aduersus Pelagianos, χαρὰν, vel ἡδονὴν vocant, sed actum, vel affectum internum charitatis, & ideo forte Apostolus in epistola dicta ad Galatas enumerans fructus spiritus
Gal.5.22. mox charitati gaudium subiecit. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, &c. Simul autem,* inquit, *& illud notandum, quod post dilectionem gaudium sequitur. Qui enim diligit quempiam, semper in eius felicitate lætatur, & si eum viderit aliquo errore deceptum, & peccatorum lubrico concidisse, dolebit quidem, & eruere festinabit, sed non poterit gaudium mutare tristitia sciens nullam rationabilium creaturarum apud Deum perire perpetuo.* Itaq; nomine gaudii vel lætitię spiritualis intelligimus actum caritatis vel amoris, quo quis ita fertur in bonum diuinum, quod est Deus, vt in illo conquiescat, tanquam in eo, quod iam aliquo modo, nempe per gratiam & spem possideat. Quo gaudio perfusus erat Rex

Dauid

Dauid cum caneret. *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & dele-* Psal. 76. 4.
ctatus sum Et. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum* Psal. 83. 3.
& caro mea exultauerunt in Deum viuum. Ad quod Philippenses cohor- Phil. 4. 4.
tabatur Paulus dicens. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Et 1. Thes. 5. 16.
Thessalonicenses. *Semper gaudete.*

CAPVT II.

De discrimine gaudii spiritualis & mundani.

ESse aliquod discrimen inter gaudium mundi & Spiritus, impio-
rum & pioru͂ indicat Christus apud S. Ioan. dicens. *Amen dico vobis,* Ioa. 16. 20.
quia plorabitis & flebitis vos, mundus a. gaudebit: vos autem contristabimini,
sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Quibus autem in rebus gaudium
mundi consistat idem B. Ioannes docet in prima sua epistola, cum ait. 1. Ioa. 2. 16.
Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est & concupiscentia oculoru͂, &
superbia vitæ. Ad idem gaudium pertine͂t illa dicta S. Iob. *Hoc scio à prin-* Iob. 20. 5.
cipio, quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Et. Ioh. 21. 12.
Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bo-
nis dies suos, & in puncto ad inferna descendu͂t. Ac illa Ecclesiastæ. *Risum re-* Eccl. 2. 2.
putaui errore͂, & gaudio dixi, quid frustra deciperis? Et. *Lætare iuuenis in ado-*
lescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis Eccl. 11. 9.
cordis tui, & scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudiciu͂. Illud quoq; Luc. 6. 25.
apud Lucam. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Contra
ad gaudium spiritus spectant illa psalmographi. *Lætabimur in salutari*
tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur. Et. *Lætamini in Domino, & ex-* Psal. 19. 6.
ultate iusti. Et. *Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in* Ps. 31. 11.
lætitia. Et illud Isaiæ. *Tu exultabis in Domino, in sancto Israhel lætaberis.* Et Ps. 67. 4.
B. Pauli. *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Rom. 12. 12.

Sanctorum vero Patrum de hoc discrimine hæ sunt sententiæ. S.
Basilius in Regulis breuioribus quæstione posita, *cuiusmodi gaudium* B. q. 193.
sit, quod est in Domino, & quid sit, quod facientes gaudere debeamus, respon-
det. *In his quæ secundum mandatum Domini fiunt gaudere, est in Domino*
gaudere. Quocirca quandocunq; mandata Dei exequimur, aut propter no-
men Domini aliquid patimur, gaudere & gratulari inter nos debemus.
S. Ambrosius de Virginibus. *Vt corpus ægrotum, nunc calidioribus* A. lib. 3.
fouetur, nunc frigidioribus temperatur, remediorumq; mutatio si iuxta
præceptum fiat medici, salutaris est: si contra mandatum vsurpetur, languo-
ris augmentum est: ita medico nostro quicquid penditur Christo, remedium

est.

est: quicquid usurpatur, incommodum. Debet igitur bene consciæ mentis esse lætitia, non inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphonijs. Ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, vbi comes delitiarum extrema est saltatio. S. Augustinus de verbis Domini. *Sicut non potest homo duobus dominis seruire, sic & nemo potest in hoc seculo gaudere & in Domino. Multum inter se hæc duo gaudia differunt, suntq; omnino contraria. Quando gaudetur in seculo, non gaudetur in Domino. Vincat gaudium in domino, donec finiatur gaudium in seculo. Gaudium in Domino semper augeatur, gaudium in seculo semper minuatur, donec finiatur. Non ideo ista dicuntur, quia in hoc seculo, cum sumus, gaudere non debemus, sed etiam in hoc seculo constituti iam in Domino gaudeamus.* Et in verba psalmi 96. *Lætamini iusti in Domino. Iam forte fideles audientes, iucundamini, conuiuia meditantur, calices præparant, rosarum tempus expectant. Vide quid sequitur. In Domino. Expectas tempus veris ut iucunderis: si Dominum habes iucunditatem, Dominus tecum semper est, non habet tempus. Esto rectus corde, & semper est tibi de illo iucunditas. Non enim iucunditas quæ est secundum seculum vera iucunditas est. Audi prophetam Isaiam. Non est gaudere impijs dicit Dominus. Gaudere, quod vocant impij, non est gaudere, &c. Vtiq; videbat Isaias homines in potatione, in luxuria, in theatris, & in spectaculis, totum mundum luxuriari varijs nugis, & tamen clamabat. Non est gaudere impiis, dicit Dominus. Si hoc non est gaudere, quale gaudium videbat, in cuius comparatione h c non erat gaudium?* B. Prosper de vita contemplatiua libro 2. *Gaudere quidem bonum est, sed qui gaudet, si non inde gaudeat vnde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet & raptor, quum desiderata rapuerit: gaudet & ebriosus cum exoptatæ occasionem potationis inuenerit: gaudet & adulter, cum ad delectationem fruendi corporis concupiti peruenerit. Sed cum sit gaudere bonum, de his atq; huiusmodi gaudere, grande est malum. Hæc & his similia sunt, vnde gaudere nos vult mundus cum suis amatoribus periturus. Hæc sunt, quæ repudiare debemus, vt de bona conscientia, de sanctitate morum, de acquisitione virtutum, de dono Dei, & permissione futuri regni ineffabiliter gaudeamus.* S. Bernardus ad Sanctimonialem quandam. *Magnum est mihi gaudium, quod te ad verum & perfectum gaudium velle tendere comperi: quod non est de terra, sed de cælo, id est, non de hac conualle plorationis, sed de illa quam fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et reuera illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, & quod cum possederis, nemo tollet à te. Cui comparata omnis aliunde iucunditas mæror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcunq; aliud delectare possit, molestum.*

Marginal notes: A. ser 37. — Ps. 96.12. — Isa. 57.21. — P.c.13. — B. epist. 114.

CAP.

CAPVT III.

De præstantia & vtilitate gaudij spiritualis.

GAVDII spiritualis præstantia inde liquet primo, quod sit donum Spiritus sancti. Nam Christus cum apud Lucam dixisset discipulis. *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælis,* mox subiecit. *In* Luc.10.21 *ipsa hora exultauit Spiritu sancto, & dixit. Confiteor tibi pater.* Et Aposto- Rom.14.17. lus ad Romanos. *Non est regnum dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto* Et ad Thessalonicenses. *Excipientes verbum* 1.Thes.1.6. *in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti.* Et ad Galatas. *Fructus au-* Gal.5.22. *tem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia.* 2. quia Scriptura iubet nos *lætari in Domino,* vt supra dictum est, at quid Domino uel Deo nobilius? Lætamur autem in eo, quia in eo solo tanquam parte & hæreditate nostra per amorem conquiescimus. *Deus enim cordis mei,* inquiebat ille vir secundum cor Dei, *& pars mea Deus in æternum.* Vnde Psal.72.26. Augustinus de salutaribus documentis. *Si aliquid in hoc seculo possidere* A.c.10. *delectamur: Deum qui possidet omnia, qui creauit omnia, expedit vt mente possideamus, & in eo habeamus, quæcunq; feliciter & sanctè desideramus. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo; simus nosipsi facti Dei possessio; & efficietur nobis possessio Deus. Et quid potest esse in mundo felicius, quam cui efficitur suus Imperator & redemptor census & hæreditas dignatur esse ipsa diuinitas? Quid ultra quærit, cui omne gaudium, & omnia suus redemptor esse debet?* Accedit, quod gaudium spirituale iustorum in hac vita est semen & pignus, gaudii futuri in cælo, in quo æterna consistet fælicitas. De quo post Isaiam B. Paulus *Quod oculus,* inquit, *non vi-* Isa.64.4. *dit, nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui* 1.Cor.2.9. *diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* At quid hoc æterno gaudio nobilius?

VTILITATEM quoq; huius gaudii non reticuit Spiritus sanctus in diuinis litteris. Primo enim valet ad conciliandam corporis incolumitatem, vt indicauit Salomon in Prouerbiis dicens. *Cor gau-* Prou.15.13. *dens exhilarat faciem: in mærore animi deijcitur Spiritus.* Et. *Animus gau-* Pro.17.22. *dens ætatem floridam facit spiritus tristis exsiccat ossa.* Nam per lætitiam cordis vel animi exhilaratur facies, totumq; corpus perfunditur, eo quod affectiones mentis redundent in corpus, & in facie, vbi omnes vigent sensus, maxime operentur & agnoscantur. Contra per mærorem animi ipsemet spiritus deiicitur, frangitur & languescit, sic prorsus, vt

ſus, vt ad officia ſua præſtanda parum ſit idoneus, nec vacare bene poſſit, ſtudiis, contemplationi, cæteriſq; mentis functionibus. Deinde valet ad impetranda facilius Dei beneficia, quæ in oratione poſtulamus. Vnde pſaltes regius dicebat. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* In quæ verba S. Auguſtinus. *Signanter,* inquit, *accipe petitionem cordis tui, diſcerne eam à petitionibus carnis, diſcerne quantum potes. Nec fruſtra dictum eſt in quodam pſalmo Deus cordis mei. Ibi enim ſequitur & dicit. Et pars mea Deus meus in ſæcula Verbi gratia Cæcus eſt corpore, rogat ut illuminetur. Eſto, roget, quia & iſta Deus facit, ſed rogant hæc etiam mali. Petitio hæc carnis. Infirmatur, rogat ſe ſaluam fieri. ſaluus fit moriturus. Et iſta petitio carnis eſt. Sicut petitio carnis eſt, velle ſibi præparari oculos. utiq; ad videndam iſtam lucem, quæ talibus oculis videri poteſt: ita petitio cordis ad illam lucem pertinet. Beati enim mundi cordes, quoniam ipſi Deum videbunt.* Denique gaudium ſpirituale in hoc differt à mundano, quod mundanum non poſſit perfectè mederi triſtitiæ. Nam videmus homines quantumuis ſanos, diuites, honoratos, vno aliquo infortunio, vt morte vxoris, uel filii ita conturbari, ac ſi prorſus miſeri eſſent. Exemplo ſit Aman in hiſtoria Eſther qui cum inter Principes regni Aſſueri eſſet primus, tamen totus mærore conficiebatur, quod ab vno homine Iudæo Mardochæo non honoraretur. At gaudium in Domino reddit pectus hominis adamantinum contra omnia aduerſa. Vnde Chryſoſtomus ad populum. *Deum, ſicut oportet, timens & in ipſo confidens voluptatis radicem lucratus eſt, & omnem habet lætitiæ fontem. Et ſicut exigua ſcintilla in mare immenſum delapſa facile extinguitur, ſic quantacunque aduerſa Deum timenti illidantur, velut in vaſtum letitiæ pelagus incidentia, extinguntur & pereunt.*

Pſal. 36.4.
Pſal. 72.26.
Eſth. 5.13.
Ch. hom. 18.

CAPVT IV.

De Proprietatibus Gaudij Spiritualis.

PRIMA Proprietas eſt, quod omnium actionum humanarum finis & ſcopus ſit aliquod gaudium. Hanc tradit S. Chryſoſt. ad populum. *Voluptatem,* inquit, *quærunt, & gaudere cupiunt omnes, & propter hoc omnia faciunt, & dicunt, & negotiantur. Nam mercator ideo nauigat, vt pecunias congreget, congregat autem ut iis gaudeat: & exercitus dux ideo tractat arma, & agricola colit terram, & quiſq; artem ſuam tractat, vt honore & lucro gaudeat.* Et S. Auguſtinus decimo Confeſſionum. *Vnum eſt,* ait, *quo peruenire omnes nituntur, ut gaudeant. Quæ quoniam res eſt, quam ſe expertum non eſſe nemo poteſt dicere, propterea reperta in memoria recognoſcitur, quando*

Chr. hom. 18.
A. cap. 21. & 22.

quando beatæ vitæ nomen auditur. Absit Domine, absit à corde serui tui qui
confitetur tibi, absit vt quocunq; gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim
gaudium, quod non datur impiis, sed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium
tu ipse es. Et ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te, ipsa est, & non
altera. Qui autem aliam putant esse, aliud sectantur gaudium, neq; ipsum ve-
rum. Ab aliqua tamen imagine gaudij voluntas eorum non auertitur. Et S. B.serm.4.
Bernardus scribens in verba Apostoli. Non est regnum Dei esca &
potus. *Nemo,* inquit, *est, qui gaudere non velit.* Et Seneca ad Lucilium. S.ep.59.
Omnes tendunt ad gaudium sed vnde stabile, magnumq; consequantur igno-
rant. Ille ex conuiuiis & luxuria. ille ex ambitione & circumfusa clientum
turba: ille ex amica, alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, & nihil
sanantibus litteris. Omnes istos oblectamenta & breuia decipiunt, sicut ebrie-
tas, quæ vnius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat.

II. Proprietas est, in hac uita nullum esse purum & solidum gau-
dium, sed mixtum aliqua afflictione, quod indicant illa dicta Aposto-
li. *Tempus breue est, reliquum est, vt qui flent sint tanquam non flentes, & qui* 1.Cor.7.30.
gaudent tanquam non gaudentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non
vtantur. Et quasi tristes, semper autem gaudentes; tanquam nihil habentes & 2.Cor.6.10.
omnia possidentes. Quæ expendens S. Augustinus. *Tristitia* inquit, *nostra* A.in psal.48.
habet quasi gaudium nostrum non habet quasi, quia in spe certa est. Quare tri-
stitia nostra quasi habet? Quia sicut somnus transit, & dominabuntur recti
mane. Nouit enim charitas uestra, quia qui somniũ indicat, addit quasi. Qua-
si dicebam, quasi loquebar, quasi prandebam, quasi equitabam, quasi disputa-
bam. Totum quasi, quia cum vigilauerit, non inuenit, quod videbat. Quasi
thesaurum inueneram, dicit mendicus. Si quasi non esset, mendicus non esset,
sed quia quasi erat, mendicus est. Itaq; modo, qui ad lætitias seculares oculos a-
periunt, & cor claudunt, transit quasi eorum, & venit verum ipsorum. Verum
ipsorum pœna est. Et S Gregorius in Euangelia. *Flet, tanquam non fleat, qui* G.hom.36.
sic temporalibus damnis affligitur, vt tamen de æternis lucris semper animum
consoletur. Gaudet verò, sed tanquam non gaudent, qui sic de temporalibus
hilarescit, vt tamen semper tormenta perpetua consideret, & in hoc quod men-
tem gaudio subleuat, hanc continuo pondere prouidi timoris premat. Bifariam S.Tho.22.q.28,
autem intelligi potest, cum quantocunque gaudio spirituali, a.2.
quod est in Domino, stare aliquam tristitiam. Semel,
quia bonum diuinum, de quo propter spem gaudemus, necdum
perfectè possidemus. Vnde regius psaltes dicebat. Heu mihi, Psal.119.5.
quia incolatus meus prolongatus est. & D. Paulus. *Dum sumus* 2.Cor.5.7.
in corpore, peregrinamur à Domino. Iterum, quia possumus trista-
ri de malis, vel nostris vel proximi, quibus retardamur à summi

Isa.59.2. boni possessione, vt sunt imprimis peccata; nam apud Isaiam Deus ipse dicit. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter me & vos.*

III. Proprietas est, Gaudium spiritale in homine Christiano potius augeri tribulationibus, quam extingui. Vnde Christus ad Apostolos. *Cum persecuti vos fuerint*, inquit, *& dixerint omne malum aduersum*
Matt.5.12. *vos mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copio-*
Act.5.41. *sa est in cælis.* Quod & fecerunt, teste B. Luca in Actis. *Ibant,* (Apostoli) *à conspectu Concilii gaudentes, quod digni habiti essent pro nomine Iesu contu-*
Col.1.24. *meliam pati.* Et B. Paulus de se ait. *Nunc gaudeo in passionibus meis. Et.*
2.Cor.12.10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Nec gaudet solum in illis, verum
Gal.6.14. etiam quod maius est, in illis gloriatur. *Mihi autem*, inquit ad Gala-
2.Cor.12.9. tas, *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et ad Corinthios.
Heb.10.34. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Deinde ad Hebræos ita scribit. *Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Sed &
Iac.1.2. B. Iacobus apostolus ab hac sententia epistolam suam inchoauit. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.* S.
1.Pet.4.12. Petrus verò ita loquitur. *Charissimi nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat, sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* Ex hac proprietate
B.h.4. colligunt S. Patres, speciatim autem Basilius in homilia de gratiarum
Chr.h.18. & 25. actione, & Chrysost. in homiliis ad populum, posse aliquem semper in hac vita spirituali gaudio frui iuxta monitum vel præceptum Apo-
Phil.4.4. stolicum. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Et *semper gaude-*
1.Thes.5.15. *te.* Verba Basilii sunt. *Anima quæ semel se modis omnibus desiderio sui a-*
B.hom.4. de grat. actione. *strinxit conditoris, prorsus non sinet vehemens illud gaudium animi sui per multiplicem carnalium affectionum mutationem intercipi. Quin potius, quæ aliis mærorem afferunt in cumulum lætitiæ sibi conuertet.*

IV. Proprietas gaudii spiritalis est, alienis malis uel tribulationibus potius condolere, quàm exultare, iuxta illud Pauli ad Roma-
Rom.12.15. nos. *gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Sic fecit propheta Isai-
Isa.21.3. as, dum ait. *Propter destructionem Babylonis repleti sunt lumbi mei dolore,*
Rom.9.2. *sicut angustia parturientis.* Sic Apostolus, cum doleret ob fratrum in-
2.Cor.11.29. teritum. *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.* Et rursus. *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non vror?*
A.c.40. Certe S. Augustinus non dubitat ruinis aliorum exultantes comparare dæmonibus in libro de vera religione. His (angelis exterminatoribus) inquit, *similes sunt homines, qui gaudent miseriis alienis, & risus sibi*

sibi & ludicra spectacula exhibent, vel exhiberi volunt euersionibus & erroribus aliorum. Quanquam alibi non diffitetur posse aliquando pios, de impiis vindicta diuina sublatis ob bonum finem lætari. nam inter B. Prosperi sententias ex Augustino decerptas una hæc est. *De beneuolentia est non de malitia, cum lætatur iustus in impios processisse vindictā, quia non peccatoris exitium placet, quem voluit corrigi, sed iustitia Dei, qua scit multos posse conuerti.* Ad eandem proprietatem pertinet plus *de magno bono alieno gaudere*, quam de exiguo proprio, vt annotauit S. Bernardus in Cantica, eo quod ordo charitatis postulet, maius bonum, in quocunq; sit, maiore affectu prosequi. P.246. B.serm.49.

V. Proprietas est, quod gaudium spiritus natura sua sit perpetuum, sicut contra mundi gaudium est temporale & momentaneum. Vnde Apostolus monuit ut *semper gaudeamus*; deinde docuit *caritatem nunquam excidere*; cuius actus uel effectus inseparabilis est gaudium spiritus. De eo in Constitutionibus monasticis ita scribit S. Basilius. *Quem praua affectio prorsus nulla obturbat, contraq; cui virtus est omnis, omnisq; dignitas comes adiuncta, hunc sine dubio ritè, & vt par est, lætari existimandum est, eiusq; lætitiā immutabilem esse atq; sempiternam, quando lætitia virtutis ac bonitatis est affectatrix, ut est apud prophetam. Lætabitur Dominus in operibus suis.* Et S. Chrysostomus ad populum. *Sit aliquis nihil in se damnandum habens, sed bona fretus conscientia, & ad futura anhelans, & expectans illam beatam spem, quid hunc quæso in tristitiam poterit inducere? Nam omnibus rebus mors intolerabilior esse videtur, sed huius expectatio non tantum ipsum non contristat, verum & potius delectet. nouit enim, quod mortis præsentia laborum est liberatio, & cursus ad coronas & brauia pro virtute pugnantibus reposita. Sed filiorum acerba mors. Verum & hoc generosè fert, & dicit Iob verba. Dominus dedit, dominus abstulit. Sicut domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum in secula.* Et infra. *Quid igitur, sancti non dolebant? non audis Paulum dicentem. Tristitia mihi magna est, & indesinens dolor cordi meo. Hoc ipsum nempe admirabile est, quod tristitia lucrum & voluptatem ex lucro ferebat. Sicut enim flagella (Apostolis in Actis) inflicta non dolores, sed lætitiam, sic & tristitia magnas illas præbebat coronas. Et hoc est admirabile, quod non mundi tristitia tantum, verum & lætitia damnum habet extremum. In spirituali verò contrarium totum, non lætitia tantum, verum & tristitia multum habet bonorum thesaurum.* Phil.4.4. 1.Cor.13.8. B.cap.3. Ps.103.31. Ch.hom.18. Iob.1.21. Rom.9.2. Act.5.41.

CAPVT V.

De Mediis idoneis ad gaudium spirituale obtinendum.

PRIMVM Medium est Bona conscientia ex bonis operibus collecta. vnde Ecclesiastes dixit. *Cognoui, quod non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua.* Et rursus. *Et deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo.* Et *Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Ecclesiasticus uerò. *Non est,* ait, *oblectamentum super cordis gaudium.* Vnde S. Chrysost. ad populum Antiochenum ita loquitur. *Nihil aliud est triste, nisi Deum offendere. Quod cum aberit, non tribulationes, non insidiæ, non quicquam aliud sapientem animam poterit contristare, sed quemadmodum si exiguam scintillam in lacum deieceris profundum, statim extinxeris, itidem & omnis tristitiæ superabundantia in bonam missa conscientiam extinguitur. Propterea quidem & Paulus semper gaudebat, quoniam interius secundum Deum confidebat, neq; tot malorum capiebat sensum; sed dolebat quidem vt homo, non tamen cadebat. Sic & Abraham Patriarcha erat in delectatione, multa passus tristia. Verum nihil horum eum prostrauit.* B. Cæsarius Arelatensis hom. 12. *Verum gaudium non possidetur, nisi pax & iustitia teneatur. Prima est enim & quasi radix iustitia, Secunda pax, tertia gaudium. De iustitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. Iustitia & pax quasi bona opera esse videntur, gaudium verò fructus esse bonorum operum intelligitur.* Et S. Bernardus in libris de Consideratione. *Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius est, & securius bona conscientia? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ & ipsa morte magis erigitur, quam deprimitur.* Consentiunt nostris scriptores Ethnici. Cicero ad Torquatum epistola familiari. *Conscientia recta voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum.* Et Seneca ad Lucilium. *Nolo tibi vnquam deesse lætitiam. Volo illam tibi domi nasci. Nascitur, si modò intra te ipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus sed frontem remittunt, leues sunt: nisi forte tu iudicas illum gaudere, qui ridet. Mihi crede, res seuera est verum gaudium.* Et paulo post. *Veri boni auiditas tuta est. Quid sit istud interrogas, aut vnde subeat? dicam. Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam.*

Eccl. 3. 12. Ib. 22. Eccl. 9. 7. Eccl. 30. 16. Ch. hom. 25. Cic. lib. 6. S. ep. 24.

II. Medium, Timor Domini. nam Ecclesiasticus ait. *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.* Et Malachias

Eccli. 1. 11.

lachias. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in* Mal.4.2.
pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento. Vnde Chry-
sost. homilia citata ad populum. *Non multis opus est sermonibus, sed si so-* C.hom.18.
lum dictum Apostoli cogitemus vitam inueniemus. nec enim simpliciter dixit.
Gaudete semper, sed addidit continuæ voluptatis causam, cum dixerit. Phil 4.4.
Gaudete in Domino semper. In Domino semper. In Domino gaudens ex acci-
dente nullo voluptate hac excidere potest. Alia nempe cuncta in quibus gau-
demus mutabilia sunt, & transitu facilia, nec hoc solum habent molestum, sed
etiam quod manentia non tantam nobis afferunt voluptatem, vt ex aliis nas-
centem tristitiam repellāt, Dei vero timor habet hæc vtraq;. Stabilis est immo-
tusq;, & tantam sub ministrat lætitiam, vt nullus nos aliorum malorum sensus
capiat. Deum enim sicut oportet timens & in ipso confidens voluptatis radi-
cem lucratus est & omnem habet lætitiæ fontem.

III. est Memoria Dei, & beneficiorum eius. Vnde Psaltes regi- Psal.15.8.
us. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est* Psal 76.4.
mihi ne commouear. propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua B.hom.4.
mea. Et *memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit Spiri-*
tus meus. S. Basilius certe in homilia de gratiarum actione existimat
hoc vnum medium sufficere, vt quod postulat Apostolus à Philip-
pensibus & Thessalonicensibus, semper & continenter gaudeamus.
Apostolicæ, inquit, *sententiæ rudes, eo imprudentiæ & temeritatis prosiliunt,*
vt incusare ausint Paulum, quasi is nobis præscribat factu impossibilia. Atq;
erudiantur & discant tot adeo nobis proponi causas parādi istius gaudii prorsus
rationi consentaneas, idq; sola Dei munifica liberalitate. Quum non essemus, i-
pse fecit: sumus proinde ad nostri conditoris facti imaginem. Mente pariter &
ratione insignimur, quo vtroque humanæ conditionaturæ perficitur, & vtri-
usq; suffragio subnixi Deum cognouimus. Boni à malo discernendi facultate
præditi sumus. Per peccatum alieni à Deo effecti in gratiam rursus per vnige-
niti sanguinē sumus reuocati, & seruituti ignominiosæ exempti. Spes insuper re-
surrectionis, fruitio multiplex angelicorum bonorum, regnum celeste repro-
missa bona, mentis rationisq; vim omnem exuperantia. Quinam non con-
ueniat hæc censere causas suggerere nobis gaudii nunquam desituri, ac per-
petis lætitiæ abundé sufficientes atq; idoneas.

IV Medium. Spes firmissima gaudii & felicitatis æternæ in cœlo. Psal.5.12.
Vnde Rex Dauid. *lætentur omnes, qui sperāt in te Domine.* Et Ecclesiasti- Eccl.2.9.
cus. *Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vo-* Mat.5.12.
bis misericordia. Et Christus Dominus. *Gaudete & exultate, quo-* Luc 10.20.
niam merces vestra copiosa est in cælis. Et *Gaudete quod nomina vestra*
scripta sint in cælis. Et Apostolus ad Romanos. *Spe gaudentes.* Vnde Rom.12.12.
S.Bas.

Ba.hom.4. S. Basilius loco citato. *Sicut qui minus acri sunt oculorum acie, eos auocant à contuitu rerum nimis splendidarum, & refocillandos defigunt in flores, aliaq; viridantia Sic anima non debet se dare contemplandis rebus præsentibus, quæ plenæ sunt mæroris, sed iis quæ verè bona sunt. Ita enim assequeris ut semper gaudeas, nempe si vitæ tuæ institutum ratioq; omnis Deum collineet ac spectet, & spes retributionis, quæ in hac vita tristia sunt, leniora efficiat. Affecit te aliquis ignominia? Quin tu ad eam suspice gloriam, quæ reposita in cælis est tibi parandam merito patientiæ. Iacturam rerum tuarum adijsti? oculos imprime fixius cælestibus diuitijs, & thesauro incomparabili, quem tibi bonorum operum pretio seposuisti. Patrione solo exclusus es? At patriam habes cælestem illam Hierusalem. Ad eum modum, si iis, quæ molestiam tibi nunc pariunt opposueris quæ sperantur bona animam tuam ab omni anxietate seruabis.* ad quod nos inuitat sanctio legis Apostolicæ. semper gaudete. S. Bernardus in verba Apostoli. Non est regnum Dei esca & potus, scribens. *Loquar*, ait, *quod expertus nouit, inexpertus ignorat: animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Nunquid non plerunq; orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius quod est in Hierusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra, & lacrymarum vnda vultus meditantium perfundit? si duraret. Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ. Vere in principio lætitiæ, quia finis illic repositus est. Principium gaudij illius, quod hic quandoq; sentimus stilla est, guttula est, de flumine illo descendens, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei.*

Rom. 12. 12.

B. serm. 2.

VIDE *V. Contemplatio, Deuotio, Familiaritas cum Deo Laudatio Dei. Et in* PANARIO. *Desolatio spiritualis. Tristitia.*

GRATIARVM ACTIO
Deo debita
CAPVT I.
De nomine Gratiarum actionis.


RATIARVM actionis nomen hic accipimus pro grati animi affectione, vel gratitudine erga benefactorem. Quod à voce gratiæ deriuatur, quatenus significat beneficii accepti memoriam vel remunerationem. Ita enim definit ex M. Tullio Gratiam S. Augustinus in libro quæstionum 83. *Gratia est, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria & remunerandi voluntas continetur.* Et Ouidius hoc significatu vsurpauit Cic.l.2.de inuẽt. A.q.31.

Gratia pro rebus merito debetur inemptis.

Nec non Aristoteles in quarto Ethicorum, cum ait. *Gratia ei qui dat exhibetur.* Hanc gratiæ virtutem S. Thomas in summa Theologica numerat inter virtutes Iustitiæ annexas. Ar.c.1. Th.22.q.106. a.1.

VERVM quia non vna est ratio benefactorum, quibus grati animi officium debemus, (possumus enim beneficio affici non modo à Deo, sed etiam ab hominibus) idcircò non ad eandem iustitiæ speciem quæuis gratiarum actio necessario pertinet. Nam quæ debetur Deo est virtutis *Religionis.* Quæ verò parentibus, patriæ & Magistris ac institutoribus, pertinet ad *Pietatem.* Quæ autem personis in dignitate Politica vel Ecclesiastica constitutis ad *Obseruantiam* ac deniq; quæ quibuslibet particularibus benefactoribus, ad virtutem *gratitudinis* nomine communi appellatæ. Nos hic agimus de primò genere gratiarum actionis, quam debemus Deo tanquam primario omnium rerum auctori & principio, & omnes alias in se eminenter vel materialiter comprehendit; siquidem nullum beneficium ab homine vllo præstari potest, quod non sit à Deo profectum. *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum,* inquit B. Iacobus, *de sursum est, descendens à Patre luminum.* Iac.1.17.

CAPVT II.

De dignitate & præstantia gratiarum actionis.

DIGNITATEM nobilitatemq́; uirtutis huius bifariam deprehendere licet. ſemel, quod ad Religionem moralium omnium præſtantiſſimam pertineat. iterum, quod circa nobiliſſimum obiectum, Deum eiuſq́; beneficia, quorum nullum eſt exiguum, vt loqui-
C. hom. 26. in Acta. tur S. Chryſoſtomus, uerſetur. Qua de cauſa in diuinis Scripturis paſſim gatiarum actio inter honorifica officia Deo delata numeratur. Vt
2. Eſd. 12. 27. apud Eſdram. *In dedicatione muri Hieruſalem, requiſierunt Leuitas de omnibus locis ſuis, vt facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis.* Et apud Iſaiam.
Iſa. 51. 3. *Conſolabitur Dominus Sion, & ponet ſolitudinem eius quaſi hortum Domini. Gaudium & lætitia inuenietur*
Apoc. 7. 12. *in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Et in Apocalypſi S. Ioannis. *Omnes angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum & quatuor animalium, & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deũ, dicentes, Amen. Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen.* 2. in iiſdem appellatur ſacrificium laudis, & omnibus veteris legis ſacrificiis antefertur, vt do-
A. lib. 1. c. 8. cet S. Auguſtinus contra aduerſarium legis & prophetarum: nam
Pſal. 49. 13. cum citaſſet illa verba Pſalmi; *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua.* Et. *Sacrificium laudis honorificabit me, & ibi via, qua oſtendam illi ſalutare Dei. Quod eſt autem,* ſubdit, *ſacratius laudis ſacrificium, quàm in actione gratiarum? Et vnde maiores agendæ ſunt Deo gratiæ, quàm pro ipſius gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum? Quod totum fideles in Eccleſiæ ſacrificio ſciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priorum genera ſa-*
Matt. 26. 27. Luc. 22. 17. 1. Cor. 11. 24. Col. 3. *crificiorum.* 3. quia nobiliſſimum Eccleſiæ Chriſtianæ ſacramentum & ſacrificium, quod cum gratiarum actione à Chriſto ipſo inſtitutum eſt, nomenclaturam ſuam à gratiarum actione accepit, nihil enim aliud eſt εὐχαριστία niſi gratiarum actio. Vnde Chryſoſtomus homilia 26 in Matthæum. *Apoſtolus dixit. Grati eſtote. Optima quippe beneficiorum cuſtos eſt memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confeſſio. Propterea & reuerenda ac ſalutaria illa myſteria, quæ in omni certe Eccleſiæ congregatione celebramus, Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio nuncupatur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputq́; ipſum diuinæ erga nos charitatis oſtendunt, noſq́; faciunt debitas Deo gratias ſemper exoluere.* 4. quia Apo-

stolus Paulus, in priore epistola ad Timotheum postremum locum inter orationum formas, hoc est dignissimum, gratiarum actioni tribuit. *Obsecro igitur*, inquiens, *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, &c.* Quæ uerba tractans Ioan. Cassianus collatione nona. *Quarto*, inquit, *loco gratiarum actiones ponuntur, quas mens vel cum præterita Dei recolit beneficia, vel cum præsentia contemplatur, seu cum in futurum, quæ & quanta præparauerit Deus his, qui diligunt eum prospicit per ineffabiles excessus Deo refert. Qua etiam intentione nonnunquam preces vberiores emitti solent, dum illa quæ reposita sunt in futuro Sanctorum præmia purissimis oculis intuendo ineffabiles Deo gratias cum immenso gaudio spiritus noster instigatur effundere.* Deinde subiicit, obsecrationes ad incipientes, orationes ad proficientes, postulationes autem & maximè gratiarum actiones pertinere ad perfectos. Simile discrimen notat S. Bernardus sermone de 4. modis orandi & per gratiarum actionem intelligit orationem viri perfecti, qui se certo confidit exauditum.

1. Tim. 2. a.

C. c. 14. & 15.

S. Chrysostomus quoq; præstantiam huius virtutis ad populum Antiochenum his verbis declarat. *Magnus thesaurus gratiarum actio, magnæ diuitiæ, inconsumptum bonum, armatura fortis: sicut blasphemia ingruentem iacturam intendit iis, qui peierare solent, plura insuper perire facit. Perdidisti pecunias? Si gratias, quidem egeris animam lucratus es, & maiores nactus es diuitias, quia Dei beneuolentiam hausisti amplius: si verò blasphemaueris, insuper & salutem tuam amisisti, & quam habuisti animam occidisti.* Et in verba illa psalmi. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Confessionem*, ait, *hic mihi videtur dicere gratiarum actionem. Laudabo, inquit, agam gratias. Totam enim uitam in hoc consumpsit, ab hoc exorditur, & in hoc desinit. Perpetuo enim fuit hoc eius munus, pro iis, quæ & ipse & alii acceperunt beneficiis gratias agere. Deus enim nihil æquè atq; hoc postulat. Hoc est sacrificium, hoc oblatio, hoc est, pij & grati animi signum Hoc ulnus infert diabolo Ex hoc coronabatur B. Iob & prædicabatur, quod cum tentationes illatæ essent innumerabiles, & vxor quoque eum supplantare vellet, non auersus est, sed Deo de omnibus egit perpetuo gratias, non solum quando fuit diues, sed etiam quando erat pauper: non quando erat sanus, sed etiam quando caro scatebat hulceribus. Hoc enim est grati inprimis animi in rebus aduersis Deo perpetuo habere & agere gratias.* S. Ambrosius primo libro de Officiis ita scribit. *Conferre gratiam bonum est, at qui referre nescit, durissimus. Humanitatis exemplum ipsa terra suggerit: Spontaneos fructus ministrat quos non severis, multiplicatum quoque reddit, quod acceperit. Negare tibi pecuniam numeratam non licet, quomodo licet acceptam non referre gratiam?* in Prouerbiis

Ch. hom. 8.

Psal. 110. a.

Iob. 1. 9. 10. 11.

A. c. 31.

quoq; habes, quod ita plurimum redhibitio ista gratiæ apud Deum consueuit valere, vt etiam in die ruinæ inueniat gratiam, quando possunt præponderare peccata. Et quid aliis vtar exemplis, cum Dominus ipse remunerationem vberio-
A.ep.5. *rem sanctorum meritis in Euangelio polliceatur.* S. Augustinus ad Marcellinum. *Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus quam Deo gratias? hoc nil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi*
S.c.16.19.22. *gratius, nec agi fructuosius potest.* Senecæ quoq; libro quarto de Beneficiis generalia illa dicta sunt. *Quid tam laudabile, quid tam æqualiter in omnium animos receptum, quam referre bene meritis gratiam?* Et. *Quid est autem honestius, quam gratum esse?* Et. *Omnes abire è rebus humanis quam gratissimi volumus.*

CAPVT III.

De Gratiarum actionis necessitate & vtilitate.

NON modo præstantiam, verum etiam necessitatem vtilitatemq; virtutis huius diuina oracula nobis commendant. Nam, ut liquet
Leuit.7. ex Leuitico, peculiare sacrificium pro gratiarum actione cum suis ri-
Esth.c.16. tibus decretum est? Et in historia Esther Rex magnus Artaxerxes in epistola pro Iudæis data, grauiter queritur de quibusdam ingratis in hæc verba. *Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis & humanitatis in se iura violare, sed Dei quoq; cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere*
Isa.1.2. *sententiam.* Deus quoq; ipse apud Isaiam de Iudæis dicens *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Et Christus Dominus de no-
Luc.17.17. uem leprosis à se mundatis. *Decem,* inquiens, *mundati sunt, & nouem vbi sunt? non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.*
Eph.5.4. Apostolus verò crebrius ad eam hortatur, vt ad Ephesios. *Fornicatio,* ait, *& omnis immunditia nec nominetur in vobis, &c. sed magis gratiarum*
Ib.20. *actio.* Et rursus. *Implemini Spiritu sanctos loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus cantantes & psallentes in cordibus*
Phil.4.6. *vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus.* Et ad Philippenses. *In omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ inno-*
Col.3.15. *tescant apud Deum* Et ad Colossenses. *Grati estote.* Et. *Orationi instate, vi-*
Ib.4.2. *gilantes in ea in gratiarum actione.* Et in priore ad Thessalonicenses. *In*
1.Thes.5.17. *omnibus gratias agite: hæc enim est voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus*
2.Thes.1.3. *vobis.* Et in posteriore. *Gratias agere debemus semper Deo pro vobis.* Et
1.Tim.2.1. ad Timotheum. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus pro regibus & omni-*

omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo. Deniq; suo exemplo Apostolus in gratiis agendis Deo est creberrimus per omnes epistolas, immò & Christus Dominus vt liquet ex Euangeliis. Matt.15.26. Marci 8.14. Luc.17.18.22. Ioan 6.11.

Ex S. Patribus ita scribit S. Basilius homilia in Martyrem Iulittam. *Si quando lætius arridet vitæ institutum, illam depromamus Dauidis vocem. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ex nihilo effecit vt essemus, ac produxit, dono rationis ornauit, inuentum artium ad vitam tuendam gratuitò contulit. è terræ visceribus alimenta eduxit, &c. Rectè dicis, retribuit. Quam enim rependis pro accepta gratia gratiarum actionem in numerum refert, & habet beneficii loco, qui licet aliud nil accipiat quàm quod suum est, solidam tamen retribuit gratiam, ac si propria dedisses.* S. Ambrosius sermone 42. *Dic mihi, num si aliquid de tuo cuicunq; largiris, expectas vt tibi gratias agat: vt benedicat domum, de qua ei humanitas sit tributa? Qui si forte gratias non agit, quemadmodum à te denotatur ingratus? Ita ergo & à nobis expectat, qui nos pascit Deus, vt pro præstitis ab eo escis illi gratias referamus, & saturi donis ipsius laudes ei dicamus, Cæterum, si accipientes diuina munera taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur.* S. Chrysost. in Matthæum. *Neq; Deus,* inquit, *alicuius nostri eget, sed nos omnium, quæ illius sunt, indigemus. Siquidem gratiarum actio illi quidem nihil omnino addit, nos autem magis illi familiares facit. Nos enim hominum beneficia recordantes, vehementius eorum amore succendimur, multo magis beneficiorum in nos Dei memores studiosiores erimus ad ipsius mandata seruanda, idcirco Apostolus dixit. Et grati estote. Optima quippe beneficiorum custos, est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confessio.* Et in epistolam ad Colossenses. *Et grati sitis, inquit Apostolus, hoc enim potissimum vbiq; requirit, vtpote summam bonorum. Gratias itaq; agamus in omnibus, quicquid fiat: hoc enim est, gratum esse. Rebus enim prosperis hoc facere, nihil magni fuerit: nam ipsa rerum natura eò impellit. Quando verò in extremis existentes gratias agimus, tunc præclarum est, Quando enim ceteri maledicunt & fastidiunt, nos gratias agimus. Vide quanta sit philosophia. Primum Deum lætificas, alterum, diabolum pudefacit: tertium, & quod malè factum est, nihil esse facis. Nam & tu simul gratias agis, & Deus dolorem amputat, & diabolus abscedit.* S. August. de Spiritu & littera cap.11. *Cultus Dei in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata: vnde in ipso verissimo & singulari sacrificio Domino Deo nostro gratias agere admonemur. Deus enim bonorum nostrorum non indiget.* B. Bernardus in Cantica. *Quod si copiæ aquarum,* ait, *secretis sub*

B.hom 5. Psal.115.12. C.hom.26. Col.3.15. C.hom.8. B.serm.15.

terraneisq. recursibus incessanter aquo rarepetunt, vt inde rursus ad visus, vsusq. nostros iugi & infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales riui, vt aruamentium rigare non desinant proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur. Ad locum, vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Qualiter inquis? qualiter dicit Apostolus. In omnibus gratias agentes. *Quicquid sapientiæ, quicquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei sapientiæ deputa Christo.* Denique necessitas huius virtutis inde elucet, quod contrarium ei vitium, nempe ingratitudo, apud gentiles etiam in summa semper vituperatione fuerit. Seneca enim librum tertium de beneficiis ab hac sententia inchoauit. *Non referre beneficiis gratiam, & est turpe & apud omnes habetur.* Et paulo post. *Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit. Ingratus est, qui dissimulat. Ingratus qui non reddit, ingratissimus omnium, qui oblitus est.*

Sen. cap. 1.

CAPVT IV.

De quibusdam proprietatibus gratiarum actionis.

PRima proprietas gratiarum actionis Deo debitæ est, quod nulla sufficiens Deoque digna à nobis rependi queat. *Quis enim prior,* inquit, Apostolus, *dedit illi & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Vnde Clemens Alexandrinus. *Non possunt omnino referri gratiæ pro dignitate salutis, si conferantur cum vtilitate, quæ à Domino proficiscitur.* Et Greg. Nazianzenus in Pascha. *Nam dignum munus offerre Deo vix ipsi quoque angeli possunt, illi inquam primi, intellectuales & puri, supernæq. gloriæ spectatores, ac testes.* Et Chrysost. in Matthæum, post enumerata aliquot Dei beneficia. *Putasne,* inquit, *si quotidie pro eo qui nos tam mirificè amat moriamur condignas posse referre gratias, immo verò minimum quid debiti reddere? nequaquam.* S. Augustinus septimo de ciuitate Dei. *Quanquam enim quod sumus, quod viuimus, quod cœlum terramq. conspicimus, quod habemus mentem atq. rationem, qua eum ipsum, qui hæc omnia condidit, inquiramus, nequaquam valeamus actioni sufficere gratiarum, tamen quod nos oneratos, obrutosq. peccatis, non omnino deseruit, misitq. nobis verbum suum, qui est vnicus eius filius, qui pro nobis in assumpta carne nato atq. passo, quanti Deus hominem penderet, nosceremus, &c. Quæ corda, quot linguæ ad agendas ei gratias satis esse contenderint?*

Rom. 11. 35.
Cl. 7 strom.
G. orat. 2.
Ch hom. 62.
Au. c. 31.

II. Proprietas est, quod non rebus ipsis, sed verbis tantum gratias Deo agamus. Sic enim scribit idem Augustinus in enarratione 88.

psalmi. *Quid dicam aliud,* inquit, *quam gratias gratiæ ipsius?* (Dei) *Nos enim gratias agimus, non damus, nec reddimus, nec referimus, nec rependimus gratiam, sed tantum verbis agimus, retribuimus. Ipse nos gratis saluos fecit, ipse impietates nostras attendit, ipse nos non eum quærentes quæsiuit, inuenit, redemit, liberauit à dominatu diaboli.* Et S. Chrysost. in Genesin. *Si voluerimus offerre aliquid Deo, quid amplius offerre possumus, quam quantum verbis gratias referimus? Ea sanè quæ ipse exhibet opere præstat. Quam autem imparia sunt verba & opera? Et Dominus nullarum rerum indigus est, nullaq; rerum nostrarum eget, quàm verbis, atq; hanc ipsam in sermonibus gratiarum exigit, non quod ea ipse opus habeat, sed vt nos doceat gratos esse, & agnoscere tantorum bonorum auctorem. Et illam ob causam Paulus quoq; scribens dicebat. Grati estote. Nihil sic requirit à nobis Dominus, vt istuc ipsum.* Et infra. *Sicut cum grati sumus hominibus qui nobis bene fecerunt, clariores reddimur, ita si in Deum fuerimus grati, nosipsos illustriores facimus; quoniam non ut nostra celebratione opus haberet hoc fieri vult, sed ut quicquid id lucri est iterum ad nos redeat, & dignos nos faciamus maioribus subsidiis.*

Ch. hom. [illegible]

Col. 3. 15.

III. Proprietas est, quod gratias agendo Deo, potius accipiamus aliquid ab illo, quam quod aliquid ei demus *Ei qui omnia,* inquit Nazianzenus in oratione de pauperum amore, *elargitus est, vniuersas opes dato: nunquam Dei liberalitatem & munificentiam vinces, quamuis omnium tuarum facultatum iacturam feceris, quamuis te etiam facultatibus adiunxeris. Nam hoc quoq; ipsum accipere est, Deo aliquid donare.* Et Chrysost. exponens verba illa Dauidis. Confitebor Domino secundum iustitiam eius *Gratias agam,* inquit, *non aliorum gaudens cædibus, sed Dei sententiam suscipiens; nec dixit confiteor, sed confitebor, significans quod nec postquam est assecutus bonorum obliuiscitur, nec fit negligentior, sed vigilet: non quod Deus iis indigeat, sed quod hoc nobis sit vtile & commodum, quemadmodum accipiebat sacrificia, non egens sacrificiis. Si enim esuriero, ait, non dicam tibi: sed homines deducens ad eius honorem: ita etiam hymnos laudesq; suscipit, nostra laudatione non egens, sed nostram salutem desiderans. Deo enim magnæ curæ est, vt in virtute crescamus. nihil autem æquè facit in virtute crescere atq; cum Deo assiduè versari & colloqui, eiq; perpetuo gratias agere & psallere.*

Psal. 7. 18.

Psal. 49. 12.

IV. Est, gratiarum actionem, aliudue munus, quantumcunq; parum Deo oblatum, Deo esse gratissimũ. Id probat dictus Nazianzenus exemplo viduæ duo minuta offerentis in gazophylacio. *Vnusquisq;,* inquit. *Deo, quod poterit offerat, quouis tempore, quouis genere vitæ & fortunæ pro præsentis facultatis modulo pro gratia sibi cõcessa, vt per omnes virtutis modulos omnes regni cælestis mansiones impleamus.* Et paulo post. *Nihil earum rerum quæ*

G orat. in Iul.
Luc. 21. 2.

quæ Deo offeruntur, tam paruum est, quamuis etiam minimi momenti sit, quamuis longè illius dignitate inferius, quod non omnino accipiat, atq; comprobet, tametsi iusto iudicio misericordiam æstimare & expendere norit. Accipit ille & Pauli plantationem vt Pauli, & Apollinis irrigationem, & viduæ duo minuta, & Publicani humilitatem, & Manassis confessionem. Et rursus. *Atq; illud pulcherrimum, humanissimumq; censendum est, quod Deus munificentiam non oblatæ rei pretio & dignitate, sed offerentis affectu & facultate metitur.*

V. Est, ut gratiæ agantur Deo non in prosperis modo, sed etiam in aduersis, eo quod Deus etiam aduersa immittendo aut permittendo beneficium nobis præstet. Vnde S. Basilius in psalmum 33. *Nihil minus*, inquit, *Christianum decet, quàm vt rebus suis prosperè cadentibus benedicat Deo: contra tristiore quapiam calamitate afflictus laudes reticeat Dei: quando tunc quoq; gratiæ vberiores agendæ veniunt, vt qui planè nouerit,*
Heb.12.6. *quia quem diligit erudit & castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.*
Ch. hom.2. Et Chrysost. in epistolam ad Romanos. *Gratias agere oportet non solum diuites, sed & pauperes: non tantum bene valentes, sed & ægrotos: non tantum quibus ex voto, sed & quibus præter animi sententiam sinistrè cadunt omnia. Rebus enim prosperè habentibus gratias agere, nihil in se habet præcipui, cum verò multum obuenit fluctuum, vt iam euersa naue periclitandum sit, tum primum conspicua redditur animi multa cum patientia, tum beneuolentia. Vnde & Iob coronatus impudens os Satanæ obstruxit, palamq; ostendit, quod non propter diuitias, quum bene haberet, sed propter plurimam, quam erga*
Id.hom.8. *Deum habebat dilectionem gratias egerit.* Et ad Colossenses. *Nihil hac lingua sanctius est, quæ in aduersis Deo gratias agit. Certe non inferior est lingua*
Id.hom.20. *martyrum, vtraq; pariter coronatur.* Et ad Hebræos. *Vnum tantum à nobis quæritur, vt in omnibus gratias agamus Deo & omnia habebimus abundanter, vt puta. Perdidisti auri libras decem millia, age gratias confestim Deo, & centum millia acquisisti per vocem illam & gratiarum actionem. Dic enim mihi, quando beatum iudicasti Iob? quando habuit illos multos camelos, & pecudum greges, & armenta boum, an quando illam vocem emisit, Dominus dedit, dominus abstulit? Etenim propterea diabolus nobis damna facit, non solum vt pecunias nobis auferat; scit enim, quia nihil est, sed ut per hoc nos cogat dicere aliquid basphemum. Sic in causa Iob non hoc egit vt tantum pauperem eum faceret, sed vt blasphemiam aliquam proferret.* Deniq; S. Hieronymus in
Eph.c.5. epistolam ad Ephesios. *Christianorum propria virtus est etiam in his quæ aduersa putantur, gratias referre creatori. Qui sibi sanctiores videntur, solent Deo referre gratias, quod de periculis vel miseriis liberati sunt. Sed iuxta Apostolum hæc virtus est maxima, vt in ipsis periculis atq; miserijs Deo gratias refe-*

referantur, & semper dicamus. Benedictus Deus, minora me scio sustinere, quam mereor: hæc ad mea peccata parua sunt, nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur saluatorem, quem nec orbitas, nec dãna debilitant. Quem, vt Flaccus in Lyrico carmine ait, si fractus illabatur orbis impauidum fecerint ruinæ.

VI est, vt gratiæ agantur pro cibo & potu quotidiano, maxime ante & post mensam. Ad quod propositum S. Patres primum allegant illud Moysis. *Quum manducaueris atq; biberis, & impleueris te, memento Domini Dei tui.* Deinde exemplum Christi Domini, qui vti cõmemorant Euangelistæ, cum quinq; eoque amplius, millia hominũ pascenda in re deserto haberet prius quinq; panes, & duos pisces coniectis in cęlum oculis, gratiisq; Deo Patri actis benedixit & fugit Adhæc illud Apostoli. *Qui manducat, Domino manducat, gratias enim agit.* Et. *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago? Siue ergo manducatis siue bibitis siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et ad Thimotheum vbi arguit hæreticos iubentes abstinere à cibis, *quos* inquit, *Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Ita Sanctus Basilius in moralibus Regulis, & Chrysostomus in Matthæum *Quando,* inquiens, *Christus panes multiplicauit. tunc in cœlum respexit, partim vt ea quæ diximus firma haberentur partim docens non esse ad mensam accedendum, quousque gratias ei agamus, qui cibum nobis præbuit.* Alibi verò idem recitat formulam gratiarum actionis, quam vsurpent post cœnam monachi in eremo, nempe hanc. *Benedictus Deus, qui me pascis à iuuentute mea, qui omni carni cibum præbes, reple lætitia & gaudio corda nostra, vt semper satis habentes ad omne bonum opus abundemus in Christo Iesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperiũm cum Sancto Spiritu in secula. Amen. Gloria tibi Domine, gloria tibi sancte, gloria tibi Rex, quoniam dedisti nobis escas, gaudio & lætitia reple nos in Spiritu sancto, inueniamur in conspectu tuo acceptabiles sine verecundia, quando vnicuique reddes secundum opera sua.* Sanctus Ephræm quoque adhortatione prima ita scribit. *Canonem, seu regulam cum omni reuerentia & timore Dei sequere: licetq; bis in die ad comedendum tradatur, semper cibum cum gratiarum actione sumito.* Et Beatus Hilarius illa verba Marci exponens. Manducantibus illis accepit Iesus panem & benedicens fregit, &c. Et accepto calice gratias agens dedit eis & biberunt, &c. *Sicut,* inquit, Apstoli *gratias egerunt, antequam biberent, ita etiam gratias agunt postquam biberunt. Vnde dicitur. Et hymno dicto*

Deut. 10.
Math. 14. 19.
Marc. 6. 37.
Luc 9. 13.
Ioan 6. 9.
Rom. 14. 6.
1. Cor. 10. 30.
1. Thim. 4. 3.
Bas. reg. 56. c. 2.
Chri. hom. 50.
Id. hom. 56.
Tom. 2.
Marc. 14 23.

exierunt in montem oliueti, vt scilicet addiscas, & ante cibum, & post cibum gratiarum actiones reddere Deo.

VII. Proprietas est, ut gratiæ agantur cum debita humilitate, simplicitate & synceritate, secundum illud Apostoli, *cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus.* Hanc proprietatem descripsit S. Bernardus in Cantica. *Non omnis,* inquiens, *gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica & mera simplicitate procedit. Pudica sanè dixerim propter eos, qui & de malis actibus suis gloriantes Deo gratias agere solent, quasi Deus more ipsorum lætetur, cum malè fecerint, & exultent in rebus pessimis. Mera simplicitate verò adiunxi propter hypocritas qui Deum quidem de bonis suis, sed verbotenus glorificantes corde retinent, quod ore præbuerant & quoniam dolosè agunt in conspectu eius, inueniuntur iniquitas eorum ad odium.* Et rursus. *Nemo planè adeo vt & Pharisæus gratias agat, cuius tamen iustitiæ non est laus à Deo. Nec enim illa gratiarum actio, si bene recolis Euangelium, gratiorem eum fecit. Quare? quia quicquid deuotum in ore sonuerit, cordis non sufficit excusare tumorem apud eum, qui alta à longè cognoscit. Cernitisne Pharisæum agentem gratias, labiis quidem honorare Deum, cordis autem sententia se? Non enim iudicaret publicanum contemnendum præ se, si non præ illo se honorandum censeret.*

Eph. 5. 20. — B. serm. 13. — Luc. 18. 11.

Caput V.

De Mediis idoneis ad hanc Virtutem.

PRIMVM Medium, quo incitari possumus ad gratias semper Deo agendas est, consideratio magnitudinis multitudinisq; beneficiorum eius. Quæ expendens propheta Dauid canebat. *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus, in factis manuum tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Vnde S. Chrysost. in Genesin *Demus,* inquit, *& nos operam, vt gratiarum actiones pro virili Domino offeramus pro donis, quæ ab eo pridem nobis præstita vt & maiora inde consequamur & non obliuiscamur Dei beneficia in nos collocata, sed semper ea in mente nostra versemus, vt ad continuam gratiarum actionem mentem nostram compellant, tametsi tot sint vt mens nostra non sufficiat ad comprehendendum & enumerandum magnam, quæ nobis contigit, illorum vbertatem. Quomodo enim quis cogitare sufficeret ea, quæ in nos iam sunt collata, quæ item promissa, quæ & quotidie conferuntur?*

Psal. 142. 5. — Ch. hom. 17.

Dein-

Deinde post enumerata aliquot beneficia hactenus collata, subiungit. *Et licet tanta ac talia sint, multo maiora & ineffabiliora sunt beneficia, quæ in futuro seculo per virtutum viam incedentibus, & hinc migrantibus daturum se promisit. Quorum magnitudinem vt paucis verbis nobis commendaret B. Paulus, inquit Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor* 1.Cor.2.9. *hominis non ascenderunt, præparauit Deus iis qui diligunt se Vidisti dona excellentia? Vidisti beneficia illius omnem cogitationem transcendentia? In cor hominis non ascenderunt. Si igitur volumus supputare, & pro viribus nostris gratias agere, poterimus multo maiorem illius gratiam nobis conciliare & ad virtutem magis idonei fieri. Memoria enim beneficiorum Dei sufficiens est, quæ ad virtutum lab res nos adhortetur & præparet, vt præsentia omnia despiciamus, & vt ei qui tanta in nos beneficia contulit adhæreamus, amorem in illum singulis diebus augeri declarantes.* Idem homilia 26 in Matthæum contendit nullum beneficium Dei esse paruum.

II. Medium est, consideratio sola beneficii redemptionis nostræ per Christum Quam longe prospiciens idem propheta re- Psal.76.12. gius, postquam dixit. *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor,* mox subiicit. *Deus in sancto via, quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia. Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio populum tuum, filios Iacob & Ioseph.* In quæ verba S. Augustinus. *Quæ via tua in sancto? Ego sum, inquit, via veritas* A. in psal.76. *& vita. Ad ipsum ergo attendamus Christum. attendamus ibi viam eius. Tu* Ioan.14.6. *es Deus qui facis mirabilia solus. Tu verè magnus Deus, faciens mirabilia in corpore in anima solus faciens. Audierunt surdi, viderunt cæci, conualuerunt languidi, surrexerunt mortui, constricti sunt paralytici. Sed miracula ista tunc in corporibus Videamus in anima. Sobrij sunt, paulo ante ebriosi. fideles sunt, paulo ante adoratores simulacrorum. Res suas donant pauperibus, qui alienas antea rapiebant.* Ad hoc beneficium respiciens S. Ioannes admirabun- Ioan.3.16. dus scripsit. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam* Vnde Hom.17. in gē. Chrysost. loco citato. *Hoc obstupescens tonitrui filius, considerans'q́; charitatis diuinæ excellentiam, quam erga genus nostrum declarauit, clamabat & dicebat. Sic enim dilexit DEVS mundum. Vide quanto miraculo plena hæc dictio magnitudinem expendens, quam dicturus erat exorsus est, sic dilexit. Dic igitur nobis beate Ioannes quomodo, Sic? dic mensuram, dic magnitudinem, doce nos excellentiam. Vidisti causam aduentus filii*

hanc esse, vt per fidem in illum, qui perituri erant, salutis occasionem inuenirent. Idem homilia 26. in Matthæum.

III. Medium est, vt beneficia Dei, quæ omnibus hominibus sunt communia reputes tibi soli præstita, quod suggerit idem Aureum Os, in libro secundo de compunctione cordis his verbis. *Hic affectus*
Chrys. *est serui fidelis, vt beneficia Domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita reputet, & quasi ipse sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Hoc fecit & Paulus, qui mortem Domini & Saluatoris nostri, quæ pro vniuerso expensa est mundo sibi soli præstitam dicit.*
Gal.2.20. *Quasi enim de se solo loquens ita scribit. Quod enim nunc viuo in carne, in fide viuo filii Dei, qui tradidit semetipsum pro me. Hæc autem dicebat, non coangustare volens amplissima, & per orbem terræ diffusa Christi munera, sed quasi qui, vt diximus, pro omnibus se solum iudicaret obnoxium. Et reuera, quid interest, si & aliis præstitit, cum quæ tibi præstita sunt, ita integra sint, & ita perfecta, quasi nulli alii ex his aliquid fuerit præstitum. Ideo denique & in illa boni pastoris parabola non dicitur, quia venit oues multas quærere, sed vnam. Vna namque est, quia sic omnibus quasi vni diuina beneficia conferuntur.*

IV. Medium est, expendere, quo plura beneficia à Deo acceperis,
Luc.12.48. hoc amplius te ad gratias agendas obligatum. Nam apud Lucam Christus ait. *Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Vnde S. AVGVSTINVS in Meditationibus suis in hæc verba precatur. *Oportet ergo me Domine tanto magis tibi gratiosum, & deuotum, ad seruiendumque promptiorem existere, quanto me de tantis beneficiis obligatiorem conspicio in reddenda ratione, ne dilata vindicta tanto acrius adueniendo mala mea puniat, quanto diutius tolerauit, quod punire potuit.*

V. Medium est, considerare bruta animantia, quæ etiam pro minimis beneficiis quodammodo gratias agunt, vnde consequens est homines ingratos etiam naturæ reluctari. Exemplum affert S. Ambrosius libro sexto hexæmeri de cane domestico. *Quid* inquit, *de canibus loquar, quibus insitum est natura quadam referre gratiam, & solicitas excubias pro Dominorum salute prætendere. Vnde ad immemores benefi-*
Isa.56.10. *cii, & desides atque ignauos clamat Scriptura. Canes muti nescientes latrare. Sunt enim canes, qui nouerint latrare pro Dominis, nouerint sua tecta defendere. Vnde & tu disce vocem tuam exercere pro Christo, quando ouile Ecclesiæ incursant lupi graues. Talis canis viator & comes angeli est, quem*
Tob.6.1. *Raphael in libro prophetico non otiosè sibi & Tobiæ filio adiungendum putauit*

tauit, quando perrexit vt Asmodæum fugaret, firmaret copulam coniugalem. Memoris enim affectus gratia pellitur dæmonium, stabilitur coniugium. Mutæ itaq; specie bestiæ, sanctus Raphael angelus Tobiæ iuuenis quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum. Quis enim non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cum uideat etiam bestias refugere crimen ingrati?

ET infra. *Quis tam tenax potest esse beneficii, & memor gratiæ? quandoquidem pro Domino etiam in latrones insilire nouerunt, & extraneorum accessus prohibere nocturnos, & mori pro Dominis, & commori cum Dominis sint parati? Sæpe etiam necis illatæ euidentia canes ad redarguendos reos indicia prodiderunt, ut muto eorum testimonio plærunq; sit creditum. Antiochiæ ferunt in remotiori parte urbis crepusculo necatum virum, qui canem sibi adiunctum haberet. Miles quidam prædandi studio minister cædis extiterat, tectus idem tenebroso adhuc diei exordio in alias partes concesserat, iacebat inhumatum cadauer, frequens spectantium vulgus astabat, canis quæstu lachrymabili Domini deflebat ærumnam. Forte is, qui necem intulerat (vt se habet versutia humani ingenii) quo conuersandi in medio auctoritate præsumpta fidem ascisceret innocentiæ, ad illam circumstantis populi accessit coronam, & velut miserans appropinquauit ad funus. Tum canis sequestrato paulisper questu doloris arma vltionis assumpsit, atq; apprehensum tenuit, & velut epilogo quodam miserabile carmen immurmurans vniuersos conuertit in lacrymas, fidemq; probationi detulit, quod solum tenuit ex plurimis, nec dimisit. Deniq; perturbatus ille, quod tam manifestum rei indicem, neq; odii, neq; inimicitiarum, neq; inuidiæ, aut iniuriæ alicuius poterat obiectione euacuare, crimen diutius nequiuit refellere. Itaq; quod erat difficilius vltionem persecutus est, quia defensionem præstare non potuit. Quid nos dignum nostro referimus creatori, cuius cibo vescimur, & dissimulamus iniurias, & sæpe inimicis Dei eas, quas à Deo accepimus epulas exhibemus?* Hæc Ambrosius.

B. Petrus Damiani Cardinalis aliud exemplum commemorat de bestia syluestri libro 6. epistolarum. *Sicut fraterna*, inquit, *mihi constat relatione vulgatum, Veneti quidam institores marina discrimina remigii labore sulcabant: cumq; applicuissent, formidolosum, stupendumq; conspiciunt non procul ab ipsa litoreæ crepidinis arena portentum, Leonem scilicet, vt uidebatur, draconis spiris obeuntibus inuolutum: cumq; illinc draco captum ad speluncam suam violenter attraheret, hinc miserabilis Leo, quibus valebat nisibus reluctaret, tandem quo loco capit desperata reluctatione deficere, tanto magis draco inextricabilibus eum nodis innectens, animabatur victoriam obtinere.* Dam. ep. 5.

Sed Pandoces, qui repente huic spectaculo superuenerant, miserantes infelicem leonis vicem, audenter arma corripiunt, draconem perimunt, leonem de faucibus mortis ereptum abire permittunt. Sed leo, vt ita dicam, nobilissimus bestiarum gratus vitæ suæ auctoribus extitit, & per aliquos dies, quibus illic remorati sunt, vnam illic quotidie pellem capti à se animalis aduexit. Quid ergo mirum si sancti homines & diuinis legibus eruditi percepto charitatis officio grata, vice respondeant, cum idipsum & brutum animal videtaur implesse?

P lib. 9.

Addam tertium ex Hieroglyphicis Ioan. Pierii. *Crates*, ait, *Pergamenus, quod & Stesichorus poeta poemate prosecutus est, historiam ab huiusmodi beneficentia non absimilem recitat. Nam cum decem & sex messores quendam è sociis aquatum misissent, reperit sis apud fontem serpentem, qui complexus aquilam arctissimis eam spiris implicitam suffocabat. Ille vt falce messoria armatus erat audacter progressus ferro serpentem dissecuit, aquilam liberam abire permisit. cumq; hausta in vrnam aqua redisset sociis singulis poculum ministrauit: mox cum & ipse quoque bibere vellet præsto adfuit aquila quæ poculum ab ore dispulit eiecitque procul. dumq; messor factum miratur & aquilam, quam probè nouerat, increpat, eamq; apud socios ingrati animi ream agere meditatur, videt eos & hic & illic concidentes vitam exhalare. vnde simul & aquam, quam illi biberant, veneno infectam, & se periculo subductam intellexit beneficiumq; in volucrem optimè collocatum manifestissimé cognouit.* Plura habes in PANARIO, V. Ingratitudo

Psal. 5. 5.
Psal. 140. 2.
Dan. 6. 10.
Cyp. serm. 6.

VII. & postremum Medium sit certa aliqua tempora deligere pro agendis Deo gratiis, maximè matutinum & vespertinum, cum somnus vel inchoatur vel soluitur. Ecclesia in publico officio diuino septem vel octo tempora ritu antiquissimo sibi descripsit, à quibus Horæ canonicæ suam habent appellationem. Regii oratoris verba sunt in psalmis. *Mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi & videbo.* Et. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* De Daniele propheta scriptum est. *Tribus temporibus in die flectebat genua & adorabat, confitebaturq; coram Domino.* S. Cyprianus de oratione Dominica. *Nam & mane* inquit, *orandum est, vt Resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Recedēte item sole, ac die cessante necessario rursus orandū est.*

Cl. c. 4.

Clemens Alex. in Pœdagogo *Quemadmodū antequā sumamus alimentū laudare nos conuenit factorē vniuersorū, ita etiam in potu nos ei decet psallere, cum eius creaturarum efficimur participes. Postremo autem antequam nos somnus inuadat, pium & sanctum est Deo gratias agere, vt qui eius beni-*

benignitatem & gratiam fuerimus consecuti, ita vt cum diuino afflatu nos ad somnum conferamus. S. Basilius in martyrem Iulittam. *Accumbens mensæ ora, edens panem largitori gratiam repende. Tunicam indueris? gratias age benigno donatori, qui commodum tibi æstate, hiemeq; tribuit vestimentum. Diem peregisti? referto gratiam illi qui solem immeritis in ministerium indulsit. Si in cælũ & eximiam syderum pulchritudinem aciem oculorum defixeris, supplica Domino qui cuncta hæc in sapientia condidit.* S. Ambrosius in sermone quodam. *Qui est vtilis Christianus semper debet Domino suo laudes dicere, & in eius gloriam omnia procurare, sicut ait Apostolus. Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei. Ergo cum diluculo surgimus, debemus priusquam procedamus è cubiculo gratias agere saluatori, & ante omnes actus seculi actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodiuit. Vt enim ego securus dormiam, ille peruigilat. Sed & cum vespera diem claudit, ipsi debemus per psalterium laudem dicere, & gloriam eius modulata suauitate concinere.* S. Chrysostomus exponens verba Pauli, *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione*, ita scribit. *Nouerat Paulus quomodo multi precantes torpeant, ideo dicit, orationi instate. Tanquam de re quapiam laboriosa locutus addit, vigilantes in ea cum gratiarum actione. Hoc inquit opus vestrum sit in precationibus, vt gratias agatis Deo, & pro manifestis & pro occultis beneficiis, siue quibus voluntarios, siue quibus inuitos affecit, & pro regno, & pro gehenna, pro afflictione quoq; & tranquillitate. Ita quippe precari solent sancti & pro communibus quoq; beneficiis gratias agere. Noui ego sanctum quendam virum, qui ita orabat, nihil dicebat ante hunc sermonem.*

B.hom.5. A.serm.43. 1.Cor.10.31. Ch.hom.10. Coloss.4.1.

GRATIAS agimus tibi pro omnibus beneficiis tuis à primo die usq; in hunc præsentem indignis nobis impensis, siue nota nobis sint, siue incognita, tam pro occultis, quàm pro manifestis, quæ uel opere nobis, uel sermone facta sunt, & quæ voluntariis, & quæ inuitis sunt præstita, pro omnibus quæ immeritis nobis exhibita sunt, pro afflictionibus, pro quiete, pro gehenna, pro supplicio, pro regno cælorum. Obsecramus, vt animas nostras sanctas custodias, mundam habentes conscientiam, finem benignitate tua dignum. Qui nos dilexisti, vt vnigenitum tuum pro nobis dederis, dignare nos hac dilectione dignos reddere. Da sapientiam in Verbo tuo, & in timore tuo vnigenite Christe. Inspira nobis fortitudinem tuam, qui vnigenitum pro nobis dedisti, & Spiritum sanctum tuum emittas in remissionem peccatorum, & siue sponte quid, siue inuiti deliquerimus, condona, nec reputes. Recordare omnium, qui nomen tuum inuocant in veritate. Recordare omnium, qui nobis bene vel malè volunt: omnes enim homines sumus.

Oratio.

His

Oratio Dominica. *His dictis addebat orationem fidelium, atq; ita cessabat, tanquam coronide quadam & colligatione post orationem pro omnibus factam inposita. Multis enim nos Deus etiam inuitos beneficijs afficit, multis etiam & pluribus quoq; ignaros. Quando enim contraria precamur, ipse verò diuersa facit, manifestum est, quod & inscijs bene faciat.* Hucusq; Chrysostomus.

VIDE V. *Deuotio. Laudatio Dei. Oratio.*

H.

HONESTVM.

CAPVT I.

De natura & definitione honesti.



ONESTVM, quod græci πρέπον vocant, idem est, quod decorum, decens, & bonæ disciplinæ consentaneum. Ad quod non semel nos cohortatur Apostolus, vt in epistola 1.Cor.11.5. 1.Cor.14.34. priore ad Corinthios, vbi cum de aliquot moribus uel ritibus Ecclesiæ locutus esset, v.c. vt mulieres caput velarent in publico cætu, atq; tacerent. *Turpe enim est*, inquit, *mulieri loqui in Ecclesia*, tandem generatim concludit. *Omnia autem honestè & secundum ordinem fiant.* Phil.4.8. Et in epistola ad Philippenses. *De cetero fratres*, ait, *quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, siqua virtus, siqua laus disciplinæ hæc cogitate.* S. A.c.45. Ambrosius primo de Officiis libro ita de eo differit. *Non mediocre est rebus singulis modum seruare, atq; impartiri ordinem, in quo verè prælucet illud, quod decorum dicitur, quod ita cum honesto iungitur, vt separari non queat. Siquidem & quod decet honestum est: & quod honestum est decet, vt magis in sermone distinctio sit, quàm in virtute discretio: Differre enim ea inter se intelligi potest, explicari non potest. Et vt conemur aliquid eruere distinctionis, honestas velut bona valetudo est, & quædam salubritas corporis: decus autem tanquam venustas & pulchritudo sit. Sicut ergo pulchritudo super salubritatem ac valetudinem videtur excellere, & tamen sine his esse non potest, neq; vllo separari modo, quoniam nisi bona valetudo sit, pulchritudo esse ac venustas non*

stas non potest: sic honestas decorum illud in se continet, vt ab ea profectum videatur, & sine ea esse non possit. Velut salubritas igitur totius operis, actusq; nostri honestas est; & sicut species est decorum, quod cum honestate confusum opinione distinguitur. Et ideò dixit propheta. Dominus regnauit, decorem induit. Deinde alibi dicit. Te decet hymnus Deus in Sion. Hoc est dicere. Honestum est, vt te timeamus, te diligamus, te precemur, te honorificemus. Scriptum est enim. Omnia uestra honestè fiant. M. Tullius de Ethnicis scriptoribus vnus indagans naturam honesti his verbis illud depingit. Nec verò illa parua vis naturæ est, rationisq;, quod vnum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis dictisq;, qui modus. Itaq; eorum ipsorum, quæ aspectu sentiuntur nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem conuenientiam partium sentit, quam similitudinem natura, ratioq; ab oculis ad animum transferens multò etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis, factisq; conseruandum putat: cauetq; nequid indecorè, effœminateue faciat, tum in omnibus opinionibus & factis, ne quid libidinosè aut faciat, aut cogitet: quibus ex rebus conflatur & efficitur, id quod quærimus, honestum: quod etiamsi nobilitatum non sit, tamen honestum sit: quodq; verè dicimus, etiamsi à nullo laudetur, laudabile esse natura. Et rursus. Honestum igitur id intelligimus quod tale est, vt detracta omni vtilitate, sine vllis præmiis, fructibusq; per seipsum possit iure laudari; quod quale sit, non tam definitione, qua sum vsus, intelligi potest, quanquam aliquantum potest, quam communi omnium iudicio, & optimi cuiusq; studiis atq; factis: qui per multa ob eam vnam causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consecuturum emolumentum vident.

Psal. 92.1. Psal. 64.1. 1. Cor 14.34. Cic. 1. offic. Id. li. 2. de Finib.

Caput II.

De duplici honesto, uel decoro ex Ambrosio.

HONESTI uel decori rationem duplicem facit S. AMBROSIVS libro citato. Decori, inquit, diuisio gemina est. Nam est decorum, quasi generale, quod per vniuersitatem funditur honestatis, & quasi toto spectatur corpore. Est etiam speciale, quod in parte aliqua enitet. Illud generale ita est, ac si æquabilem formam atq; vniuersitatem honestatis in omni actu suo habet concinentem, cum omnis sibi eius vita consentit, nec in vlla aliqua re discrepat. Hoc speciale, cum aliquem actu in suis habet virtutibus præminentem. Habes hunc decorem generalem, quia fecit Deus mundi istius pulchritudinem. Habes & per partes, quia cum faceret Deus lucem, A. c. 46.

& diem noctemq́ distingueret, cum conderet cælum, cum terras & maria separaret, cum Solem & Lunam & stellas constitueret lucere super terram probauit singula. Ergo decorum hoc, quod in singulis mundi partibus elucebat, in vniuersitate resplenduit, sicut probat Sapientia dicens. Ego eram, cui applaudebat, cum lætaretur orbe perfecto. Similiter ergo & in fabrica humani corporis grata est vniuscuiusq́ membri portio. Sed plus in commune compositio membrorum apta delectat, quod ita sibi quadrare & conuenire videantur. Deinde subiungit. *Siquis igitur æquabilitatem vniuersæ uitæ, & singularum actionum modos seruet, ordinem quoq́ & constantiam dictorum atq́ operum moderationemq́ custodiat, in eius vita decorum illud excellit, & quasi in quodam speculo elucet. Accedat tamen suauis sermo, vt conciliet sibi affectum audientium gratumq́ se uel familiaribus, uel ciuibus, uel si fieri potest, omnibus præbeat, neq́ adulantem se, neq́ adulandum cuiquam exhibeat. alterum enim calliditatis est, vanitatis alterum. Caueat etiam motus animi sui. Ipse enim sibi & obseruandus & circumspiciendus est, & vt aduersum se cauendus, ita etiam de se tuendus.*

Prou.8.30.

Cic 1. offic.

HAVD secus de duplici decoro ante Ambrosium philosophatus est Cicero, de Officiis ita scribens. *Decori descriptio duplex est. Nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honestate uersatur, & aliud huic subiectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis: atq́ illud superius sic fere definiri solet. Decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiæ in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differat. Quæ autem pars subiecta generi est, eam sic definiunt, vt id decorum esse velint, quod ita natura consentaneum sit, vt in eo moderatio & temperantia appareat cum specie quadam liberali. Hæc ita intellgi à Philosophis possumus existimare ex eo decoro, quod Poetæ sequuntur. sed tum seruare illud Poetas dicimus, quod deceat, cum id quod quaq́ persona dignum est, & fit, & dicitur, vt si aut Æacus, aut Minos diceret*

Oderint dum metuant aut
Natis sepulchrum ipse est parens:

indecorum uideretur, quod eos fuisse iustos accepimus. at Atreo dicente, plausus excitantur: est enim digna persona oratio.

CAP.

CAPVT III.

De præcipuis Honesti Proprietatibus.

PRIMA Honesti Proprietas sit, quod naturæ, naturaliq; rationi sit omnino consentaneum. Hanc non obscurè indicauit Apostolus cum in prima epistola ad Corinthios disputans, num deceat mulierē aperto, an uelato orare in Ecclesia capite, respondet non decere, eo quod turpe sit, & naturæ repugnans eam tonderi. *Nec ipsa natura,* in- 1.Cor.11.14.
quiens, *docet vos quod vir quidem, si comam nutriat ignominia est illi: mulier uerò si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* 1.off.c.46.
Vnde S. Ambrosius. *Simul illud aduerte, quod & decorum est secundum naturam uiuere secundum naturam degere, & turpe est, quod fit contra naturam. Ait enim Apostolus quasi interrogans. Decet mulierem non uelatam orare Deum? Nec ipsa natura nos docet. quod vir quidem si comam habeat, ignominia est illi, quoniam contra naturam est. Et iterum dicit. Mulier verò si capillos habeat gloria est illi. Est enim secundum naturam, quoniam quidem capilli pro velamine sunt. Hoc enim est naturale uelamini. Personam igitur nobis & speciem natura ipsa dispensat quā seruare debemus: vtinamq; & innocentiam eius custodire possimus, nec acceptam nostra malitia mutaret.* Et rur- A.ib.c.19.
sus alibi. *Naturam,* inquit, *imitemur. Eius effigies, formula disciplinæ, forma honestatis est.* Et supra dixit M. Tullius. *Nec verò illa parua vis naturæ* Cic.1.off.
est rationisq; quod vnum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis dictisq;, qui modus Et alibi. *Quod si nihil est tàm contra naturam,* Id.3.off.
quam turpitudo, (recta enim, & conuenientia & constantia natura desiderat, aspernaturq; contraria) itemq; si ad honestatem nati sumus, necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum, aut summum bonum.

II. Proprietas est, quod sit virtus, aut certe uirtuti simillimum, S. Ambrosius libro primo de Officiis refert ad Temperantiæ virtutem, A.c.43.
in qua, inquit, *maximè tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honesti cura, decoris consideratio spectatur & quæritur.* Eodem retulit Macrobius libro primo in Somnium Scipionis. M. Tullius verò uult illud ex virtutum Cardinalium quasi fontibus oriri *Omne quod* C.1.off.
honestum est, inquiens, *id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri, solertiaq; versatur, aut in hominum societate tuenda, tribuendoq; suum cuiq; & rerum contractarum fide, aut in animi excelsi, atq; inuicti magnitudine ac robore: aut in omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur ordine*

modo, in quo ineſt modeſtia & temperantia. Quæ quatuor quanquam inter ſe colligata atque implicita ſunt: tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur.

III. Proprietas eſt, quod difficile ſit ad laudem honeſti peruenire. Hanc tradit Clemens Alexandrinus libro 4. ſtromatum. *Eſt reuera* ait, *vt videtur difficile pulchrum & honeſtum quod latet inuenire, quoniam ſudor ante virtutem eſt poſitus*

Via longa eſt atq; accliuis ad ipſam.
Hesiodus. Ardua namq; prius, ſed cum ad faſtigia ventum,
Fit facilis, quæ difficilis valde ante clueret.

Matt.7.14. *Eſt enim reuera arcta & anguſta via Domini, & regnum Dei eſt violento-*
Matt.11.12. *rum.*

IV. Proprietas eſt, quod tanta ſit honeſti pulchritudo & ſplendor, vt *ſi oculis cerneretur*, auctore Cicerone libro primo de officiis, *mirabiles amores, (vt ait Plato) excitaret ſapientiæ.* Et libro quinto de Finibus. *Si*, inquit, *ipſam honeſtatem vndiq; perfectam & abſolutam, rem vnam præclariſſimam omnium, maximeq; laudandam penitus videremus: quo nam gaudio compleremur, quum tantopere eius adumbrata opinione lætemur?* Et in altera Tuſculana. *Sumus natura ſtudioſiſſimi appetentiſſimiq; honeſtatis: cuius ſi quaſi lumen aliquod aſpeximus, nihil eſt, quod vt eo potiamur non parati ſimus & ferre & perpeti.* Idem ſentit Seneca libro quarto de beneficiis.
Sen.cap.22. *Eſt*, ait, *videlicet magna in ipſo opere merces rei & ad alliciendas hominũ mentes ingens honeſti potentia: cuius pulchritudo animos circumfundit & delinitos admiratione luminis ac fulgoris ſui rapit.*

V. eſt, quod apud Chriſtianos alia regula æſtimandum ſit ho-
A.1.off.c.9. neſtum & vtile, quam olim apud Philoſophos Ethnicos: de quo ita ſcribit S. AMBROSIVS. *Primum in tres partes officium diuiditur, honeſtum & vtile, & quid præſtantius. Deinde hæc tria in quinque genera diuiſerunt: in duo honeſta, & duo vtilia, & eligendi iudicium. Prima igitur pertinere dicunt ad decus honeſtatemque vitæ, ſecunda ad vitæ commoda, copias, opes, facultates. De iis eligendi ſubeſſe iudicium. Hæc illi. Nos autem nihil omnino niſi quod deceat & honeſtum ſit, futurorum magis quam præſentium metimur formula: nihilque vtile, niſi quod ad vitæ illius æternæ proſit gratiam definimus, non quod ad delectationem præſentis. Neque aliqua commoda in facultatibus & copiis opum conſtituimus, ſed incommoda hæc putamus, ſi non reiiciantur, eaq; oneri magis cum ſint æſtimari, quàm*
A.3.off.c.2. *diſpendio cum erogantur.* Et rurſus alibi. *Nos autem monemus, ne hæc inter ſe velut compugnantia inducere videamur, quæ iam ſupra vnum eſſe oſtendimus; nec honeſtum eſſe poſſe, niſi quod vtile: nec vtile niſi quod honeſtum: quia non ſequimur ſapientiam carnis, apud quam vti-*

litas pecuniariæ istius commoditatis pluris habetur, sed sapientiam quæ ex Deo est, apud quam ea quæ in hoc seculo magna æstimantur pro detrimento habentur. Hoc enim κατόρθωμα, quod perfectum & absolutum officium est, à vero virtutis fonte proficiscitur. Et infra. *Aliud enim est communiter sapere, aliud sapere perfectè. Qui perfectè sapit nescit sua spectare commoda, sed ad illud quod æternum est, quod decorum atq; honestum toto affectu intendit, quærens non quod sibi vtile est, sed quod omnibus. Itaq; hæc sit formula, vt inter duo illa, honestum atque vtile errare nequeamus, eo quod iustus nihil alteri detrahendum putet, nec alterius incommodo suum commodum augeri velit. Hanc formam ibi præscribit Apostolus dicens. Omnia licent, sed non omnia expediunt. Omnia licent, sed non omnia ædificant. Nemo* 1.Cor.10.22. *quod suum est quærat, sed quod alterius. Vnde & alibi dicit. Alter alterum existimantes superiorem sibi, non quæ sua sunt singuli cogitantes, sed quæ aliorum.* Phil.2.4.

CAPVT IV.

Quibus medijs Honestum & decorum seruari queat.

PRIMVM Medium sit Conscientiæ puritas, quod tradit S. BERNARDVS in Cantica. B.serm.85. *In quo,* inquit, *ergo animæ decor? an forte in eo quod honestum dicitur? Hoc interim sentiamus, si melius non occurrit. De honesto autem exterior interrogetur conuersatio, non quod ex ea honestum prodeat, sed per eam. Nam in conscientia & habitatio eius & origo: siquidem claritas eius testimonium conscientiæ. Nihil hac luce clarius, nihil hoc gloriosius testimonio, cum veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt. Sed qualem? pudicam, verecundam, pauidam, circumspectam, nihil penitus admittentem, quod euacuet gloriam conscientiæ attestantis. Hoc planè, hoc illud decorum est, quod super omnia bona animæ diuinos oblectat aspectus, & nos nominamus, ac definimus honestum. Cum autem decoris huius claritas abundantius intima cordis repleuerit, prodeat foras necesse est tanquam lucerna latens sub modio, imò lux in tenebris lucens latere nescia. Porrò effulgentem, & veluti quibusdam suis radijs erumpentem mentis simulacrum corpus excipit, & diffundit per membra & sensus, quatenus omnis inde reluceat actio, sermo, aspectus, incessus, risus, si tamen risus mistus grauitate & plenus honesti.* Cætera media ex vno S. Ambrosio ferè sumemus.

II. Medium est, Motus animi subijcere rationi. Caueat etiam A 1.off.c 47.

 inquit

A. 1. off. c. inquit ille libro primo iam sæpe citato, *motus animi sui. Ipse enim sibi & obseruandus & circumspiciendus est: & vt aduersum se cauendus, ita etiam de se tuendus. Sunt enim motus, in quibus appetitus ille, qui quasi quodam prorumpit impetu. Vnde græcè ὁρμὴ dicitur, quod vi quadam se repente proripiat. Non mediocris in his vis quædam animi atque naturæ est. Quæ tamen vis gemina est. Vna in appetitu, altera in ratione posita, quæ appetitum refrenet, & sibi obedientem præstet & ducat, quo velit, & tanquam sedulo magisterio edoceat, quid fieri, quid euitari oporteat, vt bonæ dominatrici obtemperet. Sollicitti enim debemus esse, ne quid temerè, aut incuriosè geramus, aut quicquam omnino, cuius probabilem non possimus rationem reddere. Actus enim nostri causa, etsi non omnibus redditur, tamen ab omnibus examinatur.* Illustrat hoc mediũ alibi duob. maximè exemplis. Primum Abrahæ, qui cum à Deo iussus esset exire de terra sua. *Nonne,* inquit, *considerabat vxorem imbecillem ad labores, teneram ad iniurias, decoram ad incentiua insolentium, sine summo non posse duci periculo? Et tamen subire omnia, quam excusare consultius iudicauit. Considerauit enim. Dei fauore vbiq; tutus esse posset: offenso autem Domino, etiam domi non posset illæsus manere Vicit igitur appetitum ratio, & obedientem sibi præstitit.* Deinde exemplo Iacobi patriachæ. *Sanctum quoq; eius nepotem Iacob,* ait, *delectabat domi securum degere, sed mater voluit eum peregrinari, vt daret fraternæ iracundiæ locum. Vicit appetitum, consilii salubritas.*

Ib. c. 24. Gen. 12. 1.

Gen. 27. 43.

Non dissimilia de hoc medio præcipit Tullius in hæc verba. *Duplex est vis animorum atq; naturæ. Vna pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμὴ græcè, quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum, fugiendumq; sit, ita fit, vt ratio præsit, appetitus verò obtemperet. Omnis autem actio vacare debet temeritate & negligentia: nec verò agere quicquam, cuius non possis causam probabilem reddere. Hæc est enim fere descriptio Officij. Efficiendum autem est, vt appetitus rationi obediant, eamq; neq; præcurrant, nec propter pigritiam aut ignauiam deserant, sintq; tranquilli, atq; omni perturbatione animi careant, ex quo elucebit omnis constantia, omnisq; moderatio.*

Cic. 1. de. offic.

III. Medium est. Fuga hominum leuium, maleq; moratorum *Habet sane suos scopulos,* inquit idem Ambrosius, *verecundia* (vel honestas) *non quos ipsa inuehit, sed quos sæpe incurrit, si intemperantium incidamus consortia, qui sub specie iucunditatis venenum infundunt bonis. Hi si assidui sint & maximè in conuiuio, ludo ac ioco, eneruant grauitatem illam virilem. Caueamus itaq; ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum. Vsus enim cito inflectit*

A. 1. off. c. 19.

ctit naturam. Et alibi agens de adolescentibus. *Sequatur*, ait, *conuersationis electio, vt iungamur probatissimis quibusq; senioribus. Namq; vt æqualium vsus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Namq; si hi qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt: quanto magis adolescentes cum senibus debent nouum sibi iter vitæ aggredi, quo minus errare possint, & à verò tramite virtutis deflectere? Nihil enim pulchrius, quam eosdem & magistros vitæ & testes habere.* Ib.c.43.

IV. Medium est diligens consideratio circumstantiarum in omni actione & sermone. *Quærendum est etiam*, inquit idem, *in omni actu quid personis, temporibus conueniat atq; ætatibus, quid etiam singulorum ingeniis sit accommodum. Sæpe enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud iuueni aptum, aliud seni: aliud in periculis, aliud in rebus secundis. Saltauit ante arcam Domini Dauid, non saltauit Samuel. Nec ideo ille reprehensus, sed magis iste laudatus. Vnusquisq; ingenium suum nouerit, & ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit. Non solum nouerit bona sua, sed etiam vitia cognoscat, æqualemq; se iudicem sui præbeat, vt bonis intendat, vitia declinet. Quo enim quemq; suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id maiore implet gratia.* Ibid. 1.Reg.6. 1.Reg.19.

V. Est, Præmeditatio nouissimorum, maximè iudicii extremi. *Nihil est enim*, inquit idem, *quod magis proficiat ad uitam honestam, quam vt credamus eum iudicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent.* Ib.c.26.

VIDE V. *Prudentia. Religio Christiana. Sapientia. Veritas. Virtus.*

HOSPI-

HOSPITALITAS.

CAPVT I.

Quid diuinæ litteræ tradant de Hospitalitate.

DIVINÆ literæ primum cohortantur nos ad Hospitalita-
tem, quæ inter septem Misericordiæ corporalis opera nu-
merari solet, vt apud Isaiam. *Frange, esurienti panem tuum,*
& egenos uagosq; induc in domum tuam. Et apud B. Paulum.
Isa.58.7. *Necessitatibus, sanctorum communicantes. Hospitalitatem sectantes.* Et rur-
Rom.12.13. sus. *Charitas fraternitatis maneat in nobis. Et. hospitalitatem nolite obliuisci.*
Et apud B. Petrum. *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charita-*
Heb.13.1. *tem continuam habentes. Hospitales inuicem sine murmuratione. Vnusquisq;*
1.Pet.4.8. *sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensa-*
tores multiformis gratiæ Dei. Huc referri potest, quod apud Lucam mo-
net Christus. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq;*
Luc.14.12. *fratres tuos neq; cognatos, neq; vicinos diuites, ne forte te & ipsi reinuitent, &*
fiat tibi retributio. sed cũ facis conuiuiũ voca pauperes, debiles, claudos & cæcos,
& beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurre-
ctione iustorum. 2. declarant hoc officium charitatis necessarium esse
ad vitam æternam. nam apud Matthæum Christus iudex iis, qui à
dextris erant, dicit. *Hospes eram & collegistis me, nudus & cooperuistis me.*
Matt.25.35. Qui uerò à sinistris. *Hospes eram & non collegistis me. Et ibunt hi,* subdidit
Euangelista, *in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* 3. B.
Paulus sigillatim à sacerdotibus & Episcopis exigit uirtutem hospi-
talitatis *Oportet,* inquit, *Episcopum irreprehensibilem esse, pudicum, hospita-*
1.Tim 3.2. *lem.* Et iterum. *Oportet Episcopum sine crimine esse, non turpis lucricupi-*
Tit.1.8. *dum, sed hospitalem, benignum, sobrium.* Atque etiam à Viduis. *Vidua,*
1.Tim.5.9. ait, *eligatur in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio*
recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministra-
uit. Denique S. IOANNES Apostolus epistola tertia Gaium
Ioa.ep 3. ab hac virtute laudat dicens. *Charissime fideliter facis, quicquid operaris*
in fra-

in fratres, & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ, quos benefaciens, deduces dignè Deo. Contra verò Diotrepheni insimulat inhospitalitatis. *Is*, inquiens, *qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos.*

CAPVT II.

S. Patrum sententiæ de hospitalitate.

SANCTVS CYPRIANVS epistola 36. ad presbyteros & diaconos. *Viduarum*, inquit, *& infirmorum, & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis: sed & peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria quam apud Rogatianum compresbyterum nostrum dimisi.* Clemens Alexandrinus 2. Stromatum. *Adhæret charitati & hospitalitas, quæ est φιλοτεχνία id est, artificium amicitiæ circa vsum hospitum. Hospites autem sunt, quorum sunt externa quæ sunt mundana. Hospites sunt, qui etiam dicuntur ἐπὶ ξένοι. ἐπὶ ξένοι autem sunt amici: amici autem sunt fratres. frater amice, inquit Homerus.* Lactantius libro sexto diuinarum institutionum. *Præcipua igitur virtus est hospitalitas: quod Philosophi quoque aiunt, sed eam detorquent à vera iustitia, & ad commodum rapiunt. Rectè, inquit Cicero, à Theophrasto est laudata hospitalitas est enim, vt mihi quidem videtur, valde decorum patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus Eodem modo rursus errauit quotuum, cum idoneis esse diceret largiendum.* Sanctus GREGORIVS Nazianzenus in nouam Dominicam. *Peregrinum ne contemnas, pro quo Christus cuius nos omnes hospites sumus & aduenæ, peregre egit, ne paradiso, vt prius, exturberis Egenti tectum, cibum, vestem suppedita, qui his ad luxum & vltra necessarium vsum oblectaris.* S. EPHREM in Doctrina varia. *de hospitalitate non opus habetis vt quid scribatur vobis: nostis enim hanc multis virtutibus esse maiorem. Etenim hac patriarcha Abraham angelos hospitio suscipit. Lot iustus per eam in subuersione Sodomæ non periit. Per hospitalitatem similiter Rahab meretrix non interiit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace Ait enim Dominus, Hospes eram & collegistis me Et. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et in doctrina de perfectione monachi. *De hospitũ*, ait, *ac peregrinorum saturitate cum Abrahamo diligens studium adhibeamus. De ratione indulgendi & compatiendi fratribus sedulo indagemus.* S. Basilius

C.l.3.ep.24. L.c.12. G.oratio. E.Tom.2. 1.Pet 4.9. Gen 18 19. Iosu.2.& 6. Mat.25.36. Mat.5.7.

cornicum exemplum in Hexamero suo profert pro hospitalitate. *Cornices*, inquit *nostrates, velut satellites comitantur atque deducunt ciconias hinc à nobis auolantes. Quin, vt mihi videtur, & socias se offerunt, auxiliaresq; aduersus aues ipsis aduersarias atq; hostes. Cuius rei argumento sunt illa. Primum, quod nostris in prouinciis illo tempore nulla prorsus cornix conspicitur. Deinde cum vulneribus redeuntes aperta præstitæ tutelæ & suppetiarum indicia nobis afferunt. Quis apud ipsas hospitalitatis, quæso iura præscripsit? Quis ipsis deserti exercitus poenam minatus est, vt nulla prorsus deducendis se subtrahat copiis? Audiant hæc homines ii, qui hospitio neminem*

A.c.16. *excevtant, ianuasque suas occludunt.* Sanctus Ambrosius idem exem-

1off.c.11. plum de ciconia & cornice libro quinto Hexæmeri exaggerat. Et libro primo de Officiis. *Nibil*, inquit, *tam commendat Christianam animam, quam misericordia. Si peregrinum sub tectum inducas tuum, si suscipias egentem: ille sibi acquiret sanctorum amicitias & cætera tabernacula. Non mediocris ista gratia. corporalia seminas & recipis spiritualia.*

Id. serm. 32. Et sermone de hospitalitate. *Magna hospitalitatis est gratia, nec facile violanda, omnibus aperta est, omnibus parata est, & sanctos libenter suscipit, peccatores tolerat patienter.* Sanctus Hieronymus in epistolam ad Ti-

H. cap. 1. tum. *Ante omnia hospitalitas futuro Episcopo denunciatur. Si enim omnes illud de Euangelio audire desiderant. Hospes fui, & suscepistis me. quanto magis Episcopus. cuius domus omnium commune esse debet hospitium. Laicus enim vnum aut duos aut paucos recipiens, implebit hospitalitatis offi-*

Ch. hom. 41. *cium, Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est.* S. CHRYSOSTOMVS in Genesin. *Hunc Abraham imitemur omnes, & magnam geramus hospitalitatis curam, non vt momentaneam & corruptibilem retributionem solum accipiamus, sed vt reponamus nobis etiam immortalium bonorum fruitionem. Nam si hoc facimus, suscipiemus & nos hic Christum, & suscipiet etiam ipse nos in mansionibus illis quæ ab æterno præparata*

A. serm. 32. *sunt diligentibus se.* S. Augustinus de verbis Domini in Lucam. *Agnoscite hospitalitatem, per quam peruentum est ad Dominum. Suscipite hospitem, cuius & tu es comes in via quia omnes peregrini sumus. Ipse est Christianus, qui & in domo sua, & in patria sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est ibi hospites non erimus. Nam vnusquisq; hic & in domo sua hospes*

G. hom. 23. *est. Si non est hospes, non inde transeat.* Sanctus Gregorius in Euangelia. *Hospitalitatem fratres carissimi diligite, charitatis opera amate. Hinc enim per Paulum dicitur. Charitas fraternitatis maneat in vobis & hospi-*

Heb. 13. 1. *talitatem nolite obliuisci Per hanc enim placuerunt quidam angelis ho-*

1. Pet. 4. 9. *spisio receptis Hinc Petrus ait, Hospitales inuicem sine murmuratio-*

Matt. 25 36. *ne. Hinc ipsa veritas dicit. Hospes fui, & suscepistis me.* Vnum addo SE-

NE-

NECAM libro quarto de beneficiis ita scribentem. *Ostende* S. c 38.
quam sacra res sit mensa hospitalis. Prabe in facie tua legendum istud decretum, quo cauetur, ne miseros tecto iuuare capitale sit. Magis ista constitutio sic erit rata, quam si illam in æs incidissem.

CAPVT III.

De Conditionibus laudatæ Hospitalitatis.

HOSPITIS nomen quoniam ambiguum est, & nunc accipitur pro hospitio suscepto, nunc pro suscipiente, vtriusq; conditiones indagabimus. In hospitio suscepto uel suscipiendo, inquit Ambrosius conditionem unam requirit Christus apud Matthæum his uerbis. *In quamcunq; ciuitatem introieritis interrogate, quis in ea dignus est, & ibi manete donec exeatis. Sancta plane,* inquiens, *& diuina sententia, quæ & discipulis eligendi optionem primitus detulit, & facilitatem penitus amputauit. Prouidit enim modum statuendo, ne vir sanctus aut citus esset in iudicando, aut leuis in hospite commutando. Sicut enim nobis permisit arbitrium, ita & voluit nos tenere constantiam. 2. Conditio est,* ut potius probus sit, quam improbus. Vnde S. Ephræm in parænesi. *Si quis dicat, rem bonam esse hospitalitatem, consentio & ego. At hospitalis vir imitari debet eum, qui aurum in fornace probat purumq; sibi accipit, improbatum verò despicit.* Et S. Ambrosius libro altero de Officiis. *In officiis hospitalibus omnibus quidem humanitas impartienda est: iustis autem vberior deferenda honorificentia. Quicunq; enim iustum receperit in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, vt Dominus pronunciauit.* Et alibi. *Hospitalitatis gratia omnibus parata est, & sanctos libenter suscipit, & peccatores tolerat patienter.* 3. Conditio est, vt potius pauper sit, quàm diues. Lactantius id inde probat, quod *Deus præceperit, vt si quando cœnam parauerimus eos in conuictum adhibeamus, qui reuocare non possint. & vicem reddere, vt omnis actus vitæ nostræ non careat misericordiæ munere.* Quare ibidem reprehendit Ciceronem scribentem decorum esse patere *domos hominum illustrium hospitibus illustribus. Non enim iusti,* inquit, *& sapientis viri domus illustribus debet patere, sed humilibus & abiectis, Nam illustres illi ac potentes nulla re possunt indigere, quos opulentia sua & munit & honorat.*

A. serm. 38.
Matt. 10. 11.
Ep. par. 42.
A. c. 21.
Matt. 10. 41.
A. ser. 32.
L. lib 6. c. 12.

Quod uerò ad Hospitē suscipientem aduenas & peregrinos attinet. Eius prima Conditio sit, vt nō anxiè scrutetur eorum statū & merita. Vnde S. Hier. apologia aduersus Ruffinū, cum dixisset se omnes in Hieron.

monasterio suo hospitio recipere, addit. *Solos hæreticos non recipimus, quos vos solos recipitis. Propositum quippe nobis est pedes lauare venientium,*
Ch. hom. 41. *non merita discutere.* Et Chrysost. in Genesin de Abraham. Ante tabernaculum in meridie *sedens eos qui præteribant venabatur, non curiosè explorans eos, qui præteribant, neq; requirens, an noti vel ignoti essent. Neq; enim hospitalitatis fuerit diligenter singula perscrutari, sed omnibus simpliciter suam communicare benignitatem. Audiamus dilecti, & hospitio excepturi nunquam quæramus quis, & vnde. Nam si Patriarcha in rogando fuisset curiosus, forte peccasset.* II. Conditio est, ne declinet hospitalitatis officium
H. lib. 2. c. 10. propter inopiam, aut domicilii angustias. Vnde S. Hieronymus in Matthæum scribens in verba Christi. *Quicunq; potum dederit vni ex minimis illis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Rursus poterit alius,* inquit, *causari, & dicere Paupertate prohibeor, tenuitas me retinet, vt hospitalis esse non possim: & hanc excusationem leuissimo præcepto diluit, vt calicem aquæ frigidæ toto animo porrigamus. Frigidæ, inquit, aquæ, non calidæ, ne & in calida paupertatis*
Gal. 6. 6. *ex penuria lignorum occasio quæreretur. Tale quid & Apostolus ad Galatas precipit. Communicet autem is qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Et discipulos ad magistrorum refrigeria hortatur. Quia poterat quilibet obtendere paupertatem, & preceptum eludere, prius quam ille proposuit, imminentem soluit questionem dicens. Nolite errare, Deus non irridetur.* Et Chrysost. in Acta. *Quomodo enim non absurdum, si milites venerint inueniri apud vos ordinata domicilia, & omnia suppeditari eis, quoniam iuuant vos in sensibili bello, hospites autem non habere vbi maneant? Habe*
Chr. hom. 45. *domum, in quam veniat (Christus) Dic, hæc cellula Christi est, cubiculum hoc ei segregatum est. Licet humi situm sit ac vile, non despiciet. Sit etiam inter ministros fidelioris hoc officium, vt cecos, pauperes, & tecti egenos introducat. Hec dico ad confusionem: nam oportebat quidem sursum in domo illos recipi. Si autem non vis, licet infra, etiam vbi muli, vbi ministri, accipe Christum. Abraham vbi ipse manebat, ibi & hospites suscipiebat, & vxor vt ancilla stabat, illi autem vt Domini erant. Nesciebat quod Christum suscipiebat, nesciebat quod*
Gen. 18. 2. *angelos, quod si quidem sciuisset, erogasset omnia.* III. *Conditio,* vt præueniat hospitem suscipiendum, cum potest; exemplo Abrahæ, de quo Scriptura dicit. *Cumq; eleuasset oculos apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi.* Quæ
A. c. 5. verba expendens S. Ambrosius libro primo de patriarcha Abraham. *Non otiosus,* inquit, *sedet, qui longè aspicit, nec aspexisse contentus cucurrit obuiam Festinauit occurrere, quia non satis est rectè facere, nisi etiam matures, quod facias. Vberiores enim fructus habet celerata deuotio. Disce ergo, quod impi-*

impiger esse debeas, vt possis prævenire hospitem, ne quis præveniat, & te boni muneris defraudet copia. Et S. Chrysost. in eadem uerba. *Currit,* ait, *& volat senex. Vidit enim prædam quam venabatur, & nulla infirmitatis suæ ratione habita ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neq; imperauit puero, nihilq; rusticitatis, neq; desidiæ præ se tulit, quasi diceret. Magnus thesaurus est, magna negotiatio, per meipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum. Discamus & nos, ac imitemur iusti virtutem.* IV. Luc.24.29. Conditio, vt roget hospitem, quo velit ad se diuertere, & si renuat, etiam cogat vti fecerunt duo discipuli in Emmaus profecti, cum Christo Domino. *Non sola facilitas susceptionis,* inquit loco citato Ambrosius, *sed etiam sedulitas suscipientis, & affectus* (in hospitalitate) *quæritur. Vtrumq; te Abraham docet. cucurrit obuiam. rogauit prior dicens. Domine, si* Gen.18. *inueni gratiam ante te, ne prætereris seruum tuum.* Et Chrysostomus loco item allegato. *Neq; enim sic admirabile erat, si suscipiendo hospites* (Abraham) *curiosius explorasset, qui essent, sicut nunc ignorans, qui nam aduenerint, tanta alacritate & honore accedit, verbis suis, quasi seruus Domino, eis vincula iniicit; & supplicat ei, ut ne renuant.* De Christo verò ad hospitium coacto ita scribit S. Gregorius *Ex quo nimirum exemplo colligitur,* G.hom.23. *quia peregrini ad hospitium non solum inuitandi sunt, sed etiam trahendi.* V. *Conditio,* vt omni humanitate, studio, alacritate & submissione animi exceptum tractet. Vnde rursus Chrysost. ita loquitur scribens in Acta Apostolorum. *Vide liberalitatem Abrahæ, vitulum mactauit, fermentauit & farinam. Audi & alacritatem per seipsum & vxorem hoc facit. Considera etiam quam alienus est à fastu, adorat & obsecrat. Omnia illa habere oportet hospitio excipientem alacritatem, festiuitatem, liberalitatem. Hospitis anima erubescit & confunditur; si non cum excellentia declaretur gaudium abalienatur, & mox deterius fuerit, quam non esse susceptam, sic esse susceptam. Idcirco adorat, idcirco sermone comi & sedili excipit. Quis idem facere dubitarit sciens, quod ille hospitalitati operam dederit?* Auget virtutem Abrahę, quod non per famulos, sed per se omnia humanitatis & humilitatis officia hospitibus detulerit. Vnde S. Hieronymus ad Pammachium H.ep.26. super obitu Paulinæ vxoris. *Non seruis & ancillulis imperabat, vt ministrarent hospitibus, nec bonum quod exercebat per alios minuit, sed quasi reperta præda cum Sara sua humanitati solus incubuit. Ipse pedes lauit, ipse pinguē vitulum portauit humeris de armento. Stetit ut seruus peregrinis prandentibus & Saræ manibus coctos cibos ieiunaturus apposuit.* Et Chrysost. in episto- Ch. hom.14. lam priorem ad Timotheum. *Prætereuntes homines viatores vt putabat, Abraham suscepit hospitio, neq; tamen permittebat seruis omnia, sed vxori miscenti farinam imperabat & quidem cum trecentos haberet decem & octo ver-*

naculos: quorum vxores itidem habuisse famulas dubium non est. sed ipse cum vxore mercedem sibi comparare festinat, non impensæ tantum, verum ministerii quoq;. Ad hanc regulam hospitalitatis iura seruanda sunt. VI. Conditio est. vt norit satis esse non laute & exquisite, sed frugali & obuio cibo hospitem recreare. *Non opes,* inquit, Ambrosius, à te *hospes requirit, sed gratiam, non ornatum conuiuium, sed cibum obuium. Melior est, inquit, hospitalitas cum holeribus ad amicitiam & gratiam, quàm si uitulos occidas ad præsepia cum inimicitiis. Hæc est grata omnibus & accepta Deo. Vnde Dominus Iesus in Euangelio eum quicunq; dederit hospiti potum aquæ frigidæ, cælestium asserit præmiorum non exortem futurum.* S. Basilius certe in regulis fusius disputatis posita quæstione, quæ ratio Monachis tenenda sit in accipiendis hospitibus. Respondet primo, monachos non decere, vt apponant exquisitas epulas hospitibus, & rem esse praui exempli, siue illi monachi sint, siue seculares, illis enim sufficit domestica mensa, hi uero discunt formam vitæ frugalioris, & si tractatio non placeat, non facile redibunt. 2. Martha à Domino reprehensa est, quod sollicita esset circa plurima, nempe fercula paranda. Christus quinq; hominum millibus parcissimam mensam posuit. Salomon in prouerbiis postulat tantum sibi tribui victui necessaria. 3. ait. *in communi hoc statuendum est, vt cibaria, quæ promiscuè omnibus apponantur eiusmodi sint, quæ cum vili pretio, tum paruo etiam negotio comparentur, omniumq; necessitati satisfiat, seruata simul omni munditia mensæ & elegantia.* Sic B. Ephræm in Doctrina varia. *Monache, si accesserit ad te monachus, siue secularis quispiam, noli supra vires offerre te ei, ne post fratris discessum doleas de bonis insumptis apud fratres tuos, sed appone, quod tibi Dominus largitur. Melius est enim apponere olera cum charitate, quàm victimas cum tristitia. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Quod autem monachus in aduentu hospitum de seueritate consueti sui ieiunii relaxare aliquid possit ad recreandum hospitem non semel docet Ioan. Cassianus, ut collatione 21. cap. 14. & 24. cap. 20. & 21. Et B. Prosper libro 2. de vita contemplatiua capite extremo.

A. l. cit.

Prou. 15.

Matth. 10. 24.

B. quæst. 20.

Prou. 30. 8.

2. Cor. 9. 7.

CAPVT IV.

De incitamentis ad officium Hospital.

PRIMO ad officia hospitalitatis præstanda maiorem in modum
excitare nos potest, quod Scriptura diuina non semel declararit
illa non tam hominibus, quam Deo, angelis, ipsi Christo præstari.
Verba Pauli sunt ad Hebræos. *Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc.n.* Geb 13.2.
latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis, nempe Abraham & Loth. Et Gen.18.c.19.
Christus ipse apud Matthæum omnibus saluandis dicit *Hospes eram,* Mat.25.35.
& collegistis me. Et ipsi saluandi id fatentur. *Quandò te vidimus hospitem,*
& collegimus te. Ibidem, & subdit Christus *Amen dico vobis quamdiu feci-*
stis vni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis. Deinde iam ante dixerat. Matt. 10 40.
Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Vnde H.ep.29.
S. Hieronymus ad Pammachium. *Diues erat Abraham auro, argento, pe-*
core, possessione, vestibus; tantam habebat familiam, vt ad subitos nuncios iu-
uenibus electis armare posset exercitum: & tamen post tam crebra hospitalita-
tis officia, dum non refutat homines suscipere meruit Deum. Et ad Nepotia- Ep.2.
num. *Mensulam tuam pauperes & peregrini, & cum illis Christus nouerit.* S. A.lib.2.c.21.
Ambrosius de Officiis. *Vides quia Abraham Deum recipit hospitio, dum*
hospites quærit. Vides, quia Loth angelos suscepit? Qui scis an & tu cum susci-
pis hospitem suscipias Christum? Licet in hospite sit Christus, quia Christus in Matt.25.37.
paupere est sicut ipse ait. In carcere erã & venistis ad me. nudus eram & operui- Id.c.5.
stis me. Et libro primo de Abraham *Vide primo fidei mysterium. Deus illi*
apparuit, & tres aspexit. Cui Deus refulget, Trinitatem videt, nec sine filio pa-
trem suscipit, nec sine Spiritu sancto filium confitetur. Et S. Augustinus in Ar.65.
sermonibus de Tempore. *Diligenter,* inquit, *hæc audite fratres, qui hospi-*
talitatem exercere non vultis, qui hospitem velut hostem excipitis. Ecce beatus
Abraham, dum homines feruenter exciperet, ipsum Deum suscipere hospitalita-
tis contemplatione promeruit. Hoc etiam in Euangelio Christus confirmauit di-
cens Hospes fui, & suscepistis me. Nolite ergo negligere peregrinos, ne forte,
quem non excepistis, sit ipse Christus.

EXEMPLA huius rei in scriptis S. Patrum, & Vitis Sanctorum
exstant complura. S. Gregorius in Euangelia narrat vnum in hæc G.hom.23.
verba. *Opinata res est valde, & seniorum nostrorum nobis relatione tradita.*
Quidam paterfamilias cũ tota domo sua magno hospitalitatis studio seruiebat.
Cumq; quotidie ad mensam suã peregrinos susciperet, quodã die peregrinus qdã
inter alios aduenit, ad mensam ductus: dumq; paterfamilias ex humilitatis cõ-

suetu-

ſuetudine aquam vellet in eius manibus fundere, conuerſus vrceum accepit: ſed repente eum, in cuius manibus aquam fundere voluerat, non inuenit. Cumq; hoc factum ſecum ipſe miraretur, eadem ei nocte Dominus per viſionem dixit. Cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepi-
Matt.25.40. *ſti. Ecce in iudicium veniens dicet. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Ioa.lib.2.c.22. Similia de ipſo S. Gregorio commemorat in eius vita Ioannes Diaconus. *Tantæ*, inquit, *hoſpitalitatis Gregorius in ipſo etiam patriarchio permanſit, vt exceptis his, quos tam per diuerſas regiones, quàm Romæ quoq; Longobardorum perfidiæ gladio fugientes eccleſiaſtica ſtipe miſericorditer nutriebat, ad menſam ſuam quotidie peregrinos quoslibet inuitaret. Inter quos die quadam vnus acceſſit, in cuius manibus dum ipſe ex humilitatis miniſterio aquam fundere vellet, conuerſus vrceum accepit, ſed repente eum, in cuius manibus aquam fundere voluerat, inuenire non potuit. cumq; hoc factum ſecum ipſe miraretur, eadem nocte Dominus ei per uiſionem dixit. Cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepiſti.* Ex hac narratione apparet illum patremfamilias de quo Gregorius in priori
Id.c.23. exemplo agit ipſum S. Gregorium fuiſſe. Eodem libro Io. Diaconus aliud ſubiicit exemplum de S. Gregorio, qui cum inuitaſſet duodecim peregrinos, in menſa repente acceſſiſſe alium decimumtertium verè in ſpecie peregrini angelum.

II. Incitamentum ad colendam hoſpitalitatem eſſe poteſt, ſi conſideres ceteros fructus ex hoc caritatis officio profectos, & à Spi-
A.2.off. c.21. ritu ſancto in Scriptura ſacra notatos. Eos breuiter percurrit Ambroſius. *Abraham*, inquit, *pro hoſpitalitatis mercede fructum poſteritatis recepit. Loth quoq; nepos eius non ſolum genere, ſed etiam virtute proximus propter ho-*
Id.lib 1. de Abrah.ca.5. *ſpitalitatis affectum Sodomitana à ſe ſuiſq; ſupplicia detorſit.* Et rurſus. *Deniq;*
Gen.29.9. *Iacob oues adaquauit Rachel, & gratiam reperit, & vxorem acquiſiuit. Vnius*
3 Reg. 7. *horæ hoſpitio vidua illa, quæ ſuſcepit Eliam, & exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, vt nunquam*
4 Reg.4. *de hydria farina deficeret. Eliſæus quoq; defuncti pignoris reſuſcitatione donata reſoluit hoſpitii penſionem Et Dominus Ieſus in Euangelio eum quicunq; dede-*
Matt.10.42. *rit hoſpiti potum aquæ frigidæ cæleſtium aſſerit præmiorum non exortem futurum.* Iſaias quoq; propheta cum hortatus eſſet ad hoſpitalitatem
Iſa.58.8. præſtandam egenis & vagis, mox ſubiungit. *Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis & Dominus exaudiet: clamabis,*
C.5.58. *& dicet, ecce adſum.* Quæ verba expendens S. Cyrillus Alexandrinus libro quinto commentariorum in Iſaiam. *Maximam*, inquit, *emphaſin habet*

habet hæc oratio. Non enim dixit simpliciter: dabitur tibi à Deo lumen, sed erumpet potius instar fulguris cuiusdam, cum impetu & cursu demissum à Deo. Ex quo perspicuè patet suppeditantis promptitudo & alacre studium. Cum matutinum dicit, ante tempus aduenturum docet. Nouit enim, nouit nostrarum rerum custos Deus spiritualium bonorum largitor opportunitatem munificentiæ suæ singulis accommodam, &c. Certe lumen hoc erupit duobus discipulis Emaunticis, simulatq; Christum in hospitium traxerunt. Luc.24.19.
Vnde S. Augustinus quæstionum Euangelicarum libro secundo. *Quia hospitalitatem, ait, sectati sunt, eum quem in expositione Scripturarum non cognouerunt, in panis fractione cognoscunt. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Idem S. Gregorius in Euangelia hom.23. *Mensam,* inquit, duo discipuli, *ponunt, panes cibosq; offerunt, & Deum quem in sacræ Scripturæ expositione non cognouerant, in panis fractione cognoscunt. Audiendo ergò præcepta Dei illuminati non sunt, faciendo illuminati sunt. Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Quisquis ergo vult audita intelligere festinet ea, quæ iam audire potuit opere implere. Ecce Dominus non est cognitus dum loqueretur, & dignatus est cognosci, dum pascitur.*

A c.vlr. — Rom.2. — G.hom.23. — Rom.2 13.

III. Incitamentum est, considerare hospitalitatem plus prodesse hospites suscipienti, quam susceptis. Nec mirum, quia Saluator apud Matthæum porrigenti calicem aquæ frigidæ inquit Ambrosius promittit cælestia præmia: & apud Lucam. *Facite,* ait, *vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in tabernacula sua,* quanto magis, qui potum cibum, lectum tectum & uiaticum præbent hospitibus merebuntur regnum cælorum? *Bona est hospitalitas* inquit idem, *habet mercedem suam primum humanæ gratiæ, deinde quod maius est, remunerationis diuinæ.* Idem Medium acutè exsculpsit S. Chrysost. ex verbis Abrahæ, quibus inuitat hospites, tum adhuc ignotos, dum ait. *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. Dicere enim Domine,* inquit, *est captantium beneuolentiam: dicere autem, si inueni gratiam in oculis tuis, hoc est admirabile. Beneficium inquit das, non accipis. Vere enim eiusmodi res hospitalitas est, qua magis accipit, quàm dat, qui illam promptè & alacriter exercet. Deinde variis utitur modis vt precibus eos vincat, nempe gestibus, verbis & operibus, primo enim eos adorauit, tum Dominos vocat, deinde extenuat res suas. Aquam enim tepidam, inquit, habeo ad lauandos pedes, & panem & tectum ab arbore. Scio quantus sit caloris æstus, ideo paululum vos refrigerare volo. Qualem pater filiis tenerè dilectis, exhibet benignitatem. Et quia magna alacritate venationem prosecutus est, prædam quoque inter retia conclusit.*

Matt.10.42. — Luc.16.9. — A.li.1. de Abraham c.5. — C.hom.41 in Gen.

Nam

Nam responderunt. Sic fac vt dixisti. Seni excitatus est iuuenilis vigor. In manibus, ait, habeo thesaurum, diuitias hinc sumam senectutis obliuiscar. Et vide eum exultantem in opere, & quasi prægaudio saltantem, perinde atque multa bona manibus afferret, ita se oblectantem.

IV. est, Consideratio pia, quod omnes hic aduenæ, peregrini & hospites simus supra terram. Vnde magnus ille rex libro primo paralipomenon ad Deum orabat. *Peregrini enim sumus coram te & aduenæ, sicut omnes Patres nostri.* Et in psalterio. *Ne sileas, quoniam aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Et Sanctus Petrus in priore epistola. *Charissimi obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis. Omnes in hoc incolatu*, inquit Ambrosius loco sæpe citato, *hospites sumus. Ad tempus enim habitandi habemus hospitium. Emigremus propere, caueamus, ne si nos duri aut negligentes fuerimus in recipiendis hospitibus, etiam nobis post vitæ huius cursum sanctorum hospitia denegentur.* Et Sanctus Augustinus de verbis Domini. *Agnoscite hospitalitatem, per quam peruentum est ad Dominum. Suscipite hospitem, cuius & tu es comes in via, quia omnes peregrini sumus. Ipse est Christianus, qui & in domo sua & in patria sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus. Nam vnusquisque hic & in domo sua hospes est. Si non est hospes, non inde transeat. Si transiturus est, hospes est. non se fallat, hospes est. velit nolit, hospes est, sed dimittit illam domum filiis suis, hospes hospitibus. Quare? Et in stabulo si esses, non alio veniente discederes? Hoc facis & in domo tua. Cessit tibi locum pater tuus, cessurus es locum filiis tuis.*

1. Par. c. 29. 15.
Psal. 38. 13.
1. Pet. 2. 11.
A. l. 2. c. 5.
V. serm. 32.

V. & postremum incitamentum est, considerare exempla sanctorum, qui hospitalitatis virtutem coluerunt. Inter quos primus sit Sanctus Syluester, qui teste Metaphraste apud Surium, *omnes peregrinos Romam venientes lubenter excipiebat, mensam hilariter apponens, aqua pedes abluens, & ad quiescendum in stragulis eos collocans.* 2. S. Spiridon quo teste eodem, *ad labores iter facientium recreandos, cum iam esset Archiepiscopus Cypri, erat adeò dexter & officiosus, vt ipse sine famulis mensam eis apponeret, pedes ablueret, aliaq. officia humanitatis exhiberet.* 3. S. Gre. Nazianzenus & S. Basilius qui teste Greg. presbytero in vita Nazianzeni pro peregrinis & hospitibus excipiendis hospitalem domum à fundamentis erexerũt. 4. S. Hier. qui in proemio septimi libri commentariorum in Ezechielem ita scribit. *Fateor me explanationes in Ezechiel multo ante tempore promisisse, & occupatione de toto huc orbe venientium implere nõ posse, dum nulla hora, nullũq. momentũ est, in quo nõ fratrũ occurramus turbis & monasterii solitudinẽ hospitiũ frequentia cõmutamus, in tantum, vt aut clauden-*

Sur. 30. Decẽb.
Sur. 12. Dec.

*dendum sit nobis ostium, aut Scripturarum per quas aperiendæ sunt fores stu-
dia relinquenda.* Et in Apologia in Ruffinum. *Nobis in monasterio hospi-
talitas cordi est, omnesq; ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus.
veremur enim ne Maria cum Ioseph locū non inueniat in diuersorio.* 5. S. Goar Sur. 6 Iulii.
presbyter, qui auctore Vandelberto Prumiensi monacho, paterno A-
quitaniæ prouinciæ solo deserto, ad ripam Rheni Ecclesiam cum
monasterio exstruxit, diu noctuq; vacans orationibus, & hospitibus
præcipuè excipiendis, quo caritatis officio tantam apud Deum pro-
meruit gratiam, vt multis in vita & morte claruerit miraculis. 6. S. Sur. 27. Iun.
Sampson, hospitum exceptor dictus, qui, teste Metaphraste, licet ge-
nere clarus ex vrbe Romana, postquam Theologiæ & medicinæ ope-
ram dedisset, Constantinopolim se contulit, ædesq; inibi exstruxit
pauperibus & peregrinis hospitio recipiendis idoneas, quos postea
sacerdos factus spiritaliter & corporaliter iuuit. 7. Sit S. Iuo, qui ex iu- Sur. 19. Maii.
dice Ecclesiastico moderator Ecclesiæ in minore Britanina factus,
semper pauperes vel peregrinos mensæ adhibuit, totosq; nouem an-
nos domi suæ virum quendam cum vxore & quatuor liberis egenis
aluit. Sunt & alii complures in Vitis Sanctorum huius virtutis laude
præstantes, ut S. ANSELMVS, S. BERNARDVS. S. FRIDE-
RICVS Traiectensis Episcopus & Martyr. S. ELISABETH.
regis Hungariæ filia, & alii de quibus vide tomos Vitarum Lau-
rentii Surii.

VIDE *plura. V. Charitas proximi. Eleemosyna. Liberalitas.
opera bona.*



HVMILITAS.

Capvt I.

Quid nomine Humilitatis Christianæ intelligatur.

SAnct. Basilivs in secundum prophetæ Isaiæ caput scribens. [Bas. quæst. 198.] [Philip. 2. 3.] *Humilitas,* inquit, *est depositio vani sensus, qui ab elatione vanæ de se existimationis proficiscitur.* Et in Regulis breuioribus *Humilitas est, cum quis ceteros omnes seipso superiores existimat ex præscripto Apostoli;* qui his verbis alloquitur Philippenses. *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.* [A. conc. 2.] D. Augustinus in psalmum 33. sic describit humilem. *Quid est esse humilem? nolle in se laudari. Qui in se vult laudari, superbus est. Qui superbus non est, humilis est,* nempe ille, qui dicit. *In domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur.* [Id in psal. 118. conc. 15.] Alibi verò duplicem facit humilitatem. Vnam, qua quisq; se humiliat confitendo peccata nec sibi arrogando iustitiam. De qua intelligitur illud Christi. [Luc. 14. 11.] *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur,* & illud B. Iacobi. [Iac. 4. 6.] *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Alteram, qua quis humiliatur aliqua tribulatione, vel deiectione, quam meruit eius superbia, aut exercetur, probaturq; eius patientia. Vnde paulo post dicit hic psalmus. [Psal. 118. 66.] *Priusquam humiliarer, ego deliqui;* & Sapiens. [Eccli. 2. 5.] *In humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum; homines verò acceptabiles in camino humiliationis.* S. verò Bernardus in epistola ad Henricum Senonensem Archiepiscopum hoc modo definit. [B. ep. 42.] *Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ* [Id. ad init.] In tractatu autem de gradibus Humilitatis. *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibiipsi vilescit.* [B. serm 4 de aduentu. & ser. 42. in Cant.] Alibi quoq; geminam facit humilitatem, cum expendit Christi dictum. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde Considera,* ait, *sane in his verbis quoniam humilitas duplex est: altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis. Priore cognoscimus quod nihil simus, & hanc discimus à nobis ipsis & ab infirmitate propria: posteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo discimus, qui exi-*

xaniuit

nanivit semetipsum formam serui accipiens, qui etiam quæsitus in regnum fugit quæsitus ad tanta probra, & ignominiosum supplicium crucis sponte obtulit semetipsum. Priorem autem cognitionis non discimus à Christo *Non enim quomodo ego vel tu*, ait idem, *inuenimus nos in veritate dignos de decore & contemptu, dignos omni extremitate, & inferioritate, dignos etiam suppliciis, dignos plagis: non inquam ita & ille: quæ tamen omnia expertus est, quia voluit tanquam humilis corde. Humilis videlicet illa humilitate, quam cordis suasit affectio, non quam extorsit discussio veritatis.*

Hanc Humilitatis virtutem ita descriptam prorsus, ignorarunt veteres Ethnicorum Philosophi, vt bene notauit S. Augustinus in psalmi 31. commentario. *Hæc aqua*, inquiens, *confessionis peccatorum, hæc aqua humiliationis cordis, hæc aqua vitæ salutaris abÿcientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentiæ superbè tribuentis. hæc aqua in nullis alienigenarum libris est. non in Epicureis non in Stoicis, non in Manicheis, non in Platonicis. Vbicunq; etiam inueniuntur optima præcepta morum & disciplinæ, humilitas tamen ista non inuenitur. Via humilitatis huius aliunde non manat, à Christo venit. Hæc via ab illo est, qui cum esset altus, humilis venit. Quid enim aliud docuit, humiliando se factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis? Quid aliud docuit soluendo, quod non debebat, vt nos à debito liberaret? Quid aliud docuit baptizatus, qui peccatum non fecit, crucifixus qui reatum non habebat? quid aliud docuit, nisi hanc humilitatem? Non immerito ait. Ego sum via & veritas & vita.* Phil. 2.8. Matt. 17.25. Matt. 3.16. Ioan. 14.6.

CAPVT II.

De præstantia uirtutis Humilitatis.

PRÆSTANTIAM & dignitatem Virtutis huius inde cognoscimus, quod Christus Dominus cælestem suam doctrinam in monte discipulis traditam ab ea exorsus sit dicens. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, quos*, inquit Augustinus de sancta Virginitate *sine vlla controuersia humiles intelligimus.* Deinde, quod illius solius & mansuetudinis professus sit se esse Doctorem, cum ait. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Vnde ibidem Augustinus admirabundus exclamat. *Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi in te, vt hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itane magnum est esse paruum, vt nisi à te, qui tam magnus es fieret, disci omnino non posset?* Matt. 5.3. A c. 32. Matt. 11.29. Id. c. 35.

*Ita plane. non enim aliter inuenitur requies animæ, nisi inquieto tumore dige-
sto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat.*

HINC veteres Patres humilitatem faciunt propriam & pri-
Tertul. mam Christianorum virtutem. Tertullianus de cultu fæminarum.
Quomodo, inquit, *humilitatem, quam Christiani profitemur, implere poteri-
mus, non repastinantes diuitiarum vestrarum, vel elegantiarum vsum, quæ ad
gloriam faciunt?* Et de Virginibus Velandis. *Si de natura dubitatur, disci-
plina quid magis Deo ratum sit ostendit. Nihil est illicarius humilitate, nihil ac-
Cypr. ceptius modestia, nihil perosius gloria & studio hominibus placendi* S. Cypria-
nus de Natiuitate Christi. *Hic est primus religionis introitus, sicut in mun-
dum primus Christi ingressus: vt quicunque piè vult viuere, humiliter de se sen-
tiat, neque supra se in mirabilibus ambulare præsumat. Fundamentum sanctita-
tis semper fuit humilitas, nec in cælo stare potuit superba sublimitas. Hanc pri-
mam gratiam ingrediens mundum noster paruulus attulit, & à cunabulis nos
sibi conformes fieri volens teneri voluit in vita, quod exhibuit in persona.* S.
.cap.17. Basilius in Constitutionibus monasticis. *Humilitas tutissimus est virtu-
tum omnium thesaurus* Et homilia de humilitate. *Hæc est hominis sublimi-
tas hæc gloria & magnificentia, verè cognoscere hoc quod magnum est, & illi
conglutinari ac gloriam à Domino gloriæ quærere. Nam ea demum perfecta &
omnimoda gloriatio est in Deo, quando neque propter suam ipsius iustitiam quis
Ep.t.1. extollitur sed agnoscit se vera iustitia destitui sine Christo.* S. Ephræm de vita
spiritali. *Quam pulchra atque eximia possessio sit humilitas facile norūt omnes,
qui eius perferre iugum inuerecundè detrectant. Diligentes enim eam protegit,
A.ep.84. lib.10. tueturque Dominus.* S. Ambrosius ad Demetriadem. *Huic malo* (superbiæ)
*firmissimum bonum humilitatis occurrit: quam ideo diximus veram, quia o-
mnium virtutum inexpugnabilis fortitudo & quædam suorum est vita mem-
Id.ser.20. brorum.* Et in psalmum 118 *Humilitas virtutum omnium caput est, quæ to-
Id.serm.10. tum velut quoddam nostrorum actuum fouet corpus* Et iterum. *An quicquã
tam pretiosum, quam humilitas, vt naturam corporis animæque perspiciens, alte-
H.ep.27. ro te subiicias, altero te cognoscas?* S. Hieronymus ad Eustochium de Pau-
la matre. *Quæ prima Christianorum virtus est, tanta se humilitate deiecit, vt
Ep 14. qui eam non vidisset, ipsam esse non crederet, sed ancillarum vltimam.* Et ad
Celantiam. *Nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius. Hæc est
enim præcipua conseruatrix, & quasi custos quædam virtutũ omnium: nihilque
est, quod nos ita & hominibus gratos Deo faciat, quam si vitæ merito magni, hu-
Ch.hom.35. militate infimi simus.* S. Chrysost. in Genesin. *Vbique modum seruemus, & bo-
nis operibus nostris humilitatem quasi fundamentum substruamus, vt securè
virtutes superexstruere valeamus. Virtus enim non est, nisi coniunctam habeat
humilitatem Qui hoc fundamentum rectè iecerit, poterit in quantam voluerit
altitudinem structuram excitare. Hæc est inexpugnabilis turris, hæc omne con-*

tinet

tinet ædificium, non sinens ipsum vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel à spirituum vi deiici sed omnibus insidiis inaccessum facit & inuictum, quasi ex adamante constructum esset, magnasq; nobis diuinæ largitatis retributiones affert. Et in Acta Apostolica. *Nihil humilitate potentius, fortior est petra, solidior adamante, & in maiorem securitatem nos collocat, quam queant vel turres, vel vrbes, vel muri, omnibusq; diaboli machinamentis sublimior facta contingere volentibus insuperabiles facit.* S. Augustin ad Dioscorum. *Sicut Rhetor ille nobilissimus cum interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obseruari oportere, Pronuntiationem dicitur respondisse: cum quæreretur, quid secundo, eandem pronuntiationem: quid tertio, nihil aliud quàm pronuntiationem dixisse, si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis nihil me aliud respondere nisi Humilitatem liberet, etsi forte alia dicere necessitas cogeret.* Et lib. 1. de ciuitate Dei. *Scio, quibus viribus opus sit vt persuadeatur superbis, quanta sit virtus humilitatis qua fit vt terrena omnia cacumina temporali mobilitate nutantia, non humana vsurpata fastu sed diuina gratia donata celsitudo transcendat.* Cassianus collatione 15. *Humilitas est omnium magistra virtutum, ipsa est cælestis ædificii firmissimum fundamentum, ipsa est donum proprium, atq; magnificum Saluatoris. Ista etenim vniuersa miracula, quæ Christus operatus est, sine periculo elationis exercet.* S. Gregorius lib. 23. Moralium. *Vera doctrina humilitatem, quæ magistra est omnium, materq; virtutum, & loquendo dicere, & viuendo conatur ostendere vt eam apud discipulos veritatis plus moribus quàm sermonibus eloquatur.* Et ad Ioannem episcopum Constantinopolitanum. *Quanta humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est vsq; ad passionem mortis factus est paruus?* S. Bernardus de Consideratione ad Eugenium Papam. *Pretiosissimus fundus virtus est, bonus fundus humilitas, in qua omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino. Per hanc nonnulli possedere etiam portas inimicorum. Quæ enim virtutum æquè potest dæmonum debellare superbiam, tyrannidem hominum? Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu summi Pontificis. Quo enim celsior ceteris, eo humilitate apparet illustrior & seipso.* Et in Vigilia Natalis Domini. *Pretiosiores panni Saluatoris omni purpura, & gloriosius præsepe auratis regum soliis, ditior deniq; Christi paupertas cunctis opibus, cunctisq; thesauris seculi. Quid enim humilitate ditius, quid pretiosius inuenitur; qua nimirum regnum cælorum emitur & diuina gratia acquiritur? sicut scriptum est. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Id. hō. 20. & 30. — A. ep. 56. — A. c. 2. — C. c. 7. — G. c. 13. — Id. ep. 38. lib. 4. — B. lib. 2. — Id. serm. 4. — Matt. 5. 2.

CAP.

CAPVT III.

De necessitate & vtilitate huius virtutis.

NEcessitatem huius virtutis non obscure indicauit Christus Dominus, cum ad quæstionem discipulorum, quis maior esset in regno cœlorum, aduocato paruulo, respondit: [Matt.18.3. Marc.9.4. Luc.9.46.] *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et cum alibi dixit. [Matt.11.] *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et. [Luc.14.] *Cum fueris inuitatus ad prandium, recumbe nouissimo loco.* Quibus dictis consentiunt illa sapientis. [Eccli.3.20.] *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiã,* Et. [Id.17.19.] *Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Et illa B. Pauli. [Eph.5.21.] *Subiecti inuicem in timore Domini.* Et. [Rom.13.1.] *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et Beatus Petri. [1.Pet.5.5.] *Omnes inuicem humilitatẽ insinuate.* Et. [1.Pet.5.6.] *Humiliamini sub potenti manu Dei vt vos exaltet in tempore visitationis.* Idẽ significant Patres, qui eã faciunt fundamẽtum, radicem & originem omnium virtutum. [G.c.vlt.] *Quia origo virtutis humilitas est*, ait S. Gregorius libro 27. Moralium, *illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, humilitate perdurat: à qua nimirum si abscinditur, arescit, quia viuificantem se in intimis humorem charitatis perdit.* Et S. Bernardus in Cantica. [B.serm.36.] *Nisi super humilitatis stabile fundamento spirituale ædificium stare minime potest.* Et de ascensione Domini. [Id.ser.2.] *Dilectissimi perseuerate in disciplina quam suscepistis, vt per humilitatem ad sublimitatem ascendatis, quia hæc est via, & non alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potius, quam ascendit quia sola est, humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam.*

Vtilitas multiplex est. Prima quod vna hæc præ ceteris Deo grata sit, & ab eo veniam peccatorum atque gratiam impetret. Psaltes regius in hæc verba canit. [Psal.101.18.] *Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum.* Et. [Ps.112.6.] *Humilia respicit in cœlo & in terra.* Et. [Psal.135.23.] *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri.* Et [Ps.50.19.] *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Dein Ecclesiasticus. [Eccli.35.21.] *Oratio*, ait, *humiliantis se penetrabit nubes.* Et propheta Isaias. [Isa.66.2.] *Ad quẽ respiciã nisi ad pauperculũ, & cõtritũ spiritu, & trementem sermones meos?* Et B. MARIA virgo, [Luc.1.48.] *quia respexit humilitatem ancillæ suæ, Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Et S. Iacobus [Iac.4.7. 1.Pet.5.5.] atque Petrus. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Vnde Augustinus libro 3. de doctrina Christiana c. 23. *Nulla fere pagina est sanctarum librorum in qua non sonet, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

II. Vtilitas eſt, quod Propriè mereatur vitam æternam. Vnde rex Dauid ſic orat. *Tu po ulum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* Et Iob. *Qui humiliatus fuerit,* inquit, *erit in gloria, & qui inclinauerit oculos, ipſe ſaluabitur.* Et Dominus. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* Et. *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Quæ ſententia ſæpius in Euangelio repetitur. Vnde Apoſtolus in epiſtola ad Philippenſes, cum dixiſſet Chriſtum Dominum cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuiſſe, formam ſerui accepiſſe, & humiliaſſe ſeipſum vſq; ad mortem crucis, mox ſubiecit. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Quem locum tractans Chry. *Extremam,* ait, *Chriſtus præſtitit obedientiam, propterea accepit & ſupremũ honorem.* Et cõmentarius Amb. adſcriptus. *Quid & quantum humilias mereatur hic oſtenditur* Et S. Aug. in Ioannẽ ad hæc verba reſpiciens. *Humilitas,* inquit, *claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium, ſed hoc factum eſt in forma ſerui.*

Pſal.17.28. Iob.22.29. Matt.5.2. Luc.14.11. Phil.2.8. Ch.hom.7. A. tract.104.

III. eſt, quod mens noſtra clarius illuſtretur ad percipiendas res diuinas, iuxta illud ſapientis, *Vbi eſt humilitas, ibi eſt ſapientia.* & Chriſti apud Matthæum *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapiẽtibus, & reuelaſti ea paruulis. Lumen n. intelligentiæ,* inquit S. Gregorius 25. moralium, *humilitas aperit, ſuperbia abſcondit. Nam ſecretum quoddã pietatis eſt, vt tãto minus ad illud animus perueniat, quanto magis intumeſcit, quia eo ipſo foras repellitur, quo inſanius inflatur.* Et B Cyrillus libro 6. in Ioannem. *Quinimo ipſe, inquit, qui vere humilis eſt exultans in Spiritu ſancto. Confiteor,* ait, *tibi Domine pater cœli & terræ quoniam abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Itaq; venit in hunc mundum, vt paruulos, & qui ſuæ cæcitatis ſũt cõſcii illuminaret, illis in erroris caligine dimiſſis, qui ſibi videntes videntur.* Et iterum. *Hæc plane humilis de ſe exiſtimatio, & propriæ idigentiæ confeſſio diuinæ gratiæ largitatem affatim conſequitur, & cœleſte impetrat auxilium. Contra verò qui grande aliquid & ſublimè de ſe exiſtimant, arrogantq; maiora quam ſibi aſſint, diuino deſtituti præſidio aridi relinquuntur, bonorumq; omnium egeni. id propheta nos edocet Domine non eſt exaltatum cor meum neq; elati ſunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter ſentiebam ſed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* Deinde Chryſoſt. homilia 29. in Matthæum. *Sicut quanto acutius videmus, tanto magis percipimus, quam longè à celi regione diſtamus, ſic quanto altius per ſpiritualem profectũ ad virtutis culmen conſcendimus, & mentis oculum perpurgamus magis, tanto plus docemur, quã ſit inter Deum & nos grande diſcrimen, tanto clarius cernimus, quam adhuc humili & abiecto loco iacemus.*

Prou.11.2. Matt.11.25. G.c.17. C.c.28. Pſal.130.1.

IV eſt, quod valeat ad frangendas & expugnandas omnis dæmo-

nis tétationes & machinationes; nec mirũ q̃ adæmõ per superbiã fęlicitate æterna excidit. Vnde Christus discipulis gloriãtib. de electione dæmonũ, eis in memoriã reuocauit causã lapsus eorũ dicens. *Vidi satanã sicut fulgur de cælo cadentem.* S. Antonius eremita teste S. Athanasio dicere solebat dæmonem nil peius odisse q̃ humilem & Dei amantẽ. Idemq; cũ per visum mundũ laqueis plenũ spectasset, Dominumq; rogasset, quæ ratio euadendi esset, responsũ accepit, euadi per humilitatem. S. Chry. in Acta Apostlorũ scribit humilitatẽ omnib. dæmonis machinamentis sublimiorem, & adamante fortiorẽ. Hier. in caput 4. Matthæi annotat Christum ad tentationem dæmonis, vt lapides cõuerteret in panes ideo respõdisse. Scriptum est, *non in solo pane viuit homo, quia propositum erat ei humilitate diabolum vincere, non potentia.*

Luc. 10. 18. — In eius vita. — Ch. hom. 10. — Matt. 4. 4.

V. est, quod sit signũ præsentiæ Spiritus sancti, imò & electionis æternæ, iuxta illud Isaiæ. *Super quẽ requiescet spiritus meus nisi super humilem & quietũ?* Ita S. Gre. li. primo dialogorum. *Mens quæ diuino spiritu impletur habet euidentissima signa sua, virtutes scilicet & humilitatem, quæ si vtraq; perfectè in vna mente conueniunt, liquet, quod de præsentia Sancti spiritus testimonium ferat.* Et libro 35. moralium. *Quia redemptor noster corda regit humilium, & Leuiathan iste Rex dicitur superborũ, apertè cognoscimus, quod euidentissimũ reproborũ signũ superbia est, at contra humilitas electorũ.* S. B. in Cãtica docet, si quis & à Deo humilietur, signũ esse vicinę gratię.

Isa. vlt. 2. — G. c. 10. — Id. c. vlt. — B. serm. 34.

VII. est, quod sine ea virtutes reliquæ subsistere non queãt. Nota n. est eiusdem Gre. in 7. psal. pę nitentiales sententia. *Qui sine humilitate virtutes cõgregat, quasi in ventũ puluerẽ portat.* Et homilia in Euangelia. *Si qualibet bona adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non eleuat, sed grauat.* Ea de caussa cæteri Patres eam caput, fundamentum, firmamentum custodem & origenem virtutum, vt liquet ex supradictis, vocarunt. Addo constare inter pretiosa Dei dona numerari Virginitatem perpetuam. Nam de ea S. Aug. sic scribit in libro de S. virginitate. *Quia perpetua continentia, maximeq; virginitas magnum bonum est in sanctis Dei, vigilantissimè cauendum est ne superbia corrũpatur.* Et tamen S. Bern. non dubitat ita loqui. *Laudabilis Virginitas, sed magis necessaria humilitas. illa consulitur, ista præcipitur. Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset.*

G. in 3. psal. — Id. hom. 7. — A. c. 33. — B. hom. 1. super Missus est.

VIII. quod absq; ei9 beneficio ad virtutũ perfectionẽ nequeat perueniri. Qua de re differens fuse Ioan. Cas. tandẽ concludit. *Euidenter itaq; monstratur, non posse quenquã perfectionis finẽ ac puritatis attingere, nisi per humilitatẽ verã, quã primitus fratrib. reddẽs Deo quoq; in penetralibus cordis exhibeat, credens sine protectione eius, atq; auxilio per singula sibi momenta delato perfectionem quam cupit, & ad quam magnopere currit, se penitus obtine-*

C. 12. instit. c. 23.

tinere non posse. Et postea. *Nullo modo poterit in anima nostra virtutum structura consurgere, nisi prius iacta fuerint veræ humilitatis in nostro corde fundamenta: quæ firmissimè collocata perfectionis & charitatis culmen valeant sustinere, ita scilicet, vt, quemadmodum diximus, primum fratribus nostris humilitatem veram intimo cordis exhibeamus affectu, in nullo scilicet acquiescentes eos contristare, vel lædere. Quod nullatenus poterimus implere, nisi abrenuntiatio vera, quæ in expoliatione omnium facultatum ac nuditate consistit in nobis fuerit Christi amore fundata: deinde obedientiæ iugum & subiectio simplici corde, ac sine vlla fuerit simulatione suscepta, ita vt præter Abbatis mandatum nulla penitus voluntas viuat in nobis.* S. Hieronymus quoq; in Matthæum agens de verbis Christi ad discipulos. *Qui uoluerit inter vos primus esse erit uester seruus. Humilis,* inquit, *magister & mitis, nec cupiditatis immodicæ duos arguit postulantes (filios Zebedæi) nec decem reliquos indignationis increpat & liuoris sed tale ponit exemplum quo doceat eum maiorem esse, qui minor fuerit, & illum Dominum esse, qui omnium seruus sit. Frustra igitur aut illi immoderata quæsierant, aut isti dolent super maiorum desiderio, cum ad summitatem virtutum non potentia, sed humilitate veniatur. Deniq; sui proponit exemplum, vt si dicta parui penderent, erubescerent ad opera, & dicit. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

Id.c 32. H.in.c.20.

IX. Vtilitas est, quò quis à condito orbe humilitate magis excelluit, hoc à Deo ad maiorem dignitatem euectus est, conuenienter promisso Christi. *Qui se humiliat exaltabitur.* Inter quos eminet primo Abraham Patriarcha, qui ex animi submissione se appellauit puluerem & cinerem. deinde vir secundum cor Dei rex Dauid, qui pulicem & vermem. Tum Ioannes Baptista qui indignum se reputabat vt uel corrigiam calceamenti Christi solueret. Inde Petrus Apostolus, qui cum ex humilitate Domino dixisset. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum,* factus est teste Chrysost. pastorum Princeps, fundamentum Ecclesiæ, & clauiger regni cælorũ. Adhæc quanta fuit humilitas Pauli perhibentis se Apostolorum ultimum, imò nomine Apostoli indignum? & tamen κατ᾽ ἐξοχὴν nomen Apostoli præ aliis obtinuit. Beatissima Virgo Maria ex humilitate professa est se ancillam Domini, & electa est in ipsam Domini matrem. Plura exempla ex Euangelica historia pertexit S. August. de sancta Virginitate. Io. Chrys. agens de S. Pauli humilitate in hæc verba scribit. *Homo cũ esset Paulus, humiliauit semetipsum. Quid ergo? an non celebratur? an non laudatur? an non amicus est Christi? an non maiora fecit, quam Christus ipse? an non diabolo sæpenumero tanquam mancipio imperauit? an non vt lictorem circumegit, non illum irrisit? non caput ipsius contritum sub pedibus suis habuit? non & aliis istud cum multa fiducia imprecatus est.*

Luc.14.11. Luc.5.8. Chrys. hom. 3. in Matth. A.c.32. Chry hom 7. ad Philip.

CAPVT IV.
De Humilitatis proprietatibus.

PRIMA Proprietas sit, quod per eam homo proprie subiiciatur
Psal.61.2. Deo. Vnde Dauid rex aiebat. *Nonne Deo subiecta erit anima mea, ab*
Ib.6. *ipso enim salutare meum.* Et infra. *Veruntamen Deo subiecta esto anima mea,*
Ps.36.7. *quoniam ab ipso patientia mea.* Et rursus. *Subditus esto Domino, & ora eum.*
Iac.4.7. Et B. Iacobus cum dixisset. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gra-*
1.Pet.5.6. *tiam,* mox addit. *Subditi ergo estote Deo.* Et S. Petrus eidem sententiæ
A.ep.84. lib.10. subiecit hanc. *Humiliamini ergo sub potenti manu Dei.* Vnde S. Ambrosius epistola ad Demetriadem. *In eo proprietatem ipsius* (*humilitatis*) *definimus, quod per omnia Deo subditur. Nec potest quicquam de meritis suis perdere, quorum causas, atq; prouectus non in se, sed in auctore suo constituit.* Et S. Bernardus in sermone de subiectione nostræ voluntatis. *Totius humilitatis summa in eo uidetur consistere, si voluntas nostra diuinæ, vt dignum est,*
Ps.61.2. *subiecta sit, voluntati sicut ait propheta, nonne Deo subiecta erit anima mea? Scio quidem creaturam omnem, velit nolit, subiectam esse creatori. Sed à creatura rationali voluntaria subiectio quæritur, vt voluntariè sacrificet Domino, & confiteatur nomini eius, non quia terribile & sanctum, non quia omnipotens, sed quia bonum est.* Quod si homo etiam subiectus sit homini, vt parentibus, magistris, Principibus, eis subiectus est propter Deum, cu-
1.Pet.2.13. ius vicem gerunt. Vnde S. Petrus. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.*

II. Proprietas est, vt nulli hominum homo se anteponat. Vnde S. Ambros. epistola iam citata. *Prima humilitatis ratio in communis vitæ*
Ibid.23. *versatur officiis, cum secundum doctrinam Apostolicam inuicem se homines honore præueniunt, & alter alterum superiorem existimantes, amant seruire subiecti, & nesciunt tumere prælati, cum & pauper diuitem non sibi dubitat anteferre, & diues pauperem sibi gaudeat æquare, cum & sublimes non superbiunt de claritate prosapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ: cum deniq; non plus tribuitur magnis opibus, quàm bonis moribus, nec maior ducitur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum inhonora iustitia.* Et S.
Ch.hom.33. Chrys. in Genes. *Nos non eis tantum, qui ætate nobis sunt maiores, vel etiam æquales, honorem exhibeamus: non est enim humilitas, quod facere debes necessitate, vera autem est quando cedimus iis, qui nobis videntur esse minores, & eos veneramur, qui nobis videntur esse magis indigni quam nos. Quod si rectè sapimus, nullos etiam nobis esse minores arbitrabimur, sed nos excelli ab omnibus hominibus dicemus. Et hoc dico non de nobis, qui innumeris immersi sumus peccatis, sed etiam si quis sibi plurimorum bene gestorum conscius sit, nisi apud se sentiat,*

sentiat, quod omnium sit postremus, nulla ei futura vtilitas est ex omnibus suis bonis operibus. Et S. Bernardus in Cantica. *Non est periculũ quantumcunq; te humilies, quantumcunq; reputes minorem, quàm sis, hoc est, quam se veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumq; periculum, si vel modicè plus vero te extollas, si vel vni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem forte parem tibi veritas indicat, aut etiam superiorem. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim ô homo, si vnus ille, quem forte omnium vilissimum, atq; miserrimum reputas, si melior te mutatione dexteræ excelsi in se quidem futurus sit, in Deo verò iam sit? Et propterea Dominus non mediocre, non vel penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locũ nos voluit, sed, recumbe, inqt, in nouissimo loco.* B. serm. 37. Luc. 14. 10.

III. Proprietas, vt sit syncera & ex corde profecta, omnis doli & fuci expers. Nam vt habet Sapiens, *est qui nequiter humiliat se, & interiora ei⁹ plena sunt dolo.* Vnde S. Ambros. ad Constantium. *Multi habent humilitatis speciem, virtutem non habent. multi eam foris prætendunt, & intus impugnant ad fucum præferunt, ad veritatem abiurant, ad gratiã negant. Est n qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt doli: & est, qui nimium se submittit, ab humilitate multa. Nõ est ergo humilitas nisi sine fuco, sine fraude. Ipsa est vera, quæ habet piam mentis syncerit atem, magna virtus eius* Et Hier. ad Celantiam. *Humilitatem sequere, non quæ ostenditur, atq; simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem: aliud rerum vmbram sequi, aliud veritatem. Multo deformior est illa superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim, quomodo turpiora sunt vitia, quæ virtutum specie cælantur.* Eccli. 19. 24. A. ep 44. lib. 7. H. ep. 14.

III Proprietas, vt in homine hoc maior animi sit submissio, quo ad maiorem honorem fuerit euectus, iuxta illud Sapientis *Quanto magnus es, & humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam* Et Christi Domini; *Quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit uester minister.* Et addit *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* Quis autem fuit filius iste hominis, nisi qui erat omnium non solum hominum, sed etiam angelorum maximus? Vnde Chrysost. in verba Isaiæ. Vidi Dominum. *Venerunt duæ naues habentes onus, ambæ in portum tendebant, sed Publicanus appulit in portum. Pharisæus autem naufragium perpessus est, vt disceres quantum mali sit animi tumor. Flores rectè factis? ne probra iacias in proximum. Quanto maior es, tanto magis submitte teipsum. Attende, quod dicitur charissime, magis iustus metuere debet arrogantiam, quam peccator, eo quod peccator habet conscientiam velit nolit nobilem, humilẽ ac submissam, iustus a. ob benefacta extollitur. Vt ergo sit in nauigiis, qui vacuam habent nauem, non metuunt piratarum insultum, sed qui habent onustam: Piratæ enim eo properant,* Eccl 3. 20. Matt. 20. 26. Ch hom 4.

perant,

perant, vbi aurum, vbi argentum, vbi lapides pretiosi sunt, sic & diabolus non facile persequitur peccatorem, sed iustum, vbi multæ sunt opes. Quanto maior ergo es, tanto magis submitte teipsum. Cum ascenderis in altum, opus est vt tibi
Luc.17.10. *prospicias ne cadas. Vnde & Dominus dixit. Cum omnia feceritis, dicite. Serui*
A.c.3. *inutiles sumus.* Et S. Augustin. de sancta Virginitate. *Cum,* inquit, *Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem à Christo Christiani appellantur, cuius Euangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inueniat: tum maximè virtutis huius sectatores & conseruatores eos esse conuenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent, vt magnopere curent illud, quod primitus posui. Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Proinde, quia perpetua continentia, maximeq; Virginitas magnum bonum est in sanctis Dei, vigilantissime cauendum est, ne superbia corrumpatur.*

IV. Proprietas est, vt humilitas sit circumspecta, qualis erat in
Phil.4.12. Apostolo ad Philippenses scribente. *Scio & humiliari, scio & abundare (vbiq; & in omnibus institutus sum) & satiari & esurire & abundare & penuriam pati, omnia possum in eo qui me confortat.* Quæ verba tractans S. Am-
A.c.17. bros. libro altero de Officiis. *Non ergo,* ait, *indocta humilitas, sed quæ habeat sui modestiam & scientiam, laudi datur. Est enim humilitas formidinis, est & imperitiæ atq; ignorantiæ. Ideo & Scriptura ait. Et humiles spiritu salua-*
Psal.33.19. *bit. Præclarè ergo dixit. Scio & humiliari, id est, quo in loco, qua moderatione,*
Luc.18.11. *quo fine, in quo officio, in quo munere. Nesciuit Pharisæus humiliari, ideo deiectus est: sciuit publicanus, ideo iustificatus est. Sciebat & abundare Paulus, qui animum habebat diuitem, etsi thesaurum diuitis non habebat. Sciebat abundare, quia non quærebat datum in pecunia, sed requirebat fructum in gratia.* Hæc circumspectio maximè exigitur à Prælatis, qui alios regunt.
C.c.4. Vnde B. Gregorius in secunda parte Pastoralis. *Solerter intuendum est* (Prælatis) *ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, soluantur iura regiminis, & dum Prælatus quisq; plus se, quam decet, deiicit, subditorum vitam distringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneant ergo Rectores exterius, quod pro aliorum vtilitate suscipiunt, seruent interius quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus eos apud se esse humiles etiam subiecti deprehendant, quatenus & in auctoritate eorum quod formident videant, & de humilitate, quod imitentur, agnoscant,* &c. multa.

A.lib.10. V. Est, vt semper sit sibi similis. Vnde S. Ambrosius epistola 84. indagans causam perpetuæ concordiæ in corpore Christi, hoc est, Ecclesia Catholica, tandem illam tribuit virtuti humilitatis. *Hæc,* inquiens, *virtus vera humilitas est, quæ inter quoslibet meritorum gradus nunquã sui potest esse dissimilis. Nam & in officiorum vicissitudine, & in mansuetudi-*

nis le-

nis lenitate, & in voluntariæ paupertatis electione inuenitur multa distantia, & alter altero in propositi sui deuotione, aut maior, aut minor est. In vera autem humilitate nihil diuisum, nihilq; non solidum est, & ideo omnes participes suos vnum facit, quia inæqualitatem ipsa nō recipit. Huius igitur boni proprietas in confessione est gratiæ Dei, quæ tota repellitur, nisi tota suscipitur. Sicut enim alienus est à numero fidelium, & à sorte sanctorum, qui in aliquo à Catholica veritate dissentit: ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de eius plenitudine diffitetur, quasi homo auxilio Dei in quadam actionum suarum parte egeat, in quadam autem parte non egeat, sitq; ullum tempus, vllumue momentum, quo perniciosum illi esse non possit si ab eo Spiritussanctus defuerit.

CAPVT V.

De Gradibus Humilitatis.

SANCT. AVGVSTINVS in libro de S. Virginitate ad agnoscendos gradus humilitatis generatim hanc regulam præscribit. *Mensura humilitatis cuiq; ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur.* A.c.31.

S. Benedictus verò in regula sua duodecim numerat humilitatis gradus pro Monachis, quos breuiter hic describam. B.c.7.

I. Si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, semper sit memor Dei, & præceptorum eius.

II. Si vocem Domini factis imitetur dicentis. Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Io. 5.30.

III. Vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat maiori, imitans Dominum, de quo Apostolus. Factus est obediens vsq; ad mortē. Phil. 2.8.

IV. Si in ipsa obedientia duris & contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniuriis patientiam amplectatur.

V. Si cogitationes malas, vel mala à se absconsè commissa per humilem confessionem Abbati non celauerit suo.

VI. Si omni vilitate & extremitate contentus sit monachus, & ad omnia quę sibi iniungūtur, velut operariū malū se iudicet & indignū.

VII. Si omnibus se inferiorem & viliorem, non solum lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu.

VIII. Si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula, vel maiorum cohortantur exempla.

IX. Si seruet silentium, monstrante scriptura, quia in multiloquio non effugietur peccatum. Pro. 10.19.

X. Si

X. Si non sit facilis in risu.

XI. Si humiliter cum grauitate pauca & rationabilia verba loquatur, & non sit clamosus in voce.

XII. Si non solum corde, sed etiam corpore humilitatem vbiq; indicet inclinato semper capite, & defixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans.

HORVM graduum defensionem suscepit S. Thomas in secunda parte summæ Theologicæ, quæ dicitur 22. quæstione 161. articulo sexto. Eosdem commentariis, vt & totam Benedicti Regulam illustrarunt Smaragdus Abbas, Io. de Turrecremata Cardinalis, & nuper Ioannes Trithemius, Abbas quondam Spanhemensis, editis Moguntiæ.

A. à c. 10. ad 18. S. Anselmus libro de similitudinibus numerat septem Humilitatis gradus. quorum primus sit. Contemptibilem se esse cognoscere. 2. de hoc docere. 3. hoc confiteri. 4. persuadere, vt s. hoc velit credi. 5. vt patienter sustineat hoc dici. 6. vt patiatur contemptibiliter se tractari. 7. vt hoc amet.

S. Bernardus in Tractatu de gradibus humilitatis, prolixè exponit 12. gradus superbiæ, ad rectius intelligendos 12. gradus humilitatis S. Benedicti, iuxta illud Philosophi. *Opposita iuxta se posita magis elucescunt.* In sententiis verò suis ita scribit. *Septem gradus descensionis habet humilitas. Abdicationem rerum exemplo Apostolorum. Abdicationem vestium, sicut Elias & Ioannes. Corporis exercitium, vt Paulus. Directionem in prosperis instar Dauid pauperis & Regis. Patientiam in aduersis, sicut Iob & Tobias.* Et paulo post. *Humilitatis virtus habet hæc tria. Superiori subdi, ut ad eius æqualitatem nulla ambitione, vel inuidia rapiatur. Æquali non præferri, ne illicito appetitu Superior velle fieri videatur. Minori subdi potius, quàm præponi, vt ex hoc humilitatis veritas comprobetur.*

In c. 3. Matth. Auctor Glossæ Ordinariæ in Matthæum. *Perfecta*, ait, *humilitas tres habet gradus. Primus est, subdere se maiori, & non præferre se æquali, qui est sufficiens. Secundus est, subdere se æquali, nec præferre se minori, & hoc dicitur abundans. Tertius gradus est subesse minori, in quo est omnis iustitia.*

CAP.

CAPVT VI.

De Mediis idoneis ad Humilitatem.

PRIMVM medium est S. Basilii in Regulis breuioribus. Nam quæstione posita, quomodo assequamur eam? Respondet his verbis. *Comparatur hæc virtus, si quis meminerit mandati Domini, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, quod quidem ipse variè multis in locis & ostendit, & docuit. Et si fidem ei adhibuerit, qui asseueranter affirmauit. Qui seipsum humiliauerit, eum exaltatum iri. Præterea, si æqualiter semper atq; vno tenore omni in re humilitatem consectatus sit, in eaq; mente se & reipsa exercuerit. Vix enim per assiduam meditationem ad habitum humilitatis poterit perueniri, vt in artibus fieri solet.* Eodem collimat illud dictum S. BERNARDI ad Ogerium canonicum regularem. *Humilitas, ad quam vtiq; ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum: siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi.*

B.4.198. Matt.11.29. Luc.14.11. B.ep.87.

II. Medium est eiusdem in homilia de Humilitate. *Quonam pacto* inquit, *ad salutarem hanc animi humilitatem perniciosa superbiæ elatione relicta descendemus? Si perpetuo studium modestiæ exerceamus, &c. Vide ne in sermone arrogantiam vsurpes sophisticam, neq; dictionem ostentes superbam, sed in omnibus splendori ac magnificentiæ detrahas, comis erga amicum, mansuetus erga domesticum, patiens erga temerarios, humanus erga humiles, patronus afflictis, inuisens in dolore constitutos, in summa, neminem contemnens: suauis in appellatione, alacer in responsione dexter & expositus vniuersis, neq; tua ipsius celebrans encomia, neq; alios, qui hoc faciunt, subornans, neq; inhonestam de proximo famam admittens, & virtutes tuas, ac prærogatiuas, quantum fieri potest, obtegens: peccatorum verò gratia teipsum accusans, nec expectans, vt ab aliis reprehendare: vt idem facias quod iustus, qui in principio sermonis seipsum accusat: & sis, qualis erat Iob, quem non puduit vrbis tumultuationem propriam contra se deprædicare ruinam. Ne sis increpando molestus ac seuerus: neq; statim, aut cum animi commotione quenquam reprehendas (resipit enim hoc contumaciam quandam) Neq; propter modica delicta condemnes aliquem, quasi rigidus iuris exactor, sed eos qui deliquerunt complectare, & spiritualiter instruas, quemadmodum admonet Apostolus, consi-*

Hom.22. Gal.6.1.

conſiderans teipſum ne & tu tenteris. Et tantũ ſtudii impendas, ne apud homi-
Mat. 6. 2. *nes glorioſus habeare, quantũ impendũt alii, vt glorificẽtur, ſiquidẽ Chriſti me-*
mor fueris. At prælatus es aliis, & homines te glorificant. Par eſto ſubiectis, non
1. Pet. 5. 3. *tanquã dominãs in cleris, vt Apoſtolus inquit, neq; ſecularib. Principib. te con-*
Matt. 20. 27. *formes. Qui namq; primus eſſe accepit, omniũ hominũ ſeruũ eſſe iubet Chriſtus.*

III. Medium eſt S. Ioan. Cryſoſt. ad populũ. vt nõ ſolum, ſermone a-
Ch. hom. 38. ctioneq; externa nos deprimamus, ſed reuera in animo humiliter de
nobis noſtriſq; meritis ſentire diſcamus, iuxta illud Chriſti. *Cũ feceritis*
Luc. 17. 10. *oĩa quæ præcepta ſũt vobis: dicite q*a *ſerui inutiles ſumus. Nolimus,* inquit *ex-*
tolli, ſed nos dicamus inutiles, vt vtiles efficiamur. Nam ſi te quidẽ dixeris
probabilem, licet probabilis exiſtas inutilis factus es, ſi verò te nominaueris in-
utilem, factus es vtilis, licet ſis improbandus; propterea meritorum obliuiſci
neceſſarium eſt. Et infra. *Nam & nos ſeruos habentes, maximè tunc eos acce-*
ptos habemus, cum poſtquam omnia beneuole miniſtrarint, nihil magnum fe-
ciſſe ſe cenſent. Itaque ſi tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne ma-
Mat. 8. 8. *gna eſſe putes, & magna tunc erunt. Sic & Centurio dicebat. Non ſum dignus,*
vt intres ſub tectum meum: & propterea dignus factus eſt. & admirationi ſu-
1. Cor. 15. 9. *per omnes Iudæos habitus. Sic & Paulus dicens. Non ſum dignus vocari Apo-*
ſtolus, & propter hoc omnium primus factus. Itidem & Ioannes. Non ſum di-
Mat. 3. 11. *gnus ſoluere corrigiam calceamenti eius, & ideo amicus quoque fuit ſponſi. Et*
manum quam dixit eſſe calceamento indignam, hanc ſuper caput ſuum Chri-
Luc. 5. 8. *ſtus attraxit. Sic & Petrus dicebat. Exi à me quia peccator homo ſum Domine,*
& idcirco factus eſt Eccleſiæ fundamentum. Nihil enim Deo tam gratum,
quam cum extremis peccatoribus ſemetipſum connumerare. Hoc eſt totius ſa-
pientiæ principium.

IV. Medium eſt, occultare ſuas virtutes, exemplo Chriſti Domini,
Mat. 17. 9. qui miracula à ſe facta voluit nõnunquam ſilentio ſupprimi, vt tranſ-
Ch. hom. 3. figurationem in monte. Hoc tradit S. Chryſoſt. in Matthæum. *Sicut*
veſtem pretioſam, inquit, *cum in publico ponimus plurimos ad inſidias pro-*
uocamus, ſi vero domi recondamus, in tuto cuncta ſeruabimus: ſic ſi opes
virtutum palam quaſi venales aſſidue portemus in mente, inimicum irrita-
B. ſerm. 4. *mus ad furtum, ſin verò nemo alter id ſcierit, niſi quem nulla occulta latent,*
tutiſſimo in loco conſiſtent. Et S. Bernardus de aduentu Domini. *Cariſſi-*
mi vtile eſt abſcondere magis, quam oſtentare, ſi quid habemus boni, ſicut &
mendici cum eleemoſynam petunt non pretioſas veſtes oſtendunt, ſed ſeminu-
Luc. 18. 12. *da membra aut hulcera ſi habuerint, vt citius ad miſericordiam videntis ani-*
mus inclinetur. Quam regulam publicanus ille ſeruauit multo melius phari-
ſæo, & ideo deſcendit iuſtificatus ab illo, id eſt præ illo. Plura media
habes in Panario noſtro V. gloria vana &
Superbia.

CAP-

CAPVT VII.

Quibus indiciis humiles agnoscantur.

PRRIMVM indicium ponit S. Basilius, in modestia habitus. *Animum humilem, ait, consequitur visus subtristis & in terram demissus, habitus neglectus, capillus passus, vestis sordida, ita tamen vt hæc videantur fortuito fieri, quæ lugentes de industria faciunt. Vestis cingulo corpori sit aptè accincta: cinctura autem neq; lumbis sit superior, (muliebre enim hoc) neq; adeò remissa, vt vestis diffluat, noxium namq; istud. Incessus verò neq; lentus, vt qui animi dissoluti sit signum, neq; rursus celer & concitatus, vt qui ipsius impetus perturbatos ac temerarios esse demonstret. Noli autem quærere, neq; in colore iucunditatem vestis, neq; in structura tenuitatem ac mollitiem. Vestis autem crassities talis esse debet, vt caloris gratia opus non habeat altera. Calceus vilis quidem pretii, sed tamen satis commodè necessitatem expleat.* Sumpta sunt hæc ex epistola prima Basilii ad Gregorium Theologum, cum describit mores eremitæ. B orat. 17. de humil.

II. Indicium humilitatis tradit S. Ambrosius in psalmum 118. nempe patientiam in aduersis. *In Euangelio,* inquit, *Dominus Iesus docens virtutem atq; insigne patientiæ ait. Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram. Vult enim discipulos suos & iniuriarum esse patientes, nec referire facile, ne dum referire potens iniuriam faceret, indicium humilitatis non exhiberet. Patientia enim humilitatis indicium est.* Id verò declarat paulo post exemplo regis Dauidis his verbis. *Quippe cum conuitiaretur Semei filius Gera sancto Dauid, virum sanguinarium appellans, & malediceret ei quando fugiebat filium suum Absalon, parricidalia ad tempus bella declinans, tacebat rex, & summum patientiæ insigne præstabat. Etenim cum tentationis suæ tempus intelligeret, vt ei parricidale prælium moueretur, magis humilem se volebat uideri, quo Domini mitigaret offensam, quam exasperandum eius arbitrabatur in sua tentatione iudicium, si forte suas iniurias vltum iret. Inde & populi duci Abisai vindicare cupienti ait. Quid mihi & tibi est fili Saruiæ? ideo maledicit mihi, quoniam Dominus dixit illi ut male dicat. Ecce filius meus, qui exiuit de ventre meo, quærit animam meam. Si autem modo extraneus maledicit mihi dimitte illũ, vt maledicat quoniam Dominus dixit illi, vt videat humilitatem meam: & retribuet mihi Dominus bona pro maledicto hoc. Quod & prophetico dixit spiritu, & probauit euentu. Cum enim repleta fuerit humilitas, peccatum soluitur.* Vnde A. ser. 10. Matt. 5. 39. 2. Reg. 16.

T.li de Patiēt. Tertullianus. *Quos felices Dominus nisi patientes nuncupauit? Beati pauperes spiritu, illorum enim est regnum cælorum.* (Matt 5. 3.) *Nullus profectò spiritu pauper nisi humilis. Quis enim humilis, nisi patiens? quia nemo subiicere se potest sine prima patientia subiectionis ipsius* Et S. Bernar. in sermone. (B. de B Virg.) Signum Magnum. *Collectaneæ sunt humilitas & mansuetudo, in eo confœderatæ germanius, qui dicebat. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* (Matt. 11. 29.)

C. c 39. III. Indicium, & quidem multiplex tradit IOAN. CASSIANVS libro quarto institutionum. *Humilitas*, inquiens, *his indiciis comprobatur Primo, si homo mortificatas in se habeat omnes voluntates.* 2. *si non solum actuum suorum, verum etiam cogitationum nihil suum uelauerit Superiorem.* 3. *si nihil suæ discretioni, sed iudicio eius vniuersa committat, ac monita eius sitiens libenter auscultet.* 4. *si in omnibus seruet obedientiam, mansuetudinem, & patientiæ constantiam.* 5. *si non solum iniuriam inferat nulli, sed ne ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atq; tristetur.* 6. *si nihil agat, nihil præsumat, quod non vel communis regula, vel maiorum cohortentur exempla.* 7. *si omni vilitate contentus sit, & ad omnia se, quæ sibi prebentur, velut operarium malum iudicarit indignum.* 8. *si semetipsum cunctis inferiorem, non superficie pronunciet labiorum, sed intimo cordis credat affectu.* 9. *si linguam cohibeat, vel non sit clamosus in voce.* 10. *si non sit facilis ac promptus in risu.* Ex his indiciis S. Benedictus eo posterior videtur confecisse suos Humilitatis gradus.

C. c. 14. Et in 3. psal. pœnit. IV. Indicium tradit S. Gregorius libro 22. moralium, nempe, peccata sua & vltro accusare, & aliis accusantibus non negare. *Summopere,* inquit, *curandum est, vt mala quæ fecimus & sponte fateamur, & hæc aliis arguentibus non negemus: Superbiæ quippe vitium est, vt quod de se fateri quisq; quasi sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur.* Ex hoc indicio deinde ualde commendat humilitatem S. Iob *Vnde,* inquiens, *certissimè apparet, quantæ munditiæ in omnipotentis Dei oculis fuerit, qui & vitauit mala ne committeret, & tamen quæ eum committere contigit, hominibus non abscondit, quatenus ei & iustitiæ sit gloria declinasse peccatum, & iustitiæ custodia, quod non potuit declinare, prodidisse. Mirentur in eo qui volunt castitatis continentiam, mirentur integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis: ego in eo non minus admiror confessionem humilimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum.* Pro huius indicii commendatione facit quod scribit LACTANTIVS (L. c. 6.) in diuinarum institutionum Epitome. *Nos, etiamsi nullum sit peccatum confiteri debemus. Humilitas enim tam cara & amabilis Deo est, qui cum magis suscipiat peccatorem confitentem, quam iustum superbum, quanto magis*

magis iustum suscipiet confitentem, eumq; in regnis cælestibus faciet pro humilitate sublimari?

V. Indicium est, Humilia officia exercere, quale Christus Dominus, impendente morte, exercuit, cum à cæna surrexit, linteo se præcinxit, aquam in peluem misit, pedes discipulorum, & inter eos Iudæ proditoris abluit: quod eo pluris faciendum est, quod hoc vnum fere exempli loco imitandum illis commiserit dicens. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Vnde S. Augustinus in caput XIII. Ioannis. *Tanta est quippe humanæ humilitatis vtilitas, vt eam suo commendaret exemplo etiam diuina sublimitas: quia homo superbus in æternum periret, nisi illum Deus humilis inueniret. Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.* Qualē exercuit humilis rex Dauid, cum non dubitaret nudus, ridente licet vxore Michol, ante arcam Dei religionis ergo saltare, vt est in sacra historia regum. De quo facto ita scribit S. Gregorius libro 27 moralium. *Ecce, quem Dominus cunctis singulariter prætulit, sese sub Domino, & exæquando minimis, & abiecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subiectorum oculis saltando vilescere metuit, non se honore prælatum ceteris, ante eius arcam, qui honorem dederat, recognoscit. Coram Deo egit vilia, vel extrema, vt illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus egerat fortia. Quid de eius factis ab aliis sentiatur ignoro, ego Dauid plus saltantem stupeo, quam pugnantem: pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum vicit.*

Ioan 13.15.

A. tract. 55.

2. Reg. 6.

VIDE V. *Abnegatio. Cognitio sui. Diffidentia sui. Simplicitas. Timor Dei. Et in* PANARIO V. *Amor sui. Immodestia. Inobedientia. Iudicium proprium. Præsumptio. Superbia. Voluntas propria.*

I.

IEIVNIVM.

Caput I.

Quid ſit Ieiunium & quotuplex.

IEIVNII nomine hoc loco non tantum parſimonia victus, quæ per omnem vitam diuina lege omnibus ſeruanda eſt Chriſtianis, ſed etiam ſeuerior quædam à cibis abſtinentia intelligitur, non qualem aut inopia rei familiaris in pauperibus, aut opum congerendarum cupiditas in auaris, aut oſtentandæ gloria ſanctitatis oſtendit in hypocritis, ſed qualem ipſi nobis, aut ſtudio Eccleſiaſticis legibus obſequendi, aut retinendi inſtituta & conſuetudines ſalutares maiorum, aut ſponte ad coercendam carnis laſciuiam, aut ad promerendum Deum, imperamus. Quo ſenſu S. Baſilius in regulis
B.quæſt.16. fuſius diſputatis ſcripſit. *Abſtinentiam appellamus, non ſi quis ſe à cibo penitus abſtineat, quando hoc violenta quædam vitæ diſſolutio eſt, ſed eam, quam tollendæ contumaciæ corporis cauſa pietatis ergo de induſtria ſequimur. Quarum enim rerum voluptates ab iis qui ex libidine vitam degunt expeti ſolent, ab his nobis, qui ad veram pietatis culturam contendimus, eſt temperandum.*

THEOLOGI maioris lucis cauſa diſtinguunt triplex ieiunium magnum & generale, Philoſophicum & Eccleſiaſticum.
Is.58.6. Magnum & generale eſt abſtinentia à vitiis, iuxta illud Iſaiæ. *Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi, diſſolue colligationes impietatis, ſolue fa-*
A.trac.17. *ſciculos deprimentes?* Vnde S. Auguſtinus tractatu in Ioannem. *Ieiunium magnum & generale eſt abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſeculi, quod eſt perfectum ieiunium, vt abnegantes impietatem & ſeculares cupiditates temperanter & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo.* Et Quæſtio-
Id.c.28. num Euangelicarum libro ſecundo. *Scriptura docet generale ieiunium, non à concupiſcentia ciborum tantum, ſed ab omni lætitia temporalium delectationum.* Alterum ieiunium dicitur Philoſophicum, vel morale, & non eſt aliud quam cibi & potus parſimonia, qua temperate etiam ab Ethnicis ſecundum rectam rationem vita inſtituitur, de quo agemus in titulo de Temperantia. Tertium eſt Eccleſiaſticum, quo iuxta cer-

certum & præscriptum Ecclesiæ morem certis diebus, & carnium esu abstinemus, & vnica duntaxat refectione plena, vel prandii, vel cænæ, contenti sumus. Atq; hoc propriè dicitur ieiunium, de quo nunc agitur; & diuiditur in varia ieiunia, vt Quadragesimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum, Feriæ sextæ & Sabbathi. Eodem pertinent ieiunia, tam temporalia, quam perpetua ex professione monastica, vel priuato animi proposito assumpta.

CAPVT II.

De dignitate & præstantia Ieiunii.

MIRIS laudibus plæriq; omnes S. Patres abstinentiæ uel ieiunii consuetudinem exornarunt. Et primo ab antiquitate, quod in ipsa adeo paradiso à Deo ipso sit institutum & mandatum. Vnde Hieronymus libro secundo aduersus Iouinianum. *Nunc*, inquit, *ad exordium generis humani transiens docebo primum Adam in paradiso accepisse præceptum, vt cætera poma comedens ab vna arbore ieiunaret. Beatitudo paradisi absq; abstinentia cibi non potuit dedicari. Quamdiu ieiunauit, in paradiso fuit, comedit & eiectus est.* Et S. Basil. homilia de ieiunio. *Ades huc, ac per historiam decurrens vestiga ieiunii antiquitatem. Neq; enim recens inuentum est, sed pretiosus thesaurus à maioribus repositus ac traditus. Quicquid vetustate præcellit, idem venerabile est. Reuerere igitur ieiunii canitiem. Tam vetus est, vt simul cum homine condito ceperit, in paradiso præscriptum est. Primũ illud præceptum accepit Adam, ne de ligno scientiæ boni ac mali ederet. Hoc autem verbum. Non edetis, ieiunij & abstinentiæ lex est.* Idem mox subiungit ieiunii beneficio patere nobis reditum ad paradisum. *Quoniam non ieiunauimus*, inquiens, *exulamus è paradiso: ieiunemus igitur, vt ad illum postliminio reuertamur. An non vides, quomodo Lazarus per ieiunium ingressus est paradisum?* Eodem modo loquitur S. Athanasius libro de Virginitate. *Magnum*, ait, *munimentum est ieiunium. Vt enim ob escam & inobedientiam proturbatus est Adam ex paradiso, ita rursum per ieiunium & obedientiam in paradisum, qui volet, redibit.* Idem S. Hieron. loco citato. *Nec secunda*, inquit, *conscriptio tabularum absq; ieiunio potuit impetrari; quod ebrietas perdiderat, inedia reperit. Ex quo ostenditur posse nos per ieiunium redire in paradisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti.*

Hieron. | B. hom. 1. | Gen. 3.

Deinde laudarunt ieiunium ex eo, quod cibus sit angelorũ, atq; ideo ieiunantes imitentur uitam angelicã. *Ieiunium*, inquit S. Athan. lib. sup. alleg. *angelorũ cibus est, & qui eo vtitur ordinis angelici censendus est.* Et S. Chry. ser. de ieiunio. *Ieiunium angelorum imitatio est pro nostra*

A. de Virgin. | Ch. serm.

T.ad Episc. AEgypti. *virili, contemptus præsentium, schola precum, alimonia animæ. Et Theophilus Alexandrinus libro 3. Paschali. Ergo qui ieiunia, id est, conuersationem*
Rom 14.17. *Euangelicam imitantur in terris, meminerunt illius dicti. Regnum Dei non est*
B.h.1.de ieiun. *cibus & potus, sed iustitia, & gaudium, & pax, & lætitia.* S. Basilius homilia iam dicta. *Homo angelorum ritu viuens, dum paucissimis contentus est,*
Ps.77.25. *similitudinem cum illis assequitur.* Et infra. *Quod si angelorum cibus est vllus, panis est, quemadmodum ait propheta. Panem angelorum comedit homo: non carnes. non vinum non alia quæ ingenti studio apparantur.* Et homilia secunda. *Angeli sunt, qui in singulis Ecclesiis describunt ac recensent ieiunantium capita.*

Tertio, laudarunt S. Patres ieiunium, eo quod beneficio ieiunii & quidem diuturni tres sanctissimi prophetæ vt Moyses & Elias, qui in quadragesimum vsq; diem illud extraxerunt, & S. Ioannes Baptista, qui in omnem vitam, typum Christi saluatoris imprimis gesserint, & miranda quædam egerint. De Moyse in Iouinianum ita scri-
H. lib.2. bit Hieronymus. *Moyses quadraginta diebus & noctibus ieiunus in monte Sina etiam tunc probans non in solo pane viuere hominem sed in omni verbo Dei, cum Domino loquitur, populus autem satur idola fabricatur. Ille vacuo ventre legem accipit scriptam digito Dei: iste manducans, & bibens, consurgensq; ludere aurum conflat in vitulum.* Et infra de Elia. *Elias quadraginta dierum ieiunio præparatus Deum vidit in monte Oreb & audit ab eo. Quid tu hic Elia? Multo familiarior ista vox, quam illa in Genesi. Adam vbi es? Elias igneo curru raptus ante immortalis esse cœpit, quam mortuus. Ob ieiuni-*
B.hom.1. cit. *orum consortia Dominus noster Moysen & Eliam transfiguratus in monte secum ostendit in gloria.* De baptista Ioanne verò in hæc verba S. Basilius. *Ioannis Baptistæ vita, quid aliud erat, quam vnicum ac perpetuum ieiunium? qui non habebat lectum, non arua, non aratorem, vt ait Hesiodus bouem, non triticum non pistorem, deniq; non aliud quidqua m eorum, quæ ad victum pertinent. Ideoq; inter natos mulierum non extitit quisquam maior Ioanne baptista.*

Quarto, quia Christus ipse Dominus ieiunio quadragenario pærdicationem suam inchoare & consecrare voluit. Vnde Ambrosius sermone 34. *Hanc Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit. Quod dixi, ieiunio, non ieiuniis. Vnum enim Domini ieiunium fuit, quia continuatis 40 diebus & noctibus cibum omnino non sumpsit. Quisquis ergo Christianus consecratam ieiunando non impleuerit Quadragesimam præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quod legem diuinitus pro salute sua datam prandendo ipse rescindit.* Et S. Ignatius ad Philippenses. *Quadragesimam nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet Dei conuer-*
Orig hom.10. *sationis.* Et Origenes in Leuiticũ. *Habemus Quadragesimæ dies ieiuniis consecra-*

secratos. Et Apostoli ipsi apud Clementem Romanum. *Post Epiphaniam,* inquiunt, *seruandum est vobis ieiunium Quadragesimæ continens memoriam conuersationis & legislationis Domini.* C. 5. const. c. 15.

CAPVT V.

De multiplici Ieiunii fructu.

INTER varios ieiunii fructus ille occurrit primus, quod valeat ad coercendam carnis lasciuiam, idcirco enim Apostolus dixit. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.* vti S. Patres illa verba intellexerunt, inter quos est Chrysost. in commentariis Paulinis & S. Ambros. in epistola ad Ecclesiam Vercellensem. Vnde Ecclesia in Præfatione Missæ canit. *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia.* Et S. Cyprianus de ieiunio & tentationibus. *Ieiunijs,* inquit, *vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates. Ieiunium si discretione regatur omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & artat, & appetitus vagos distringit & ligat.* Et S. Basil. de ieiunio. *Scis quod caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Itaq; cum hæc sibi inuicem aduersentur, subtrahamus carni voluptatem, augeamus animæ robur, vt per ieiunium collectis viribus ad superandas concupiscentias coronis abstinentiæ repositis cingamus.*

1. Cor. 9. 27.

A. ep. 82.

B. hom. 2.

2. Parat animum ad rerum diuinarum contemplationem, & instituendas deuote preces ad Deum. Exemplum habemus in Moyse, qui vt est in Exodo, quadraginta dierum ieiunio promeruit colloquium cum Deo. Et in Elia, qui totidem dies, vt est in Regum historia, ieiunio vacauit vt Deum in monte Horeb quadantenus contueri posset. Sed & Danielem legimus trium hebdomadarum inedia se comparasse ad excipiendas diuinas reuelationes. Quo exemplo impendentibus sollemnioribus festis Ecclesia Catholica consueuit se præuio ieiunio & uigilia ad officia diuina celebranda præparare, & S. Bernard. annotauit sermone in vigilia. S. Andreæ. Vnde S. Chrys. in Genesin. *Ieiunium animæ nostræ alimentum est, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat, voluptatibusq; & omnibus, quæ in hoc mundo habentur suauia, ipsa sit Superior. Et quemadmodum leuiores naues maria velocius transeunt, contra multo onere grauatæ submerguntur: ita ieiunium quidem leuiorem reddens mentem efficit vt facilius huius vitæ pelagus transmit-*

Exo. 34.

3. Reg. 19.

Dan. 10.

Ch. hom. 1.

tat, & in cœlum, ac ea quæ in cœlis sunt respiciat, & nihil faciat præsentia.

3. Valet in peccatoribus pœnitentiam agentibus ad impetrandam peccatorum veniam, & placandam diuinam indignationem. *Quæ nobis salus esse potest,* scribit S. Ambrosius *nisi ieiunio eluerimus peccata nostra, cum scriptura dicat ieiunium & eleemosyna à peccato liberat?* Et de natal. Domini. *Nullum tam graue delictum est, quod non purgetur abstinentia, eleemosynis extinguatur.* Et S. Aug. concionem his verbis alloquitur. *Pro peccatorum indulgentia, & pro misericordia diuina ieiunemus* Achab impius, & Niniuitæ gentiles imminentem iram Domini *ieiuniorum miseratione* ait Hier. *detorserunt, quem & Sodoma placasset,* addit *si lacrymas pœnitentiæ patrocinante voluissent conciliare ieiunio.* Cornelius centurio certe, vt Spiritum sanctum acciperet crebris meruit ieiuniis, S. Ioan. quoq; Euangelista teste Eusebio li. tertio historiæ Ecclesiasticæ, sæpius se macerauit ieiuniis, vt peccatori cuidã Deũ redderet propitiũ. Ac deniq; D. Iust. in Apologia altera tradit Catechumenos doceri solitos, ieiuniis ac precationibus veniam peccatorũ deprecari.

A ep. 82. Tob. 4. 12. Id. serm. 15. Au. serm 60. de temp. 3 Reg 21. H. l. 2. in Iouin. Ionæ 3. Act. 10. E. c. 17.

4 Valet in iustis ad expiandas peccatorum pœnas, quia vt aliis voluntariis afflictionibus, ita sacris ieiuniis maximè satisfacimus, vt Patres disertè tradiderunt. Tertullianus libro de ieiunio. *Sicut primum,* ait, *vsus cibi perdidit, ita ieiunium Deo satisfaciat, atque salutem æmulo modo reaccendat inedia.* Basilivs homilia prima de ieiunio. *Per ieiunium satisfacito Deo.* Sanctus Epiphanius in compendiaria doctrina. *Ieiunamus quarta & prosabbatho vt pro peccatis nostris ieiunia nobis apud Deum supputentur.* Sanctus Bernardus in Cantica. *Ego interdum abstineo, sed abstinentia mea est satisfactio pro peccatis, non superstitio pro impietate.* Neque hæc satisfactio, vt hæretici nugantur, imminuit satisfactionis Christi efficaciam, sed auget potius, quia omnem vim suam nostra satisfactio accipit ab illa Christi. Vnde Basilius & Chrysostomus hanc phrasin vsurpant. *Ieiunemus vt passionis Christi participes simus.*

B. ser. 66. B. C. hom. 1. de ieiun.

5. Valet ad promerendam vitam æternam. *A diebus enim Ioannis baptistæ ieiunatoris,* ait D. Hier. *regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Christus Dominus certe apud Matthæum exclusa gloria vana in abscondito ieiunanti cęlestem promittit mercedem. *Et Pater tuus,* ait, *qui videt in abscondito, reddet tibi.* Atque Apostolus in priore ad Corin. ep. in eo castigantes corpus ieiuniis cõfert cũ pugilib. in agone contẽdentib, q; sicut hi ab omnib. abstinent, vt corruptibilẽ coronã accipiant, ita illi à cibis ieiunant vt coronam consequantur incorruptã. Vnde S. Amb. ad Ecclesiã Vercellensẽ. *Qui sunt hi præceptores noui*

H. l. 2. in Iouin. Matt. 6. 18. 1. Cor. 9. 25. A. ep. 82.

(Ioui-

(Iouinianistæ) *qui meritum excludunt ieiunij? nonne gentilium vox ista
est dicentium, manducemus & bibamus?* S. Basilius de ieiunio. *Ieiunium ad* B. hom. 1.
venturi seculi mala fugienda, & assequenda bona utile est. S. Hieron. in altero contra Iouinianum libro id præcipue contendit, nempe meritorium esse ieiunium. S. Augustinus sermone 62. *Ieiunium remedium est aut præmium; hoc est, aut indulgentiam peccatorum, aut præmium regni cælestis acquirit.* Et libro de Ecclesiasticis dogmatibus. *Pro amore castigandi* A. c. 68.
corporis abstinentibus à vino, vel carnibus nihil credere meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Iouiniani est.

6. Valet etiam ad impetranda & promerenda bona temporalia, vti exempla complura S. Scripturæ demonstrant. *In Exodo*, inquit Exo. 17.
D. Hieron. libro notato, *aduersus Amalech oratione Moysi & totius populi vsque ad vesperam ieiuni dimicatum est. Iesus filius Naue stationem imperauit* Iosu. 10.
Soli & Lunæ, & inediam plusquam vnius diei victoris exercitus protelauit.
Congregatum Samuel populum in Masphat indicto ieiunio roborauit, & hosti- 1. Reg. 7.
bus fecit fortiorem. Assyriorum impetum & potentiam Sennacherib Ezechiæ 2. Par. 32.
Regis saccus & ieiunium prostrauit. Anna vxor Helchanæ inanem cibo ven- 1. Reg. 1.
trem ieiunio meruit implere. Daniel, qui trium hebdomadarum ieiunio Dan. 10.
Domino miserabilis apparuerat, post ieiunium in lacu fuit horribilis, Iudith atque Hester ieiunii beneficio patriam tyrannide & excidio liberarunt. Anachoretæ olim seueritate ieiunii longissimè vitam produxerunt. *Excipite male ualentes*, inquit S. Basilius, *sanitatis matrem.* Hippocrates
Qui bona estis valetudine excipite bonæ habitudinis custodem. Interroga medi- Galenus.
cos, ac dicent tibi, nihil est periculosius habitudine corporis extremè bona: eoque qui peritissimi sunt artis per ieiunium detrahunt redundantia, ne vis naturæ pondere corpulentiæ fracta succumbat.

7. Valet ad frangendam dæmonum potestatem. Sara siquidem vt est in libro Tobiæ, à dæmonio per ieiunium liberata est. Et Chri- Tob. 3.
stus ipse contra dæmonis tentationes pugnaturus longo se ieiunio vt A. ep. 82.
loquitur Ambrosius, armauit. Deinde aperte docuit acriora quædam Matth. 17. 22.
dæmonia non superari nisi ieiunio & oratione. *Vide*, ait Augustinus in Aug. ser. 65. de
sermone quodam, *quanta sit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia vale-* temp.
ant, quod Apostoli nequiuerunt. S. Athanasius libro de Virginitate. *Vides quid faciat ieiunium? morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, prauas cogitationes expellit, cor mundum efficit.* Et infra. *Quisquis ab immundo spiritu uexatur, certum habere debet hoc pharmaco, ieiunio inquam statim spiritus malos afflictos abscedere vim ieiunii metuentes.* S. HIERON. H. lib. 2.
in Iouinianum. *Quam pulchra res quæ placat Deum, leones mitigat, dæmones terret?*

8. Valet denique etiam ad colendum Deum legimus enim in veteri testamento Nazaræos voti religione obstrictos fuisse, vt abstinentia Deum colerent. *Vir*, inquit Dominus ad Moysen, *siue mulier cum fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & omni quod inebriare potest abstineant.* Vnde & alibi grauiter irascitur Deus filiis Israhel, qui vinũ illis propinarãt. Deinde in noui testãenti primordiis apud B. Lucam, laudatur Anna prophetissa filia Phanuel, quod nocte ac die *annis multis fuerit seruiens Deo in ieiuniis & obsecrationibus*, vbi vox est λατρεύουσα, quæ significat religiosum cultum. Adhæc Apostolus ad Romanos *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentẽ, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* quæ sententia de refrenatione carnalium cupiditatum ab omnibus exponitur. at ea maximè fit per ieiunia. Ea de causa prisci Patres ieiunio etiam appellationem sacrificii, oblationis & cultus tribuerunt. TERTVL. de resurrectione carnis. *Sacrificia* inquit, *Deo grata dico ieiunia, seras & aridas escas.* Concilium Nicenum 1. canone 5. agens de Quadragesima. *Vt mundum*, ait, *& solenne Deo ieiunium possit offerri.* Et Beatus Leo, sermone 2. de ieiunio decimi mensis. *Pro consummata perceptione omnium fructuum dignissimè largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur.* Cassianus quoque & Gregorius Magnus scribunt nos per ieiunium Quadragesimæ *Deo offerre quasi decimas & primitias vitæ nostræ.* Demum Sancti Augustini sermone 230. de Tempore hæc verba sunt. *Aduersus dæmonum nequitiam, quæ nobis Dominus arma ostendit debemus vtique retinere. Hoc ait, genus non eiicitur nisi in oratione & ieiunio. Hæc cum plena fide exercentur pietas est: pietas autem ad omnia vtilis est professionem habens vitæ præsentis & futuræ.*

Num. 6. 2. Amos. 2. 12. Luc. 2. 37. Rom. 12. 1. C. collat. 21. G hom. 16. in Euang. 1. Tim. 4. 8.

CAPVT VI.

De Proprietatibus quibusdam Ieiunij.

PRima Proprietas est, vt cum eo delectus ciborum, vt abstinentia à carnibus seruetur, qui à Tertulliano appellatur *portionale ieiunium.* Pro quo multa suppetunt nobis exempla. Et principio quidem ex veteri testamento exemplum Danielis, qui ita de se loquitur. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* Ex nouo verò S. Ioan. Baptistæ *qui locustis & syluestri melle* inquit Hier. *vescitur, non* carni-

T. lib. de ieiun. Dan. 10. 3. Matt. 3. 4. H 1. contra Iouin.

carnibus, habitatioq́; deserti, & incunabula monachorum talibus inchoantur alimentis. Ioannes præcursor Domini, ait Augustinus, *locustis in eremo & agresti melle nutritur, non animalium carnibus, non volucrum suauitatibus pascitur.* S. Petrus Apostolorum princeps, teste Greg. Nazianzeno in oratione de pauperum amore, fere semper ieiunauit, solis lupinis vescens minuto asse comparatis. S. Matthæus apostolus, auctore Clemente Alexandrino, tantum holeribus vitam tolerauit, perpetuo abstinens à carnibus. Iacobum fratrem Domini carnes non comedisse testatur apud Eusebium libro 2. historiæ Ecclesiasticę Hegesippus. Idem ex Philone refert primos Christianos Alexandriæ à S. Marco Euangelista institutos à carnibus & vino abstinuisse. quod idem commemorat S. Hieronymus in libro de viris illustribus in Philone. S. Epiphanius in Compendiaria doctrina testatur multos fuisse qui sponte à carnibus abstinerent per totum annum. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quarta dicit Christianos ieiunantes abstinere à carnibus. Quod per Quadragesimale ieiunium continuerint se à carnibus docent plurimi, vt S. Basilius homilia prima de ieiunio. Theophylus Alexandrinus libro tertio Paschali. Chrysostomus homilia sexta in Genesin, & Augustinus libro 30. contra Faustum capite quinto. S. Hieronymus vero contra Iouinianum libro secundo fusè probat bonam esse abstinentiam à carnibus & vino: & in epistola ad Eustochium de custodia Virginitatis, apud multos anachoretas perpetua fuisse ieiunia, & à carne ac vino abstinentiam. Quod idem docet S. Augustin. libro primo de moribus Ecclesiæ, cap. 31. & 33. & Chrysost. homilia 59. ad populum. In homilia uero sexta hanc laudem tribuit Antiochenis, quod maluerint quiduis pati, quam tempore Quadragesimæ, vetita, hoc est, carnes, vel originem à carne habentia, (vt oua, caseum, lac,) tangere nutrimenta. Quam laudem Nicephorus libro 17. historiæ suæ c. 32. quoq; tribuit Constantinopolitanis: nam in magna annonę caritate cum Iustinianus Imperator illis potestatē fecisset per Quadragesimā carnes emendi & vendendi, ea uti noluerunt. Plura exempla huius delectus habes in Vitis Sanctorum.

A. ser. 65. de. temp.

Cl. l. 2. ped. c. 1.

E. c. 22. & c. 17.

Ep. in fine Panarii.

II. Proprietas, ut cum ieiunio & delectu à cibis semper iungatur abstinentia à vitiis; hoc enim S. Patres uocant verum ieiunium; eo quod ieiunium à cibis, cum sit res per se adiaphora id est nec bona, ne mala, inde habeat vt sit salutaris animæ. Ita S. Basilius homilia 2. de ieiunio *Vt laudem,* inquit, *promereatur ieiunium, non est per se satis temperare à cibis, sed ieiunium ieiunemus acceptabile, Deo gratum. Verum ieiunium est à vitijs immunem esse, continentia linguæ, iræ cohibitio, concupiscentiæ amputatio, obtrectationis, mendacii, periurii. Ab his abstinere verum est ieiunium.*

S. Ambrosius sermone 33. *Hæc voluntas est Domini vt ieiunemus à cibis pariter & à peccatis. Abstinentiam indicamus corpori, vt à vitiys magis animam abstinere possimus. Frænum enim quoddam est luxuriantis animæ corpus exhaustum. Quisquis enim ieiunat & peccat, lucrum escarum fecisse videtur, non salutis, & parcendo copiis replesse cellarium, non mentem saginasse virtutibus.* S. Chrysostomus homilia 47. in Matthæum. *Hæc dixi, non quia ieiunium mihi non placeat, quod magnis soleo efferre laudibus, sed quia doleo, si cæteris neglectis satis ad salutem vobis ieiunium existimetis quod in choro virtutum vltimum certè sortitur locum. Præcipuæ namq. virtutes sunt, charitas, humilitas, misericordia.* Et homilia 8. in Genesin. *Lasciuias carnis refrænemus, & verum probemus ieiunium: ieiunium autem dico abstinentiam à vitiis. Etenim abstinentia à cibis propterea recepta est, vt rigorem carnis refrænet, & equum moderanti facile parere faciat. Ieiunantem ante omnia oportet iram refrænare, mansuetudinem addiscere, habere cor contritum, ante oculos continuo proponere oculum æterni iudicis, liberalem esse in danda eleemosyna, nullum malum aduersus proximum in cor admittere. Hoc verum ieiunium est, sicut & Isaias ex persona Dei loquens dicit.* Isa. 58. 5. *Non hoc ieiunium elegi, dicit Dominus, vt torqueas quasi circulum ceruicem tuam, &c.* Et Hieronymus ad Celantiam. H. ep. 14. *Quid enim prodest tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? quam laudem merebitur de pallore ieiunii, si inuidia liuidissimus? Tunc, inquam, præclara est abstinentia, tunc pulchra atq. magnifica castigatio corporis, cum est animus ieiunus à vitiis. Imò qui probabiliter ac scienter abstinentiæ virtutem tenent, eo affligunt carnem suam, quo animæ frangant superbiam.*

III. Proprietas est, quod ex omnibus virtutibus duas præcipuè comites sibi asciscat, Orationem & Eleemosynam, vti indicauit Raphael angelus, cum diceret ad Tobiam. Tob. 12. 8. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna magis, quàm thesauros auri recondere.* Et Christus Dominus apud Matthæum, Matt. 6. docens quemadmodum iustitiæ opera rectè exerceantur ad obtinendam mercedem æternam, harum virtutum opera tantum attigit. Et rursum docuit dæmones quosdam non expugnari nisi oratione & ieiunio. Matt. 17. 21. In Actis verò Apostolorum, narrante Luca ad Cornelium Centurionem angelus dicit. Act. 10. 4. *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Vnde S. Bernardus sermone quarto de ieiunio. *Vide quemadmodum sibi inuicem ieiunium & oratio socientur. Oratio virtutem impetrat ieiunandi, & ieiunium gratiam promeretur orandi. Ieiunium orationem roborat, oratio sanctificat ieiunium & Domino repræsentat. Sint ieiunio nostro vt facile cælos penetret alæ duæ, orationis sc. atq. iustitiæ.* Et S. Augustinus sermone 230. de tempore. *Oratio refectio est ieiuniorum, aduocat gratiam Spiritussancti. Oratio duritiam cordis*

mollit, austeritatem temperat, ieiunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic & ieiunium sine oratione non potest animam perfectè nutrire. De Eleemosyna verò sic S. Ambrosius. *Illud etiam ad perfectionem ieiunij tacendum non est, vt qui abstinemus & minimè prandemus, hoc tempore prandia nostra pauperibus prærogemus. Hæc enim est vera iustitia, si te esuriente de cibo tuo alius satietur, & tu prædictis tuis ieiuniis dominum roges, & ille pro te satiatus exoret.* Et S. Leo de ieiunio Pentecostes. *Tunc demum ad animæ curationem proficit medicina ieiunii, cum abstinentia ieiunantis esuriem reficit indigentis. Quia ergo scimus apud misericordem Deum ieiuniis præcellere eleemosynæ largitatem, discente ipso Domino, Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, si animas nostras à peccatorum sordibus cupimus emundari, eleemosynam pauperibus non negemus.* A. serm. 33. L. serm. 5. Luc. 11.

IV. Proprietas ieiunii est vt sit moderatum. Iubet enim Deus in Scripturis, ne declinemus ad dextram uel ad sinistram, & Apostolus monet vt *rationabile sit obsequium nostrum.* Vnde S. Basilius in libro de Vera Virginitate. *Sicut in gulæ intemperantiam declinare graue ac periculosum est, ita per nimiam abstinentiam corpus atterere, & inutile reddere omni profectò ratione caret. Neq; enim abstinere à voluptatibus gulæ per se expetendum est, sed quia ad virtutis acquisitionem confert. Quod si illud, cuius gratia ciborum abstinentiam eligimus per immoderatam negligamus inediam, contra atq; instituimus agimus. Nam fracto contritoq; instrumento, neq; Deo inhærere per lectionis & orationis studium possumus, neq; ad fratrum beneficentiam humanitatis officium obire. Igitur & corporis cura necessario habenda est, non ipsius gratia sed ut seruitio illius ad philosophiæ studia vti possimus.* S. Hieron. ad Nepotianum, de uita clericorum. *Tantum tibi modum ieiuniorum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata & non superstitiosa ieiunia. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non vescamur pane, & dum delicias sectamur à regno cælorum retrahimur. Fortissimum ieiunium est aqua & panis. Sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua viuimus, quasi publicum & commune, ieiunium non putatur.* Et ad Rusticum monachum, de viuendi forma. *Ieiunia moderata sint, ne nimia debilitent stomachum, & maiorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est. Modicus ac temperatus cibus & carni & animæ vtilis est.* Deut. 5. 32. Rom. 12. 1. Basil. H. ep. 2. H. ep. 4.

CAP.

CAPVT VII.

De necessitate uel praecepto ieiunij.

IN ueteri imprimis lege certis temporibus indictum fuisse ieiunium ostendit locus in Leuitico, vbi Dominus præcipit vt septimo mense decima mensis omnis populus ieiunet usq; ad vesperam, & qui non afflixerit animam suam moriatur, & exterminetur de populo suo. Et apud Ioelem idem clamat *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, in fletu, & in planctu.* quæ lex, vt est moralis, non magis ad Iudæos, teste B. Leone de ieiunio decimi mensis, pertinet, quàm ad Christianos. Et Zacharias. *Hæc dicit Dominus exercituum. Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium & in solennitates præclaras.* Esther sibi omnibusq; filiis Israhel triduanam abstinentiam imperauit. Rex quoq; Niniuitarum prædicatione Ionæ permotus, non hominibus tantum, sed etiam bestiis inediam indixit. De delectu ciborum si agatur, primum Adamo protoplasto lege diuina vetitum fuit ne uesceretur in paradiso fructibus arboris scientiæ boni & mali. Post diluuium vsq; ad legis Mosaicæ tempora, carnem cum sanguine comedere nefas fuit. Sub lege Mosaica quam multiplex in cibis delectus imperatus fuerit in Leuitico non est probare. Machabæi sane, qui veteris testamenti difficile claudunt historiam, pæne soli in Ecclesia Catholica nominatim ex veteri lege celebrantur anniuersario cultu, quod mori maluerint, quam vel per simulationem carnes lege vetitas comedere.

(Leui.16.31. Ioel.2.12. L.serm.4. Zach.8.19. Esth.4 16. Ion 3 7. Gen 3. Hier.l.2.in.Iouin. 2.Mach.6.7.)

IN noua autem lege, etiamsi expressum non sit, quo tempore, quoq; ciborum discrimine ieiunandum sit, tamen præceptum esse ieiunium dubitare non possumus. *Ego,* inquit S. Augustinus ad Caluslanum, *in Euangelicis & Apostolicis litteris, totoq; instrumento, quod appellatur testamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium: quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum.* Examinandum ergo erit an de certis diebus ieiunii aliquid ex traditione Apostolica, consuetudine vniuersæ Ecclesiæ, vel lege Ecclesiastica statui queat.

(A. ep.86.)

Quarum autoritas quanta sit ex his S. Augustini & Hieron regulis liquere potest. August. regula talis est in libro 4. de baptismo contra Donatistas. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè* credi-

(A:c.24. & ep. 118.)

creditur. Idem repetit S. Leo de ieiunio Pentecostes. Hieronym. ve- L. serm. 2.
ro regula est in epistola ad Lucinium Bæticum. *Ego*, inquit, *illud te* H. ep. 28.
*breuiter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas præsertim quæ fidei non
officiunt, ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt, nec aliorum consue-
tudinē aliorum contrario more subuerti.* Et infra. *Vnaquaque prouincia abun-
det in suo sensu, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.* Nunc
breuiter aliquid dicamus de singulis ieiuniis in Ecclesia hactenus
receptis, & primo de Quadragesimali.

De Ieiunio Quadragesimali.

Ex ieiuniis Apostolica Traditione ad nos manantibus me-
rito primum locum tenet Quadragesimale ante Pascha, quia vni-
uersa tenet & hactenus tenuit Ecclesia Catholica Romana, illudq; a-
postolicæ esse traditionis S. Patres aperte agnouerunt, vt Hierony- H. ep. 54. & in c. 9. Matt.
mus ad Marcellam ita scribens. *Nos vnam Quadragesimam secundum
traditionem Apostolorum toto anno tempore nobis congruo, ieiunamus.* Et B.
Leo sermone de Quadragesima. *Quod ergo dilectissimi in omni tempore* L. serm. 6. & 9.
*vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc solicitius & deuotius
exequendum, vt Apostolica constitutio quadraginta dierum ieiuniis imple-
atur, non ciborum parcitate tantummodo, sed potione maximè vinorum.* Im-
mò S. Ambrosius non semel notauit Quadragesimale ieiunium ab i- A ser. 34. 36. 38.
pso Saluatore esse præceptum, ac idcirco necessario seruandum. Et
S. Augustinus alicubi ait, *Præcipitur nobis & ex lege & prophetis & ex ipso* Aug. in ps. 110.
Euangelio quod testimonium habet à lege & prophetis.

Vtut sit, siue Apostolica tantum traditione, siue etiam lege di-
uina sit præceptum, hoc nobis commendatior esse debet eius obser-
uatio, quod Christus Dominus eam ieiunarit. S. Ignatius siquidem
in epistola ad Philippenses monuit ideo Quadragesimam non esse
contemnendam, quod *contineat diuinæ conuersationis imitationem.* San-
ctus Bernardus agens de eadem. *Tanto*, ait, *deuotius nobis imitandum* B. ser. 3.
*est Christi ieiunantis exemplum, quanto certius est propter nos eū ieiunasse, non
propter seipsum.* Et Sanctus Ambrosius ad Vercellensem Ecclesiam.
quia isti ieiunandum negant, qua causa Christus ieiunauerit astruant, nisi vt A. ep. 82.
nobis exemplo esset eius ieiunium? Et alibi *Ille qui peccatum nō habebat, Qua-* Id. serm. 25.
dragesimam ieiunauit, tu non vis Quadragesimā ieiunare qui peccas? Neq;
vt Christum imitemur opus est ab omni omnino cibo totos 40 di-
es abstinere (licet quidam id fecerint) vt notauit Gregorius Nazi-
anzenus oratione in S. Baptisma, sed pro modulo nostro, quantum
vires ferunt, vti etiam monuit Sanctus Augustinus in sermonibus de

tempore. *Quanto enim*, ait idem, *plures dies sunt ieiunii, tanto maior est causa remedii. Quanto prolixior abstinentiæ cursus, tanto redemptio copiosior est salutis. Quanto austerior cura vulnerum tanto medicina est salubrior peccatorum.*

A. ser. 157. & serm. 69.

De Ieiunio 4. Temporum.

IEIVNIVM sequitur 4. Temporum Quadragesimali auctoritate & necessitate proximum, quia iuxta regulam Augustini est Apostolicæ traditionis, ac pro tali illud veneratur Beatus Leo in sermonibus suis, vt in secundo de ieiunio Pentecostes, & sermone 8. de ieiunio septimi mensis, & sermone 7. de ieiunio mensis decimi. Ex caussis institutionis huius ieiunii, Vna est, vt sicut annus per quatuor voluitur tempora, ita hoc genere pœnitentiæ quasi decimas quadruplices Deo offerremus. *Ideo continentiæ obseruantia* ait Leo de ieiunio decimi mensis, *quatuor est assignata temporibus, vt in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos indesinenter purificationibus indigere, semper esse nitendum, dum huius vitæ varietate iactamur, vt peccatum quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, ieiuniis atque eleemosynis deleatur.* Altera est, quod sacræ ordinationes in Ecclesia secundum decreta Gelasii Papæ epistola prima his 4. temporibus perficerentur, vt quæ orationis publicorumq; ieiuniorum præsidio maximè indigerent. Tertia, vt iisdem temporibus, quibus fere fructus terræ vel seruntur, vel crescunt, vel inuehuntur, salubritas aeris à Deo impetraretur, & pro felici rerum temporalium prouentu, quod plenum est iustitiæ & pietatis, vt loquitur Sanctus Leo, gratiæ agerentur. Tres autem dies, qui tribus mensibus respondent commoditatis gratia in vnum mensem coniecti sunt, vt idem Leo docet sermone 9. de ieiunio 7. mensis, & sermone 8. decimi, & alii.

L. ser. 9.

c. 13.

L. ser. 2. 5. 8. de ieiun. 10. mens.

De ieiunio Vigiliarum.

POSTREMVM locum inter ieiunia toto orbe celebrata obtinet ieiunium Vigiliarum, ita appellatum quod pridie magnorum Festorum ieiunio Vigiliæ nocturnæ adiungi solerent. de quo ita S. Bernardus in Vigilia Sancti Andreæ Apostoli. *Sanctorum*, inquit, *festa præcipua sanxit auctoritas votiuis præuenienda ieiuniis, vtiliter plane, & non ad insipientiam nobis, si adfuerit, qui aduertat: multa siquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes, nec tutum est omnino celebran-*

lebrandas suscipere festiuitates sacras, maximeque, eas, quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quo & digniores & capaciores inueniamur spiritualium gaudiorum. Quibus autem Vigiliis ieiunandum sit, tum ex decretis Ecclesiasticis, tum ex more regionum & consuetudine populorum æstimandum est. *Nec enim* vt sapienter monuit D. AVGVSTINVS Ianuarium, *disciplina ulla est in his melior graui prudentique Christiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque forte deuenerit.* Quæ regula etiam seruanda est in delectu ciborum, tum in Quadragesima & quatuor Temporibus ac vigiliis, tum feria sexta & Sabbatho cuiusque hebdomadæ vsurpari solito. A. ep. 118. c. 2.

CAPVT VIII.

Quantum de seueritate ieiuniorum Ecclesiasticorum nunc sit detractum.

QVONIAM sunt quidam, non modo hæretici, sed etiam semicatholici, qui conquerantur Christianam religionem videri plus æquo oneratam ieiuniorum & delectus legibus, operæ pretium facturi videmur, si hic ob oculos ponamus, quantum de seueritate ieiuniorum veterum in Ecclesia quondam vsitatorum hactenus detractum sit, atq; ita promptiores reddamur ad ieiunandum.

I. Detractio. Maiores nostri feria quarta, sexta, & in Occidente etiam Sabbato non solum carnibus abstinebant, sed etiam ieiunabant: nos sublata feria quarta, cuius uestigia adhuc hærent in monasteriis, & in Polonia, delectum tantum ciborum feria 4. & Sabbatho retinuimus. Nam S. Ignatius ad Philippenses ita scribit. *Quarta & sexta feria ieiunate, reliquias pauperibus porrigentes.* Et Origenes in Leuiticum. *Habemus quartam & sextam septimanæ diem, quibus solenniter ieiunamus.* Et Epiphanius in Panario. *A quo non est assensum in omnibus orbis terrarum regionibus quod quarta & prosabbatho ieiunium est in Ecclesia decretum?* Et Canon est Apostolicus apud Clementem Romanum. *Post hebdomadam ieiunij in omni quarta feria & Parasceue præcipimus vobis vt ieiunetis.* Or. hom. 10. E. hær. 75. Cl. 5. constit. c. ult.

2. Detractio. Illi ieiuniis sæpissime coniungebant Vigilias, hoc est nocturnos ad precandum Deum agebant conuentus, quod primis Christianis apud Eusebium lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ attribuit Philo Iudæus. Nos vnam & alteram tantum Vigiliam, Natiuitatis E. c. 17.

Dominiac Paschæ necdum integras retinuimus. Has vigilias valde
C.hom.26. laudarunt S.Patres, vt S.Chrysost.in Acta Apostolorum. *Ecclesia Dei,*
inquit, *medijs surgit noctibus, surge & tu, & vide astrorum choream, profundum silentium, magnam quietem obstupesce Dei tui miram dispensationem. Purior tunc est anima, leuior subtiliorq́ tunc est, sublimia videt, ac expedita est.* S.
Leo certe aliquot sermones in 4. Temporum ieiuniis habitos conclusit hac loquendi formula. *Quarta igitur & sexta feria ieiunemus,*
Sabbatho autem apud beatissimum Petrum Apostolum pariter vigilias celebremus.

3. Detractio. Illi ad horam nonam, quæ nobis est tertia pomeridiana ieiunia relaxabant: per sacram verò hebdomadam Paschæ totamq; Quadragesimam etiam usq; ad uesperam ieiunia extrahebant,
itaq; cænabant tantum non prandebant. Nos autem relaxamus hora
T.de ieiunio. vndecima vel duodecima, & prandemus. Sic Tertullianus testatur
Psychicos, id est, Catholicos solitos protrahere ieiunia ad horam nonam. Et Athanasius libro de Virginitate. *Post communionem,* inquit, *horæ nonæ comede panem tuum gratias agens Deo super mensam tuam.* Epiphanius in fine Panarii. *Quarta & prosabbatho ieiunium statutum est vsq; ad*
C.c.23. *horam nonam.* Cassianus collatione 21. ait horam capiendi cibi tempore ieiunii esse horam nonam. De Quadragesima S.Basilius homilia 1.
P.ep.6. de ieiunio. *Expectas vesperam vt cibum capias.* Paulinus ad Amandum.
Quotidiana ieiunia non refugit & pauperem mensam vespertinus conuiuia non horruit. Et Chrysost. homilia in Genesin quarta agens de Quadragesima. *Non existimemus,* ait, *inediam usq; ad uesperam ad salutem nobis suffi-*
B.c 48. *cere.* S.Benedictus in regula. Quarta & sexta feria ieiunent usq; ad nonam. Et infra. *Ab initio Quadragesimæ usq; ad Pascha ad vesperam reficiantur.* Immò & S.Bernardus sermone 3. de Quadragesima. *Hactenus usq; ad nonam ieiunauimus soli, nunc vsq; ad vesperam ieiunabunt nobiscum vniuersi reges & principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in vnum diues & pauper.*

4. Illi unam tantum refectionem, eamq; pertenuem ieiunantibus indulgebant, nunc pleno prandio vespertina accessit refectiuncula,
C.22.q 147 a.6. uel Collatio, quam Ecclesiæ maiores, doctissimiq; Theologi & Iure-
N c.21.n.14. consulti nec reprehendunt, nec damnant. vt Cardinalis Caietanus in commentariis ad D Thomam. Nauarrus in Manuali. Panormitanus & Innocentius in rubrica de obseruatione ieiuniorum. Quæ uti inducta videtur, ne noceat potus, ita debet esse tenuissima, ne si in cænam degeneret omnis tandē ieiunii seueritas relicto solo delectu, ē

medio

medio tollatur. Apud veteres enim nulla prorsus binæ refectionis esurialibus diebus mentio.

5. Illi, quod ad delectum attinet, non abstinebant solum à carnibus, ouis, caseo, sed etiam piscibus, aromatibus, fructibus quibusdam terræ, vino, mulso, omniq; potu, qui inebriare posset, contenti holeribus, leguminibus, pane, sale & aqua. Nunc uerò ieiuniorum diebus fere solis carnibus abstinemus. In Quadragesima verò, licet non vbique, etiam ouis, caseo & lacticiniis. De piscibus meminit Chrysost. in C.hom.3. homilia ad populum tertia. *Quæ utilitas*, inquit, *cum auibus quidem & piscibus abstineamus, fratres verò mordeamus & comedamus?* De uino S. Basilius homilia prima de ieiunio. *Carnes non edis?* sed comedis fratrem tuum. *A vino abstines, sed ab iniuriis tibi non temperas.* De abstinentia etiam à potu aquæ. Nam Ambrosius sermone 39. arguit eos, qui obtendebant se tempore ieiunii sitim ferre non posse, eo quod dies æstiui essent longiores & Sol torrentior.

6. Illi, si monachi essent, quos S. Augustinus de moribus Eccle- A.lib.1.c.31. siæ vocat *perfectos Christianos*, per omnem vitam communiter omnes ieiunabant. Quidam etiam in duos, tres, quatuor dies ieiunia protrahebant, solo pane & aqua victitantes. S. Athanasius scribit S. Anto- Ath.in vita eius. nium eremitam aliquando biduo vel triduo ieiunum mansisse, & quarto die tandem refectum. S. Hieronymus ait S. Hilarionem, nec H.in vita. diebus festis, licet grauissimè decumbentem, soluisse ieiunium. S. Au- A.c.33. gustinus verò de quibusdam etiam in urbe degentibus libro ante citato ita scribit. *Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaq; vsitatissimum, sed continuum triduum, vel amplius sæpissime sine cibo ac potu ducere. Neq; hoc in viris tantum, sed & in fœminis, quibus item multis viduis & virginibus simul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus præsunt singulæ grauissimæ probatissimæq; non tantum in instituendis componendisq; moribus, sed etiam instruendis mentibus peritæ ac paratæ.*

7. Detractio. Christiani veteres, aut perpaucos, aut nullos à ieiunandi lege, maximè in Quadragesima exemisse videntur, nam S. BASILIVS. *Omnes*, inquit, *pariter audiunt edictum* (ieiunii Qua- B.hom.2.de ieiun. drag.) *& summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat à numero ieiunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur.* S. AMBROSIVS inde probat omni- A.ser.40. bus ieiunandum, quia & pecudes apud Niniuitas pro hominum salute ieiunarint. Et iterum. *Pudet dicere*, ait, *senes & ani-* Id.ser.34. *culæ Quadragesimam faciunt, iuuenes & iuuenculæ non faciunt.*

Nunc à Theologis & Iureconsultis multi aut imbecillitatis, aut necessitatis titulo hoc vinculo liberantur. Imbecillitatis quidem, primo pueri & adolescentuli usq; ad annum ætatis 21. eo quod, auctore S. Hieron. ad Lætam, ante annos robustæ ætatis periculosa sit grauis abstinentia Deinde senes septuagenarii vel octogenarii, imò & sexagenarii, quos Concilium Toletanum octauum singulari constitutione exemit. Et in Augustino auctor sermonum ad fratres in eremo sexagenarios quosdam reprehendit quod nimia inedia corpus diuexarent, Tertio ægri & valetudinarii; de quibus exstat canon Apostolicus. Quarto pauperes & mendici, quibus necessitas quotidiana facit ieiunia. Deniq; omnes qui ieiunare non possunt, vt habet constitutio Apostolorum apud Clementem Romanum libro quinto Constitutionum, & S. Patres docuerunt, vt S Chrysost. in Genes. *Si ob corporis imbecillitatem*, inquit, *non potes ieiunus diem producere, nullus qui sapit propter hoc te arguere poterit. Dominum enim habemus mansuetum & misericordem, & nihil supra vires nostras à nobis exigentem.* & S. Leo de ieiunio 7. mensis. *Nihil à quoquam arduum, nihil asperum quæritur, nec nobis aliquid, quod vires nostras excedat indicitur, siue in abstinentiæ castigatione, siue in eleemosynæ largitione.*

H. ep. 7. Conc. c. 9. A. serm. 28. Can. 68. Cl. c. 19. C. hom. 10. L. serm. 3.

Necessitatis verò titulo multi alii eximuntur lege ieiunii, non tamen delectus, vt fabri ferrarii, murarii & lignarii, aurigæ, agricolæ, viatores iter facientes pedibus, & quotquot grauibus laboribus corpora fatigant Adhæc qui exercent se operibus misericordiæ, vel corporalibus vel spiritalibus proximo exhibendis, si ieiuni hæc pietatis officia commodè præstare non possint.

Atq; hæc omnia sufficiant loco vnius MEDII, *quo incitemur ad libenter ieiunandum: plura Media offendes titulo Temperantiæ, & in* PANARIO V. *Immortificatio passionum, Gula, & Voluptas carnis.*

INTEN-



INTENTIO RECTA.

Caput I.

Quid sit intentio recta, & quibus uocibus in Scriptura diuina appelletur.

INTENTIO, inquit S. Augustinus in altero libro de sermone Domini in monte, est, *qua facimus, quicquid facimus, quæ si munda fuerit & recta, & illud aspiciens, quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est bona sint*. Ea in diuinis litteris duabus fere metaphoris describitur, Prior est recti uel mundi cordis. de qua Psaltes regius. *Iustum*, inquit, *adiutorium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde*. Et. *Quam bonus Israhel Deus his qui recto sunt corde*. Et Christus Dominus. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*. Et Apostolus ad Thessalonicenses. *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi*. Et ad Timotheum. *Finis præcepti est caritas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta*. Vnde B Gregorius exponens verba illa psalmi quinquagesimi. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.*) *Vide*, ait, *ordinem, primo cor mundum, deinde spiritum rectum propheta à Deo requirit. Prius enim abrenunciandum est tibi omni peccato, & omnis à corde vitiorum fœditas eliminanda, vt omne quod agitur, aut dicitur eo purum in conspectu Dei ac lucidum appareat, quo ex bonæ intentionis origine quasi de puro quodammodo fonte manat. Scriptum est enim. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala*. Et S. Augustinus libro citato. *Sæpe*, inquit, *cognitio necessariarum rerum cor duplicat, vt ea quæ videmur cum hominibus recte facere, non eo corde faciamus, quo Dominus præcipit, non quia eos diligimus sed quia commodum ab eis aliquod propter necessitatem præsentis vitæ adipisci volumus. Debemus ergo benefacere illis propter salutem ipsorum æternam, non propter temporale commodum nostrum. Inclinet ergo Deus cor nostrum in testimonia tua, & non in emolumentum. Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona*

[Marginal notes: Aug c. 21. — Psal 7. 11. — Psal 72. 1. — Matt. 5. 8. — 2. Thes. 3. 5. — 1. Tim. 1. 5. — Greg. in 7. psal. pœnit. — Matt. 12. 35. — A c. 20. — Psal 118 36. — 1. Tim. 1. 5.]

bona & fide non ficta. Posterior metaphora est oculi simplicis, qua
Matt 6.21. usus est Christus apud Matthæum, dum ait. *Lucerna corporis tui est*
Luc. 11.34. *oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.*
Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Qui
A.l.cit.c.21. *locus,* inquit Augustinus, *sic intelligendus est, vt nouerimus omnia opera no-*
stra tunc esse munda, & placere in conspectu Dei si fiant simplici corde, id est, in-
Rom.13.10. *tentione superna, fine illo charitatis, quia & plenitudo legis charitas. Oculum*
ergo hic accipere debemus ipsam intentionem, &c. omnia opera verò totum cor-
pus appellauit: quod & Apostolus membra nostra dicit quadam opera, quæ
Col.3.5. *improbat, & mortificanda præcepit dicens. Mortificate membra uestra, quæ*
sunt super terram, fornicationem, immunditiam, auaritiam, & cetera talia.
Non ergò quid quisq; faciat, sed quo animo faciat considerandum est. Hoc est
enim lumen in nobis, quia hoc manifestum est nobis bono animo nos facere, quod
facimus. omne enim quod manifestatur lumen est. Augustinum sequitur
Greg.c.13. B. Gregorius libro 28. moralium, dum ita scribit. *Quid per oculum ex-*
primitur, nisi opus suum præueniens cordis intentio? quæ priusquam se in
actione exerceat, hoc iam quod appetit contemplatur. Et quid appellatio-
ne corporis designatur, nisi vnaquæq; actio, quæ intentionem suam quasi in-
tuentem oculum sequitur? Lucerna itaq; corporis est oculus, quia per bona in-
tentionis radium merita illustrantur actionis. Et si oculus tuus fuerit sim-
plex, totum corpus tuum lucidum erit, quia si rectè intendimus per simplicita-
tem cogitationis bonum opus efficitur, etiamsi minus bonum esse videatur. Et si
oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit, quia cum per-
uersa intentione quid vel rectum agitur, etsi splendore coram hominibus cerni-
tur, apud examen tamen interni iudicis obscuratur. Exemplum huius rei
illustre habes apud eundem Gregorium libro primo dia-
logorum cap. 10. de S. Fortunato Episcopo
Tudertino.

CAP

CAPVT II.

Quid spectandum sit, vt recta vel simplex dicatur intentio.

CHRISTVS Saluator tribus primariis bonorum operum exemplis, nempe eleemosynæ, orationis & ieiunii capite sexto Matthæi prolixè declarauit, quãdo nõ teneatur recta intentio in illis, vt si per ea Matt.6.a. aucupemur humanam laudem vel gloriam. *Attendite*, inquit, *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est*. In capite verò præcedente, exposuit, quando teneatur recta intentio, nimirum si fiant Matt.5.16. ad gloriam Dei. *Sic luceat*, inquiens, *lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est*. Nec non Apostolus ad Corinthios. 1.Cor.10.31. *Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Et ad Colossenses. Col.3.17. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite*. Aug.conc.12. Vnde Augustinus præclarè tractans hoc argumentum in commentario psalmi CXVIII. *Magni*, ait, *interest, cum aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione facimus. Officium quippe nostrum non initio sed fine pensandum est; vt sc. non tantum si bonum est, sed præcipuè si bonum est, propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos quibus contemplamur, quare faciamus, quid facimus auerti poscit (Dauid) ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendat, propter quam faciat, cum boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt, qui magni in hoc seculo nominati sunt, multumque laudati in ciuitatibus gentium, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam & propter hanc velut prudentes, fortiter, temporãter, iusteq; viuentes, ad quã peruenientes perceperunt mercedẽ suã, vani vanã. Ab hac vanitate volens Dominus auertere oculos suos.* Attẽdite, *inquit*, ne iustitiam vestrã faciatis corã Mat.6.1. hominibus, *vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis, apud patrem vestrũ, qui in cælis est. Deinde cum ipsius iustitiæ quasdam partes exsequeretur præcipiens de eleemosynis, de orationib. de ieiuniis, vbique admonuit, ne aliquid eorũ propter gloriã hominũ fiat, & vbiq; dicit eos, qui propterea faciunt percepisse mercedem suam, id est, non æternam, quæ sanctis reposita est apud Patrem, sed temporalem quam quærunt, qui contemplantur in suis operib. vanitatem, non quia ipsa laus humana culpanda sit (nam quid tam optandum est hominib., quam vt eis placeant quæ debeant imitari?) sed propter ipsam laudem*

bene operari, hoc est, vanitatem in suis operibus intueri: quandoquidem & ipsa
ab hominib. laus homini iusto quantacunque prouenerit, non ibi esse debet eius
finis boni, sed etiã ipsa referenda est ad laudẽ Dei, propter quem bona faciũt ve-
rè boni, quoniam nec à seipsis, sed ab illo fiunt boni. Deniq; in eodem sermone Do-
Matt. 5. 16. minus iam dixerat eis. Luceat lumen vestrum coram hominibus vt videant
vestra opera bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est, vbi finem po-
suit, hoc est, gloriam Dei, &c. Porrò si vanum est propter hominum laudes bona
facere, quanto vanius propter adipiscendam pecuniam, vel augendam, siue
retinẽdam, & si quid huiusmodi est commodi temporalis, quod nobis accedit ex-
trinsecus. Propter ipsam deniq; temporalem salutem non debemus facere bona
opera nostra sed potius propter illã, quam speramus, æternã, vbi bono immuta-
bili fruamur, quod est ipse Deus. Et in li. secundo de morib. Manichæorũ
ita scribit. Quæro à vobis (manichæis abstinentib. à carne & vino) quo
A c. 13. fine faciatis. Finis n. quo referũtur ea quæ facimus, id est, propter quẽ facimus
quicquid facimus, si non solum inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc
etiam facta nostra laude aliqua digna sunt. Sin ille, meritoq; culpatur, quẽ spe-
ctamus & intuemur, cum in aliquo versamur officio, id quoq; officium nemo
Salust. in prologo Catilina. improbandum, vituperandũq; dubitauerit. De Catilina memoria proditum est
quod frigus, sitim, famem ferre poterat. Hæc erant illi spurco sacrilegoq; etiam,
cum Apostolis nostris communia. Vnde ergo discernitur parricida iste ab Aposto-
lis nostris, nisi fine illo quem diuersissimum sequebatur? Namq; ille ista tolera-
bat, vt immoderatissimas & immanissimas expleret cupiditates; illi e contra
vt eas premerent & dominanti rationi seruire cogerent. Eodem vergunt,
G. 28. mor. c. 13. quæ loco supra allegato tradit. S. Gre. Vigilanti, inquit, cura per cuncta
opera intentio nobis nostra pensanda est vt nil tẽporale in his, quæ agit, appetat,
& totam se in soliditate æternitatis figat: ne si extra fundamentũ actionis no-
Iob. 38. 6. stræ fabrica ponitur, terra dehiscente soluatur. Vnde hic quoque aptè subiungi-
tur. (Super quo bases illius solidatæ sunt. Bases quippe vniuscuiusq; sunt animæ,
intentiones suæ. Nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innitun-
tur, ita vita nostra in virtutibus, virtutes vero in intima intentione subsistũt.
Et quia scriptum est. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod po-
1. Cor. 3. 11. situm est, quod est Christus Iesus, tunc bases in fundamento sunt, cum intenti-
ones nostræ in Christo roborantur. Incassum verò alta super se bases ædificia
erigunt, si nõ ipsæ in fundamẽto solidatæ consistunt, quia nimirũ quãlibet summa
opera inaniter faciunt, si intentiones cordium extra æternitatis certitudinem
deflectuntur, & vitæ veræ præmia non requirunt: tantoque grauiora rui-
næ super se damna ædificant, quanto altiora ædificia extra fundamentum por-
tant quia cũ æternæ vitæ præmiis non intendũt, quo plus se quasi in virtutib. eri-
gunt, eo in gloriæ inanis foueam profundius cadunt. Non ergo pensandum est,
bases quid sustinent, sed vbi sustinentur, quia profectò humana corda diuinitus
perscru-

perscrutantur non solum quæ faciunt, sed quid in operibus quærunt. Vnde cum districtum iudicem Paulus describeret, atq; actionum bona narraret, dicens. Qui reddet vnicuiq; secundum opera eius, his quidem secundum patientiam boni operis, gloriam & incorruptionem: quia nominata boni operis patientia quasi totam electæ actionis fabricam dixerat: subtiliter ilico, vbi bases eiusdem fabricæ consisterent, exquisiuit, dicens. Gloriam & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam: ac si apertè diceret. etsi quidam patientiam boni operis ostendũt, gloriam & incorruptionem non recipiunt, si intentiones cordis, id est, bases fabricæ in infundamento non figunt, quia videlicet Deus vel honestæ vitæ ædificium non inhabitat. Rom. 2. 6.

CAPVT III.

Non sufficere intentionem rectam in operibus nostris, nisi ipsa opera uitii expertia sint.

QVemadmodum enim ad perfectionem domus requiritur, non modo vt fundamentum, sed etiam structura eidem imposita omni uitio careat, sic ad actionum nostrarum perfectionem requiritur, non solum vt intentio bona sit, quam S. Gregorius paulo ante vocauit *virtutum basim,* verum etiam vt ipsæ actiones vitii sint expertes, nec pugnent cum diuinis mandatis; ne in eorum numero censeamur, quos sugillat Apostolus dicentes *Faciamus mala vt veniant bona.* Furemur vt pauperum inopiam subleuemus: *quorum damnatio,* inquit, *iusta est.* Quod animaduertens S. BERNARDVS in verba illa Canticorum *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis,* sic scripsit. *Duo quædam in intentione, quam faciem animæ esse diximus, necessaria requiruntur, res & causa, id est, quid intendas, & propter quid. Et ex his sane duobus animæ vel decor, vel deformitas iudicatur; vt, verbi causa, anima, quæ ista ambo recta atq; pudica habuerit, illi meritò, veraciterq; dicatur. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Quæ vero altero horum caruerit, non poterit dici de ea, quod pulchræ sint genæ eius sicut turturis propter eam, quæ adhuc ex parte erit deformitatem. Multo autem minus illi hoc poterit conuenire, quæ neutrum horum habere laudabile inuenitur. At id totum fiet planius, in exemplis. Si verbi causa, intendat quis animum inquirendæ veritati, atq; id solo veritatis amore, nonne is tibi videtur & rem & causam habere honestã, meritoq; sibi vendicare quod dicitur. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, quippe cui in neutra genarũ neuus reprehensionis appareat. Quod si minimè quidem veritatis desiderio, sed aut inanis gloriæ, aut alterius qualiscunq; commodi temporalis obtentu in veritatem intenderit, iam etsi vnam genarum videatur habere formosam, non tamen, vt arbitror, dubitabis iudicare vel ex parte deformem, cuius alteram* Rom. 3. 8.

faciem causæ turpitudo fædauerit. Si autem videris hominem nullis honestis studiis intendentem, sed carnis illecebris irretitum ventri & Luxuriæ deditum, quales sunt illi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt, quid istum, nonne ex vtraq; parte fædissimum iudicabis? in cuius vtiq; intentione & res & causa reproba inuenitur. Ergo intendere non in Deum, sed in seculum, secularis animæ est, nec vllam prorsus genarum speciosam habentis. Subiicit deinde S. Bernard. varia genera intentionum, quorum alia aliis sint vitiosiora, alia præstantiora *Intendere autem,* inquit, *quasi in Deum, sed non propter Deum hypocritæ planè animæ est, cuius etsi vna facies decora videtur, quod ad Deum qualicunq; intentione respiciat, ipsa tamen simulatio omne decorum in ea exterminat, & magis per totum ingerit fæditatem. Si autem vel solum, vel maximè ob uitæ præsentis necessaria ad Deum conuerterit intentionem, non quidem fece hypocrisis putidam, pusillanimitatis tamen vitio dicimus subobscuram, & minus acceptam. Porrò è contrario intendere in aliud, quàm in Deum, tamen propter Deũ, non otium Mariæ sed Marthæ negotium est. Absit autem, vt qui huiusmodi est, quicquam illam dixerim habere deforme, nec tamē ad perfectum affirmauerim peruenisse decoris, quippe quæ adhuc solicita est, & turbatur erga plurima, & non potest terrenorum actuum vel tenui puluere non respergi, quem tamen cito facileq; deterget, vel in hora sanctæ dormitionis casta intentio, & bonæ conscientiæ interrogatio in Deum. Ergo solum inquirere Deum propter ipsum solum hoc planè est vtramq; bipertitæ intentionis faciem habere pulcherrimam.*

CAPVT IV.

Quam salutaris sit frequentatio rectæ intentionis in omnibus operibus nostris.

SALVTAREM esse rectæ intentionis frequentationem in omnibus actionibus nostris, inde liquet quod eas, quantumuis aliquando adiaphoras, vt manducandi, bibendi, studendi, reddat non solum Deo gratas, sed etiam vitæ æternæ meritorias, quod Christus Dominus non obscure indicauit apud Matthæum, cum his verbis discipulos suos allocutus est. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunq; potum dederit vni ex minimis istis calicē aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Quo respiciens S. Augustinus libro 13. Confessionum, dum exponit verba Apostoli. *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantē, Didici,* inquit, *à te*

Matt. 10. 41.

Aug. c. 26. Philip. 4. 17.

à te Deus meus inter datum & fructum discernere. Datum est res ipsa quam dat qui petitur hæc necessaria, veluti est nummus cibus, potus, vestimentum, tectũ, adiutorium. Fructus autem bona & recta voluntas datoris est. Non enim magister bonus qui susceperit prophetam tantum, sed addidit, in nomine prophetæ. Neq; ait tantum. Qui susceperit iustum, sed addidit, in nomine iusti. Ita quippe ille mercedem prophetæ, iste mercedem iusti accipiet. Nec solum ait. Qui calicem aquæ frigidæ potum dederit vni ex minimis meis, sed addidit, tantum in nomine discipuli, & sic adiunxit, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Datum est suscipere prophetam, suscipere iustum, porrigere calicem aquæ frigidæ discipulo. Fructus autem, in nomine prophetæ, in nomine iusti, in nomine discipuli hoc facere. Clarius Chrysost. in opere imperfecto in Matthæum. *Prophetæ nomine*, ait, *voluit ostendere omnes prædicatores Christi, Iusti autem nomine omnem hominem Christianum. Vt ergo habeat bonum opus mercedem duo hæc occurrere debent, vt & Christianum recipiant, & quasi Christianum, siue sacerdotem, siue laicum. Si autem aliquis Christianum quidem recipit, non autem quasi Christianum, mercedem Christiani non recipit. Quid vero est. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipit? & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet? Hoc est, qualem mercedem habet qui peregrinatur (tempore persecutionis propter fidem) talem mercedem habet & ille qui suscipit propter Deum peregrinantem. Et fiunt ambo æquales, & ille qui propter Deum laborat, & iste qui propter Deum laborantem refrigerat. Puta a suscepisti sacerdotem sacerdotis habes mercedem. Suscepisti laicum iustum, iusti laici habes mercedem.* Et S. Gregorius in Euangelia. *Quid est enim dicere, mercedem prophetæ accipiet, nisi quia is qui prophetam sua largitate sustentat: quamuis ipse prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum prophetiæ præmia habebit? Iste enim fortasse iustus est, & quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro iustitia fiduciam maiorem habet. Hunc dum ille sustentat, qui in hoc mundo aliquid possidet, & fortasse adhuc pro iustitia loqui liberè non præsumit, iustitiæ illius libertatem sibi participem facit, vt cum eo pariter iustitiæ præmia recipiat, quem sustentando adiuuit, quatenus eandem iustitiam liberè loqui potuisset. Ille enim prophetiæ spiritu plenus est, sed tamen corporeo eget alimento. Et si corpus non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui ergo alimentum prophetæ, propter hoc quod propheta est tribuit, prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cum propheta ergo mercedem prophetæ recipiet, qui etsi prophetiæ spiritu plenus non fuit, hoc tamen ante Dei oculos exhibuit, quod adiuuit.* At quæres, quæ nam sit illa tam salutaris intentio, vitæq; æternæ meritoria? Respondeo debere esse vel actualem vel Virtualem, vt Theologi loquuntur, hoc est, vt opus bonum vel tunc cum fit, actu imperetur à caritate, atq; in

Chrys hom. 26.

Greg. hom. 20.

Bellarm. 5 de iustif. c. 15.

Deum vt finem supernaturalem & vltimum referatur: vel certe nascatur ab actu imperato à caritate, atq; in Deum ante relato, quod est virtute non actu in Deum referri. Tunc enim dicitur opus aliquod virtute in Deum relatum, cum intentio antegressa verè est causa illius vt fiat. Vt verbi causa, si quis mane in animo proposuerit eo die certam summam pecuniariam in pauperes erogare, & postea data occasione verè eroget is dicitur virtute opus illud referre in Deũ, etiamsi dum actu erogat nihil de Deo cogitet. Quare si quis generali tantum intentione initio anni mensis, uel diei omnia futura opera ad gloriam Dei offerat, vt quidam laudabiliter faciunt, non ideo dicetur virtuali intentione obtulisse, singulisq; bonis operibus, licet in gratia sit con- Bon. 2. sent. dist. 41. a. 1. q. 3. stitutus, vitam æternam promeruisse, vt bene notauit S. Bonauentura. Etsi uerò quidam graues Theologi arbitrentur habitualem etiam intentionem sufficere, vt singulæ actiones bonæ iusti, & in caritate existentis sint meritoriæ, id tamen non satis videtur conuenire, tum cũ locis S. Patrum iam allegatorũ, tum cum Scripturis, nam apud Mat- Matth. 5. 46. thæum Christus disertè ita loqtur. *Si diligitis eos qui vos diligunt: quam mercedem habebitis?* quibus verbis satis indicat, illum actum dilectionis etiamsi in iustum cadat, non esse meritorium. Vt vt sit, certum est actualem intentionem præstabiliorem esse virtuali, & virtualem habituali, eoq; plus nos mereri apud Deum, quo crebrius actualem intentionem in actionibus quotidianis, maximè cum sunt diuturnę, reno- 1. Cor. 10. uamus: sic n. propius satisfacimus Apostolico monito, vt siue manducamus, siue bibimus, siue aliud quippiam facimus, in Dei gloriam Greg. c. 37. faciamus, & fraudulentas Satanæ nunquam dormitantis insidias facilius cauemus. *Sciendum enim est*, inquit S. Gregorius libro primo moralium, *quod bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur. Vt videlicet hoc quod rectum coram hominibus agitur, in interni iudicis conspectu vitietur. Aliquando namq; in bono opere intentionem polluit, vt omne quod in actione sequitur, eo purum mundumq; non exeat, quo hoc ab origine perturbat. Aliquando verò intentionem boni operis vitiare non præualet, sed in ipsa actione se quasi in itinere opponit: vt cum per propositum mentis securior quisq; egreditur, subiuncto latenter vitio, quasi ex insidiis perimatur. Aliquando verò nec intentionem vitiat, nec in itinere supplantat, sed opus bonum in fine actionis illaqueat, quantoq; vel à domo cordis, vel ab itinere operis longius recessisse se simulat, tanto ad decipiendum bonæ actionis terminum astutius expectat: & quo incautum quemq; quasi recedendo securum reddiderit, eo illum repentino nonnunquam vulnere durius, insanabiliusq; transfigit.*

VIDE V. *Virtus. Prudentia. & in* PANARIO. *Gloria vana, & Hypocrisis.*

CAPVT I.

De nomine Iustitiæ & partitione.

IVSTITIÆ in diuinis litteris non vna est significatio. Primo enim significat iustitiam internam, qua homo iustus constituitur coram Deo. de qua Apostolus ad Romanos Rom.3.22. ita loquitur. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.* Dicitur autem *iustitia Dei*, teste S. Augustino libro de Spiritu & littera, *non qua ipse Deus iustus est, sed* A.c.9. *qua induit hominem, cum iustificat impium.* 2. significat iustitiam externam, vel bona opera. ut apud Ezechielem. *Si iustus egerit pœnitentiam,* Ezech.18.22. &c. *in iustitia sua, quam operatus est viuet.* & S. Ioannes. *Qui facit iustitiam,* 1.Ioan 3.7. *iustus est.* 3. significat omnes virtutes. vt apud Matthæum Christus. Matt.5.6. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Nam Greg. Nyssenus de beatitudi- G.orat.4. nibus scribens. *Omnis*, inquit, *virtus hîc nomine iustitiæ significatur.* 4. significat iustitiam, quæ est vna ex quatuor virtutibus Cardinalibus, de qua loquitur Sapiens, dum ait. *Si iustitiam quis diligit, labores huius ma-* Sap.8.7. *gnas habent virtutes: sobrietatem enim & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem. quibus vtilius nihil est in vita hominibus.* Vbi nomine *Sobrietatis* temperantiam, *virtutis* fortitudinem intelligit. Nos de iustitia, quæ secundum locum obtinet inter Cardinales agimus.

EAM non semel S. Augustinus in hunc modum definiuit. *Iusti-* A.19 de ciuit. c. 21.& in psal.83. *tia ea virtus est, quæ sua cuiq; tribuit.* Non secus S. Ambrosius primo de Amb.c.24. Officiis. *Iustitia est quæ suum cuiq; tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem custodiat.* Et Greg. Nyssenus loco cit. ait, *nonnullos qui huiusmodi res scrutati sunt asserere, iustitiam esse habitum tribuentem vnicuiq; id quod æquum est, & quoquisq; dignus est.* Hæc Ar.Eth.c.1. autem est bipartita etiam secundum Aristotelem libro quinto Ethi- pol.c.5. corum, & tertio politicorum. Generalis, quæ & legalis dicitur, & Particularis. Generalis est quæ suum cuiq; tribuit habito respectu ad bonum commune Principis vel Reipub. Vnde Augustinus libro 83. quęstionum q.31. *Iustitia est habitus animi, communi vtilitate conseruata suam cuiq; tribuens dignitatem.* Legalis autem vocatur, quia conforme legibus est agere ea quæ conducibilia sunt communitati, Leges enim A.5.Eth.c.1. maxime, teste Aristotele, ea præscribunt quæ cõmunitati congruunt.

Parti-

Particularis verò est, quæ ius suum alteri reddit in particulari, vt emēs panem pistori vendenti.

SECVNDO diuiditur eadem Iustitia in distributiuam & Commutatiuam. Distributiua est, quæ in rectè distribuendo versatur secundum proportionem geometricam; vel remunerando bene acta, vt cum honores, magistratus, beneficia, munera, aliaq; id genus pro cuiusq; dignitate distribuit. Vel puniendo perperam gesta, vt cum nocentes suppliciis affici iubet. Commutatiua, qua quisq; rectè se habet in commutationibus rerum, sua cuiq; reddendo secundum proportionem Arithmeticam. ad quam pertinent, contractus emptiones & venditiones, vadimonia, locationes, restitutiones, aliaque eiusmodi.

HANC ita descriptam diuinæ Scripturæ nobis non semel commendant. Nam iusti æquiq; tenacissimus rex Dauid sic nobis virum

Psal. 14. 5. iustum ob oculos ponit. *Qui non egit dolum in lingua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Qui iurat proximo suo & non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super*

Ez. c. 18. 7. *innocentem non accepit.* Et propheta Ezechiel. *Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam, &c. ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicium verum fecerit inter virum & virum; in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatem, hic iustus est, vita viuet, ait Dominus DEVS. Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, & fecerit vnum de istis, &c. ad vsuram dantem, & amplius accipientem, nunquid viuet? non viuet.*

CAPVT II.

De præstantia virtutis Iustitiæ.

ETIAMSI Iustitia anteferenda non sit virtutibus intellectualibus, cum hæ etiam in ratione virtutis præstent omnibus moralibus, legalis tamen iustitia, excepta vna prudentia, omnibus moralibus, quæ circa alterum versantur, perfectior esse videtur: tum quia uersatur circa bonum commune, quod præstat cuiq; bono particulari, tum quia tanquam domina & imperatrix quasi imperat ceteris moralibus, referendo earum priuata obiecta ad suum obiectum com-

Arist. c. 1. mune. Qua de causa Philosophus in quinto Ethico scripsit legalem iustitiam tanto loco esse, *vt neq; Hesperus, neq; Lucifer sit æquè admirabilis.*

& M.

& M. Tullius libro de officiis primo. *Latissime patet*, inquit, *ea ratio, qua societas hominum inter ipsos, & quasi vitæ communitas continetur, cuius partes duæ sunt. Iustitia, in qua virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur: & huic coniuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet,* Et in tertio. *Hæc enim virtus omnium est domina, & regina virtutum.* Et Plato in Protagora. *Arbitror te permissurum, vt pro te illud ipsum respondeam, quod videlicet aut idem sit iustitia quod sanctitas, aut inuicem quam simillima, vt maximè omnium, qualis iustitia, talis sanctitas, & qualis sanctitas, talis iustitia sit.* Et Phauorinus. *Demosthenes eos homines imprimis laude dignos pronunciauit, qui nullam anteponerent iustitiæ vtilitatem. Pecunias enim quisq; possidere potest, at iustitiæ gloria pecuniis non emitur.*

Hanc præstantiam agnouerunt & prisci Ecclesiæ Catholicæ Patres, vt Clemens Alexandrinus, dum ait. *Bonum esse dicitur, non eo quod virtutem habeat, quandoquidem iustitia quoque bonum esse dicitur, non quod habeat virtutem: ipsa enim est virtus: sed quod ipsa ex se & per se bona sit. Dicitur etiam alio modo bonum, id quod est vtile, non eo quod delectet, sed quod prosit. Quæ quidem omnia est iustitia & vt virtus, & vt per se eligenda bonum & quæ non delectet. Non enim iudicat ad gratiam, sed pro vniuscuiusque meritis distribuit.* Et S. Ambrosius libro primo de Officiis. *Magnus iustitiæ splendor, quæ aliis potius nata, quam sibi, communitatem & societatem nostram adiuuat, excelsitatem tenet, vt suo iudicio omnia subiecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiat aliena. Quis non cuperet hanc virtutis artem tenere, nisi prima auaritia infirmaret atque inflecteret tantæ virtutis vigorem?* Et libro secundo de Abraham patriarcha conferens eam cum Cardinalibus virtutibus *Iustitia sola est*, inquit, *quæ virtutes omnes complectitur, & commendat omnes.* Et in psalmum. 35 *Beata & præclara iustitia, cuius bonum omnibus proficit. Ex vno plerumque proficiscitur, atque ad omnes peruenit.* Et libro de paradiso, vocat *omnium virtutum matrem*. Lactantius libro diuinarum institutionum quinto. *Iustitia aut ipsa est summa virtus, aut fons est ipsa virtutis, quam non modo Philosophi quæsierunt, sed Poetæ quoque, qui & priores multo fuerunt, & ante natum Philosophiæ nomen pro sapientibus habebantur. Hi plane intellexerunt abesse hanc à rebus humanis, eamq; finxerũt offensã vitiis hominũ cessisse terra, in cœlũq; migrasse.* Et infra. *Iustitia quãuis omnes simul virtutes amplectatur, tamen duæ sunt omnium principales, quæ ab illa diuelli, separarique non possunt, pietas & æquitas. His enim duobus fontibus constat tota iustitia.* Augustinus in psalmum 118. *Iustitia virtus est animi magna, præcipueque laudabilis, de qua nunc non est copiosius disputandi necessitas.* Et in 64. ad verba illa. *Sanctum est templum tuum, mi-*

C.lib. 1. pœdag.
A. c. 28.
Id. c. 10.
Id. c. 3.
L. c. 5.
Id c. 14.
A conc. 26.

rabile in iustitia. Non dixit, ait, *templum sanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis, sed mirabile in iustitia. Habes foris oculos, vnde videas marmora & aurum, intus est oculus vnde uideatur pulchritudo iustitiæ. Si nulla est pulchritudo iustitiæ, vnde amatur iustus senex? Quid est in corpore, quod oculos delectet? Tamen si iustus est, si alienum non concupiscit, si de suo quod habet erogat indigentibus, si bene monet & rectum sapit, si integrè credit, si paratus est pro fide veritatis etiam ipsa confracta membra impendere: (multi enim martyres etiam senes) vnde illum amamus, quid in eo bonum videmus oculis carnis? Quædam ergo est pulchritudo iustitiæ, quam videmus oculis cordis, & amamus, & exardescimus?*

G.l.7.ep.120. S. GREGORIVS ad duos Franciæ Reges. *Summum*, inquit, *in Regibus bonum est iustitiam colere, ac sua cuiq; iura seruare, & subiectis non sinere, quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodire.* S. BERNARDE

B.serm.3. DE aduentu Domini. *Beatus, in quo sapientia ædificat sibi domum, excidens columnas septem; beata anima, quæ sedes est sapientiæ. Quænam illa? anima vtiq; iusti. Merito planè, quia iustitia & iudicium præparatio sedis eius. Quis in vobis est, fratres, qui desiderat in anima sua sedem parare Christo? Ecce quænam illi serica, quæ tapetia, quod puluinar oporteat præparari. Iustitia, inquit, & iudicium præparatio sedis tuæ. Iustitia virtus est, quod suum est vnicuiq; tribuens. Tribue ergo tribus quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuiq; quod debes, & dignè celebras aduentum Christi, parans ei in iustitia sedem suam.*

CAPVT III.

De Necessitate & vtilitate iustitiæ.

IVSTITIÆ necessitatem inde apertè intelligimus, quod Spi-

Isa.56,1. ritussanctus in Verbo suo, eam mandet, & contrà, iniustitiam omnem damnet. nam apud Isaiam clamat. *Custodite iudicium & facite iustitiam, quia iuxta est salus mea vt veniat, & iustitia mea vt reueletur.* Et apud Ecclesiasticum. *Ante iudicium, para iustitiam tibi.* Et

Eccli.18.19.

Eccli.10.8. apud Sapientem. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniusti-*

Deut.25.13. *tias, & iniurias, & contumelias & diuersos dolos.* Deinde speciatim pondera inæqualia damnat. *Non habebis*, inquit, *in sacculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor: pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, vt multo viuas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. abominatur*

enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & auersatur omnem in iustitiam.
Et in Prouerbiis. *Pondus & statera iudicia Domini sunt, & opera eius, o-* Prou.16.11.
mnes lapides sacculi abominabiles regi, qui agunt impiè, quoniam iustitia
firmatur solium. Et rursus. *Pondus & pondus, mensura & mensura vtrum-* Prou 20.10.
que abominabile est apud Deum. In nouo verò testamento habemus re-
sponsum Christi ad Herodianos quærentes, num liceret censum
dare Cæsari. *Reddite* ait, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Et Matt.22.21.
S. Ioannis Baptistæ ad publicanos sciscitantes, *quid faciemus? Nihil* Luc.3.13.
amplius inquit, *quam quod constitutum est vobis faciatis.* Et ad milites. Ib.14.
Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis
vestris. Habemus & Apostoli decreta iustitiæ consentanea in epistola
ad Romanos. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Necessita-* Rom.13.1.
te subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: i-
deo enim tributa præstatis. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tri-
butum, cui vectigal vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem, 1.ad Tim.5.17
Et ad Timotheum. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni ha-*
beantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scriptura.
Non alligabis os boui trituranti. Et dignus est operarius mercede sua. Ad- Deu.25.4.
uersus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus te- Matt.10.10.
stibus. Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant. 1.Tim.5.20.

Vtilitates quoque varias idem Spiritus sanctus non reticuit. Prou 14.15.16.
Salomonis enim dicta sunt. *Iustitia eleuat gentes.* Et. *iustitia firmatur so-*
lium. Et *Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquita-* Prou 15.9.
te Et. *Abominatio est Domino via impii, qui sequitur iustitiam, diligitur ab*
eo. Et Ecclesiasticus. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mor-* Eccli.4.33.
tem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Et psaltes re- Psal.105.3.
gius *Beati qui custodiunt iudicium, & iustitiam faciunt omni tempore* Et Matt.5.6.
Christus *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.*

Vtramque tum necessitatem tum vtilitatem egregiè amplificant A c.3.
et Sancti Patres. S. Ambrosii verba sunt in libro de paradiso. *Quar-*
tus est fluuius Euphrates, qui latinè fecunditas atque abundantia fructuum
nuncupatur, præferens quoddam insigne iustitiæ, quæ omnem pascit animam.
Nulla enim abundantiores videtur habere fructus virtus, quam æquitas at-
que iustitia, quæ magis aliis, quam sibi prodest, vtilitates suas negligit,
communia emolumenta præponens. Et paulo post. *Quia vbi prudentia,*
ibi & malitia: vbi fortitudo ibi iracundia: vbi temperantia, ibi in-
temperantia plærumque est, aut alia vitia sunt. Vbi autem iustitia,
ibi concordia est virtutum ceterarum, ideo non ex locis qua fluit,
hoc est non ex parte cognoscitur. Non enim pars est iustitia, sed quasi

Id.lib.3. *mater est omnium.* Et libro de Virginibus. *Iustitia in alto quodam suggesti locata uidet, exploratq. omnia, quæ aliis potius nata, quam sibi, non tam suas vtilitates, quàm publica emolumenta rimatur. Meritoq. anima operata iustitiam formam aquilæ accipit, quod terrena defugiens, totaq. cælesti sublimis & intenta mysterio resurrectionis gloriam pretio æquitatis adipiscitur. Propter quod* Psal 102.5. *ad eam dictum est. Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua.* S. Chrysost. in verba Christi apud Matthæum. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Ch.hom.15. *Non dixit. Beati qui iustitiam seruant, sed qui esuriunt & sitiunt iustitiā, vt non vtiq. mediocriter, sed cum omni cupiditate iustitiam teneamus. Quia enim hoc est auaritiæ proprium, neq. sic cibum desideramus & potum, vt possidere latius, induiq. pretiosius, concupiscentiam istam, quæ habendi amore flagrat, iubet in meliora conuerti: deinde rursus sensibile præmium statuens ait. quoniam ipsi saturabuntur. Quia enim plurimos diuites facere putatur auaritia, dicit hoc esse contrarium, magisq. id præstare iustitiam. Noli igitur iustitiam exercens formidare pauperiem, neq. famem timere, cum certe illi magis omnibus bonis excidant qui omnia diripiunt: vt ex aduerso ille, qui iustitiam diligit, tutissimè omnia bona possidet.* Hæc pro utilitate. Necessitatem verò huius virtutis exaggerat præclarè Augustinus, primo quidem, cum ait regna, sublata iustitia verti in latrocinia. Nam libro 4. de ciuitate Dei sic A.c.4. loquitur. *Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt nisi parua regna? Manus etenim ipsa hominum cum imperio Principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege præda diuiditur. Hoc malum, si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, vt & loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos subiuget, euidentius regni nomen assumit, quod etiam in manifesto confert non adempta cupiditas sed addita impunitas. Eleganter enim & veraciter Alexandro illi Magno quidam com-* Cic. lib. 3. de repub. *prehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur, vt mare haberet infestum? ille libera contumacia, quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor; quia tu* Id.lib.19.c.21. *magna classe Imperator.* Secundo necessitatem ostendit ex eo, quod sine ea nulla possit esse Respublica, idq; his verbis libro 19 de ciuitate Dei. *Scipio,* inquit, *apud Ciceronem in libris de Repub: breuiter definit Remp. esse rem populi, quæ definitio si vera est, nunquam fuit Resp. Romana, quia nunquā fuit res populi. Populum enim esse definiuit cœtum multitudinis iuris consensu & vtilitatis communione sociatum. Quid autem dicat iuris consensum disputando explicat: per hoc ostendens geri sine iustitia non posse Remp. Vbi ergo iustitia vera non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, profecto iustè fit. Quod autem iniustè fit, ne iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt, uel putanda iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod*

de iustitiæ fonte manauerit: falsum esse, quod à quibusdam non recte sentien bus dici solet, id esse ius, quod ei qui plus potest, vtile est. Quocirca vbi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus cætus hominum non potest esse, est ideo nec populus, iuxta illam Scipionis & Ciceronis definitionem. Procul dubio ergo colligitur, vbi iustitia non est, non esse Rempub.

CAPVT IV.

De proprietatibus Iustitiæ.

PRIMA proprietas Iustitiæ est, quod sit à natura insita. Naturale enim iustitiæ præceptum est quod Tobias sanctus filio dedit. *Quid ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Et quod Christus. *Omnia quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Vnde S. Augustinus libro 83. quæstionum. *Iustitiæ initium est à natura profectum. Deinde quædam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt. Postea res & à natura profectas, & consuetudine probatas legum metus & religio sanxerunt. Natura ius est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem.* Et S. Basilius in principium Prouerbiorum. *Est iustitia quædam insita innataq; nobis æqui distributio.* Consentit M. Tullius in primo de Legibus, vbi ius & legem non populorum iussis, nec Principum decretis, nec sententiis Iudicum constitui ait, sed naturæ norma. Et Seneca ad Lucilium. *Hæc diuina lex, quæ non libris inscripta, nec in æs incisa, sed pectoribus nostris à natura est indita, æquum ac bonum à Iureconsultis dicitur.*

Tob. 4. 16. Matt. 7. 12. A. q. 31. Cic. l. 2. Rhetor. B. hom. 12. S. ep. 18.

II. Est, quod sit cognitu difficilis, quam tradit loco citato S. Basilius dum ait. *Quoniam iustitiæ habitus, est qui pro dignitate cuiq; suum distribuit, difficilis est hæc inuentu atq; cognitu: partim quod deficiente prudentia non cuiq; pateat, quod sit æquum: partim, quod animo affectibus humanis occupato rectum obscuretur.* Et infra. *Rectum, veramq; nosse iustitiam, magnæ cuiusdam scientiæ perfectiq; animi est.* Et S. Augustinus in psalmum 121. *Superbus,* ait, *quod peius est, iustum se vult videri, cum non sit. Et quia iustitiam intelligere difficile est, difficile est superbos agnoscere.* Quomodo autem perueniatur ad veram intelligentiam iustitiæ non tacuit Sapiens cum ait. *Qui custodit iustitiam, continebit sensum eius.* Significans per legis obseruationem, perueniri ad veram eius intelligentiam.

B. hom. 12. Eccli. 21. 12.

III. Quod etiam exercitatione sit difficilis; nam homo beneficio iustitiæ non se solum, sed etiam alios perficere debet. Vnde Aristoteles

Arist. c. 1.

teles quinto libro de moribus ita de ea scribit. *Prouerbio dicere consueuimus, Iustitia in sese virtutes continet omnes. Atq; perfecta maximè virtus est, quia perfectæ virtutis est usus, idq; est ex eo, quia non ad se solum, sed etiam ad alium is qui ipsam habet, vti virtute potest. Complures n. in propriis quidē vti virtute possunt, sed in iis, quæ sunt ad alium, nequeunt, & propterea Biantis sententia illa bene se habere uidetur. Magistratus virum ostendet: ad alium enim*
A.c.27. *est, & in societate iam ipse magistratus consistit.* Et S. AMBROSIVS libro primo de Officiis. *Iustitiæ pietas prima est in Deum, secunda in patriam, tertia, in parentes, imò in omnes, quæ & ipsa secundum naturæ est magisterium. Siquidem ab ineunte ætate, vbi primum sensus infundi caperit,*
Id.c.28. *vitam amamus tanquam Dei munus, patriam, parentesq; diligimus, deinde æquales, quibus sociari cupimus.* Et infra. *Secundum Dei voluntatem, vel naturæ copulam inuicem nobis esse auxilio debemus, certare officiis, ac velut in medio omnes vtilitates ponere, & vt verbo Scripturæ vtar, adiumentum ferre alter alteri, vel studio, uel officio, vel pecunia, vel operibus, vel quolibet modo, vt inter nos societatis augeatur gratia, nec quisquam ab officio vel periculi terrore reuocetur, sed omnia sua ducat vel aduersa, vel prospera.*

IV. Quod eius fundamentum sit fides, *id est*, vt habet CICERO libro primo de Officiis, *dictorum conuentorumq; constantia, & veritas*, ita vt hosti etiam seruetur, *vt primo Punico bello*, subdit ibidem, *Regulus captus à Pœnis, cum de captiuis commutandis Romam missus esset, iurassetq; se rediturum: primum vt venit, captiuos reddendos in Senatu non censuit: deinde cum retineretur à propinquis & ab amicis, ad supplicium re-*
A.1.offic.c.29. *dire maluit, quàm fidem hosti datam fallere.* Et S. AMBROSIVS. *Quanta autem iustitia sit, ex hoc intelligi potest, quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hostibus reseruatur, vt si constitutus sit cum hoste, aut locus, aut dies prælio, aduersus iustitiam putetur, aut loco præuenire, aut tempore. Interest enim vtrum aliquis pugna & conflictu graui capiatur, an superiore gratia, vel aliquo euentu. Siquidem vehementioribus hostibus & infidis, & his qui amplius læserint, vehementior refertur vltio, vt*
Num.31. *Madianitis, qui per mulieres suas plerosq; peccare fecerant ex plebe Iudæorum. Vnde & Dei in populum Patrum iracundia effusa est; & ideo factum est, vt nullum Moyses victor superesse pateretur, Gabaonitas autem, qui fraude magis, quam bello tentauerant plebē Patrum, non expugnaret Iesus, sed conditionis impositæ afficeret iniuria.* Et paulo post. *Liquet igitur etiam in bello fidem*
Isa.28. *& iustitiam seruari oportere, nec vllum decorum esse posse, si violetur fides. Fundamentum ergo iustitiæ est fides: iustorum enim corda meditantur fidem: & qui*

& qui se iustus accusat, iustitiam supra fidem collocat: nam tunc iustitia eius apparet, si vera fateatur.

V. Proprietas est, vt iustitia non modo in magnis sed etiam in paruis rebus seruetur. Hanc tradit S. Augustinus libro de doctrina A.c.18. Christiana quarto his verbis, dum agit de negotiis Ecclesiasticis. *Vbi etiam cauendus est æternus interitus, omnia magna sunt quæ dicimus: vsq; adeo, vt nec de ipsis pecuniariis rebus vel acquirendis, vel amittendis parua videri debeant, quæ Doctor Ecclesiasticus dicit, siue sit illa magna, siue parua pecunia. Neq; enim parua est iustitia, quam profecto & in parua pecunia custodire debemus, dicente Domino. Qui in minimo fidelis est, & in magno* Luc.16.10. *fidelis est. Quod ergò minimum est, minimum est, sed in minimo fidelem esse magnum est. Nam sicut ratio rotũditatis est, vt à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, eadem est & in magno disco, quæ in nummulo exiguo: ita vbi parua iustè geruntur, nõ minuitur iustitiæ magnitudo. De iudiciis deniq; secularibus, quibus vtiq; nisi pecuniariis, cum loqueretur Apostolus, Audet* 1.Cor.6.1. *quisquam vestrum, inquit, aduersus alterum habens negotium, iudicari ab iniquis, & non apud sanctos? Quid est, quod sic indignatur Apostolus, sic corripit, sic exprobrat, sic increpat, sic minatur? Quid est, quod sui animi affectum tam crebra & tam aspera vocis mutatione testatur? Quid est postremo, quod de rebus minimis tàm granditer dicit? Tantumne de illo negotia secularia meruerunt? Absit. Sed hoc facit propter iustitiam, charitatem, pietatem, quæ nulla sobria mente dubitante, etiam in rebus quamlibet paruulis magna sunt.* Adscribam exemplum Iustitiæ illustre, quod idem S. August. non dubitauit bis commemorare, nempe homilia 9. ex 50. & sermone 21. de Verbis Apostoli. *Dicam,* inquit, *quid fecerit homo quidam pauperrimus eo tempore quo sanctus Ambros. Mediolani erat Episcopus, vbi tunc præsens erat etiam Augustinus nondum Episcopus. Tam pauper erat ille de quo loquimur, vt Proscholasticus esset Grammatici, sed planè verus & perfectus Christianus. Sed melior fuit ille, qui ad velum stabat, quam ille qui in cathedra sedebat. Pauper ergo iste inuenit sacculum ducentorum solidorum, memor tamen diuinæ legis proposuit pittacium publicè. (Qui solidos perdidit, veniat ad illum locum, vt quærat illum hominem) Ille qui plangens circumquaque vagabatur, inuento & lecto pittacio venit ad hominem. Et ne forte alienum quæreret, sed suum, quæsiuit signa: interrogauit sacculi qualitatem, solidorum etiam numerum. Cum omnia fideliter etiam ille respondisset, reddidit, quod inuenerat. Ille repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tanquam decimas obtulit illi solidos viginti. Noluit accipere. obtulit decem. noluit accipere. Saltem rogauit,*

vt vel

vt vel quinque acciperet. noluit. Ille stomachans proiecit sacculum. Nihil perdidi ait Si non vis à me aliquid accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus? Theatrum mundus spectator Deus. Victus ille, quod offerebatur, accepit, & continuò totum pauperibus erogauit. Vnum solidum in domum suam non misit. Considerate fratres tam gloriosum exemplum, & tàm admirabile factum.

VI. Est Christianorum propria, non vindicare iniurias illatas. Contrarium tenuere Ethnici philosophi, ac inter eos M. Tullius libro primo de Officiis *Iustitiæ*, inquiens, *primum munus est, vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria: deinde vt communibus pro communibus vtatur, pri-*
A c.28. *uatis autem vt suis.* Quod refellit Ambrosius libro item de Officiis primo *Primum ipsum*, inquit, *quod putant Philosophi iustitiæ munus, apud nos excluditur. Dicunt enim illi eam primam esse iustitiæ formam, vt nemini quis*
Matt 5.44. *noceat, nisi lacessitus iniuria. Quod Euangelii authoritate vacuatur. Vult enim*
Rom.12.17. *Scriptura, vt sit in nobis spiritus filii hominis, qui venit conferre gratiam non inferre iniuriam. Deinde formam iustitiæ putauerunt, vt quis communia, id est publica pro publicis habeat, priuata pro suis. Nec hoc quidem secundum naturam. Natura enim omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari iussit omnia, vt pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio. Natura igitur ius commune generauit, vsurpatio ius fecit priuatum.*

VII. Et postrema est, veram iustitiam non esse, nisi in homine vera fide Christiana prædito, ac ideo in nullo gentilium quantumuis sa-
A.c.3. pientissimorum fuisse, vt fusè probat S. Augustinus libro quarto aduersus Iulianum. *Absit*, inquit, *vt sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus.*
Rom.1.17. *Absit autem vt sit iustus verè, nisi viuat ex fide. Iustus enim ex fide viuit. Quis porrò eorum, qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam forte tu solus, iustum dixerit infidelem, iustum dixerit impium, iustum dixerit diabolo mancipatum. Sit licet ille Fabritius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus, quorum me nominibus tanquam in antiqua Romana curia loqueremur putasti esse terrendum. Nec in istis est vera iustitia, quia iu-*
Rom.10.17. *stus ex fide viuit. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Quomodo sint verè iusti, quibus vilis est humilitas veri iusti? Quomodo est in eis vera iustitia, in quibus non est vera sapientia?* Et paulo post. *Porrò si veram iustitiam non habent impii, profectò nec alias virtutes comites eius & socias, quia cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his vtentes efficiuntur iniusti: & si quas habent, veras non habent.*

CAPVT V.

De mediis ad iustitiam consequendam idoneis.

PRIMVM medium est, in animo constanter proponere te nihil facturum, nisi quod ueritati & virtuti fuerit consentaneum. Est S. Basilii in principium Prouerbiorum. *Quoniam*, inquit, *ex ipsius Salomonis sententia, cogitationes iustorum iudicia sunt viro sapienti, omninò satagendum erit intra cordis arcana tribunal constituere, rectaq; facere iudicia, mentem quoq; velut in trutina suspendere ad ea quæ conueniunt, & ad quodlibet agendum æqua lance librare. Quando singula Dei mandata contrà aduersantem sibi malitiam coram te iudicium experiuntur, da legi diuinæ contra vitium uictoriam. Iniquum & æquum apud te iudicantur? Responde contra concupiscentiam alienorum bonorum. Da vt vincat virtus. Contumelia & patientia inuicem pugnant? vitupera contumeliam, lauda patientiam. Simulatio & simplicitas, iustitia & iniustitia, iudicantur? tunc deniq; in tuæ mentis recessu iudiciorum rectitudinem ostende, & veluti in tribunali tibiipsi assidere mandatum Dei faciens monstra te vitium abhorrere, ac omnino ab eo esse auersum, virtuti verò fauentem, studentemq; ; si enim in rebus cunctis quas agis apud te potiora & meliora vincere permittas, beatus in die illa fueris, quando Deus occulta hominum iudicabit, vt testatur Euangelium, cogitationibus corda simul hominum accusantibus & defendentibus, nec condemnatus discedes, verum iustitiæ corona ornaberis.*

Basi. hom. 12. Prou. 12. 5. Rom. 2. 15.

II. MEDIVM, horrere ea uitia, quibus secundum diuinarum litterarum doctrinam homo ab exercenda iustitia reuocatur, vt est auaritia, acceptio personarum, munerum corruptela, usura, simonia, de quibus eorumq; remediis multa inuenies in nostro PANARIO suis titulis.

III. MEDIVM est amor pacis & concordiæ, quia pax comes & quasi soror est iustitiæ. Vnde S. Augustinus exponens verba illa Psalm. *Iustitia & pax se osculatæ sunt. Fac*, ait, *iustitiam, & habebis pacem, vt osculentur se iustitia & pax. Si enim non amaueris iustitiam, pacem non habebis. Amant enim se duo ista, iustitia & pax, & osculãtur se, vt qui fecerit iustitiam, inueniat pacem osculantem iustitiam. Duæ amicæ sunt, tu forte vnam vis, & alteram non facis. Nemo enim est qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari iustitiã. Interroga omnes homines: Vultis pacem? vno ore tibi respondet totum genus humanum, opto, cupio, volo, amo. Ama & iustitiam, quia duæ* Psal. 84. 11.

amicæ sunt iustitia & pax. Si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Quid enim magnum est desiderare pacem? Quiuis malus desiderat pacem. Bona enim res est pax.

IV. Medium est fuga simulationis. Totius iustitiæ, *inquit* Cicero in primo de officiis, nulla est capitalior pestis, quam eorum, qui tum cum maximè fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur. Quod enim magis expetendum sit esse bonum & malum putari, quam contra, toto libri quinti diuinarum institutionum capite 12. demonstrare conatur Lactantius. De quo & carmen exstat Gre. Nazianzeni à Billio latinè ita conuersum. — L. c. 12.

Malim cum recto studeam vitiosus haberi,
Quam vitio indulgens iusti clarescere fama,
Mendaxque ignaris mortalibus esse sepulchrum:
Quod licet internè fætentia corpora claudat,
Calce tamen nitet externa: gratoque colore.

Vnde & PLATO ἔσχατον ἔργον ἀδικίας esse censebat, cum qui iniustus est, iustus videri vult.

V. Medium est quotidianum conscientiæ examen, & quidem particulare in iis qui Iudicum, Magistratus, & aliorum superiorum personam gerunt, in quo discutiant, an eo die aliquid contra iustitiam deliquerint. Vide titulum de Conscientiæ examine. Tantum vnam inde exscribam Chrysostomi sententiã. *Hoc examen*, inquit, *fiat singulis diebus: nec prius dormieris ô homo, quam mente versaueris, quæ te interdiu perperam acta sunt, & die sequenti eris omnino tardior ad ea ipsa rursus aggredienda. Et quod facis in pecunia, nec finis, vt duo dies prætereant; quin cum famulo rationẽ ineas, ne confusionem inducat obliuio, hoc etiam fac in actionibus. Singulis diebus vesperi ab anima rationem exige, & cogitationem quæ peccauit condemna eam, & velut in ligno suspende ac torque, & iube, ne ea amplius aggrediatur.* — Chry. in Psal. 4.

VI. Medium est considerare exempla tum Ethnicorum, tum nostrorum, qui iustitiam maximè coluerunt. Ex Ethnicis primũ sit illud Valerii Maximi ex libro quinto. *Timochares Ambraciensis Fabricio consuli pollicitus est se Pyrrhum veneno per filium suum, qui potionibus eius præerat, necaturum. Ea res cum ad Senatum esset delata, missis legatis Pyrrhum monuit vt aduersus huius generis insidias cautius se gereret: memor Vrbem à filio Martis conditam, & armis bella non venenis gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, vtroque modo æquitatem amplexus: quia nec hostẽ malo exẽplo tollere, neq; eũ q bene mereri parat9 fuerat, prodere voluit.* II. eiusdẽ. *Zaleucus vrbe Locrensiũ à se saluberrimis atq; vtilissimis legib. munita, cũ filius eius adulterii crimine damnatus, secundũ ius ab ipso constitutum vtroq; oculo-* — Val. c. 5. de iustitia. Cic offic. 3. Gell. 3. c. 8. Plut. in Pyrrho. Cic. de leg. 2. Ælian. var. hist. 2.

oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem Patris pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit. Ad vltimum precibus populi euictus, suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum vidẽdi vtriq; reliquit. Ita debitũ supplicii modum legi reddidit æquitatis admirabili temperamento se inter misericordem patrem & iustum legislatorem partitus. III. Lampridii. *Alexander Seuerus Imperator tanta fuit æquitate, vt nullas vnquam sanciret leges, nullam constitutionem sacraret, sine viginti iuris peritissimis & doctissimis ac sapientissimis viris, nec in vlla re iudicium ferret, quin prius iret per sententias singulorum & scriberetur, quid quisq; dixisset. Cum de iure aut negotijs tractabat, solos adhibebat doctos & disertos: si de re militari, milites veteres & senes. Si vnquam furem vidisset iudicem, paratum habebat digitum, vt illi oculum erueret: tanto odio prosequebatur iudices, qui furtorum fama laborassent, vt si eos casu aliquo videret, commotione animi choleram stomacho euomeret, toto vultu inardescente.* IV. Nicephori libro tertio Ecclesiasticæ historiæ. *Tam studiosus*, ait, *fuisse fertur Traianus Imperator iuris & iustitiæ, & tam ab improbitate alienus, vt aliquando ensem strictum præfecto Vrbi in conspectu omnium dederit, atq; dixerit. Cape ferrum hoc, & siquidem rectè imperium gessero, pro me: sin aliter, contra me hoc utere.* V. Æneæ Syluii libro 3. commentariorum in res gestas Alphonsi. *Fridericus Imperator, cum Ladislaum Hungariæ ac Bohemiæ regem educaret, non defuerunt, qui perdendum suaderent puerum, cuius vita ingentes molestias Cæsari, mors regna & opes maximas allatura esset. Ad quos ille. Ergo me, inquit, opulentum magis regem, quam pium, quam iustum cupitis. At ego iustitiam, bonumq; nomen diuitiis, cunctisq; rebus antepono.* VI eiusdem ibidem. *Ad Rodulphum Imperatorem quum quidam venisset, qui Othaccarum Bohemiæ regem atrocem hostem in venatione se occisurum promitteret, si facto præmium esset, Rodulphus, etsi noster hostis est Othaccarus, inquit, non tamen id efficiet, vt iustitiæ & moderationis fines transeamus.*

L. in eius vita.

N. c. 13.

VIDE V. *Honestas. Virtus. Et in Panario. V. Munerum corruptela. Personarum acceptio. Vindicatio iniuriæ. Vsura.*

L.

LABOR.

VIDE. *in* PANARIO. V. *Pigritia.*

LAVDATIO DEI.

CAPVT I.

Quibus nominibus laudatio Dei in scri-pturis appelletur.

LAVDATIO vel Laus Dei in diuinis scripturis variis no-
minibus appellatur. Dicitur enim 1. benedictio. 2. exalta-
Psal. 144. 1. tio, vt in psalmo, qui inscribitur *Laudatio ipsi Dauid. Exal-
tabo*, ait rex Dauid, *te Deus meus rex & benedicam nomini tuo
Luc. 1. 46. in sæculum & seculum seculi.* 3. magnificatio, vt in Cantico Beatæ Virgi-
nis Mariæ. *Magnificat anima mea Dominum.* 4 glorificatio, vt in dicto
Christi apud Matthæum. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt vide-
Matt. 5. 16. ant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* In quæ
A. l. 1. c. 12. verba Sanctus Augustinus de sermone Domini in monte. *Non tantum
dixit, vt videant bona opera vestra, sed addidit, & glorificent patrem ve-
strum, qui in cælis est, vt hoc ipsum quod homo per bona opera placet homini-
bus, non ibi finem constituat, vt hominibus placeat, sed referat hoc ad laudem
Dei, & propterea placeat hominibus, vt in illo glorificetur Deus. Hoc enim lau-
dantibus expedit, vt non hominem sed Deum honorent* 5. Confessio, vt in ci-
Psal. 144. 10. tato psalmo. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua & sancti tui benedi-
Chry. in psal. cant tibi*, quæ verba exponens Sanctus Chrysostomus. *Gratias*, inquit,
*tibi agant, laudes emittant, & quibus sermonis decus datum est, & quæ vocem
non habent Etenim vnumquodque eorum, quæ voce carent, ita factum est,
vt per suam naturam benedictionem emittant, quamuis muta sint per homi-
nes qui ea vident & iis fruuntur. Et illa quidem per suam substantiam homi-
Psal. 94. 2. nes autem per vitæ suæ institutionem, & per actionem.* & Sanctus Augusti-
nus in verbâ. Præueniamus faciem eius in confessione *Confessio qui-
dem duobus modis accipitur in scripturis. Est confessio laudantis & est confessio
gementis. Confessio laudantis ad honorem pertinet eius qui laudatur. Confessio
gementis ad pœnitentiam pertinet eius qui confitentur. Confitentur enim homi-
nes cum laudant Deum: confitentur, cum accusant se, nihil dignius facit lin-
Psal. 64. 2. gua* 6 dicitur Hymnus, vt in psalmis *Te decet hymnus* Deus in Sion.
Vnde Chry. proæmio secundo in psalmos. *Laus*, inquit, *seu laudatio est
diuinorum miraculorum commendatio. Laus enim nihil est aliud, quam eius*

quod

quod laudatur amplificatio. Canticum autem numerosa quæ fit per os cum verbis elocutio. Hymnus verò, quæ pro nobis, quæ nobis adsunt Deo offertur bonorum verborum conceptio. Et S. Augustinus in psalmos. *Hymni laudes sunt* A. in psal. 72.
Dei cum cantico. Si sit laus, & non sit Dei, non est hymnus. Si sit laus, & Dei laus, & non cantetur, non est hymnus. Oportet ergo, vt si sit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei & canticum. Ceteras appellationes omittimus.

CAPVT II.

De excellentia diuinæ Laudationis.

DIVINÆ Laudationis excellentia inde primo liquet, quod sit primarius actus virtutis Religionis, quæ principatum inter omnes morales virtutes obtinet, eo quod propinquius quam aliæ respiciat Deum qui est vltimus finis in quem omnia virtutum moralium obiecta tandem referuntur. Laudare enim Deum, non est aliud, ut paulo ante S Chrysostomus dixit, quam amplissimas Dei virtutes enarrare & deprædicare, vt illius bonitas maiestasq; mortalibus innotescat, atq; ab omnibus diuinus cultus Deo deferatur. Qua & de causa quotidie in oratione Dominica dicimus, Sanctificetur nomen
tuum. Vnde S. Augustinus sermone Domini in monte. Sanctificari A. l. 2. c. 10.
nomen *non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt sanctum habeatur ab omnibus, id est ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant.* Deinde Spiritus sanctus hunc laudationis cultum non obscurè prætulit omnibus veteris testamen-
ti sacrificiis vt in psalmis. *Non accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregi-* Psal. 49. 9.
bus tuis hircos. Immola Deo sacrificium laudis. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Et rursum. *Tibi sacrificabo*
hostiã laudis, & nomen Domini inuocabo. Et. *Laudabo nomen Dei cum can-* Psal. 115. 17.
tico, & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super vitulum nouellum Psal. 68. 31.
cornua producentem & vngulas. In quæ uerba idem Augustinus. *Magnæ,* A in ps. 68.
inquit, *diuitiæ, quas gemmas laudis Dei de thesauro interiore protulit?*
Magnificabo eum in laude, hæ sunt diuitiæ meæ. Dominus dedit, dominus Iob. 1. 21.
abstulit. Ergo miser remansit? absit. Vide diuitias. Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Et placebit quod eum laudabo super vitulum. Gratius illi erat sacrificium laudis, quam sacrificium vituli.
Amplius ergo placebit Deo laus eius exiens de ore meo, quam magna victima Id in psal. 49.
adducta ad aram ipsius. Et alibi. *Immola Deo sacrificium laudis. Ad me redeam, in me inueniam laudis immolationem. Ara tua, conscientia tua. Securi*

sumus non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas auari negotiatoris excutimus sacrificium laudis quærit à nobis Deus. O sacrificium gratuitum gratia datum. Non quidem hoc emi, quod offerrem sed tu donasti, nam nec hoc haberem. Immola Deo sacrificium laudis. Et hæc immolatio hoc sacrificium laudis est gratias agere illi, à quo habes, quicquid boni habes, & cuius misericordia tibi dimittitur, quicquid tuum mali habes. Haud secus S. Chrysost. in eadem verba *Immola Deo sacrificium laudis. Hoc enim, ait, Deo maxime conuenit, nempe sacrificium gratiarum actionis, & sacrorum hymnorum, & eius quæ fit per recte facta glorificationis. Quod etiam Christus docuit dicens. Luceat lux uestra coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Paulus quoque requirit idem dicens. Exhibete membra uestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Ita etiam sacrificauit Iob post plagas illas quæ naturam superabant gratias agens in hæc verba. Dominus dedit, dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Lactantii libro 6. diuin. institutionum capite extremo verba sunt. *Summus colendi Dei ritus est ex ore iusti hominis ad Deum directa laudatio: quæ tamen ipsa vt Deo sit accepta, humilitate & timore & deuotione maxima opus est.* Deniq; inde colligi potest huius diuinę laudationis dignitas, quod propria sit angelorum omniumq; beatorum in omnem æternitatem Deum collaudantium. Quos spiritu plenus rex Dauid alicubi hortatur ad laudandum, ut quod agunt, agere pergant. *Laudate*, inquiens, *eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.* Quos Isaias, alterum ad alterum, clamantes audiuit. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* Quorum multitudinem, laudantium Deum audiere pastores in ortu Christi Domini, & dicentium. *Gloria in altissimis Deo.* Vnde S. Basilius in psalmum 28. *Angelorum,* inquit, *opus est laudare Deum: omnibus deniq; cælestibus exercitibus hæc cura, gloriam transcribere creatori.* Et S. Augustinus quidem putat angelis præceptum, vt Deum continenter laudent, eo quod Dauid in psalmo 148. cum dixisset. Laudate eum omnes angeli eius, subdit. *præceptum posuit & non præteribit. Quale, inquit, præceptum dedit, angelis Deus? quale, nisi vt laudent illum? Beati, quorum hoc est negotium laudare Deum.*

[Margin notes: In psal. 49. — Matt. 5. 16. — Rom. 12. 1. — Iob. 1. 21. — Psal 148. 2. — Isa. 6. 3. — Luc. 2. 13.]

CAP.

CAPVT III.

De eiusdem necessitate & vtilitate.

NEcessitatem laudandi & extollendi diuini nominis satis osten- Psal.21.24.
dunt crebræ diuinæ Scripturæ, formula præcepti expressæ, ma- Ps.65.2. Ps.112.1.
xime in psalmis. *Qui timetis dominum laudate eum. Date gloriam laudi* Ps.116.1.
eius, auditam facite vocem laudis eius. Laudate pueri Dominum, laudate no- Heb.13.15.
men Domini. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Et
Paulus ad Hebræos. *Offeramus hostiam laudis semper Deo.* Et in Apoca- Apoc.19.5.
lypsi. *Vox de throno exiuit, dicens. Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius,*
& qui timetis eum pusilli & magni. Deinde in eadem Scriptura, tum à
psalte regio, tum à Babyloniis pueris apud Danielem, tum ab aliis, et- Ps.148.
iam rationis & sensus expertes creaturæ prouocantur ad laudandum Dan.3.26.
Deum, multo ergo magis homo ad laudes illas astringitur. *Turpe enim*
fuerit, inquit Chrysostomus, *vt homo, qui est compos rationis, & omnibus* C. in psal.144.
quæ videntur præstantior, sit creatura in Dei laudibus inferior; non solum
autem turpe, verum etiam absurdum. Quomodo autem non absurdum? siqui-
dem ipsa quotidie atq; adeo singulis horis emittit Domino glorificationem. Cæli,
enim, inquit, enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firma- Psal.18.1.
mentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Sol & Lu-
na, & varius astrorum chorus, & pulcherrimus ordo ceterorum omnium suum
prædicat opificem. Tertio eadem docet nos ob præterita, præsentia & fu-
tura Dei beneficia omnia debere Deo. & ideo laudũ causam in eas sæpis-
simè confert. Nam v.c. cum regius psaltes in psalm. 148. hortatus esset
& angelos & homines & cælos ad laudandum Deum, causam subii-
cit, *quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Statuit ea in*
æternum & in seculum seculi Et in Apocalypsi dicitur. *Procidebant vigin-* Apoc.4.10.
tiquatuor seniores ante sedentem in throno & adorabant viuentem in secula se-
culorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes. Dignus es Domine
Deus noster accipere gloriam, & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia,
& propter voluntatẽ tuam erant & creata sunt Alibi alia beneficia recen-
sentur. vt in psalm. 135. omnia fere beneficia collata veteris testamen-
ti Patribus, in quo primi versus *Confitemini Domino quoniam bonus, quo-*
niam in æternum misericordia eius, posterius hemistychium vicies sexies
repetitur. Vnde Chrysostomus. *Homo, cum factus sit à Deo, vt illi pla-* C. in psal.144.
ceat & regnum futurum consequatur, per totam vitam offert Deo laudes.

Deo enim multa debemus, quod & cum non essemus fecerit, & quod tales creauerit, quod factos regit & continet, & quod quotidie tàm priuatim, quam communiter prouidet, nostriq́ curam gerit, idq́ clam & apertè, nobisq́ & scientibus & nescientibus. Quid enim dixerit quispiam, ea quæ sub aspectum cadunt, quæ propter nos fecit, quod ipsa præbent ministerium, corporis compositionem, animæ nobilitatem, quotidianam eius œconomiã & administrationem, per miracula, per leges, per supplicia, variam & quæ comprehendi non potest eius prouidentiam: bonorum omnium summum, quod ne filio quidem suo pepercit propter nos, quæ iam data sunt per baptismum, per sacramenta, quæ danda sunt bona illa ineffabilia, regnum, resurrectionem, hæreditatem omni beatitudine plenam. Si quis enim singula enumeret incidet in ineffabile beneficiorum pelagus, videbitq́ quot nominibus sit Deo obnoxius. Deniq; necessitatem iuxta atq; vtilitatem laudum diuinarum id imprimis attestatur, quod Deus

Psal.15.2. non exigat à nobis laudes vllas nisi ob commodum nostrum. *Dixi Domino*, ait sanctus Rex, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges,*

Iob.22.2. Et B. IOB. *Quid prodest Deo, si iustus fueris? aut quid ei confers, si immacu-*

H.cap.1. *lata fuerit via tua?* Vnde HIERONYMVS libro primo commentariorum in epistolam Pauli ad Ephesios. *Spiritus repromissionis, qui est arrabo hæreditatis nostræ, idcirco nunc sanctis datur in laudem gloriæ ipsius: non quod Deus laude alicuius indigeat, sed quo laus Dei laudatoribus prosit, & dum per singula opera maiestatem ipsius, magnitudinemq́ cognoscunt, ad lau-*

Psal.49. *dandum eum miraculo stuporis erumpant.* Et AVGVSTINVS in psalmum 39. *Sacrificium laudis, ait Deus, glorificabit me. Et quid? maior gloria erit Deo, quia glorificas eum, aut addimus gloriam Deo, quando dicimus, Glorifico te Deus meus: aut sanctiorem eum facimus, quando dicimus. Benedico te Deus meus? Ipse quando nos benedicit, facit nos sanctiores, facit nos feliciores: quando nos glorificat, facit nos gloriosiores, facit nos honoratiores. Quando eum glorificamus, nobis prodest, non illi. Quomodo enim eum glorificamus?*

C.hom.29. *gloriosum dicendo, non faciendo.* Sic CHRYSOSTOMVS in Genesin. *Deus, quia bonus & misericors est per nos vult glorificari, non quod ipsi aliquid ad suam gloriam accedat, nullius enim rei indigus est, sed vt occasiones ipsi præbeamus maiorem nobis gratiam impartiendi.*

CAPVT IV.

De proprietatibus laudationis diuinæ.

PRima est,quod quantacunque ab homine angeloue instituatur Psal.94.4.
longè impar & inferior sit excellentia & maiestate Dei. Nam vt Psal.144.3.
eximius ille laudator loquitur, *Quoniam magnus Dominus, & laudabi-
lis nimis, terribilis est super omnes Deos.* Et *Magnus Dominus, & laudabi-* Eccli.43.32.
lis nimis,& magnitudinis eius non est finis. Et Syracides. *Glorificantes Do-
minum quantumcunque potueritis,supervalebit enim adhuc,& admirabilis
magnificentia eius. Benedicentes Dominum,exaltate illum,quantum potestis,* A.in ps.44.
maior est enim omni laude. Vnde Sanctus Augustinus *Ideo dixit, magni-
tudinis eius non est finis, ne forte incipias velle laudare,& putes te laudando
posse finiri,cuius magnitudo finem non potest habere. Noli ergo putare te eum
cuius magnitudinis finis non est sufficienter posse laudare.*

2 Proprietas, vt nihilominus laudatio sit continua, non solum
in futuro,verum etiam in præsenti seculo. Vnde Dauid. *Benedicā Do-* Psal.33.2.
minum in omni tempore,semp laus eius in ore meo. Magnificate Dominū mecū, Psal.144.1.
& exaltemus nomē eius inidipsum Et *Exaltabo te Deus meus rex & benedicā
nomini tuo in sæculum,& in seculum seculi Laudationem Domini loquetur os
meum,& benedicat omnis caro nomini sancto eius in seculum seculi.* In quæ
verba ita Basilius. *Videtur rem impossibilem polliceri propheta; quomodo e-* In.ps.33.
*nim semper Dei laus in ore hominis potest esse.? quando enim depromit con-
sueta & corporis necessitatem respicientia colloquia, vtique non iam in
ore habet Dei laudem: quando item dormit, penitus silet. Bibens quoque
aut comedens,quomodo ore concinit laudem Dei. Ad hoc dicimus,os esse quoddā
spirituale hominis interni,nempe mentis,quo nutritur quisquis particeps di-
uini sit Verbi qui panis de cœlo descendit. Sane cogitatio,quæ de Deo est semel* 1.Cor.10.31.
*impressa menti potest laus Dei rectè appellari, semper in anima existens. Po-
test item iuxta Apostolicam adhortationem vir quiuis pietatis studiosus cun-
cta facere ad Dei gloriam, ita vt facta dictaque ipsius omnia, omnisque spiri-
tualis operatio vim laudis habeant Siue enim bibat iustus,siue edat, omnia ad
gloriam Dei facit.* Et. S. Augustinus exponens verba illa. *Et lingua mea* Psal.34.28.
*meditabitur iustitiam tuam,tota die laudem tuam. Suggero remedium,vnde
tota die laudes Deum, si vis. Quicquid egeris bene age, & laudasti Deum.
Quando cantas hymnum, laudas Deum. Lingua tua quid agit, nisi laudet
conscientia tua? Et quoties tu cessasti ab hymno cantando,discedis vt reficia-
ris: noli ebriari, & laudasti Deum. Discedis,vt dormias, noli surgere ad malè*

faciendum, & laudasti Deum. Agrum colis, noli litem mouere, & laudasti Deum.

3. *Proprietas est*, vt laudetur in omnibus, prosperis & aduersis, beneficiis & pœnis. Ita enim exponit iam allatum psalmi dictum,
A. in ps. 32. cō. 1. Benedicam Dominum in omni tempore, idem S. Augustinus. *Quid*, inquit, *est benedicam omni tempore? & semper? siue in prosperis, siue in aduersis. Nam si in prosperis, & non in aduersis, quomodo omni tempore? quomodo semper. Et audiuimus multas multorum tales voces, quando illis prouenit aliqua felicitas, exultant, gaudent, cantant Deo, laudant Deum: non sunt improbandi, imò gaudendum est illis, quia multi. Sed isti qui iam Deum laudare ex prosperitatis parte cœperunt, docendi sunt Patrem agnoscere & flagellantem, nec murmurare aduersus corrigentis manum, ne semper praui remanentes exhæredari mereantur.* Et S. CHRYSOSTOMVS in psalmum 148. *Deus* ait, *æquè est laudandus, cum & punit, & à supplicio eximit. Vtraq; enim sunt curationis, vtraq; sunt bonitatis. Homines quidem hoc faciunt propter bonitatem, illud verò propter iram & improbitatem. Deus autem vtraq; propter clementiam. Oportet ergò eum æquè laudare, & quod posuerit Adam in paradiso, & quod eum expulerit, & agere gratias non solum pro regno, sed etiam pro gehenna: eam enim & fecit, & minatus est, vt à vitio liberaret. Sicut medicum non solum nutrientem, sed etiam fame excruciantem, non solum vngentem, sed etiam vrentem & secantem obseruamus & miramur; etsi enim contraria sint quæ fiunt, vnum tamen finem respiciunt. Sic salutis temporalis, Deus verò æternæ.*

4. Proprietas, vt cum non potest Deus laudari verbis & factis vitaq; sancta, laudetur saltem voluntate & corde. Vnde propheta dicebat. *Voluntariè sacrificabo tibi. Quid est, voluntariè sacrificabo*, ait
A. in psal. 124. AVGVSTINVS, *Voluntariè laudabo te: quia sacrificium laudis, inquit,*
Psal. 49. *glorificabit me. Si cogereris offerre Domino tuo sacrificium gratum illi & acceptum, sicut antea vouebantur sacrificia in vmbra futurorum, forte non inuenires in grege tuo placitum taurum, in capris hircum ara Domini dignum, & non inueniens satageres, quid faceres, & diceres forte Deo: volui & non habui. Ipsum voluisse laudasse est. Non enim verba à te quærit Deus, sed cor. Si enim Deus aures carnales haberet, & sono tui corporis indigeret, idcirco cum remansisses sine lingua, sine laude etiam remaneres. Nunc verò quia cor quærit, cor inspicit, intus testis est, iudex, approbator, adiutor, coronator, sufficit vt offeras voluntatem. Cum potes ore confitere ad salutem, cum autem non potes corde crede ad iustitiam.* Quod autem & factis, cum fieri potest, laudandus sit Deus
Eccli. 15. 9. docet S. Chrysost. in psalmum 102. *Primum quidem*, inquiens, *hæc laus à iustis requiritur, oportet enim vitam prius rectè instituentem hymnos Deo canere. non est enim pulchra laus, in ore peccatoris. Secundo, non verbis solum,*

ſed etiam factis laudare oportet, & hanc laudem Deus maximè requirit, hanc gloriam. Luceat inquit, lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt: Ita laudant Cherubin. Quocirca propheta quoque cum melodiam illam myſticam audiiſſet, ſeipſum affligat, & miſerum ducit, dicens. Hei mihi quod homo ſum impura habens labra & habito in medio populi impura labia habentis.

Matt.5.16. Iſai.6.5.

5. Proprietas eſt, vt aſciſcantur ſocii laudum diuinarum exemplo Dauidis paſſim in pſalmis. Laudate Dominum in excelſis, Laudate omnes angeli, & trium puerorum in hymno ſuo. *Eſt hoc ſanctis* ait aureum os, *in more poſitum propter pium & gratum ſuum animum, vt cum Deo ſunt acturi gratias accerſant multos laudationis ſocios, & hortatur, vt pulchrum munus ſecum obeant. Hoc etiam fecerunt tres pueri, qui quando erant in fornace omnem creaturam ad laudibus celebrandum, quod acceperant beneficium, & hymnos Deo dicendos conuocarunt. Hoc ipſum facit hic quoque Dauid, vtrumque mundum vocans, ſupernum & infernum ſenſilem, & eum qui percipitur ſola intelligentia Hoc etiam facit propheta Iſaias, quando dicit. Lætentur cœli & exultet terra, quoniam miſertus eſt Dominus populi ſui: Et rurſus alicubi Iſaias. Nubes pluant iuſtitiam. Vt qui enim ſoli non ſufficiant ad Deum laudibus celebrandum, quoquouerſus obeunt vt in dicendis hymnis ſocios accipiant. Hic autem hoc crebro facit.*

Dan.3.26. Ch.in pſ.148. Pſ.148. Iſal 49.13. Iſai.45.8.

CAPVT V.

Quibus mediis incitemur ad laudandum Deum.

INTER Media præſtantiſſimum eſt amor Dei, quem AVGVSTINVS non ſemel facit cauſam & fontem diuinæ laudationis, vt in epiſtola ad Honoratum. *Cum Dauid dixiſſet, in medio Eccleſiæ cantabo te, quomodo cantauit. i. quia cantauit in nobis cum proficimus in nomine quod narrauit fratribus ſuis, & quia laudem Dei cantauit in nobis continuo manifeſtauit, dicens. Qui timetis Dominum, laudate eum. Quis autem veraciter laudat, niſi qui ſinceriter amat? Tantundem eſt ergo, ac ſi diceret. Qui timetis Dominum, amate eum. Dixit enim homini ſicut ſcriptum eſt. Ecce pietas eſt ſapientia, Porro pietas cultus Dei eſt, nec colitur ille niſi amando. Summa igitur & vera ſapientia eſt in præcepto illo primo, Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo.* Et in pſalmum 85. *Quid ergo agemus fratres? Pſalmus nobis indicat. Beati qui habitant in domo tua. Vnde in ſecula ſeculorum laudabunt Hæc erit actio noſtra, laus Dei. Amas & laudas. Deſine laudare, ſi deſinis amare. Non autem deſines amare,*

A.ep.12. oc.18. Pſal.21.23. Matt.22.37. Id.in fine.

quia talis est, quem vides, qui nullo te offendat fastidio, & satiat te & non te satiat.

Aug. conc. 2. II. MEDIVM est humilitas. *Esto humilis,* inquit idem in psal. 33. *si vis benedicere Dominum omni tempore, & semper laus eius sit in ore tuo. quia & Iob non tantum benedixit Dominum, quando abundabant illi omnia, quibus eum legimus diuitem fuisse & felicem, & pecore, & seruis & domo, felicem filiis, & omnibus rebus. Ablata sunt omnia vno tempore, & impleuit quod in* Iob. 1. 21. *hoc psalmo scriptum est, dicens. Dominus dedit, dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Ecce habes exemplum benedicentis omni tempore, quia humilis est. Quid est esse humilem? nolle in se laudari. Qui in se vult laudari superbus est. Qui superbus non est, humilis est. Non vis ergo esse superbus, vt possis esse humilis, dic quod dictum est. In Domino laudabitur anima mea.*

Aug. in ps. 140. III. Est Voluntaria confessio peccatorum, & patefactio defectuum. *Cum vis te defendere te de peccato tuo,* ait idem alibi, *laudare non potes Deum. In laude Dei non caperis, nisi in tua iactareris. transi ad vituperationem tuam & laudabis Deum. Redi ad verba psalmorum, quos execramini.* Psal. 40. *Dic. Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccaui tibi. Ego dixi, ego peccaui, non fortuna, non fatum, non gens tenebrarum. Si ergo tu peccasti iam vide, quemadmodum pateat laus Dei. Iam ergo confesso peccato tuo, vide quemadmodum laudetur Deus, quia iustus est, cum te punit perseue-* A. serm. 48. *rantem, & misericors cum liberat confitentem.* Et rursus in sermone quodam de Tempore. *Siue nos accusemus, siue Deum laudemus, semper illi gratias agere studeamus, à quo gratia gratis datur, cuicunq; datur. Bis ergo Deum laudamus, si pie nos accusemus, Deumq; laudemus. Quando Deum laudamus, tanquam eum, qui sine peccato est, prædicamus: quando autem nosmetipsos accusamus, ei per quem resurreximus* (a peccato) *gloriam damus.*

IV. Est Vita laudata, & immunis à peccatis grauioribus: nihil Eccli. 15. 9. enim æquè laudi diuinæ repugnat ac peccatum, iuxta illud Sapien- A. in ps. 146. tis. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Vnde Augustinus exponens versum psalmi. Deo nostra sit iucunda decoraq; laudatio. *Quomodo,* inquit *erit Deo nostro iucunda laus? Si bene viuendo laudetur. Alio loco dicitur. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Si ergo in ore peccatoris speciosa laus non est, iucunda non est. Hoc enim iucundum, quod speciosum. Vis ergo vt Deo tuo iucunda sit laus? noli bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis. Deo nostro iucunda sit laus. Quid dixit. Qui laudatis, bene viuite. Laudatio impiorum offendit Deum. Plus ille attendit quid uiuas, quam quid sonas, cuius aures* Id. in ps. 148. *non ad os, sed ad cor, non ad linguam, sed ad vitam laudatoris patent.* Et rursus alibi. *Non cesset bene viuere, & semper laudat Deum. Tunc desinis laudare Deum, quando à iustitia, & ab eo quod illi placet declinas. Nam si à vita bona*

bona nunquam declines, lingua tua tacet, vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum. Quomodo enim aures nostræ ad voces nostras, sic aures Dei ad cogitationes nostras. Non potest autem fieri, vt habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes: facta enim de cogitatione procedunt. Quomodo de interiori palatio quicquid iusserit Imperator per imperium Romanorum emanat, quicquid videtis agi per prouincias, quantus motus fit ad vnam iussionem Imperatoris intus sedentis? Mouet solum ille labia cum loquitur, & mouetur omnis prouincia cum fit quod loquitur. Sic & in vnoquoq; nostrum intus est Imperator, intus in corde sedet. Si bonus bona iubet, bona sunt: & si malus mala iubet, & mala fiunt.

V. & postremum Medium sit Consideratio triplex vel quadruplex. 1. immensæ & infinitæ maiestatis Dei eiusque idionatum, sapientiæ scilicet, bonitatis, omnipotentiæ & reliquorum laude dignissimorum. 2. Beneficiorum eius innumerabilium; vtrasque enim causas vrget ipse Spiritus sanctus in scripturis pro laudatione diuina. 3. omnium creaturarum etiam animæ & sensus expertium, quæ à Sanctis ad laudandum Deum prouocantur: non quod ipsæ vel corde, vel lingua, vel factis, vel vita sancta Deum benedicant & glorificent, sed quod sua pulchritudine, ordine & numero testentur conditoris sui potentiam & maiestatem, ac ita ad agnoscendum verum Deum, colendumque inflamment, secundum illud Apostoli. *Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Rom. 1. 20. Vnde Augustinus in psalmum 148 *Sunt quæ spiritum vitæ & intellectum ad laudandum Deum non habent, quæ quidem per se voce sua & corde suo non laudant Deum, sed cum ab intelligentibus considerantur, per ipsa laudatur Deus, & cum per ipsa laudatur Deus, quodammodo & ipsa laudant Deũ.* Et Chrysostomus in eundem. *Quomodo autem poterunt dixerit quispiam, ea laudare, quæ neque vocem habent, nec linguam, nec animam, nec rationem? Quoniam duo sunt modi laudandi, gloriaq; & honore afficiendi Vnus quidem per uerba, alius vero per ipsam creaturam, vt cum ipse dicit. Cœli enarrant gloriam Dei, opera autem manuum eius annunciat firmamentum.* Psal. 18. 1. *Ita hic etiam laudat eum creatura pulchritudine, positione, magnitudine, natura, vsu, ministerio, constantia, vtilitate quæ ex eis proficiscitur. Quando ergo dicit Laudate Dominum angeli, virtutes cæli, Luna, Sol, stellæ, aqua quæ est super cælos, hoc dicit, vnumquodq; eorum quæ facta sunt dignum esse sapientia effectoris, & esse plenum magno miraculo. Hanc ergo dicit laudem pulchritudinem eorum quæ facta sunt, quæ ei qui illa fecit laudes & hymnos comparat. Quod Paulus quoq; significat dicens. Inuisibilia enim eius, &c.* Rom. 1. 4. consideratio sit vnius hominis, vel vnionis animæ cum

[Margin: A. sub. init.]

corpore. Sola enim corporis humani fabrica, ſufficit ad declarandam ſapientiam potentiamq́; ſummi opificis, vt fuſe declarat S. Auguſtinus libro de ciuitate Dei 22. capite 24. Et Lactantius Firmianus libro de Ira Dei toto. Plura MEDIA vide in titulo *Gratiarum actio Deo debita.*

VIDE. V. *Cogitatio diuinæ præſentiæ. Cognitio Dei Confeſſio ſacramentalis. Contemplatio. Deuotio. Familiaritas cum Deo. Gratiarum actio. Oratio.*



LIBERALITAS.

CAPVT I.

De nomine & definitione Liberalitatis.

LIBERALITAS, ſi originem vocis ſpectes, auctore SENECA libro de Vita beata, *ita nominata eſt, non quia liberis debetur, ſed quia à libero animo proficiſcitur.* Eius definitio à Speuſippo hæc traditur. *Eſt habitus, qui in quærendis, erogandiſq; pecuniis decorum ſeruat* hoc eſt, decens & moderata acquiſitio, & erogatio pecuniæ, auaritiæ & prodigalitatis extremis circumſcripta. Nomine pecuniæ cum Philoſopho intellige, quicquid nummis æſtimari poteſt. Moderata dicitur erogatio, quia ſi non tantum, quantum oportet, tribuas, Auaritia oritur: ſin excedas in dando modum, in vitium laberis prodigalitatis. S. AMBROSIVS libro de Officiis primo, & ante eum M. TVLLIVS, eam ſcribunt benignitatis quoq; nomine & beneficentiæ appellari. Recte. Benignitatis quidem pro affectu. *Neq; enim ſatis eſt,* inquit Ambroſius, *bene facere, niſi id ex bono fonte, hoc eſt, ex bona voluntate proficiſcatur. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nec aurum,* inquit Seneca libro primo de beneficiis, *nec argentum, nec quicquam eorum, quæ à proximis accipiuntur, beneficium eſt, ſed ipſa tribuentis voluntas.* Beneficentia verò pro effectu deſignando appellatur. *Non enim ſatis eſt bene uelle,* ait idem Ambroſius, *ſed etiam benefacere. Vnde,* inquit idem, *quaſi bonis dicit Apoſtolus,* 2. Cor. 8. *Qui non tantum facere, ſed & velle cepiſtis ab anno præterito. Perfectorum vtrumq; eſt, non pars. Itaq; docet & liberalitatem ſine beneuolentia, & beneuolentiam ſine liberalitate eſſe*

Sen. c. 24.
Ariſt. 4. Eth. c. 1.
Amb. c. 28.
Cic. 1. offic.
Ib. c. 30.
2. Cor. 9.
Sen. c. 5.
Id. l. cit.

te esse perfectam. Vnde ad perfectum hortatur dicens. Nunc ergo & facere consummate, vt quemadmodum prompta est in vobis voluntas faciendi, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Quod ad genera liberalitatis attinet ea duo facit CICERO, primum in primo libro de officiis, his verbis. *Cum duo genera liberalitatis sint, vnum dandi beneficii, alterum reddendi: demus, necne in nostra potestate est: non reddere viro bono non licet, si modo id facere possit sine iniuria.* Deinde in secundo libro. *Liberalitatis* ait, *ratio est duplex, nam aut opera benignè fit indigentibus, aut pecunia. facilior est hæc posterior, locupleti præsertim, sed illa lautior ac splendidior, & viro forti claroq; dignior. Quanquam enim in vtraq; inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur.* Cic.1.de off.

CAPVT II.

De dignitate fructuq; Liberalitatis.

DIGNITAS huius virtutis inde primum elucet quod CHRISTVS Dominus apud Matthæum eam, quando exercetur erga pauperes prætulerit veteris testamenti Sacrificiis, dicens. *Euntes autem discite, quid est. Misericordiam volo, & non sacrificium.* Deinde è priscis Patribus Clemens Alexandrinus in Pædagogo. *Oportet*, inquit, *vi in cælos conscendere, & pulchrum baculum, beneficentiam scilicet, circumferre, & iis qui affliguntur elargientem veram quietem percipere. Fatetur enim Scriptura animæ redemptionis pretium esse proprias diuitias. Hoc est, si ditescat, saluus erit per elargitionem. Quemadmodum enim quicunq; putei scaturiunt, exhausti in pristinam mensuram reuertuntur; ita etiam elargitio, quæ est bonus fons benignitatis potum sitientibus communicans, rursus augetur & repletur, quemadmodum ad vbera quæ suguntur, vel etiam mulgentur, solet lac confluere.* Lactantius libro de Ira Dei sub finem. *Iustitia & beneficentia tàm immortales sunt, quam mens & anima, quæ bonis operibus similitudinem Dei assequitur.* Greg. Nazianzenus de pauperum amore *Nihil tam diuinum homo habet, quam de aliis bene mereri, tametsi ille maiora, hic minora beneficia conferat, vterq; nimirum pro suis viribus. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Et infra. *Doce vir sacrosancte panem esurienti frangere, & pauperes tecto carentes colligere, & nuditatem operire, nec consanguineos despicere, ac præsertim hoc tempore, vt beneficentia nostra ex penuria sit, non ex redundanti facultatum copia: quo munere Deus magis delectatur, quam multis oblationibus, magnisq; largitionibus.* S. AMBROSIVS. *Adiuuat*, ait, *hoc quoq; profectum bonæ existimationis, si de potentis manibus*

Vide V. Eleemoz. c. 3. Matt. 9. 13. Osee. 6. 6. C. c. 7. lib. 3. Prou. 13. 8. A. 2. off. c. 21.

bus eripias inopem, de morte damnatum eruas, quantum sine perturbatione fieri potest. Iam si oppressum opibus potentis, & factione magis, quam sceleris sui pretio grauatum liberaueris egregiæ conualescit opinionis testimonium. Et iterum. *Deesse benignum, iustum, non alieni cupidum, imò de suo iure cedentem potius aliqua si fuerit lacessitus, quam aliena iura pulsantem, fugitantem litium, abhorrentem à iurgiis. Siquidem suo iure virum bonum aliquid relaxare non solum liberalitatis, sed plerunq; etiam commoditatis est. Primo dispendio litis carere, non mediocre est lucrum. Deinde accedit ad fructum, quod augetur*
H. in c. 57. *amicitia, ex qua oriuntur plurimæ commoditates,* S. Hieronymus libro 16. in Isaiam. *Liberalitas quoq; & dispensatio virtus maxima est, & via regia, à qua declinat ad dexteram, qui parcus est, & non solum aliis, sed ne sibi quidem tribuit quod necesse est. Ad sinistram, qui comedit substantiam suam cum meretricibus, & dicit cum Israhel. Manducemus & bibamus, cras enim morie-*
Isa, 22. 13. *mur.*
Nyss. in orat. Greg. Nyssenus de pauperibus amandis. *Vt illi qui in certaminibus stultitiæ præmia proponunt tuba liberalitatem suam indicantes omnibus in palæstra decertantibus pecuniæ largitionem pollicentur atq; denunciant. Sic beneficentia omnes in miseriis positos ad se vocat, non vulnerum & plagarum præmia, sed ærumnarum & incommodorum remedia accedentibus impertiens. Hæc est omnium laudatarum virtutum præstantissima. Hæc est felicitatis co-*
Ch. hom. 1. vel in præfat. *mes. Hæc assidet Deo, & magna est cum ipso necessitudine coniuncta.* Chrysost. in epist. ad Philippenses. *Quemadmodum diuitum filii ornatus gratia aureum monile gestant in collo, nec id vnquam deponunt, velut nobilitatis signum circumferentes & ostentantes; itidem & nos oportet semper beneficentia indutos esse, declarantes, quod filii sumus eius qui misericors est, & Solem suum exoriri facit super bonos ac malos.* Et homilia 27. in Genesin. *Non putemus aliud, dum benefacimus aliis, quàm quod magnum quoddam beneficium apud Deum deponamus Nam ipsi sumus, qui beneficio fruimur, & multũ lucri inde*
Ael. c. 12. *nobis conciliamus.* Addo Patribus, Ethnicorum Sapientes. Pythagoras enim rogatus, auctore Æliano in varia historia, qua ratione homines Diis similes haberi possint, respondit, si veritatem amplecterentur, & cunctis bene facerent. Et Seneca libro tertio de beneficiis. *Qui dat*
S. c. 15. St. serm. 41. *beneficia*, ait, *Deos imitatur, qui repetit, fœneratores.* Theophrastus, teste Stobæo, interrogatus quidnam vitam conseruaret humanam, respondit, Beneficentia. Cicero quoq; libro altero de diuinatione scribit nihil esse beneficentia præstantius, & in tertio de Officiis, ait, *Herculem hominum fama beneficiorum memore in concilio cælestium collocatum.* De fructu huius virtutis plura uide titulo de Eleemosyna cap. 5.

CAP.

CAPVT III.

De proprietatibus Liberalitatis.

PRIMA Proprietas est, quod *ea*, vt scribit M. Tullius primo de Officiis libro, *nihil est naturæ hominis accommodatius.* Et in Lælio. *Natura,* inquit, *ad liberalitatem propensi sumus.* Seneca de vita beata, c. 24. *Hominibus prodesse natura iubet.*

II. Quod affectu dantis potius, quam effectu eius meritum sit æstimandum. Ambrosius libro de Viduis. *Liberalitas non cumulo patrimonij, sed largitatis definitur affectu.* Et primo de Officiis. *Christus duo æra viduæ illius diuitum muneribus prætulit, quia totum illa quod habuit contulit. Affectus igitur diuitem collationem, aut pauperem facit, & precium rebus imponit.* Sic & Aristoteles in quarto de moribus. *Liberalis actio, non in multitudine rerum quæ dantur, sed in habitu dantis consistit, hic autem pro facultatibus erogat. Nihil igitur prohibet eum magis esse liberalem, qui pauciora largitur, si modo minores ei sint facultates.* Et Seneca libro 1. de Beneficiis. *Beneficium non in eo quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Animus est, qui parua extollit, sordida illustrat, magna & in pretio habita dehonestat.* Et infra. *Socrati cum multa multi pro suis quisq; facultatibus offerrent. Æschines pauper auditor. Nihil, inquit, dignum te quod dare tibi possim inuenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaq; dono tibi, quod vnum habeo, meipsum. Hoc munus rogo qualecunque est, boni consulas, cogitesq; alios, cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates. Quid ni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi forte paruo te æstimas. Habebo itaq; curæ, vt te meliorem tibi reddam quam accepi. Vicit Æschines hoc munere Alcibiadis parem diuitijs animum, & omnium iuuenum opulentorum munificentiam.*

Luc. 21. A. c. 1. S. c. 6. Id. c. 8.

III. Proprietas est, vt declaretur erga omnes, iuxta illud Apostoli. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Et Christi apud Lucam. *Omni petenti te tribue.* Vnde S. Augustinus de salutaribus documentis. *Ad omnes homines faciamus bonum. Ad omnes dico, non per partes; non ad vnum, vel ad duos, aut ad tres, sed ad omnes homines. Christus enim non pro sanctis tantum passus est, sed pro peccatoribus & impiis & sceleratis ascendit in crucem, & passione sua nos omnes reuocauit ad vitam. Non sanctis tantum Deus dedit Solem, & Lunam, & pluuiam, & omnia nascentia terræ, & omnes fructus, qui oriuntur in terris, sed in commune omnibus hominibus*

Gal. 6. 10. Luc. 6. 30. A. c. 46.

dedit illa qui Solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ideo omnibus hominibus dedit illud in commune, vt bonum nostrum & eleemosynæ nostræ & charitas nostra, & humilitas nostra, & patientia nostra in commune omnibus hominibus distribuatur. Et M. Tullius in secundo de Officiis, cum dixisset melius apud bonos, quam apud fortunatos beneficium collocari, mox addit *Danda omnino opera est, vt o-*
S.lib.4.c.25. *mni generi satisfacere possimus* Et Seneca de beneficiis, *Si Deos imitaris,*
Id.c.24. *da etiam ingratis. Nam & sceleratis Sol oritur, & piratis maria patent.* Et de vita beata. *Vbicunque homo est, ibi beneficio locus est.*

IV. Est, Vt erga omnes quidem, sed circumspectè, habita ratione circumstantiarum, personæ, temporis, necessitatis, dignitatis &
.Cor.14.40. ordinis. secundum illud B. Pauli monitum ad Corinthios. *Omnia*
Gal.6.10. *honestè, & secundum ordinem fiant.* Vnde in epistola ad Galatas, cum hortatus esset, vt bonum operaremur ad omnes, addidit *maximè au-*
A.1. offic. c.30. *tem ad domesticos fidei.* Qua de re ita scribit S. AMBROSIVS. *Perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur, vt primum opereris circa domesticos fidei. Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scies eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat, si in causam ceciderit, aut captiuitatis suorum aut calumniæ, & non adiuues: si sit in carcere, & pœnis & suppliciis propter debitum aliquod iustus excrucietur, (nam etsi omnibus debetur misericordia, tamen iusto amplius) si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret, si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri. De quo pulcrè*
Iob.29.13. *Iob dixit. Benedictio perituri in me veniebat.* Et paulo post. *Est etiam illa probanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab alius sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati, non tamen vt illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus.* Et infra. *Consideranda etiam in largiendo ætas atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, vt senibus plus largiaris qui sibi labore iam non queunt victum quærere. Similiter & debilitas corporis, & hæc iuuanda promptius. Tum si quis ex diuite cecidit in egestatem, & maximè, si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis quæ habebat amisit.* Et S. Augustinus libro
A.c.28. primo de doctrina Christiana. *Omnes homines æquè diligendi sunt. sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur. Sicut enim, si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel aliqua erga te necessitudine superaret, nihil iustius faceres, quam vt sorte eligeres, cui dandum esset, quod vtrique*

dari

dari non posset. Eandem proprietatem tradit Philosophus loco citato. *Liberalis honestatis causa dabit, & rectè; dabit enim quibus oportet, & quot oportet, & cum oportet, ceteraque omnia obseruabit, quæ dandi actum rectum sequuntur.* Et infra. *Cum liberalitas mediocritas sit circa dandas, capiendasque pecunias, liberalis dabit in quibus oportet, & quod oportet, tam in paruis, quam etiam in magnis, & accipiet vnde oportet.* Et CICERO in primo de officiis. *In collocando beneficio, si cetera paria sunt, hoc maximè officii est, vt quisque maximè opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. Optimè autem societas hominum coniunctioque seruabitur, vt si quisque erit coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur.* Et SENECA de Beneficiis libro 4. *Idem in beneficio faciam,* quod in deposito. *Videbo quando dem, cui dem, quemadmodum, quare. nihil enim sine ratione faciendum est. non est autem beneficium, nisi quod ratione datur, quoniam ratio omnis honesti comes est.* Et de beata vita, *Errat si quis existimat facilem rem esse donare plurimum ista res habet difficultatis, si modo consilio tribuitur, non casu & impetu spargitur. Hunc promereor, illi reddo, huic succurro, huius misereor, illum instruo. Quibusdam non dabo, quamuis desit. quia etiamsi dedero, erit defuturum. Quibusdam offeram, quibusam etiam inculcabo.* Et iterum alibi. *Æstimanda est eius persona cui damus. Quædam enim minora sunt, quam vt exire à magnis viris debeant, quædam accipiente minora sunt. Vrbem cuidam Alexander donabat vesanus, & qui nihil animo nisi grande conciperet. Cum ille cui donabatur seipsum mensus tanti muneris inuidiam refugisset, dicens non conuenire fortunæ suæ: non quæro, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare. Animosa vox videtur, & regia; cum sit stultissima. Nihil enim per se quenquam decet. Refert quid, cui, quando, quare, vbi, & cetera sine quibus facti ratio non constabit. Tumidissimum animal, si illum accipere hoc non decet, nec te dare. Habeatur personarum ac dignitatum ratio.*

A. 4. Eth. c. 1. — S. c. 10. — Id. c. 24. — l. 2. de benef. c. 15. & 16.

V. Proprietas. vt ne inimico quidem denegetur officium beneficentiæ. Hanc Christus tradidit apud Matthæū dicens. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Quæ verba expendens Chrysostomus in Genesin. *Cogita,* inquit, *obsecro dilecte, quanta sit virtutis magnitudo, & disce vel ex præmijs, quæ propter illam vniuersi Dominus promisit. nam cum dixisset. Diligite inimicos vestros, benedicite eis, qui persequuntur vos, orate pro caluminantibus vos, quia sublimia sunt præcepta summumque verticem tangentia, inquit, vt efficiamini similes Patri vestro, qui in cælis est: quia solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Vidisti, quantum homo potest, cui similis fiat, cum non solum non vlciscitur eum qui offendit, sed etiam orare pro eo studet. Ne igitur*

Matt 5. 44. — C hom. 27.

negligentia nostra talibus nos fraudemus bonis & præmiis, quæ etiam rationem transcendunt. Et infra *Scio quod graue & molestum videtur ad eum qui in te hostiliter affectus sit, abire, cumq́; eo stare & loqui. At si mandati cogitaueris dignitatem, & retributionis magnitudinem, & quod non in illum, sed in te recurrant beneficia, omnia tibi leuia & facilia videbuntur.* Hanc proprietatem ignorauit Ethnicus Orator qui scripsit *Iustitiæ primum* Cic.1.offic. L.6.c.18. *munus est, vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria.* Quem redarguit Lactantius & Ambrosius.

A.1.de off. c.28. VI. est, vt benefactori rectus sit propositus scopus, ac primo quidem vt ne noceat ei cui bene facit. *Multa enim sunt*, inquit Nazian- Greg.ep.54. zenus ad Anysium, *in quibus ii, qui iniuriam accipere videntur, beneficio ornantur, & contra iis, qui beneficium accipere putantur, iniuria infertur.* Et A.l.1.c.30. Ambrosius de Officiis. *Pulchrum est eo largiri consilio, vt prosis, non vt noceas. Nam si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adulteræ ad mercedem adulterii largiendum putet, non est beneficentia, vbi nulla est beneuolentia. Officere enim istud est, non prodesse alteri.* Secundo, vt conferatur beneficium si- Ibid. ne fraude. *Hoc primum quæritur*, ait idem, *vt cum fide conferas, fraudem non facias oblatis, ne dicas te plus conferre, & minus conferas Quid enim opus est dicere? in tua potestate est largiri, quod velis. Fraus fundamentum sol-* Act.5.1. *uit, & opus corruit. Nunquid Petrus ita indignatione efferbuit, vt Ananiam extingui vellet, vel vxorem eius? Sed exemplo eorum noluit perire ceteros.* Matt.6.1. Tertio, vt non ob inanem gloriam. *Nec enim illa perfecta est liberalitas, inquit idem, si iactantiæ causa magis, quàm misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur.* Quarto Luc.6.35. & postremo, vt non commodi sui causa largiatur. v.c. vt plus recipiat, iuxta illud Christi. *Mutuum date, nihil inde sperantes. Nemo plus tribuit,* inquit Ambrosius libro de Viduis, *quam qui sibi nihil requirit.* Et Philo- A.4.Eth.c.1. Sen.c.1. sophus libro de Moribus. *Est liberalis non ad seipsum respicere.* Et Seneca initio libri primi de Beneficiis. *Demus beneficia, non fœneremus. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, cum daret.*

VII. vt beneficium, conuenienter nomini suo, & liberalita- 2.Cor.9.7. G.de paup. amore. tis in alterum conferas. Quod fiet, si primo id facias libenter & cum gaudio. *Hilarem enim datorem*, inquit Beatus Paulus, *diligit DEVS. Quod mœsto animo defertur, aut necessitate extorquetur*, ait Gregorius B.ep.258. Nazianzenus, *ingratumque est, parumque gloriosum.* Et S. BERNARDVS ad Eugenium Papam. *Nemo, vt ait B. Ambrosius inuitus benefacit, etiamsi bonum est quod facit, quia nihil prodest spiritus timoris, vbi non* A.4.Eth.c.1. *est spiritus charitatis.* ARISTOTELIS *quoque verba sunt. Liberalis da-*

dabit in nquibus oportet, & quod oportet tam in paruis quam etiam in magnis, atque cum voluptate. Et Senecæ de beneficiis. *Demus libenter, cito sine ulla dubitatione proximus est neganti, qui dubitauit. Illud melius, occupare antequam rogeris.* S.l.2.c.1.

2. vt prompté & celeriter. *Beneficii enim gratia,* inquit Nazianzenus *promptitudine & celeritate congeminatur;* iuxta illud Publii Mimi. *Qui cito dat bis dat.* Et Luciani. Naz.ib.

Ωκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι ἢ δὲ βραδύνῃ
Πᾶσα χάρις κενὴ μήδε λέγοιτο χάρις.

A V S O N I V S ita vertit.

Si bene quid facias, facias cito, nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Et S E N E C A loco citato. *Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis cito facere. Tarde velle nolentis est.* S.cap 5. Tob.4.9.

3. vt liberaliter iuxta facultates. Vnde Sanctus Tobias filio. *Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude..* Vnde S. A M B R O S I V S de officiis. *Deus non vult simul effundi opes, sed dispensari: nisi forte vt Elisæus, qui boues suos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit, vt nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se propheticam daret.* Et rursum. *Etiam bonorum operum sumptibus immoderatum esse non decet. Pulchra liberalitas erga ipsos quoque pauperes mensuram tenere, vt abundantes pluribus, non conciliandi fauoris gratia vltra modum fluere.* Hinc A R I S T O T E L E S. *Attinet etiam ad hominem liberalem, vt in dando adeo exuperet, vt sibi ipsi pauciora relinquat. At pro facultatibus ipsa liberalitas dicitur. Vnde non prohibet eum magis esse liberalem, qui pauciora largitur, si modo minores ei sint facultates.* A.lib.1.c.30. Id.l.2.c.21. A.l.cit.

4. vt tecté & occulte potius, quam palam largiare. *Perfecta est liberalitas,* inquit A M B R O S I V S, *vbi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus singulorum occulté subuenit: quem laudat os pauperis, & non labia sua.* S E N E C A libro 2. de beneficiis discrimen facit. *Præcipiunt,* ait, *omnes auctores sapientiæ, quædam beneficia palam danda, quædam secretò. Palam, quæ consequi gloriosum est, vt militaria dona, & honores, & quicquid aliud notitia pulchrius fit. Rursus quæ non producunt, nec honestiorem faciunt, sed occurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ, tacite danda sunt, vt nota sint solis, quibus prosunt. Interdum & ipse qui iuuatur fallendus est, vt habeat: nec à quo accepit, sciat. Arcesilaus, vt aiunt, amico pauperi, & paupertatem suam dissimulanti: ægro autem, & ne hoc quidem confitenti,* A.1.off.c.30. L.lib.1.c.5. S.c.9. Id.c.10.

 deesse

deesse sibi in sumptum ad necessarios usus, cum clam succurrendum iudicasset, puluino eius ignorantis subiecit, vt homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inueniret potius, quam acciperet. Illustrius in hoc genere exemplum habemus in Sanctorum historiis de S. Nicolao Myræ Episcopo, cuius cum ciuis egens tres filias iam nubiles in matrimonio collocare non posset, earumq; pudicitiã prostituere cogitaret; re cognita Nicolaus noctu per fenestram tantum pecuniæ in eius domum iniecit, quantum vnius virginis doti satis esset: quod cum iterum & tertio fecisset, tres illæ virgines honestis viris in matrimonium datæ sunt.

in eius vita Sur. tom. 6.

5. Et ultimo, vt postquam beneficium dederis, vel liberalitatem in quempiam exercueris, memoriam eius nõ refrices, sed obliuiscaris. Notum siquidem est dictum CHILONIS apud Laertium. *Dati beneficii decet obliuisci, accepti autem meminisse.* Et SENECÆ loco allegato. *Hoc beneficii inter duos lex est. Alter statim obliuisci debet dati, alter accepti nunquam.* Et iterum. *Non est memoriæ reuocandum, nisi ut aliud dando prioris admoneas. Ne aliis quidem narrare debemus. Qui dedit beneficium, taceat: narret qui accepit. Quid opus est te loqui? quid alienum occupare officium? Est qui istud facere honestius possit: quo narrante & hoc laudabitur, quod ipse non narras.*

L. lib. 1. c. 5.
S. c. 10.
Id. c. 11.

VIDE V. *Charitas proximi. Eleemosyna. Et in* PANARIO. V. *Auaritia. Impatientia in damno rerum temporalium.*

M.

MANSVETVDO.

CAPVT I.

Quid sit mansuetudo, & vt differat à clementia.

CLEMENS Alexandrinus quarto Stromatæo. *Mansueti,*
uel mites, inquit, *sunt, qui insidam quæ est in anima, pugnam se-*
dauerunt, iræ & cupiditatis, & eorum quæ sub eas cadunt. S. Basi- B. in psal. 33.
lius uerò. *Qui sedati sunt & compositis moribus, nempe ab*
omni affectu uitioso liberi, adeò vt nullum in animabus suis perturbationi reli-
querint locum, hi demum mansueti appellantur. Et S. AMBROSIVS, A. in psal. 36.
Qui sunt mansueti, nisi quos nullus stimulus dissensionis exagitat, non iræ per-
turbat, non sæuitia exasperat, non rabies crudelitatis inflammat? Et S. AV- A. c. 3.
GVSTINVS libro primo de sermone Domini in monte. *Mites*
sunt qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono
malum. Conuenit cum Patribus ex Ethnicis Philosophus in quarto
Ethico, describens mansuetudinem esse virtutem *iræ moderatricem.* Ar. c. 5.
Differt autem à clementia, quod clementia sit auctore SENECA S. c. 3.
libro 2. de clementia, *temperantia animi in potestate vlciscendi, vel lenitas*
superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis. Vel inclinatio animi ad
lenitatem in pœna exigenda. Mansuetudo autem, teste S. THOMA A- Th. 22. q. 157.
quinate, *non solum est superioris ad inferiorem, sed cuiuslibet ad quemlibet.* art 1.
Huic opponitur iracundia, illi verò crudelitas. *Crudelitas autem*, in-
quit SENECA, *nihil aliud est quam atrocitas in exigendis pœnis.* Ib.
Illos ergo crudeles vocabo qui puniendi causam ha-
bent, modum non habent.

CAP.

CAPVT II.

De præstantia & vtilitate mansuetudinis.

PRÆSTANTIA vtilitasq; virtutis huius inde imprimis se prodit,
Matt.11.29. quod CHRISTVS Dominus omnium virtutum princeps &
auctor eam in se ante alias imitandam omnibus proposuerit, dicens.
*Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde,
& inuenietis requiem animabus vestris.* Deinde eam inter beatitudines
Matt.5.4. in sermone habito in monte recensuit, adiuncto præmio remunerationis
cælestis, inquiens, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*
nec enim vero simile est Christum in tam seria & sublimi concione,
de terra hac corporea, quam aliâs despiciendam docuit, locutum,
sed de cælo quæ terra viuentium in Scripturis appellari solet, vt in
Psal.26.13. psalmis. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Et. *Tu es spes mea,*
Psal.141.6. *portio mea in terra* viuentium. atq; ita plæriq; omnes Patres exposuere,
B.in ps.33. re, vt Basilius, Nyssenus, Hieronymus, Cyrillus, & loco citato Augu-
N.de beatit. stinus. Deinde S. Scriptura alios gloriosos fructus promittit man-
H.in Matt. suetis, vt diuinam gratiam, spiritusq; sanctiq; inhabitationem & pecu-
C.Isa.58. liarem institutionem ac directionem, vt sępe in psalterio. *Diriget man-
Psal.24.9. suetos in iudicio, docebit mites vias suas.* Et. *Mansueti autem hæreditabunt
Ps.36.11. terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Et. *Suscipiens mansuetos
Ps.146.6. Dominus.* Et. *Exaltauit mansuetos in salutem.* Et in Sapiente. *Mansue-
Prou.3.34. tis (Deus) dabit gratiam.* Et. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & su-
Eccli 3.19. per hominum gloriam diligeris.* Et. *Fili mi per mansuetudinem gloriam ani-
Eccl.10.17. mæ tuæ concilia, & eam honore, quem meretur, affice.* Et. *Sedes diuitum
superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Deinde apud Isai-
Isa.61.1. am. *Ad annunciandum mansuetis misit me.* Et. *Ad quem respiciam,* ait
Dominus, *nisi ad mansuetum & contritum spiritu, & trementem sermones
Isa.66.2. meos?* Et apud Iudith. *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit
Iud.9.16. deprecatio.* Iam & S. Patrum præconia audiamus.

S. BASILIVS in psalmum 33. *Maxima omnium virtutum mansuetudo, eoq; in beatitudinum numerum relata est. Beati,* inquit, *mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Illa enim terra cælestis Hierusalem non bellatorum spolium, sed longanimiter & mansuetè omnia tolerantium sperata hære-
Bas.c.14. ditas.* Et in Constitutionibus monasticis. *Mansuetudini naturaliter etiam fere adiuncta patientia est, siquidem mansuetudo patientiæ est mater,*

com-

commista verò cum benignitate, coniunctaq́; præstantissimam omnium virtu-
tum caritatem efficit. B. Ephræm de Virtutibus & vitiis *Beatus ac felicissi-*
mus vere est vir ille, qui mansuetus est. S. Ambrosius in psalmum 36. expo-
nens verba illa. Mansueti autem possidebunt terram, & delectabun-
tur in multitudine pacis. *Merito,* inquit, *terram possident, in quibus Deus* Isa. 66.2.
ipse requiescit, sicut diuino per Isaiam resultauit oraculo dicens. Supra quem
requiescam, nisi supra humilem & quietum, & trementem verba mea? Et
quia non vina, non epulas, non diuitias, sed pacem Domini dilexerunt in corpo-
re constituti, pro illa delectatione corporalium voluptatum, qua se putarunt esse
fraudandos, vt gratiam adipiscerentur æternam, delectabuntur in multitudi-
ne pacis, quam Dominus noster Iesus in diebus suis generi donauit humano. S.
Chrysost. in epistolam ad Romanos. *Quomodo poterit quis, inquies, filius* C.hom.19.
Dei fieri? Si omnibus fuerit affectuum passionibus liberatus, si mansuetudi-
nem erga conuitiatores, atq; iniuriam facientes ostenderit: nam & Pater tuus
talis est erga blasphematores suos. Atq; ideo licet sæpe multa dixerit, nun- Matt.5.
quam dixit, vt sitis similes Patri uestro, sed quando dicebat, orate pro calumni- Matt 5.45.
antibus vos, benefacite iis, qui vos oderunt, tunc istud etiam præmii subiunxit.
Nihil enim adeo vicinum Deo, conformemq; facit, quemadmodum ista virtus.
Ideo & Paulus cum dicit, Imitatores Dei estote, ad hoc dicit, vt isti studeatur 1.Cor.11.1.
virtuti. Nam omnibus quidem virtutibus opus habemus maxime tamen man- Eph 5.1.
suetudine, quandoquidem & nos benignitate indigemus & misericordia: mul-
ta siquidem singulis diebus deliquimus. Et in Genesin. *Neq; contumelia affe-*
cti feroces simus, etiamsi contemptiores & pauperiores nobis sint, qui nobiscum Ch.hom.54.
contendunt sed mansuetudine furorem comprimamus: nihil enim illa poten-
tius, nihil illa fortius. Illa animam nostram in perpetua tranquillitate, & quasi
in portu constituit, & omnis recreationis ac quietis nobis occasio est. Eapropter
& Christus diuina illa docens dicebat Discite à me, quia mitis sum & humilis Matt.11.29.
corde, inuenietisq; requiem animabus uestris. Nihil enim animam ita in tran-
quillitate & quiete esse facit, vt mansuetudo & modestia. Hæc omni diadema-
te se possidenti est vtilior. Hæc omni claritudine & gloria conducibilior. Quid
enim beatius, quam intestino liberari bello? sicut neq; mirabilius est aliquid ci-
uitate, quæ licet præsidijs & muris bene sit munita, intus tamen
ciues foueat proditores.

CAPVT III.

De proprietatibus mansuetudinis.

PRIMA Proprietas est, quod hæc virtus naturæ hominis maximè sit consentanea, siue animum eius, siue corpus spectes. animum quidem, quia ratione præditus est, nihil autem æquè rationi repugnat, atq; contrarium ei vitium iracundia. Corpus verò quia nudum, omnibusq; armis destitutum est à Deo creatum. Vnde S. CHRYSOSTOMVS in homilia quadam ad populum habita probare conatur hominem abiecta mansuetudine contra naturam suam degenerare in feram, imò feris fieri deteriorem. *Sed quid dico, ait, ferâm? Feris omnibus est huiusmodi peior. Illæ siquidem licet sint agrestes, humanam artem nactæ, mansuetæ frequenter efficiuntur: tu verò cum in supernaturalem mansuetudinem naturalem illarum feritatem mutaueris, quam habebis excusationem, si naturalem tuam mansuetudinem in præternaturalem illarum feritatem redegeris? quod natura quidem ferum est, exhibens mite; teipsum verò naturâ mitem, contra naturam bestialem constituens, & leonem quidem mulcens, reddensq; mansuetum, animum verò tuum exhibens leone sæuiorem.* Seneca verò Ethnicus in libro de Clementia contendit etiam clementiam, hoc est, mansuetudinem superioris erga inferiorem, esse naturæ humanæ consentaneam. *Nullam,* inquit, *ex omnibus virtutibus magis homini conuenire, cum sit nulla humanior, constet necesse est non solum inter nos, qui hominem sociale animal communi bono genitum videri volumus, sed etiam inter illos, qui hominem voluptati donant, quorum omnia dicta factaq; ad vtilitatem suam spectant. Nullum tamen clementia ex omnibus magis, quam regem aut principem decet.* Et in epistolis ad Lucilium. *Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Omne hoc quod vides, quo diuina atq; humana conclusa sunt, vnum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem induit mutuum, & sociabiles fecit. Iste versus & in pectore, & in ore sit. Homo sum, humani nihil à me alienum puto. habeamus in commune, quod nati sumus.*

Chr. hom. 23. — S. lib. 1. c. 3. — Id. ep. 95. — Terent. in Heaut.

II. Proprietas est, non eum hic vocari mansuetum, qui nunquam irascitur, sed *qui pro quibus, & quibus oportet* vt loquitur Philosophus, *& vt oportet, & cum oportet, & quanto in tempore oportet, irascitur. Mansuetus enim perturbatione vacare solet, nulloque duci affectu, quousque ratio præscripserit. Qui verò nunquam, etiam cum oportet,*

Arist. 4. Eth. c. 5.

irascuntur, fatui esse videntur, quod nec sentire nec dolere videantur. Hucusque ille. Vnde Sanctus BASILIVS in constitutionibus monasticis. B.c.14. *Non esse alienum ab iis, qui mansuetudini student animo interdum in loco incitari, hinc perspici facillimè potest, quod Moyses, de quo sanctis litteris testatum habemus, mortalium eum omnium longè mansuetissimum fuisse, vbi ita temporis ratio poscere visa est, vehementissimè est indignatus, atque eatenus animi concitatione progressus, vt eam non alia ratione, quam suorum cæde terminarit, hocque tum, cùm vitulum illum fabricarunt, tum etiam cùm nefariis se Beelphegor ritibus polluerunt.* Ex quo intelligi facile potest, vt quis adhibita ratione animo incandescat posse nihilominus eum dignitatem mansuetudinis incorruptam retinere. In eandem sententiam ita scribit pro Moyse CHRYSOST. *Neque ferire est absolutè atrocitatis, neque parcere mansuetudinis: sed mitis ille est, qui ferre potest, quæ in seipsum peccata sunt, qui aliis factam iniuriam propulsat. Qui autem id non facit est deses, & somnolentus, & nihilo melius mortuo affectus, non autem mansuetus. Quare hoc ipsum ostendit Moysis mansuetudinem quod erat adeo ardens, vt prosiliret cum videret alios iniuria affici, pro iusto iram non valens cohibere: at quando ipse malo aliquo affectus est nec vltus est, nec pœnam sumpsit, nec à philosophiæ instituto vnquam recessit: illo quidem se esse malis infestum, hoc vero se esse lenem & patientem ostendens. Sed dic quæso, quid eum facere oportuit, num despicere iniuriam & malum quod pertinebat ad populum? Sed id non erat eius qui regebat populum, nec patientis alicuius & mitis sed desidis & ignaui.* C.in psal.131.

III. Proprietas est, vt qui mansuetudinis virtutem sibi vendicare volet, sciat se, instar paruulorum, omnis doli & fraudis debere esse expertem & ab omni hypocrisi ac simulatione abhorrentem. Quod ex phrasi Paulina ostendit CLEMENS Alexandrinus in Cl.lib.1. suo Pædagogo, exponens verba illa ad Ephesios. *Vt iam non simus* Eph.4.14. *paruuli fluctuantes.* Hic, inquit, *par est attendere appellationem huius vocabuli νήπιος, quod infantem significat. Quo fit vt is dicatur νήπιος, qui moribus mitis ac mansuetus recenter euasit; Hoc autem manifestissimè significauit beatus Paulus dicens. Cum possimus oneri esse sicut Christi A-* 1.Thess.2.7. *postoli, fuimus mites in medio vestri sicut nutrix fouet filios suos. Mitis ergo ac mansuetus est infans, nempe νήπιος, & ea ratione magis tener ac mollis, tener autem mollisque est, qui est simplex, doli ac fraudis expers, & remotus à simulatione, rectoque & erecto animo, Hoc est autem fundamentum simplicitatis & veritatis. Super quem enim, inquit, respiciam, nisi super mansuetum* Isa.66.2. *& quietũ? Sumus autẽ nos teneri ac molles, dum persuasioni non reluctamur,*

& à bonitate non difficulter colimur, bileq́ vacui malitia & peruersitate minimè permixti sumus. Vetus enim generatio peruersa est & duro corde: chorus autem infantium, nos inquam, qui sumus nouus populus, mollis est, & delicatus, vt puer.

IV. Proprietas est, vt mansuetus ita simplicitatem colat, vt suam mansuetudinem etiam inter peruersos & discolos sartam tectam
Psal.119.7. tueri conetur, exemplo regis Dauidis, dicentis. *Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* In quæ ver-
Ch.in ps.119. ba sic Chrysostomus. *Sed nunc quis nostrum hoc poterit dicere? rectè enim nobiscum agitur, si cum pacificis simus pacifici. Quomodo erga nos hac in regeremus? Si tanquam inquilini hic versemur, si vt hospites, si nullo eorum quæ sunt præsentia retardati. Nihil enim æquè pugnæ ac belli causa est vt amor præsentium, vt vel gloria, vel pecuniæ, vel deliciarum cupiditas. Propterea etiam iubet Christus oues esse inter lupos. Quid est oue mansuetius? quid verò lupo agrestius? hic tamen ab illa superabitur, id autem ostensum est in apostolis. Tan-*
Matt.10.16. *quam verò non sufficeret ouis mansuetudo, adiecit, Estote simplices sicut columbæ, miscens duorum simplicium animalium mansuetudinem. Ne mihi dixeris. Est improbus, nec facere possum. tunc enim maximè ostendenda est mansuetudo, quando res nobis fuerit cum sæuis & agrestibus hominibus, quando cum iis, qui sunt ab humanitate alienissimi: tunc enim eius virtus ostenditur, tunc eius munus fructusq́ clare ostenditur.* Cum hoc dogmate conuenit illud
G.lib.1.c.1. dictum Gregorii Magni initio Moralium. *Neq́ enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi præconij est bonum etiam inter malos exstitisse.*

V. Proprietas est, vt coniunctam habeat magnam humilitatem animi; qua etiam duri, sæui & agrestes homines molliuntur & superantur, si cum illis agendum sit. Hac enim virtute Iacob Patriarcha animum feri Esau fratris sui fregit, vt liquet ex capite 33. Geneseos, &
Ch.hom.58. notauit idem Chrysost. Exponens enim dictum caput. *Considera, ait, obsecro, quomodo humilitate excellenti fratrem deuicerit, & quem putabat affici erga se hostiliter, & atrociter, ita inuenit mansuetum, vt voluerit in ministerium eius omne officium suum declarare.* Et paulo post. *Hæc audientes imitemur iustū illum, & eandem animi humilitatem declaremus, & si qui sunt qui malè nobis afficiuntur, non magis attendamus eorum iram sed magna humilitate tàm verborum, quam operum reprimamus eorum inimicitias. Hoc verè summæ virtutis est, vt non solum bene affectos magno studio diligamus, sed etiam nobis infestos assiduitate officiorum nobis conciliemus amicos. Nihil enim mansuetudine violentius. Nā sicut rogum valdè accensum aqua iniecta restinguit, ita & animum camino magis æstuantē verbum cum mansuetudine prolatum*

latum extinguit. Et duplex inde nobis lucrũ accrescit, tum quod nos mansuetudinem declaramus, tum quod fratris indignationem cessare facimus, & mentem eius à turbatione liberamus. Basilius, vt supra dictum est, eadem de causa comitem adiunxit patientiam. B. onst. mon. cap. 14.

CAPVT IV.

Quibus mediis ad mansuetudinem perueniatur.

PRIMVM medium, & secundum tradit S. Gregor. quinto Moralium in hæc verba. *Duobus modis fracta possidere animum ira desuescit. Primus est, vt mens solicita antequam agere quodlibet incipiat, omnes sibi, quas potest pati contumelias, proponat: quatenus redemptoris sui probra cogitans ad aduersa se præparet. Quæ nimirum venientia tanto fortius excipit, quanto se cautius ex præscientia armauit.* G. c. 32.

II. Secundus *autem seruandæ mansuetudinis modus est, vt cum alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namq; illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo ipse debeat tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, sua cuiq; ad mentem culpa reuocatur, quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo vel proximo sæpe se recolit parcenda peccasse.* S. Bernardus quoq; scribens in psalmum. *Qui habitat,* asserit ex contemplatione iniquitatis propriæ, & ex dolore qui ob culpam commissam concipitur, oriri non modo mansuetudinem, *cui draconis flatus non noceat, sed etiam magnanimitatem quam rugitus leonis non terreat.* Imò & S. Chrys. hoc medium annotat in Ioannem. *Hoc pacto* inquiens, *Christi erimus discipuli, si mansueti fuerimus & mitis ingenij. Vnde autem tales fiemus? Si nostra frequenter peccata reputabimus, si lugebimus, si flebimus. Neq; enim anima tanti doloris particeps irritari atq; irasci patitur. Vbi fletus, ira esse non potest: vbi dolor & contritio longe abest omnis irritatio. Mens enim dolore perculsa non studet elationi, sed amarè ingemiscit.* B. serm. 13. Chry. hom 50.

III. Medium, neq; simplex tradit S. Chrysost. in psalmos. nempe, vt ne occasionem demus rixæ vel odio, si mansuetudinem tueri velimus. *Non est enim hoc spectandum,* inquit, *vt non habeamus inimicos, sed ne iustè & cum causa, & vt licet millies odio habeamur, non habeamus odio. Quando enim odio habeor, & odio non habeo, ille me inimicum, non ego eum habeo. Quando ei beneprecor, quando ei volo benefacere, quomodo ego illi sum* Ch. in ps. 7.

 inimi-

Rom.12.18. *inimicus. Idcirco dicebat Paulus. Si possibile est, quod est in vobis, cum omnibus hominibus pacem habentes. Nostra ergo afferamus, & huic ipsi sufficientem laudem. Quaenam sunt autem nostra? Vt verbi gratia. Hic odio te habet, & bellum gerit, tu ama, eumq; beneficio affice: probris & maledictis appetit, tu benedic & lauda. Mali enim quo magis obseruati bellum nolunt componere, eo nobis splendidiorem remuneratione m comparant, & se reddunt imbecilliores.* Et iterum. *Fugiamus ergo inter nosipsos bellum gerere, & eorum radicem de medio tollamus vanam gloriam, & auaritiam. Vel enim propter pecunias est inimicus quispiam, vel propter vanam gloriam. Si ergo contumelia affecerit, magno animo & forti feramus, seipsum enim non te affecit iniuria: & si percusserit, ne dextram contra tendas. Ipse est enim, qui verberatur, te quidem manu, sed se ira pulsans, & sibi malam apud omnes opinionem concilians. Si quis enim furens vestem tuam lacerarit, quemnam dixeris male pati, tene qui passus es, an illum, qui malè fecit? Clarum est, quod illum.*

Ch.hom.58.in Gen. IV. Medium eiusdem, est perpendere, quod frustra alienae irae vel rixae resistatur alia via, quam mansuetudine. *Quid enim, dic mihi,* ait, *Accusas indignationem fratris tui, & quod hostiliter se gerat erga te? Cur igitur non diuersa via studes incedere, sed ipse magis irasci vis? Non potest igni ignis exstingui, repugnat enim hoc naturae: sic neq; furor furore alio demulceri poterit vnquam. Verum quod igni est aqua, hoc est irae mansuetudo. Vnde & Christus dicebat discipulis.*
Matt.5.46. *Si diligentes vos diligitis, quam mercedem habetis? Magis autem negligentes arguere volens dicit. Nonne & publicani hoc faciunt? Quid autem publicano deterius? attamen inuenies eum omnibus modis hoc obseruare. Et non est possibile, vt non redamet, qui amatur. Ego autem quia excelsiores eos esse volo, & aliquid amplius habere, non hoc admoneo, sed vt inimicos diligatis.*

Id.hom.23.ad pop. V. Medium est eiusdem pro ira propria, velut bestia, compescenda. *Existima,* inquit, *si libet, iram quoq; bestiam esse. Et quantum alii circa leones domandos, tantum studii tu circa temetipsum impende. Haec enim difficiles habet tam dentes, quam vngues, & nisi mansuetam reddideris omnia destruet: nec enim ita leo, vel vipera potest dissipare, sicut ira ferreis vnguibus id continuè faciens. Nec enim solum laedit corpus, verum & ipsam animi sanitatem corrumpit, deuorans & dilacerans omnem eius virtutem, & ad omnia reddens inutilem. Cum enim vermes in intestinis nutriens nec respirare possit, cum eius omnia consumantur interiora, quomodo nos talem habentes serpentem, qui cuncta rodit viscera, iram dico, aliquid generosum parere poterimus? qualiter hac liberabimur* peste?

peste? Si poculum bibamus, quod vermes atq. serpentes exitio tradere possit. Dicat aliquis, quodnam est illud poculum, quod huiusmodi virtutem habeat? Pretiosus Christi sanguis, si cum fiducia sumatur. Hic enim omnem extinguere poterit ægritudinem, & cum hoc diuinarum Scripturarum diligens meditatio, & eleemosyna Scripturis addita.

VI. Medium sunt exempla innumera tàm sacra, quàm profana. Ego sacra tantum indicabo, & auctores qui ea fusius descripserunt. Primum est CHRISTI Domini, quod fusius urget CHRYSOSTOMVS homilia 59. in Ioannem, & homilia prima de incomprehensibili Dei natura. AVGVSTINVS tractatu 33. in Ioannem. II. Est MOYSIS quod tractat Chrysostomus in psalmum 131. & homilia 34. in Genesin. Gregorius libro 27. moralium cap. 7. & homilia 15. in Ezechielem. III. Est Dauidis regis, apud Chrysostomum homilia 3. de Dauid & Saul. Et in psalmum 7. & homilia 34. in Genesin. Basilium hom 11. de inuidia. & epistola prima ad Gregor. Nazianzenum. IV. Sit Abrahæ, Isaac & Iacob patriarcharum, de quibus Chrysostomus in Genesin homilia 35. 52. & 58. V. CONSTANTINI Magni & THEODOSII Imperatorum, apud eundem homilia 20. ad populum Antiochenum. VI. Octaniani Augusti, de quo SENECA libro primo de Clementia capite nono. Plura habes in historia Ecclesiastica & Vitis Sanctorum apud Laur. Surium.

VIDE V. *Affabilitas. Amicitia. Beneuolentia. Charitas proximi. Eleemosyna, Humilitas, Pax. Simplicitas. Virtus.* *Et in* PANARIO. V. *Immortificatio passionum. Impatientia in aduersis. Iracundia.*



MARTYRIVM

CAPVT I.

De nomine & definitione Martyrij.

A. tract. 1. in ep. 1. Ioan.

MAPTYP græcè, latinè testem: Μαρτύριον testimonium significat. Cuius nominis rationem explicans S. AVGVSTINVS in verba epistolæ S. Ioannis Apostoli. *Et vidimus & testes sumus. Forte,* inquit, *aliqui fratrum nesciunt quid sint testes. græcè & vsitatum nomen est omnibus, & religiosum; quos enim testes latinè dicimus, græcè μάρτυρες sunt. Quis autem non audiuit martyres, aut in cuius ore Christiani non quotidie habitat nomen martyrum? Testimonium enim dicendo ex eo quod viderunt, & testimonium dicendo ex eo quod audiunt ab his, qui viderunt, cum displiceret ipsum testimonium hominibus, aduersus quos dicebatur, passi sunt omnia, quæ passi sunt martyres. Testes Dei passi sunt. Testes Deus habere voluit homines, vt & homines habeant testem Deum.*

G. c. 36. & hom. 35. in Euang.

DVO autem *sunt,* teste B. GREGORIO libro tertio dialogorum. *Martyrii genera, vnum in occulto, alterum quoque in publico. Nam etsi persecutio desit exterius, martyrii meritum in occulto est, cum virtus ad passionem prompta flagrat in animo. Quia enim esse possit & sine aperta passione martyrium testatur in Euangelio Dominus, qui Zebedæi filiis adhuc præ infirmitate mentis maiora sessionis loca quærentibus dicit. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? cui videlicet cum responderent, Possumus, ait vtrisque Calicem quidem mecum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis. Quid autem calicis nomen, nisi passionis poculum signat? Et cum nimirum constet quia Iacobus in passione occubuit, Ioannes verò in pace Ecclesiæ quieuit, incunctanter colligitur esse, & sine aperta passione martyrium, quando & ille calicem Domini bibere dictus est, qui ex persecutione mortuus non est.*

Matt. 20. 22.

VSV tamen iam in Ecclesia recepto propriè nuncupantur Martyres, qui pro Christo, vel alia pia causa sanguinem suum profuderunt. Cæteri autem, cum opinione sanctitatis sine morte ob Christi fidem inflicta obierunt, Confessores dicuntur. Vnde & in Eccle-

Ecclesiastico officio, officium de Martyribus, clare distinctum est ab officio de Confessoribus. Quanquam B. Cypriani tempore, qui iam tormenta aliqua experti essent, licet vitam nondum profudissent, vt liquet ex eius epistolis, vtroq; vocabulo & Martyrum & Confessorum appellati sint; quod contigit & illis, qui in tormentis expirassent, vt erudite ex phrasi Cypriani ostendit Pamelius in annotatione epistolæ nonæ, & Cæsar Baronius in Martyrologio Romano ad 2. Ianuarii.

CAPVT II.

De excellentia & fructibus Martyrii.

EXCELLENTIAM fructumq; Martyrii ostendit regius Psalmogra-
phus, cum in hæc verba concinit. *Calicem salutaris accipiam & no-* Psal. 115.15.
men Domini inuocabo. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.
Emit enim eam, inquit ibi Augustinus, (Christus) *sanguine suo, quem*
prior fudit pro salute seruorum, ne pro Domini nomine serui fundere dubita- Sap. 3.4.
rent quod tamen eorum non Domini vtilitate proficeret. Deinde Sapiens.
Si coram hominibus, ait, tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena
est; in paucis vexati in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit eos &
inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos. &
& quasi holocausti hostiam accepit illos. Iudicabunt nationes, &
dominabuntur populis & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Hunc Cyp ep. 81.
locum non semel pro Martyrum laude citat B. CYPRIA- Matt 5.11.
NVS. Idem declarat CHRISTVS Dominus apud Matthæum,
dum ait. *Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & di-*
xerint omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaudete & exulta- Matt. 16.25.
te, quoniam merces uestra copiosa est in cælis. Et. *Qui voluerit animam su-*
am saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter Luc. 12.4.
me, inueniet eam. Et apud Lucam *Ne terreamini ab his, qui occidunt cor-*
pus, & post hæc non habent amplius, quid faciant. Omnis quicunq; confessus Ib. 8.
fuerit me coram hominibus, & filius hominis *confitebitur illum coram ange-*
lis Dei. Et apud Ioannem. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt ani-* Ioa 15.13.
mam suam ponat quis pro amicis suis. Apostolus quoq; intendens digi- Rom. 8.16.
tum ad Martyrium ait. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro,* Cypr. ep 81.
quod sumus filii Dei: si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohære-
des autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Existimo
enim quod non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam,

1.Pet 2.21. *quæ reuelabitur in nobis.* Et S. PETRVS. non obſcure ad illud nos
exemplo Chriſti cohortatur, dicens. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Deniq; turba illa
magna in Apocalypſi à S. Ioanne ante thronum Dei & in Agni con-
Apoc.7.14. ſpectu ſpectata, martyrum fuit: de qua dictum eſt. *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni, ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius & qui ſedet in throno habitabit ſuper illos. non eſurient, neque ſitient amplius, &c.*

QVOD ad priſcos Patres attinet integris illi libris Martyrii
laudes proſecuti ſunt, atque imprimis TERTVLIANVS & CYPRIANVS, ac ille quidem illos in libro ad martyres vocat, *benedictos, hic verò beatiſſimos & fortiſſimos. O quale illud fuit ſpectaculum Domino* ait
C.ep 9. Cyp. in epiſtola ad Martyres & Confeſſores *quam ſublime, quam magnum, quam Dei oculis ſacramento, ac deuotione militis eius acceptum, ſicut*
Pſal.115.15. *ſcriptum eſt in pſalmis, Spiritu ſancto loquente ad nos pariter & monente. Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors iuſtorum eius. Pretioſa mors hæc eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accepit coronam de conſummatione virtutis. Quam lætus illis Chriſtus fuit, quam libens in talibus ſeruis ſuis & pugnauit, & vicit protector fidei, dans credentibus tantum, quantum ſe credit capere qui ſumit.* Et in fine. *O beatam Eccleſiam noſtram, quam ſic honor diuinæ dignationis illuminat, quam temporibus noſtris glorioſus martyrum ſanguis illuſtrat. Erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta eſt in martyrum cruore purpurea. Floribus eius nec liliæ*
Id ep 26. *nec roſæ deſunt.* Et rurſus alibi. *Quid glorioſius, quidue fœlicius vlli hominum poterit ex diuina dignatione contingere, quam inter ipſos carnifices interritum confiteri Dominum Deum? quam inter ſæuientia ſecularis poteſtatis varia & exquiſita tormenta etiam extorto ei excruciato, & ex carnificato corpore Chriſtum Dei filium, etſi recedente, ſed tamē libero ſpiritu, confiteri? quā relicto mundo cælum petiſſe, quam deſertis hominibus inter angelos ſtare, quam collegam paſſionis cum Chriſto in Chriſti nomine factum fuiſſe? quam iudicis ſui diuina dignatione iudicem factum fuiſſe, quam immaculatam conſcientiam de confeſſione nominis reportaſſe?* CLEMENS Alexandrinus libro 4. ſtromatum. *Conſummationem,* ait, *vocamus martyrium, non quod vitæ finem homo acceperit, vt reliqui, ſed quod perfectum opus oſtenderit charitatis. Græci quoque veteres laudant finem eorum, qui mortui ſunt in bello, non mortem violentam conſulentes, ſed quod qui in bello vitam finit, mortem non timens receſſit. Deinde dicit Heraclitus. Marte cæſos Dii honorant & homines: & ſcribit Plato in quinto de Republica.*

Eorum

Eorum qui in bello mortui fuerint, qui præclarè se gerens obierit, an non dicemus eum esse aurei generis? Omnium maximè. S. BASILIVS in 40. Martyres. *O sanctum chorum, o sacrum ordinem, o cuneum inexpugnabilem, o communes generis humani custodes, optimi curarum socii, precum ac uotorum inuicem suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum: vos non terra contexit, sed cœlum excepit. apertæ sunt vobis paradisi portæ, dignum profectò exercitibus angelorum, patriarchis, prophetis & iustis omnibus spectaculum.* S. Hieronymus ad Hedibiam. *Triumphus Dei est passio Martyrum & pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit tanta perseuerantia stare martyres atque torqueri, & in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in gentes, & subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Euangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata & diuitiis studens ac secura confessio est, sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate & siti. Hic triumphus est Dei, Apostolorumque uictoria.* S. AMBROSIVS, vel Maximus Episcopus in natali martyrum Tauricorum. *Beati martyres nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui: exemplum enim nobis reliquerunt, bene uiuendo conuersationis; tolerando fortiter passionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diuersis in locis pati martyres voluit, vt tanquam idonei testes nos præsenti quodam fidei exemplo suæ confessionis vrgeret, vt humana fragilitas, quæ prædicationi Dominicæ aditu longiore vix credit vel præsenti oculorum testimonio martyrio crederet beatorum.* Et paulo post. *Cum sanctis martyribus quiescentes euadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen consocij sanctitate. Cernimus enim ab ijs frequenter obsessos immundissimis dæmonibus homines liberari, ita vt celesti medicina, & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipse diabolus vinculis igneis alligatus producatur de sua captiuitate captiuus.* S. Augustinus exponens verba illa psalmi Dauidici. Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon. *Hoc loco,* inquit, *principes Ecclesiarum, ducesque eorum, qui in Ecclesiis benedicant Domino, video commendari. Martyres namque in Ecclesiis locum summum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt.* Et in psalmum 118. *Ecce martyrium Christi, & apud homines, & in hoc mundo non solum non est opprobrium, sed magnum est ornamentum. Ecce non solum in conspectu Domini, verum etiam in conspectu hominum iam pretiosa est mors sanctorum eius. Ecce non solum contemnuntur, verũ etiam magnis honoribus præferuntur martyres eius.* Ibidẽ exponens verba. *Multi persequentes me, & tribulantes me à testimoniis tuis non declinaui,* subiungit. *Factũ est, nouimus, recolimus, agnoscimus. Purpurata est vniuersa terra sanguine martyrũ, floret cælũ coronis martyrũ, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis martyrũ, insignita sunt tempora natalibus*

B. hom. 20.
H. quæst. 11.
A ser. 77.
A. in psal. 67.
Id. conc. 2.
Ib. conc. 30.

martyrum crebrescunt sanitates meritis martyrum. Vnde hoc nisi quia impletum est, quod prædictum est de homine isto toto terrarum orbe diffuso, Multi perseq. me, &c. Addam vnam S. Chrysost. sententiam ex demonstratione aduersus Gentiles, quod Christus sit Deus. *Discipuli Christi*, ait, *qui ducebantur & circumducebantur, qui contempti erant & vincti, qui innumera patiebantur dum viuebant, vbi defuncti sunt, regibus ipsis magis erant venerabiles etiam Romæ, quæ vrbium est regalissima, relictis omnibus ad sepulchra piscatoris & pellionis currunt & Reges, & Præsides & milites. Et in Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantq́; piscatorum ostiarii reges. Neq; hinc in morte confunduntur, sed honestantur & ipsi & eorum nepotes & pronepotes.*

Chryſ.

CAPVT III.

De Proprietatibus Martyrii propriè dicti.

PRIMA Proprietas Martyrii proprie dicti est, vt mors obeatur ob iustam & piam causam, vt ob fidei defensionem. *Martyres enim* inquit S. Augustinus in psalmum 32. *non facit pœna sed causa.* quod confirmat ex illis verbis psalmi. *Exurge Domine, & intende iudicio meo, Deus meus & Dominus meus in Causam meam. Non*, inquit, Augustin. *in pœnam meam, sed in causam meam: non in id quod mecum latro habet commune, sed in illud quo beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Hæc enim causa discreta est: nam pœna communis est bonis & malis.* Et epistola ad Bonifacium Comitem. *Dominus cum latronibus crucifixus, sed quos passio iungebat, causa separabat; ideo in psalmo 42. vox illa intelligenda est verorum Martyrum, volentium se discerni à falsis martyribus. Iudica me Deus, & discerne causam meam: potest enim esse impiorum similis pœna, sed dissimilis est martyrum causa.* Eandem proprietatem ex Cypriano refert S. Gregorius libro 2. registri, epist. 36. data ad Episcopos Hiberniæ.

Pſal. 34. 23.
Matt. 5. 10.
Id. ep. 50.

II. Proprietas est, vt non repugnet martyris voluntati, quanquam necesse non est vt sit actu voluntarium, vt liquet in Innocentibus, qui teste B. HILARIO in Matthæum verum martyrium perpessi sunt, & per *Martyrii gloriam* æternitatem consecuti. Vnde SANCTVS BERNARDVS in sermone de natali Sanctor. Innocentum. *Considerent*, inquit, *& aduertant, qui de opere & voluntate, contentiosis solent disputationibus corrixari, neutrum negligi oper-*

H. can. 2.

oportere, vbi non videtur deesse facultas præsertim, cum vtrumque sine altero, vbi tamen facultas deest, non modo salutem conferre possit sed etiam sanctitatem. Sed vt hoc quoque firmiter teneant prodesse quidem opus sine voluntate, non autem contra voluntatem, vt vnde saluantur infantes, inde magis damnentur ficte accedentes.

III. Proprietas est, vt nemo se vltro offerat ad illud subeundum. Vnde CYPRIANVS ad presbyteros & diaconos *Vos autem fratres charissimi, secundum quod me tractante sæpissimè didicistis, quietem & tranquillitatem tenete: ne quisquam vestrum aliquem tumultum de fratribus moueat, aut vltro se gentilibus offerat: apprehensus enim & traditus loqui debet, siquidem in nobis Dominus positus illa hora loquatur, qui nos confiteri magis voluit, quam profiteri.* Causam huius reddit libro de Mortalitate. *Primo,* ait, *in loco, non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium, nec potes te dicere perdidisse, quod nescis an merearis accipere: tunc Deus scrutator renis & cordis, & occultorum contemplator & cognitor, videt te, & laudat, & comprobat, & qui perspicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem.* In eandem sententiam alibi docet totum Martyrium *Dominicæ esse promissionis & muneris, nec capi nisi eius imperio* GREG. Nazianzenus quoq; ita scribit. *Lex nostra hoc sancit, vt vrgente quidem tempore pro veritate periculum adeamus, nec pietatem per ignauiam prodamus: quamdiu autem, licet, pericula ipsa ne prouocemus, siue animarum nostrarum metu, siue vt iis consulatur, qui periculum nobis inferunt.* Et S. HIERONYMVS in Matthæum *Ideo recessit Christus* occiso (Ioanne baptista in desertum) *vt nobis præberet exemplum vitandæ vltro tradentium se temeritatis, quia non omnes eadem constantia perseuerant in tormentis, qua se torquendos offerunt. Ob hanc causam & in alio loco præcipit. Cum vos persecuti fuerint in ista ciuitate fugite in aliam.* Exemplum huius rei præbuit ipse S. CYPRIANVS, nam vt est in Actis eius à Proconsule comprehensus rogatusque vt proderentur presbyteri, respondit. *Eos exhibere non possumus: sed nec ipsi se vltro offerunt, cum hoc scriptura sancta prohibeat.*

C. ep. 83.

Id. de laude Martyrii.

G. orat. 10.

H. lib. 2. c. 14.

Extant in operc S. Cypr. initio.

IV. Proprietas, vt mors illata sit ab alio, non autem martyr sibi ipse eam consciuerit. Diuino siquidem præcepto, *Non occides*, vetitum est & se occidere, vt fuse probat S. AVGVSTINVS libro primo de ciuitate Dei. Nec valet, quod obiicitur, quosdam à scriptura laudatos se interfecisse, vt Sampsonem, imo quasdam ab Ecclesia feminas ceu martyres coli, quæ seipsas interfecerint. *Respondeo enim cum Augustino loco citato. id eos non errantes, sed obedientes Deo fecisse, sicut de Sampsone,* inquit, *aliud nobis fas non est credere.* (laudatur enim ab Apostolo in epistola ad Hebræos) *cum autem Deus iubet, seq; iubere, sine*

A. c. 17. & seqq.

Iud. 16.

Id c. 26.

Heb. 11. 32.

vllis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen uocet? quis & obsequium pietatis accuset?

V. Proprietas est, vt martyr existat in charitate, hoc est, sine af- Cor.13. 3. fectu ad peccatum mortale, quod excludat caritatem. Nam clare ait B. Paulus in priore ad Corinthios. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Qua de causa hæretici vel schismatici, quotquot pro religione Christiana occisi sunt, A.cap.7. martyres dici non possunt, vt asserit S. Augustinus libro primo contra F.c.39. epistolam Parmeniani. & D. Fulgentius libro de fide ad Petrum. S. P.ep.2. Paciani ad Sympronianum hæc uerba sunt. *Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cuius portio debet esse, quis martyr est? Audi* G.c.15. *Apostolum. Si tradidero corpus.* &c. Vnde B. Gregorius libro 18. moralium docet, *non nisi in Ecclesia catholica veros martyres fieri.*

VI. Proprietas est, Martyrium uicem tenere baptismi, & maximè in tribus, vt quod primo conformet hominem Christi passioni & morti. 2. remittat omnia peccata, etiam originale, si quis in eo existens pro Christo occidatur: & quidem remittat ex opere operato, vt nunc B.lib.1.de bapt. cap.6. probabilior Doctorum habet sententia, quam sequitur noster Bellar- V.22.disp.8. q.2 p.2. minus & Valentia. 3. quod remittat omnem pænam peccato debitam tam æternam, quam temporalem; quod inter Sacramenta proprium est baptismi. Vnde Ecclesia nunquam orat pro animabus martyrum, sed potius illis se commendat. Immò *iniuriam facit martyri, qui orat pro* A.ser.17. *martyre*, ait S. AVGVSTINVS de Verbis Apostoli. & INNOCENTIVS C.ep.52. III. c. cum Marthæ, extra, de celebratione Missarum. Vnde Cyprianus ad Antonianum conferens Martyres cum aliis Christianis morientibus. *Aliud*, inquit, *est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire: aliud missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem, aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse; aliud deniq; pendere die iudicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.* Hanc proprietatem in martyrio omnes veteres Patres agnoscunt Tertullianus, Nazianzenus, Ambrosius, Cyrillus Hierosolymitanus & alii à Bellarmino citati. Imò S. Cyprianus martyrium præfert baptismo. Ita enim loquitur ad Fortunatum in præfatione, de exhortatione Martyrum. *Nos tantum qui Domino permittente primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoq; singulos præparemus, insinuantes & docentes hoc esse baptisma in gratia maius, in potestate sublimius, in honore pretiosius: baptisma in quo angeli baptizant, baptisma in quo Deus & Christus eius exultant, baptisma post quod nemo iam peccat, baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat, baptisma quod nos de mundo recedentes statim*

Deo

Deo copulat, in aquæ baptiſmo accipitur peccatorum remiſſa, in ſanguinis corona virtutum.

CAPVT IV.

De multiplici Martyrio impropriè dicto.

MARTYRIVM impropriè dictum, hoc eſt, quod citra obitum, uel ſeparationem animæ à corpore peractum eſt, varium & multiplex conuenienter doctrinæ S. Patrum aſſignari ſolet. Primum eſt eorum, quos Tertullianus in libro ad Martyres vocat deſignatos Martyres, qui ſcilicet tormenta quidem aliqua paſſi fuerunt, ſed tamen occiſi non ſunt. & pares eſſe poſſunt aliquando veris martyribus, cum voluntas pro facto à Deo reputatur. Vnde ad tales ita ſcribit B. Cyprianus in epiſtola 9. ad Martyres & confeſſores data. *Si vos acies vocauerit, ſi certaminis veſtri dies venerit, militate fortiter, dimicate conſtanter ſcientes uos ſub oculis præſentis Domini dimicare, confeſſione nominis eius ad ipſius gloriam peruenire. Quodſi ante diem certaminis veſtri de indulgentia Domini pax ſuperuenerit, vobis tamen manet voluntas integra & conſcientia glorioſa. Nec contriſtetur aliquis ex vobis, quaſi illis minor, qui ante vos tormenta perpeſſi victo & calcato ſæculo ad Dominum glorioſo itinere venerunt. Dominus ſcrutator eſt renis & cordis, arcana perſpicit, & intuetur occulta. Ad coronam Dei promerendam ſufficit ipſius teſtimonium ſolum, qui iudicaturus eſt.* Et in libro ad Fortunatum. *Nec ſolos animaduerſos & interfectos diuinæ pollicitationis manent præmia, ſed etiam ſi ipſa paſſio fidelibus deſit, fides tamen integra atq; inuicta perſtiterit, & contemptis ac relictis ſuis omnibus Chriſtum ſe ſequi Chriſtianus oſtenderit ipſe quoq; à Chriſto inter Martyres honoratur.* In horum numero fuit S. Ioannes Euangeliſta in Actis Apoſtolorum cum aliis Apoſtolis flagellatus, & ſub Domitiano Romæ in feruenti olei dolio poſitus, teſte S. Hieronymo de Scriptoribus. Eccleſiaſticis, qui allegat Tertullianum.

Edit. Pamel.

Act. 5. 40.

II. Eſt eorum, qui ex caritate pro aliorum ſalute manifeſto vel ualde probabili periculo mortis ſe exponunt. Nam in Martyrologio Romano ad 28. Februarii ſunt hæc verba. *Alexandriæ commemoratio ſanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum peſtis ſæuiſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes libentiſſimè mortem oppetière, quos velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſueuit.* Horum res geſtas, inquit in annotationib⁹ Baronius, multis laudibus proſecutus eſt apud Euſeb. S. Dion. Epiſcopus

Euſ. l. 7. hiſt. c. 16. & 17.

pus Alexandrinus in epistola ad Hieracem. vbi in fine hæc leguntur *Ex Patribus, qui virtute erant præstantissimi in hunc modum mortem oppetiuerunt, quorum nonnulli erant presbyteri, alii diaconi, quidam è populo virtutis ergo multum laudati: adeo vt istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem suscipiebatur, nihil à Martyrii splendore abesse uideretur.* Huc pertinent, quotquot relictis omnibus, neglecto uitæ periculo remotas regiones, uel gentilium uel hæreticorum conuertendorum causa, vt Indias uel Angliam, hoc tempore adeunt.

III. Est eorum, qui cum prompta voluntate Martyrii ueri subeundi, si ferret occasio, illud animi ærumnis voluntariè susceptis compensant: inter quos principem locum obtinet Beatiss. Virgo
Luc. 2. 35. MARIA, Christi mater, cui à SIMEONE sene iam olim apud LVCAM prædictum fuit. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* gladius nempe acerrimi doloris, cum coram spectauit filium, suum & Dei, è cruce pendentem, vti illum locum Beda, Theophylactus &
H. t. 9. operum. Eutymius sunt interpretati. Vnde HIERONYMVS, uel potius Sophronius in sermone de assumptione B. Mariæ. *Rectè dixerim*, inquit,
B. serm. 7. de assumpt. *quod Dei genitrix Virgo Martyr fuit, licet in pace vitam finierit.* Et S. Bernardus in sermone quodam. *Martyrium sane Virginis*, inquit, *tam in Simeonis prophetia, quàm in ipsa Dominicæ passionis historia commendatur. Positus est, ait sanctus senex de paruulo Iesu, in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam, (ad Mariam autem dicebat) pertransibit gladius. Verè tuam, ò beata mater, animam gladius pertransiuit: alioquin non nisi eam pertransiens carnem filii tui penetraret & quidem, postquam emisit spiritum suum ille IESVS. Tuam ergo animam pertransiuit vis doloris, vt plus quam Martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus.*

IV. Est, eorum, qui operam dant continuæ carnis, cupiditatumque
C. hom. 11. carnalium mortificationi, vt solent ex instituto suo Religiosi. S. Chrysost. in cap. 6. ad Hebræos. *Sunt & aliæ*, inquit *oblationes, quæ verè sunt holocaustomata Martyrum corpora. Ibi & anima & corpus offeruntur, illa sacrificia odorem suauitatis habent maximum. Potes & tu, si volueris, tale sacrificium offerre. Quid enim si non igni comburatur corpus? sed alio igni potest, vtpote paupertatis, volūtariæ tribulationis. Quum enim liceat deliciosè degere, si eligatur laboriosa vita & amara, mortificansque corpus, nonne holocaustoma est? Mortifica ergo corpus tuū, & crucifige, accipies & tu huius Marty-*
G. hom. 3. *rij coronam. Quod enim illic gladius operatur, hoc hic animi alacritas faciat.* Et B. Gregorius in Euangelia. *Quamuis occasio Martyrii desit, habet tamen & pax nostra Martyrium suum, quia etsi carnis colla ferro non subiicimus,*
B. serm. 30. *spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus.* Et S. Ber-

suam

nardus in Cantica, exponens verba Christi. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. *Perdet eam dixit, siue ponendo vt Martyr, siue affligendo vt pœnitens. Quanquam genus Martyrij est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.*

V. Priori annexum perpetua castitas. Vnde illud ad Demetriadem dictum S. Hieronymi de Virginitate seruanda. *Assume scutum fidei, loricam iustitiæ, galeam salutis, procede ad prælium. Habet & pudicitia seruata martyrium suum.* Eodem dicto usus est MALCHVS monachus dum coactus ad coniugium, in se gladium verteret. Et S. Augustinus de honestate mulierum *Omnibus Christianis martyria deesse non possunt. sicut castitas, veritas & iustitia Christus est: sic & ille, qui eis insidiatur persecutor Christi est. Ille uerò qui castitatem, & veritatem, & iustitiam in fratribus suis defensare, in alijs & seipso custodire voluerit, martyr erit.* H. ep. 8. Hier. in eius vita. A c. 3.

VI. Martyrium est omnium, qui vitam Christiano homine dignam gerunt, hoc est, diuinis mandatis parent, & contra quotidianas tentationes & peccata bellum gerunt. *Quicunq;*, inquit Clemens Alexandrinus, *Seruatoris mandata exequuntur, in vnaquaque actione sunt Martyres, facientes quidem quod vult, consequenter autem nominantes Dominum, & reipsa testantes ei cui credunt, esse carnem, cum eam cruci affixerint cum vitijs & concupiscentiis.* Hieronymus ad Eustochium, de Epitaphio Paulæ matris. *Pars tua Dominus, & quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed deuotæ quoq; mentis seruitus immaculata quotidianum martyrium est.* Augustinus in sermonibus de Tempore. *Nemo dicat, quod temporibus nostris Martyrum certamina esse non possint: habet enim & pax nostra Martyres suos. Nam sicut frequenter suggessimus, iracundiã mitigare, libidinem fugere, iustitiam custodire, auaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna martyrii est.* C. 4. Strom. H. ep. 27. A. ser. 250.

MEDIORVM loco seruire possunt Remedia plæraq; in PANARIO tradita aduersus Impatientiam in aduersis.

MEDITATIO. V. *Contemplatio.*

MISERICORDIA. V. *Eleemosyna.*

MODESTIA. V. *Immodestia in Panario.*

MORTIFICATIO. V. *Immortificatio in Panario.*

N.

Notitia Dei. V. *Cognitio Dei.*
Notitia Sui. V. *Cognitio sui.*

O.

OBEDIENTIA.

Caput I.

Obedientiæ Definitio, & Partitio.

Th.2.2.q.104. a.2. OBedientia, auctore S. Thoma Aquinate, est virtus moralis efficiens hominem promptum ad præstandam voluntatem vel præceptum Superioris. Nomine pręcepti autem intelligo, non tantum proprii nominis præceptum, hoc est, legem obligantem ad noxam lethalem vel venialem, sed etiam quamlibet intimationem voluntatis Superioris non obligantem ad culpam, tum quia apud Religiosos quosdam sunt regulę uel constitutiones, quarum præuaricatio subditos quidem facit inobedientes, non tamen culpabiles, saltem apud Deum; tum, quia perfectissima illa censetur obedientia, qua quis ad minimum signum voluntatis Superioris, paratus est ad obsequium. Vnde Apostolus negat iusto vllum præceptum vel legem esse positam. *Scimus autem,* inquit *quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur: sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis.* Iustus enim, cum sponte sua pronus sit ad quoduis opus bonum, lege cogentę non indiget. Hinc & S. Bernar. de perfecto obediente agens, in libro de dispensatione & præcepto: *Perfecta obedientia,* ait, *legem nescit, terminis non arctatur, neq; contenta angustiis professionis largiori fertur voluntate in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur spontaneo vigore liberalis, alacrisq; animi modum non considerans in infinitatem extenditur.* 1.Tim.1.8.

Hvivs uerò Obedientiæ partitio est duplex. Nam alia est, quã debemus Deo, eiusq; diuinis legibus, quam Abraham, Dauid, Isaias cete-

cæteriq; prophetæ & Apostoli Deo vocanti & iubenti detulerunt. Aliaquam debemus hominibus post Deum legitimè ad im per andum aliis constitutis. Atq; hæc postrema multiplex est, pro varietate hominum qui aliis præsunt. Alia enim debetur *potestatibus*, quas Astolus vocat, *sublimioribus*, hoc est, Principibus, vel Magistratibus, tam Ecclesiasticis, quam Politicis: Alia, quam filii parentibus, serui Dominis, discipuli ludimagistris, domestici Patrifamilias, vxores maritis. Alia denique quam Religiosi debent suis superioribus. Nos generatim quidem de omnium obedientia, præcipue tamen de religiosorum, quæ perfectionem maiorem postulat, agemus. Rom.13.1.

CAPVT II.

Dignitas & præstantia Obedientiæ.

DIGNITATEM Virtutis obedientiæ imprimis ostendunt verba SAMVELIS prophetæ ad regem Saul. *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? MELIOR est enim obedientia quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum. quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* In eandem sententiam scribit Ecclesiastes. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua vt audias. Multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ.* Quæ verba expendens S. GREG in libro 35. Moralium. *Obedientia* inquit, *victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisq; Deum citius placat, quanto ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia, gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, vt quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex aduerso igitur melius ostenditur, quid de eius laude sentiatur. Si enim quasi ariolandi peccatum est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere; sola est, quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis esse videatur. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ, Vir obediens loquitur victorias. Vir quippe obediens victorias loquitur, quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus.* Et rursus in commentariis primi Regum. *Si hoc ideo dicitur* (à Samuele) *vt virtus obedientiæ commendetur, liquet quam sublime bonum sit, quod victimis & sacrificiis excellit. Quid est ergo quod dicitur Vult vt obediatur voci Domini, nisi quia omnia bona opera postponenda sunt his bonis quæ iubentur?*

1.Reg.15.21. Eccl.4.17. G.c.12. Prou.21.28. G.lib.6.c.2.

B.q 41. EANDEM dignitatem professi sunt & prisci Patres. S. Basilius in Regulis fusius disputatis. *Exprompta* ait, *vbique omnibus in rebus obe-*
2.Cor. 8.5. *dientia laudi semper tribuitur, cum idem Apostolus laudet quosdam, ac dicat. Semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis propter voluntatem Dei.* S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad ciues timore perculsos. *Inter ceteras nostræ doctrinæ leges hanc quoq; habemus cumprimis laudandam, & à spiritu, qui id quod præstare possumus cum eo quod honesti ratio poscit, explorauit, legeq; sanxit, præclarè constitutam: qua vt serui heris suis, & vxores viris, & Ecclesia Christo, & discipuli Magistris ac pastoribus dicto audientes esse, atq; obtemperare iubentur.* S. Hieronymus in verba Ieremiæ. Audite vocem
Ier.11.4. meam, & facite omnia quæ præcipio vobis, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Dominum. *Non propter generis,* inquit, *priuilegia, non propter circumcisionis iniuriam & otium Sabbathi, sed propter obedientiam & Deus efficitur populi Israhel, & Israhel populus eius. Et hic quidem quasi ad ser-*
Ioa.15.14. *uos loquitur, vt placeant Deo. In Euangelio verò Dominus ad discipulos. Vos,*
A.c.12. *inquit, amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* S. Augustinus libro 14. de ciuitate Dei. *Obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium, custosq; virtutum, quandoquidem sic facta est vt ei subditam esse sit vtile, perniciosum autem suam, non*
Id.conc.2. *eius à quo creata est, facere voluntatem.* Et in psalmum 70. *Non potuit Adus perfectius demonstrare, quantum sit bonum obedientiæ, nisi cum* (Adamum) *prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi inobedientia inuenit pœnam.* Et ad fratres in eremo. *In mon-*
Id ser.34. *tem obedientiæ ascendamus, & quod Deo promisimus attendamus. Nihil enim est maius obedientia, nihil peius inobedientia. Adam periit, quia inobediens fu-*
Ion.2.1. *it. Christus resurrexit quia obediens fuit Patri. Ionas inobediens à pisce absorp-*
1. Reg.16. *tus est. Saul inobediens à dæmone correptus est.* S Bernardus in verba:
B. initio. *Ecce nos reliquimus omnia. Familiaris & amica saluti obedientia est, sed obe-*
1.Reg.15.22. *dientia firma & stabilis, quæ fundata est super petram. Melior est enim obedientia, quam victimæ, & acquiescere nolle, vt peccatum ariolandi est. Vnde & vitæ quoq; ipse Saluator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam pone-*
Phil.2.9. *re, quam obedientiam non implere. Postremo & ipsum nomen Iesu, quod est super omne nomen, & in quo flectitur omne genu, Apostolo teste, obedientiæ remuneratio est.*

RATIO quoq; ipsa non obscurè pro dignitate huius Virtutis pugnat. Nam cum finis & perfectio vitæ Christianæ sit, vt liquebit in titulo. *Perfectio Christiana,* contemptis bonis terrenis inhærere Deo. *Inter virtutes,* vt rectè ratiocinatur S. Thomas, *morales tanto ali-*
T.22. q 104.a.3. *qua potior est, quanto aliquis magis aliquid contemnit, vt Deo inhæreat. Sunt*

autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo potest contemnere propter Deum, quorum infimum sunt exteriora bona, medium autem sunt bona corporis, supremum autem sunt bona animæ. Inter quæ quodammodo præcipuum est voluntas, inquantum scilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis vtitur. Et ideo per se loquendo laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt. Vnde etiam quæcunque aliæ virtutum operæ ex hoc meritoria sunt apud Deum, quod fiunt vt obediatur voluntati diuinæ. Nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hæc ordinaret ad impletionem diuinæ voluntatis, quod certè ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent; sicut nec si fierent sine charitate, quæ sine obedientia esse non potest. Dicitur enim prima Ioannis secundo, quod qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Qui autem seruat verba eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Hæc Sanct. Thomas. 1. Ioan. 2. 4.

Capvt III.

Necessitas Obedientiæ.

NECESSITATEM Virtutis obedientiæ vbiq; diuina Scriptura inculcat. Primo quidem, cum docet Deo esse obediendum, eiusque leges præstandas. *Nunquid vult Dominus*, ait Samuel *propheta, holocausta & victimas, & non potius, vt obediatur nomini Domini?* Et Ieremias. *Nunquid non accipietis disciplinam, vt obediatis uerbis meis dicit Dominus?* Et Petrus cum Apostolis in Actis. *Obedire oportet Deo* magis, quam hominibus. 2. cum docet obediendum superioribus hominibus: vt in Deuteronomio. *Facies*, inquit Moyses, *quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus.* Et Christus. *Super cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite.* Et Paulus ad Romanos. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et ad Hebræos. *Obedite præpositis nostris & subiacete eis.* Et S. Petrus. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum.* 3. cum inobedientibus comminatur grauem pænam. Nam apud Isaiam Deus dicit. *Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Et in Deuteronomio. *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille.*

1. Reg. 15. Ier. 35. 13. Act. 5. 29. Deu. 17. 10. Matt. 23. 3. Heb. 13. 17. 1. Pet. 2. 13. Isa. 1. 20. Deu. 17. 12.

Du 21.18. *mo ille.* Et iterum. *Si genuerit homo filium contumacem, qui non audit pa-*
tris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit, lapidibus eum
2. Thess. 3.14. *obruet populus* Et Apostolus in altera ad Thessalonicenses. *Si quis non*
obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo,
Heb. 2. 2. *vt confundatur.* Et ad Hebræos. *omnis præuaricatio & inobedientia acce-*
pit iustam retributionem mercedis.

SECVNDO eandem confirmant S. Patres Sanctus BASI-
B. c. 30. LIVS in Constitutionibus monasticis. *Quemadmodum* inquit, *De-*
us, qui omnium Pater est, & appellari sua solius vult dignatione, summam
à quibus colitur obedientiam requirit: sic qui spiritualis in hominibus pater
est, cum præscripta sua ad diuinarum legum exemplum accommodet, perfe-
ctissimam ipse quoque obedientiam requirit. Et iterum. *Doceamus quam ma-*
gna obedientia sit quam erga antistites suos religionis veræ præstare cultores
debent, eiusque magnitudinem non aliunde explicare adnitar, quam ex Sa-
Rom. 13. 1. *cro sanctæ scripturæ auctoritate. Paulus Apostolus in ea epistola quam ad Roma-*
nos scribit, ipsis præcipit, vt excellentioribus illi potestatibus omnibus subiecti
sint, potestatibus inquam mundi, non spiritalibus. atque hoc ex his quæ de-
inceps adiecit declarauit, cum de tributis & vectigali locutus est, quo in loco,
qui vel minimum potestati resistit, eum ait Deo ipsi resistere. Si igitur qui mun-
do huic præsunt, & ex lege humana illam imperandi potestatem habuerunt, iis
diuina lex pietatis cultores tantopere voluit esse subiectos, & quod maius est,
quorum vita tota tunc erat impietas: quam magna tandem ei à pietatis culto-
re præstanda obedientia est, qui à Deo constitutus præses sit, & imperandi pote-
statem à legibus illius acceperit? præsertim cum apertissimè Apostolus iubeat o-
Heb. 13. *mni in re parendum esse spiritualibus Præpositis; obedite enim, inquit, Præposi-*
Naz. ad ciues Nazian. *tis vestris, & subiacete eis.* S. Greg. Nazianzenus. *Subijciamur tum Deo,*
tum alij aliis tum iis, qui imperium in terra gerunt. Deo quidem omnibus de
causis, alii autem aliis propter charitatis fœdus: Principibus denique propter or-
dinem, publicæque disciplinæ rationem, idque tanto etiam magis quanto clementio-
ribus, moderatioribusque illis vtimur. S. Chrysost. in epistolam ad Hebræos.
Ch. hom. 34. *Malum quidem est, vbi nullus est Principatus, & multarum cladium hæc res*
existit occasio, & est confusionis turbationisque principium. Sicut enim si ex choro
ipsum principem auferas, nequaquam modulatus chorus existit, & militum
phalanx si Ducem non habeat, nullo modo numerosa acies ordinatè procedit, &
nauis si gubernatore priuetur, pessum eat necesse est, & gregi si pastorem abstule-
ris, cunctus dispergetur. Malum autem non minus est inobedientia eorum, qui
reguntur à Principe. populus enim si non obsequitur Principi similis est popu-
lo Principem non habenti, immò etiam deterior. Illi quidem saltem veniam
habent, pro quo indispositè, atque inordinatè versantur, siquidem ordinatore pri-
uati

uati sunt: hi autem veniam non merentur, qui Principem habentes ei non obediunt. S. Ephræm parænesi 16. *Ipse carissime vide ne reijcias Patrum, qui te genuerunt in Domino adhortationes. Ait enim Apostolus. Obedite Præpositis vestris & subiacete eis, &c. Ideo in psalmo ait propheta. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Si enim qui secundum carnem ægrotant, suæ vim inferunt naturæ, vt seruent quæcunq; ipsis præscripserint medici: nonne multo magis decet morem iis gerere, quibus cura animarum nostrarum est credita?* S. Hieron. epistola ad Rusticum monachum. *Præpositum monasterii, timeas vt Dominum: diligas vt parentem. Credas tibi salutare, quicquid ille præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officii est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse. Audi Israhel & tace.* S. Augustinus in psalmum LXX. *Homo* (Adam) *positus sub præcepto, audiuit à Domino Deo. noli tangere. quid? hanc arborem. Quid est enim illa arbor? Si bona est, quare non tango? si mala est, quid facit in paradiso? prorsus ideo in paradiso est, quia bona est sed nolo tangas. Quare non tango? Quia obedientem te volo, non contradicentem seruum: ad hoc serue, sed noli male serue. Serue audi prius Domini iussum, & tunc iubentis disce consilium. Bona est arbor. nolo tangas. Quare? Quia Dominus sum, & seruus es, Hæc tota causa est. Si parua est, dedignaris esse seruus. Quid autem tibi expedit, nisi esse sub Domino? Quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto? Si autem debuit aliquid iubere, vt te, quod tibi expedit sentires esse sub Domino, ab aliqua re prohibendus eras, non propter illius arboris malitiam, sed propter tuam inobedientiam.*

Heb. 13. 17. Psal. 140. 5. H. ep. 4. Deu. 27. 9. A. conc. 2.

TERTIO Natura & ratio docet esse parendum. *Nulla enim ars,* ait Hieronymus, *absq; magistro discitur. Etiam muta animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues vnam sequuntur ordine litterato. Imperator vnus. Vnus iudex prouinciæ. Omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. In naui vnus gubernator. In domo vnus Dominus. In quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur. Per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina Patris.*

H. ep. 4. Sen. lib. 1. de clementia c. 19.

CAPVT IV.

Fructus Obedientiæ.

MAXIMVM esse virtutis Obedientiæ fructum, primum procliue est colligere ex illis Verbis Apostoli. *Obedite præpositis vestris;* Heb. 13. 17.

vestris, & subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis. Si enim non expedit nobis vt Præpositi gementes nobis imperent, quando scilicet ægrè obedimus, à contrario certè expedit maximè, vt promptè pareamus. Vnde S. BASILIVS in Constitutionibus ante citatis, illa verba expendens. *Quod si,* inquit, *non expedit non perfectè obedire, sine controuersia, quod magis expedit, illud consectari debemus. Nam mea quidem sententia, hoc quod dicitur, non expedire, magni eiusdem detrimenti ac pœnitendi, & quod ægrè admittat correctionem, significantiam habet.* Deinde inde liquet fructus, quod qui ex priscis Patribus cumprimis obedientiæ laude effloruerunt, ii etiam amplissima commoda tam temporalia quam Spiritualia cum ea sunt consecuti. *IESVS Naue filius,* inquit B. EPHRÆM in tractatu de Virtute, *perfecta sua obedientia tantum donum promeruit, vt Moysis successor fieret. Et Samuel per obedientiam quam Heli sacerdoti præstitit, dignus habitus est qui vocem Dei audiret. Elisæus vero huius adminiculo pallium & gratiam sui accepit Magistri:* Mirum est in hoc catalogo omissum inter obedientes facile Principem ABRAHAMVM, quem, quod mandato valde arduo de immolando filio paruisset, Deus per angelum in hæc verba allocutus est. *Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me benedicā tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

B.c.23.

E.c.8. Iosf.1. 1.Reg.3. 4.Reg.2.

Gen.22.16.

I. autem fructus specialis est, quod sit mater custosque virtutum, vt illam appellauit supra S. AVGVSTINVS. Cum quo conuenit illud B. GREG. dictum in 35. libro Moralium. *Sola virtus est obedientia, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Vnde & primum homo præceptum, quod seruaret, accepit, cui se si vellet obediens subdere ad æternam beatitudinem sine labore perueniret.* Nec mirum quod sit parens virtutum, quia inobedientia fuit parens omnium vitiorum. Sicut enim ait ad Romanos Apostolus, *per obedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Recte, *multi,* non omnes, quia ii tantum per meritum Christi iustificantur, qui obedientiam Christi imitantur. Christus siquidem, vt est in epistola ad Hebræos, tantum *obtemperantibus sibi factus est causa salutis æternæ.*

A.14 de ciuit. c.12. G.c.01.

Rom.5.19.

Heb.5.9.

2. Fructus est, quod valeat ad vincendum seipsum omnesq; cupiditates, ac etiam dæmonum machinationes. Vnde Salomon *Vir obediens loquetur victorias.* Vnde S. GREG. libro 4. Regum. *Vi-*

prou.21.28 G.c.4.

ctima sunt obsequia obedientium, quia cum hominibus pro Deo subiicimur superbos spiritus superamus. cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt qui obediunt, quia dum voluntatem suam aliis perfectè subijciunt, ipsi lapsis per obedientiam angelis dominantur. Quod autem valeat ad vincendam carnem eiusq; cupiditates docet Augustinus in psalmum 143. *Caro tua, coniux tua, famula tua, quidlibet deputato, opus est subijciatur, & si pugnas, vt prosis pugna. Hoc enim expedit, inferius subijci superiori, vt & ille qui sibi subiici vult, quod est inferius, se subijciat Superiori suo. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro. Quid iustius, quid pulcrius? Tu maiori, minor tibi. Serui tu ei, qui fecit te, vt tibi seruiat, quod est factum propter te. Si autem contemnis tu seruire Deo, nunquam efficies, vt tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à seruo.*

3. Fructus est, quod valeat ad veram sapientiam comparandam. Psal. 118. 104. Vnde propheta Dauid ait. *A mandatis tuis intellexi.* Quæ verba exponens S. August. *Aliud est,* inquit, *mandata tua intellexi: aliud est, à mandatis tuis intellexi. Nescio ergo quid aliud se significat intellexisse, à mandatis Dei, quod est, quantum mihi videtur faciendo mandata Dei peruenisse se dicit ad earum rerum intelligentiam, quas concupiuerat scire. propter quod scriptum* Eccli. 1. 33. *est. Concupisti sapientiam, serua mandata, & Dominus præbet illam tibi, ne quisquam præposterus antequam habeat humilitatem obedientiæ, velit ad altitudinem sapientiæ peruenire, quam capere non potest, nisi ordine venerit. Audiat ergo. altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Dominus illa cogita semper.* Eccli. 3. 22. *Sic homo ad occultorum sapientiam, peruenit per obedientiam mandatorum.*

4. Fructus est. Quod apud Deum sit maximi meriti. Id discimus duobus maxime exemplis. Alterum est Patriarchæ Abrahæ, de Gen. 15. 1. quo diximus. Vnde & Deus initio ei dixit in Genesi. *Ego protector tuus sum & merces tua magna nimis.* Phil. 2. 9. Alterum Christi Domini, de quo cum Apostolus dixisset. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis,* mox subiecit. *Propter quod & Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Eodem vergit, quod in epistola ad Hebræos scripsit. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria &* Heb. 2. 9. *honore coronatum.* Vbi PROPTER, causam profectò indicat meritoriã. A. tract. 104. in Ioan. Nam S. Augustinus hunc locum tractans. *Humilitas,* ait *claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium, sed hoc factum est in forma serui.* Et Chrysost. in epistolam ad Philippenses *Extremam Christus præstitit obedientiam, propterea accepit & supremum honorem.* Ch. hom. 7.

5. & postremus fructus est Obedientiæ Religiosorum, quod eos eximat ab innumeris molestiis & curis, quas in dies experiuntur, qui

in seculo suo arbitratu viuunt. Religiosi enim omnium rerum suarum curam in humeros Superiorum coniiciunt, & quasi infantes aliorum vlnis se gestari sinunt, ac quasi dormiendo iter ad cęleste regnum conficiunt. Muneri enim Rectorum incumbit omnia necessaria tam in temporalibus, quam spiritalibus, suo tempore, loco & ordine cuique
Cl.grad.4. prouidere. Vnde B. Climacus. *Obedientia*, inquit, *est perfecta abnegatio propriæ animæ & corporis, mors voluntaria, vita sine solicitudine, nauigatio sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo suo onere aliis imposito, & super aliorum vlnas, ne mergaris, natare.*

CAPVT V.

De Proprietatibus Obedientiæ perfectæ.

PRIMA proprietas est Obedire IN OMNIBVS. Deo quidem, nulla re excepta; hoc enim ipso, quod aliquid in diuinam voluntatem
Gen.22.2. cadit, rectum est & licitum. diuina siquidem voluntas omnis rectitu-
Exo.3.22. dinis norma & regula est, Itaq; ne tunc quidem, cum præcepit Abra-
Isa.20.2. hæ immolare Isaac, filiis Israhel exspoliare Ægyptios, Isaiam nudum
Ose 1. incedere, Oseæ accipere mulierem fornicariam, voluit aut præcepit
Tho.22.q.104. a.4. aliquid iniquum, vt docent Theologi. Vnde patiens Iob, licet tot ma-
Iob.1.21. lis permittente Deo obrutus, dixit. *Dominus dedit, dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Homini verò Superiori obedire, exceptis tribus. nempè si ille aliquid iubeat, quod euidenter constet, vel cum lege diuina, vel cum mandato Superioris maioris pugnare, vel excedat limites auctoritatis in subditũ. Nam in iis omnibus & solis superior ius imperandi non habet. Si autẽ certo & euidenter non constet, tenetur obedire, quia *in dubiis* iuxta uulgatum
Vide Panar. V. inobedientia. Theologorum & Iureconsultorum dictum, *melior est conditio possidentis*, hoc est superioris qui est in suæ auctoritatis possessione. Atq; iuxta hanc regulam Dominus præcipit obedientiam erga Maiores in o-
Matt.23.3. mnibus, apud Matthæum, cum ait. *Omnia quæ dixerint vobis seruate &*
Col.3.20. *facite.* Et Apostolus ad Coloss. *Filii*, inquit, *obedite parentibus per omnia.*

II. Proprietas est, obedire LIBENTER, quod fit cum voluntatem nostram omnino conformamus Superiorum Voluntati, sicut Christus suam conformauit voluntati Dei, dicens. *Meus cibus est, vt faciam*
Ioa.4.34. *voluntatem eius qui misit me.* Certe nihil libentius sumimus, quam ci-
B.q.123. bum. Hanc proprietatem omnes Patres requirunt in Obedientia. S.
C.c.32. Basil. in regulis breuioribus. *In vniuersum* (in obedientia) inquit, *vti propria voluntate alienum est à recta ratione.* Cassianus lib. institutionum duo-

duodecimo vult, *vt præter Abbatis mandatum nulla penitus voluntas viuat in nobis.* S. Greg. libro 35. moralium ob hoc præfert obedientiam victimis, *quod per victimas aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactetur.* S. CLIMACVS paulo ante eam vocauit voluntatis sepulcrum. Hinc sequitur à perfectione Obedientiæ discedere, primo eos, qui voluntatem superioris ad suam detorquere conantur. *Quisquis,* ait S. Bern. in serm. de tribus Ordinibus, *vel apertè vel occulte satagit, vt quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis Pater iniungat, ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur: neque enim ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit.* Secundo eos, qui in pietatis operibus posse se putant nonnunquam à superioris voluntate discedere. Vnde Daniel Abbas apud CASSIANVM. *Vnum sane,* inquit, *atque idem inobedientiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otij desiderium senioris violare mandatum, tamque dispendiosum est pro somno, quam pro vigilantia monasterij statuta conuellere: tantum denique est Abbatis transire præceptum vt legas, quantum si contemnas, vt dormias.* G c.10. C. coll. 4. c. 20.

III est, Obedire SIMPLICITER, quod fit cum & iudicium nostrum conformamus cum iudicio superioris. Quam proprietatem exegit Apostolus in obedientia seruorum, erga Dominos. Nam ad Ephesios & Colossens. ait, *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestris sicut Christo.* Et seruauit Abraham Patriarcha erga Deum, teste Apostolo. *Fide,* inquiens, *qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit nesciens quo iret.* Et rursus. *Non infirmatus est fide nec considerauit corpus suum mortuum, cum fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ.* Seruarunt & Apostoli à Christo vocati. Vnde S. BERNARDVS de S. Andrea. *Vis audire perfectæ obedientiæ formam? Vidit Dominus, ait Euangelista, Petrum & Andream, mittentes rete in mare, & ait illis. Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum, At illi continuo nihil diiudicantes, aut hæsitantes, non soliciti vnde viuerent, non considerantes, quoniam rudes homines & sine litteris prædicatores fieri possent, nihil denique interrogantes sine omni mora relictis retibus & naui secuti sunt eum.* Idem docuere cæteri Patres. Sanctus BASILIVS in Constitutionibus monasticis. *Monachi,* ait, *libentissimè obtemperent suo Præposito, nec ab eo eorum, quæ sibi imponuntur rationem reposcant, &c. nihil omnino ipsorum iussa curiosius perscrutando.* Sanctus Hieronymus ad Rusticum *Credas tibi salutare, quicquid monasterii præpositus præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officii est, obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse. Audi Israhel & tace.* CASSIANVS libro 4. institutionum. *Ægyptii monachi vniuersa complere, quæcunque fuerint à Præposito suo* Eph. 6. 5. Col. 3. 22. Heb. 11. 8. Rom. 4. 19. B. serm. 2. Marci 1. 16. B. c. 20. & 23. H. ep. 4. Deu. 27. 9. C. c. 10. & 41.

suo præcepta, tanquam si à Deo cælitus sint edita sine vlla discussione festinant. Et S. Gregorius libro 2. in primum Regum. *Nescit iudicare, quisquis perfectè didicit obedire.* Ex hac proprietate nata est appellatio Obedientiæ cæcæ, querelaq; S. Bernardi in eos qui nolunt, vt cæci, manu trahi cum Saulo. Plura vide in PANARIO, V. inobedientia.

G c. 2. B. serm. de conuers. S. Pauli. Pag. 225. 2. Cor. 9. 7.

IV. Obedire HILARITER. *Hilarem enim datorem*, teste Apostolo, *diligit Deus* Vnde S. Basilius in Constitutionibus monasticis. *Apostoli*, inquit, *submissa mentis ceruice obedientiæ iugum subierunt, alacrique animo in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces processere. Hanc obedientiam is, qui secundum Deum verè est monachus antistiti suo præstet oportet.* Et S. Bernardus in sermone de Virtute Obedientiæ. *Tertius*, inquit, *gradus obedientiæ est, hilariter obedire. Non ex tristitia, inquit Apostolus, aut ex necessitate Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis. Vnde & gentilis ille poeta ait sic. Super omnia vultus accessere boni. Quis enim locus obedientiæ, vbi tristitiæ cernitur ægritudo? Ostendunt plærunq; voluntatem animi signa exteriora, & difficile est, vt vultum non mutent, qui mutant voluntatem.*

B. c. 25. 2. Cor. 9. 7. Ouid 8. metã.

V. Obedire Velociter & promptè. Nam B. Paulus ad Titum ita scribit. *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* Vnde Bernardus loco citato. *Velociter currit sermo Dei, & velocem habere desiderat sequentem. Vides cum quanta velocitate currit ille qui dicit. Viam mandatorum tuorum cucurri. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, vt imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum festinanter præcipientem, & hominem festinanter obedientem. Zachæe inquit, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet manere. Et festinanter descendit, & excepit eum gaudens Audisti obedientiam, audi & obedientiæ remunerationem. Quia salus domui huic facta est. Intuere etiam ex occasione huius obedientiæ conclusionis grande mysterium, & obsignatam signaculo misericordiæ sententiam. Venit enim, inquit, filius hominis saluum facere, quod perierat. Nonne legisti, quod filijs Israbel præcipitur, vt agnum comedant festinanter? Festinanter quippe veri agni comestio signatur implenda, quia verba illa quæ per legem dedit, quæ per semetipsum præsens exhibuit, quæ per Ecclesiæ Præpositos tradenda reliquit, veloci sunt obedientia consummanda. Et tu ergo cum voluntatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui coniunxeris, adde velocitatem, vt sis iuxta Apostolum Iacobum velox ad audiendum, & adimplendum velocior.*

Tit. 3. 1. Psal. 147. 15. Psal. 118. 32. Luc. 19. 5. Exod. 12. 11. Iac. 1. 19.

VI. Obe-

VI. Obedire VIRILITER, iuxta illud. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino. Non est fortitudinis*, inquit idem Sanctus, *ire ad inobedientiam, sed ab obedientia non abduci. Si tribulatio intonat, si persecutio resultat, si peccatores tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter impediunt, tu obedientiæ viam non deseras, sed dic. paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Quid enim superius enumerata pariunt vtilitatis, si fortitudo desit, quæ in arce constantiæ virtutis collocat, & eo vallo munit, quo furentis impetus aspirare non possit?* Psal. 30.25. Ps. 118.60.

VII. Obedire HVMILILER exemplo Christi, qui teste Apostolo ad Philippenses, *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Vnde idem ad Hebræos. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* & D. Petrus in epistola priore. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Subiectio n. talis non potest fieri sine humanitate. *Magna virtus*, ait S. BERN. loco allegato, *humilitas, sine cuius obtentu virtus fortitudinis, non solum virtus non sit, sed etiam inde superbiæ vitium erumpat. Quam fortiter currebat Saul cum esset paruulus in oculis suis, quanta Philistæorum agmina prosternebat, quantis viribus exercebat gladium? Postquam autem tenuit eum Superbia, & transiuit in aspectum cordis, debilis & impotens factus, incircumcisorum armis facilè prostratus occubuit.* Et infra. *Ne ergo fortitudo in superbiam transeat, condienda est sale humilitatis, quia nihil proderit fortiter obedire, si contigerit infeliciter superbire. Illi ergo fortitudinem suam ad Deum custodiunt* (cum Dauid dicente, Fortitudinem meam ad te custodiā) *qui cū fecerint, quod facere debent, dicere possunt Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Phil. 2.8. Heb. 13.17. 1. Pet. 2.13. 1. Reg. 11. Ps. 58.10. Luc. 17.10.

VIII. Obedire INDIFFERENTER bonis & malis, doctis & indoctis. Christi siquidem dictum est. *Super cathedrā Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis seruate & facite*, atq; vt constaret esse improbos, mox subdidit. *Secundum opera verò eorum nolite facere.* Infideles quoq; erant Magistratus, de quib. scripsit B. Paulus ad Romanos. *Omnis anima potestatib sublimioribus subdita sit.* Et S. PET. epistola priore. *Serui subditi estote in omni timore dominis; non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis* Vnde S. CHRY. in epistolam alteram ad Timotheum. *Hinc, inquit, Iudæi Deum aspernari didicerunt, quia Moysen contempsere, quia lapidibus illum impetebant. Nam qui pie sacerdoti afficitur, longè maiore pietate Deum reuerebitur. Etsi enim malus fuerit sacerdos quispiam, attendit DEVS, quod sui gratia illum etiam qui dignus honore non est obsequijs foues, ipseque tibi præmia exoluet. Si enim qui prophetam in nomine prophetæ suscipit, mercedem prophetæ accipiet, profectò & qui cedit & obtemperat sacerdoti mercede sua non destituetur. Nam si vbi de hospitalitate* Matt. 23.2. Rom. 13.1. 1. Pet. 2.18. C. hom. 2. 2. Tim. 1. Matt. 10.41.

agitur tantum, vbi quem suscipis ignoras, tantum præmiorum accipis: si ei subiiciaris, cui imperat Deus, non multo magis mercede donaberis? Super cathedram, inquit, Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis facere, facite, secundum autem opera eorum non faciatis. Matt. 23. 3.

IX. Obedire PERSEVERANTER vsq; ad mortem; qualis fuit obedientia Christi obedientis *vsq; ad mortem, mortem autem crucis* teste Apostolo ad Philippenses. *Qui enim perseuerauerit vsq; in finem,* ait Christus, *hic saluus erit.* Vnde S. Basilius in Regulis fusius disputatis. *Vbi quis* inquit, *se semel in fratrum* (monachorum) *corpus cooptandum tradiderit, is si membrum postea ad ministrandum aptum iudicatum fuerit, esto quod ipsi impositum sit, vires ipsius videatur superare, de iudicii periculo prorsus illum esse solicitum sinito qui ea imperet, quibus vires suæ pares esse non possint: ipse autem parendo alacritatem pro virili declaret studii sui vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Idem habet in Regulis breuioribus. Et S. Bernardus de Virtute obedientiæ. *Incipere,* inquit, *multorum est, perseuerare paucorum. Perseuerantia singularis est filia summi regis. virtutum fructus, earumq; consummatio, totius boni repositorium, virtus sine qua nemo videbit Deum, nec à Deo uidebitur; finis est ad iustitiam omni credenti, in qua virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum consecrauit. Quid enim currere prodest, & ante metam cursus deficere?*

Phil. 2. 8. Matt. 10. 22. B. q. 28. Id. q. 152.

CAPVT VI.

Media perfectæ obedientiæ parandæ.

MEDIA tria in hoc argumento suppeditauit mihi noster B. P. N. IGNATIVS in epistola quadam ad Lusitanos fratres quondam scripta. *Primum est vt non intueamini,* inquit, *in persona Superioris hominem obnoxium erroribus atq; miseriis, sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui nec decipi potest, nec nos vult ipse decipere, & quoniam conscii vobismet estis, vos Dei amore iugum obedientiæ subiisse, vt in Superioris voluntate sequenda, voluntatem diuinam certius sequeremini, nolite dubitare, quin pergat fidelissima Domini charitas eorum ministerio, quos vobis præfecit, vos deinceps gubernare, & rectis itineribus ducere. Itaq; Superioris vocem ac iussa non secus ac Christi vocem excipite: siquidem Apostolus etiam in hanc sententiam scribens ad Colossenses cum ad obtemperandum Præpositis subditos adhortatur, ait, Quodcunq; facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod à Domino accipietis retri-*

Anno 1553. Col. 3. 23.

retributionem hæreditatis. Domino Christo seruite. Sanctus verò Bernardus. Bern.de præc. & dispens.
Siue Deus, inquit, siue homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.

ALTERVM medium est, inquit idem Pater noster, *vt statuatis vobiscum ipsi, quicquid Superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse, & voluntatem, atque vt ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo, assensuque vestro statim incumbitis: sic ad ea facienda, quæcunque superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ sine vlla prorsus disquisitione feramini. Sic egisse credendus est Abraham filium Isaac immolans.* Hæc ille. Ita Gen.22.2. Cassianus agens de perfecta obedientia Tabenensiotarum monachorum in Thebaide, scribit eos *sic vniuersa complere, quæcunque à Superiore fuerint præcepta, tanquam si à Deo cælitus sint edita.* Et Petus Blesensis ad Priorem de Monasteriolo *Quicquid tibi Prælatus iniunxerit quod animæ saluti non obuiet, sic illud amplecti debes, ac si Deus ipse præceperit: beatusque Benedictus protestatur Deo impendi obedientiam, quæ maioribus exhibetur.* C.4.inst.c.10. P.ep.131.

TERTIVM Medium est, ait, *vt quod Superior mandat, vel sentit defendere semper apud animos vestros studiosè nitamini, improbare autem nequaquam, atque ad eam ipsam rem proderit bene animatos, affectosque esse ad id omne, quod ipse iusserit: sic enim fiet non solum vt sine molestia, sed etiam, vt cum voluptate lætitiaque pareatis, nam vt est apud S. Leonem* (de ieiunio septimi mensis) *non dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur, quod iubetur.* L.serm.4. Vnde S.Bernard. de præcepto & dispensatione. *Perfecta obedientia,* inquit, *legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis: largiori fertur voluntate in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur spontaneo vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans in infinitatem extenditur.*

IV. Medium est S. Basilii in Constitutionibus Monasticis, Consideratio eorum, qui in obedientiæ virtute tam in veteri, quam in nouo testamento excelluerunt. *Imitanda est,* inquiens, *maximè Sanctorum obedientia, quam erga Deum illi adhibuerunt, si tamen proposito nobis eorum exemplo, eam fortasse ritè poterimus explere.* Subiicit deinde prolixa oratione exempla duo. Primum Patriarchę Abrahę, deinde Apostolorũ, accurateque pertractat, quam omnibus numeris absoluta eorum fuerit obedientia. S. August. verò tractatu 84. in Ioannem. Gregor. 35. Moralium, & Bernardus super Missus est, ad imitandum proponunt exemplum Christi. *Christum pia obedientia* inquit Augustinus, *sic imitemur, vt ei nos comparare nulla præsumamus audacia. Disce homo obedire,* clamat melli fluus Doctor, *disce terra subdi, disce puluis obtemperare. De auctore tuo loquens Euangelista. Et erat, inquit, subditus illis, haud dubium,* B.c.23. A in c.15. G.c.10. B.hom.1. Luc.2.51.

quin

quin Maria & Ioseph. Erubesce superbe cinis. Deus se humiliat, & tu te exal-
tas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus tuo te præpo-
Matt.16.23. *nis auctori? Vtinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti, Deus respondere*
dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo. Vade, inquit, post me
Satana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est. Et erat sub-
ditus illis.

V. Medium est, assuefacere se ad obsequendum non modo ma-
Eccli.32.2.1. iori, sed etiam æquali & minori. Sapiens enim ait. *Rectorem te posue-*
Matt.20.26. *runt? noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Et Christus. *Qui volue-*
Phil.2.3. *rit inter vos primus esse, sit uester seruus.* Et Apostolus. *Nihil per contentio-*
B.reg.breu.115. *nem, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.* Vnde S.Basilius.
Marc.10. *Alii,* inquit, *aliis obedientiam præstabimus, tanquam serui dominis, conueni-*
enter præcepto Domini. Qui vult in vobis esse magnus sit omnium vltimus &
seruus omnium. Quibus verbis adiungit, quod nos efficacius etiam possit per-
monere. Sicut filius hominis non venit, vt ministraretur ei, sed vt ministra-
ret. Et consentaneum etiam est dicto Apostoli. Per charitatem spiritus seruite in-
Gal.5.13. *uicem.* Et S.Bernardus in Cantica. *Parum est subiectum esse Deo, nisi sis &*
B.serm.12. *omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Abbati tanquam præcellenti, siue*
Prioribus, tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico. subdere paribus: subdere &
minoribus. Sic enim decet nos, inquit, omnem implere iustitiam. Vade & tu ad
Matt.3.15. *minorem, si vis esse in iustitia perfectus, defer inferiori, iuniori te inclinato.*

VIDE V. *Abnegatio sui. Humilitas. Et in* PANARIO. V. *Inobedientia. Immortificatio. Iudicium proprium. Voluntas propria.*



OBLATIO SVI

Deo facta.

CAPVT I.

Quid sit Oblatio, & quotuplex.



OBLATIONIS nomine intelligimus actum Virtutis religionis: cuius virtutis proprium est, vt homo protestetur se diuinæ maiestati subiectum, quatenus est primum omnium re-

um rerum principium & auctor, Dominusq; cæli & terræ, eaq; de causa se illi, & omnia sua offerat. Est autem duplex oblatio. Interna uel inuisibilis, & externa uel uisibilis, secundum doctrinam S. Augustini libro de ciuitate Dei decimo. Interna, est actio voluntatis, qua homo diuinæ maiestati se suaq; omnia offert. Externa uero est, qua ritu externo idem facit, quod gemino fieri potest cultu. Semel, eo qui etiam homini potest deferri, vt si caput aperias, si genua flectas, si supplices ad honorem Dei, si psalmos & hymnos decantes, si nomen diuinum in precibus inuoces: nam hunc externum ritum exhibemus & regibus & aliis hominibus honoratis. Secundo, eo cultu qui in solum Deum cadit, & dicitur cultus latriæ. atq; hic dicitur sacrificium. Vnde Exodi 22. dicitur, *Qui sacrificat Diis occidetur, præterquam Domino soli.* Quam oblationem Deo deberi omnes etiam gentiles naturali lumine agnouerunt teste S. Augustino ita scribente libro citato. *Quis verò sacrificandam censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit?* Hoc autem sacrificium, vt propriè dictum sit sacrificium requirit tria. Primum est, vt in eo offeratur aliquid sensibile & ritu mystico consecretur: sacrificare enim, si vocem spectes, est idem quod sacrum facere: sic in veteri testamento consecrabantur victimæ impositione manuum, vel eleuatione rei oblatæ in altum. 2. vt res oblata transmutetur, hoc est desinat esse quod ante fuit, sicut hostia in veteri lege cremabatur. 3. vt fiat à sacerdote. Vnde in lege naturæ sacerdotes erãt uel capita familiarum vt Noe, Abraham, vel quibus Deus inspirabat. In lege autem scripta soli filii Aaron. In lege gratiæ soli Episcopi & presbyteri rite ordinati. In quacunq; ergo oblatione etiam Deo facta horum trium aliquid defuerit, non erit propriè dictum sacrificium. Nos autem hic maximè loquimur de oblatione interna sui, suarumq; rerum. Cui si aliquando externa accesserit, perfectior esse poterit qualis erat beatæ Annæ, quæ vt est initio historiæ Regum filium Samuelem oblatum Deo etiam externo ritu obtulit sacerdoti Heli in loco sacro. 2. B. Virginis MARIÆ quæ secundum ritum legis Mosaicæ puerulũ Iesum in templo Hierosolymitano obtulit S. Simeoni. 3. matris S. Bernardi, qui filium recens natum Deoq; oblatum deposuit in templi altari. 4. omnium religiosorum, qui solenni professione publicè ante altare se totos offerunt Deo & religioni.

A. cap. 5.
Exo. 22, 20.
A. l. 10. c. 4.
1. Reg. 1. 26.
Luc. 2. 28.
Vilhel. in vita lib. 1. c. 1.

CAPVT II.

Deum non indigere oblatione nostra, & vt indigeat, nihil eo dignum posse offerri.

ID contestatus est propheta regius in psalmis, cum ait. *Dixi Domino,*
Psal.15.2. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et Apostolus. *Quis*
Rom.11.35. C.3.Pæd.2&7. strom. *prior dedit illi, & retribuetur ei?* Vnde CLEMENS ALEXANDRINVS
in Pædagogo & Stromateis sæpius. *Solus Deus nulla re omnino indiget.*
L.lib.6.c.1. Et LACTANTIVS. *Non intelligunt,* inquit *Ethnici, terrenis opibus Deum*
non indigere. Nihil enim sapiunt nisi terram, bonaque & mala solius corporis
Epit.c.5. *sensu & voluptate perpendunt.* Et rursus. *Illis, quæ in vsum tribuit homini*
Deus, ipse non indiget: & cum omnis terra in ipsius sit potestate, non indiget
templo, cuius domicilium mundus est; non indiget simulachro, qui est & mente
& oculis incomprehensibilis: non indiget terrenis luminibus, qui solem cum ceteris
astris in vsum hominibus potuit accendere. GREGORIVS Nazianzenus
G.orat.2. in Pascha. *Dignum munus offerre Deo vix ipsi quoque angeli possunt,*
illi, inquam, primi, intellectuales & puri, supernæque gloriæ spectatores ac testes.
A.in c.11.ad Rom. Sanct. AMBROSIVS tractans verba Apostoli supra citata.
Manifestum est, ait, *solum Deum esse, qui nouerit omnium consilia, & hunc*
C.hom.26. *vnum esse, qui nullius egeat, quia ab ipso sunt omnia.* S. CHRYSOSTOMVS
in Genesin. *Si voluerimus offerre aliquid Deo, quid amplius offerre possumus,*
quam quantum verbis gratias referimus. Ea sane, quæ ipse exhibet opere præstat.
Quam autem imparia sunt verba & opera? Et Dominus nullarum rerum
indigus est, nullaq; rerum nostrarum eget, quam verbis, atque hanc ipsam
in sermonibus gratiarum exigit, non quod ea ipse opus habeat, sed vt nos doceat
A.serm.38. *gratos esse, & agnoscere tantorum bonorum auctorem.* S. AVGVSTINVS
de Verbis Domini. *Ne putemus fratres carissimi, quia beneficium præstamus*
Deo, quia diximus pretium nos dare quodammodo. Non enim, vnde augeatur
ille, damus, qui te lapso integer est, & te redeunte integer manet, paratus
videre, vt beatificet conuersos, & auersos puniat cæcitate. Et in epistola
Id ep.5. ad Marcellinum. *Nihil Deus iubet quod sibi prosit, sed illi, cui iubet. Ideo*
verus est Dominus, qui seruo non indiget, & quo seruus indiget. In ea quippe
Scriptura, quæ vetus dicitur testamentum, & eo tempore, quo adhuc illa offerebantur
Psal.15.2. *sacrificia, quæ hoc tempore non offeruntur, dictum est. Dixi Domino,*
Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Nec illorum ergo sacrificiorum
egebat Deus, nec cuiusquam eget vnquam, sed rerum diuinitus

impar-

impartitarum, vel imbuendo virtutibus animo, vel æternæ saluti adipiscendæ quædam signa sunt, quorum celebratione atque functione, non Deo, sed nobis utilia pietatis officia exercentur. Et rursus libro x. de ciuitate Dei. *Quis autem ita desipiat, vt existimet aliquibus vsibus Dei esse necessaria, quæ in sacrificiis offeruntur? Quod cum multis locis diuina Scriptura testetur, ne longum faciamus breue illud de psalmo commemorare suffecerit. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non solum igitur pecore, vel alia re corruptibili atq; terrena, sed ne ipsa quidem iustitia hominis Deum egere credendum est, totumq; quod recte colitur Deus homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit, aut luci, si viderit.* A.c.5. Psal.15.2.

CAPVT III.

De conditionibus oblationis, quo Deo sit grata.

QVO Deo grata & accepta sit oblatio nostra nonnullæ requiruntur conditiones. Prima sit, vt offerens sit iustus & amicus Dei; quam S. BASILIVS colligit ex illis verbis Psalmi. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum. Psalmus,* inquit, *prius vult nos esse filios Dei, deinde vltroneos accedere ad offerenda Deo dona, non quælibet, sed quæ sint ab eo ordinata. Ante omnia dicito, Pater: deinde petes ea quæ ordine sequuntur. Scrutare verò teipsum, & cuiusmodi conuersatione ad Deum accedas: expende, num dignus sis, qui Deum sanctum voces Patrem. Per vitæ enim sanctimoniam nobis peruius est ad eum sanctum ac familiaris aditus. Si sancti filius cupis esse, sanctitas te in filium adoptet. Afferte itaque Domino, non omnes, neque ex omnibus, sed filii Deo.* S. GREGORIVS verò eandem colligit ex oblatione Abel. *Iram,* ait libro 22. moralium, *iudicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. Vnde scriptum est. Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Neq; etenim sacrum eloquium dicit. Respexit ad munera Abel, & ad Cain munera non respexit, sed prius ait, quia respexit ad Abel, ac deinde subiunxit. & ad munera eius. Et rursum dicit, quia non respexit ad Cain, ac deinde subdidit. nec ad munera eius. Ex dantis quippe corde id quod datur accipitur, idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius namq; ad eum legitur Dominus respexisse qui dabat, quàm ad illa quæ dabat.* Psalm.28.1. Gen.4.4. G.c.11.

II. Conditio est, vt si iustus non sit, iustus esse velit, & de anteactæ vitæ noxis doleat, dicatq; cum peccatore Dauide. *Sacrificium Deo* Psal.50.19. *spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Hanc A.c.5. inculcat Augustinus libro 10. de Ciuitate Dei. *Ille pœnitens*, inquit, *apud prophetam, vel ipse Propheta quærens Deum peccatis suis habere propitium Si voluisses, inquit, sacrificium dedissem: vtiq; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernet. Intueamur quemadmodum vbi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Illo igitur, quod eum nolle dixit, hoc significatur, quod eum velle subiecit.* Cuius rei rationem paulo ante dederat hanc. *Nec enim quod ab antiquis Patribus talia sacrificia facta, sunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legitimè non facit aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc vt inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo consulamus.*

III. est, vt pura simpliciq; mente, & recta intentione offerat. T.lib.2. Hanc multi Patres indicarunt, vt Tertullianus in Marcionem. *Etsi Deus ad oblationes Abel aduertit, & holocausta Noe odoratus est libenter, quæ iucunditas siue viscerum veruecinorum, siue nidoris ardentium victimarum? Sed animus simplex & Deum metuens offerentium ea, quæ à Deo habebant, & pabuli, & suauis olentiæ gratia apud Deum deputabatur, non quæ fiebant exi-* Ch.hom.18. *gentis, sed illud propter quod fiebant, ob honorem scilicet Dei.* Et S. Chrysost. in Genesin. *Attende*, ait, *rem miram. Aspexit Deus ad Abel, & ad dona ipsius: ad Cain autem, & ad sacrificia ipsius non attendebat. Quia recta intentione & syncera mente obtulerat, aspexit, inquit, Deus ad Abel, & ad dona ipsius, grata habuit, laudauit. Ceterum oblata vocauit dona, vt per hoc offerentis animo maiorem honorem haberet. Ecce quomodo per facta & verba ipsa docet Dominus, quod hæc omnia à nobis vult fieri, vt animi nostri per ea quæ à nobis fiunt, manifestè conspiciantur, & vt sciamus quod Dominum habemus &* Isa.66. *conditorem eum, qui ex nihilo nos, vt essemus, produxit.* Hieronymus in extremum caput Isaiæ. *Deus non quærit sacrificia, sed animum.* Eodem col- L.c.15. limant, quæ Lactantius libro sexto diuinarum institutionum de oblationibus Deo factis scribit ex Seneca. *Quanto melius*, ait, *Seneca & verius. Vultisne vos*, inquit, *Deum cogitare magnum, & placidum, & maiestate leni verendum amicum, & semper in proximo? Non immolationibus, & sanguine multo colendum, sed mente pura, bono honestoque proposito.*

IV. est.

IV. est. Vt oblatio sit Deo digna & offerente. Qua de causa
Cain in Genesi deliquit, non quod aliquid obtulerit, sed quod nullo
habito delectu viliora obtulerit. Vnde S. Ambrosius libro secundo A.c.6.
de Cain & Abel. *Rectè Cain obtulit, quia oblatio insigne deuotionis, & in-
dicium gratiarum est: sed non rectè diuisit, quia ante omnia Deo debuit defer-
re primitias, vt à gratia inchoaret auctoris. Etenim diuisionis hic ordo est, vt
prima secundis, non primis secunda præcurrant, & cælestia terrenis, non terre-
na cælestibus præferantur. Sed quia Cain confundit hunc ordinem, dicitur
ei. Peccasti, quiesce. omnia docet Deus. primum ne pecces, vt in Adam monu-* Id.c.7.
*it, secundo, si peccaueris, quiescas, vt in Cain doceris. Erubescere enim
debemus, & condemnare peccatum, non defendere.* Et S. Augustinus libro A.c.7.
15. de ciuitate Dei. *In admonitione quam Deus protulit ad Cain, illud qui-* Gē.4. secūd.70.
*dem quod dictum est. Nonne si rectè offeras, rectè autem non diuidas peccasti,
quia non elucet, cur vel vnde sit dictum, multos sensus peperit eius obscuritas.
Recte quippe offertur sacrificium, cum offertur Deo uero, cui vni tantummodo
sacrificandum est. Non autem recte diuiditur, dum non discernuntur rectè
vel loca, uel tempora, vel res ipsæ, quæ offeruntur, uel qui offert, vel cui of-
fertur, vel hi quibus ad vescendum distribuitur quod oblatum est, vt diuiso-
nem intelligamus hic discretionem: siue cum offertur, quando non oportet, aut
quod non tunc, sed aliàs oportet. siue cum id offertur, quod nusquam & nun-
quam penitus debuit, siue cum electiora sibi eiusdem generis rerum tenet ho-
mo, quam sunt quæ offert Deo. In quo autem horum Deo displicuerit facile
non potest inueniri.* Hæc ille: ac tandem cum Ambrosio in postremum
hunc sensum diuisionis inclinare uidetur. In eandem sententiam Ch.hom.18.
conspirat Chrysostomi commentarius. nam exponens verba illa
Dei. Nonne si recte obtuleris, recte autem non diuiseris, peccasti?
Hoc quidem, inquit, *quod animo statuisti esse offerendum laude dignum est;
quod verò non recte diuiseris, oblati repudiationem operatum est. Oportet
enim offerentem Deo magnam adhibere diligentiam. Et quantum differunt
qui offert, & qui accipit, tanta & in discretione facienda diuersitas. At ho-
rum nihil cogitasti, sed vt fortuito contigit, obtulisti.*

V. est, vt oblatum sit expers vitii & maculæ. Vnde Ecclesiasti- Eccli.35.4.
cus. *Noli,* ait, *offerre munera praua, non enim suscipiet illa DEVS.* Et Ma- Mal.1.8.14.
lachias propheta. *Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis.
In quo polluimus te? Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est:
& si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo,
si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum:* Leu.1.3.
immò Deus exegit in omnibus sacrificiis, vt hostiæ essent imma- L.8.20.
culatæ, nullique vitio obnoxiæ. vt liquet ex legibus Leuitici, Nu- Num.28.3.
merorum, & Deuteronomii. *Homo* inquit Dominus ad Moysen, Deu.15.21.

 qui

qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota soluens, vel sponte offerens tam de bobus, quam de ouibus immaculatum offeret, vt acceptabile sit, omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino. Causa huius legis erat. 1. quia Deum O. M. non decent, nisi optima. 2. teste Apostolo, *omnia in figuram illis* veteris testamenti Patribus *contingebant.* & *Vmbram habebat lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum,* vt est in epistola ad Hebræos. Oblationes autem omnes & sacrificia veteris legis præfigurabant oblationem Christi in cruce qui verè erat agnus immaculatus, omnis vitii expers. Vnde Paulus. *Si enim sanguis,* inquit, *hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?* 3. quo significaretur quanta innocentia vitæ & morum præditi esse debeant, qui seipsos Deo offerre volunt.

1. Cor. 10. 11. Heb. 10. 1.

Heb. 9. 13.

Caput IV.

Rerum etiam minimarum oblationes Deo esse gratissimas.

QVOD verò etiam minimarum rerum oblationes Deo sint pergratæ, duobus diuinæ scripturæ exemplis ostendi potest; quorum alterum est in veteri testamento. nam in Exodo Deus inter dona pro constructione tabernaculi offerenda numerauit pilos caprarum. *Omnis,* inquit, *voluntarius, & prono animo offerat primitias Domino: aurum & argentum & æs, hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, pelles que arietum rubricatas & iantihnas, ligna settim & oleum ad luminaria concinnanda & vt conficiatur vnguentum & thymiama suauissimum, lapides onychinos & gemmas ad ornatum superhumeralis & rationalis.* Alterum est in nouo, de vidua, quæ apud Marcum & Lucam oblatione duorum minutorum in gazophylacium alios licet magna offerentes iudice Christo superauit. *Respiciens autem* IESVS, inquit, Lucas, *vidit eos, qui mittebāt munera sua in gazophylacium diuites. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit. Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest*

Exod. 51. 3. Exod. 53. 5.

Marc. 12. 42. Luc. 21. 1.

deest illi omnem victum suum, quem habuit, misit. Ratio autem huius rei ab omnibus Patribus illa redditur, quod DEVS non tam considerat magnitudinem rei oblatæ, quam affectum, aliasque conditiones offerentis.

TERTVLLIANVS contra Marcionem agens de oblationibus,
quando sint Deo gratæ, post exemplum Abel & Noe allatum ita scri- T.lib.2.
bit. *Si cliens diuiti aut regi nihil desideranti tamen aliquid vilissimi munu-
sculi obtulerit, quantitas & qualitas muneris infuscabit diuitem & regem,
an delectabit titulus officii? At si cliens ei munera vltro, vel etiam dicto, or-
dine suo offerat, & sollemnia regis obseruet, non ex fide tamen, nec corde puro,
nec pleno circa cetera quoque obsequia, nonne consequens, vt rex ille vel di-
ues exclamet. Quo mihi multitudinem munerum tuorum? Plenus sum.* Gre- Isa. 1. 11.
gorius Nazianzenus oratione ad Iulianum. *Nihil earum rerum, quæ
Deo offeruntur tam paruum est, quamuis etiam minimi momenti sit, quam-
uis longè illius dignitate inferius, quod non omnino accipiat atque compro-
bet. Accipit ille & Pauli plantationem, & Apollinis irrigationem, & viduæ
duo minuta, & publicani humilitatem & Manassis confessionem. Cum Mo-
ses olim tabernaculum illud cœlesti tabernaculo figura respondens in terra fi-
geret, omnes quod cuique denuntiatum fuerat, conferebant. Quinetiam* 1. Cor. 3. 6. Marc. 12. 42.
suapte sponte alii aurũ alii argentum, alii gemmas pretiosas ad superhumeralis Luc. 18. 1.
*ornatum ferebant: mulieres partim byssum contortum, partim coccinum con-
textum, partim purpuram, partim arietum pelles rubro colore tinctas; par-
tim caprarum pilos, rem vilissimam. Alii, vt quisque fortasse aliquid habe-
bat ad opus tabernaculi afferebant, sed omnes tamen afferebant, nec quisquam
ab hac collatione immunis, ne pauperrimi quidem.* Et paulo post. *Atque
illud pucherrimum humanissimumque censendum est, quod Deus munificen-
tiam, non oblatæ rei pretio & dignitate, sed offerentis affectu & facultate
metitur.* Et rursus supra. *Vnusquisque Deo quod poterit offerat, quouis tem-
pore, quouis genere vitæ & fortunæ, pro præsentis facultatis modulo, pro gra-
tia sibi concessa.* Atque sub finem orationis in laudem Basilii scriptæ. Luc 21. 1.
Quanquam, ait, *Deo quoque gratum est, quod viribus respondet.* Sanctus
Ambrosius libro de Viduis. *Dominica voce illa vidua omnibus antefer-
tur de qua dictum est. Vidua hæc plus omnibus misit: in qua moraliter domi-
nus instituit vniuersos, ne quis à collatione ministerij paupertatis pudore re-
uocetur, nec sibi diuites blandiantur, quod plus videantur conferre, quam
pauperes. Vberior est enim nummus è paruo, quam thesaurus, è maximo:
quia non quantum detur, sed quantum resideat expenditur. Nemo plus tri-
buit, quam qui nihil sibi reliquit. Non ergo quid fastidio exspuas, sed
quantum deuotione conferas, æstimandum est. Denique nulla plus tri-
buit, quam illa quæ de filiorum alimentis pauit prophetam.* Sanct. 3. Reg. 17.

Chry-

C.hom.42. CHRYSOST. quoque in Genesin post collaudatam viduam Sareptanam quæ parum obtulerat Eliæ prophetæ. *Dominus noster,* subdit, *non quanta dentur consueuit attendere, sed voluntatis largitatem, & ob hoc parua etiam magna facit, & sæpe affirmat, quando non hilari promptitudine, quæ fiunt, insumuntur. Et ea propter vidua illa Euangelica multis multa in gazophylacium mittentibus proiectis duobus minutis omnes vicit, non quod immiserit plura aliis, sed quod liberaliorem voluntatem ostenderit.*

CAPVT V.

De conuenientia oblationis sui Deo factæ.

QVOD conueniens & salutare sit, hominem Christianum, non tam alias res creatas quã, semetipsum offerre Deo, inde probat vetustissimus TERTVLLIANVS in libro de Idololatria, quod Christus apud Matthæum Pharisæorum discipulis & Herodianis dixerit. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Reddenda sunt,* inquit, *Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo, bene quod apposuit, & quæ sunt Dei Deo, id est, imaginem Cæsaris Cæsari, quæ in nummo est, & imaginem Dei Deo quæ in homine est: vt Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum.* Apostolus quoque Romanos suos his verbis suauissimè compellat. *Obsecro, itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Deinde totos nos, quanti quanti sumus debemus Deo. *Quid n. habes,* ait Paulus, *quod non accepisti?* Et Quis *prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula Amen.* Adhæc Deus pro incredibili sua in nos caritate se obtulit nobis, cur non vicissim nos offeramus illi? *Sic enim Deus,* inquit B. Ioannes *dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Obtulit autem se nobis per filium trifariam. Primo in eius incarnatione cũ Deus homo factus est, quod beneficium tanti facit Ecclesia, vt cum in Symbolo cãtatur *Et homo factus est,* Vel in Euangelio Ioannis. *Verbum caro factum est,* omnes procidant in genua. 2 se obtulit in ara crucis, *quando vna oblatione,* teste Apostolo, *consummauit omnes sanctificatos,* & nos ab æterna damnatione vindicauit. 3. in sacra Eucharistia, nam apud Ioannem ipse dicit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Vnde S. Hieronymus ad Lucinium. *Aurum deponere incipientium est, non perfectorum Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes. seipsum offerre Deo propriè Christianorum est, & Apostolorum.* Et S.

Marginalia: Matt.22.21. — Rom.12.1. — Vide Chrys. h. 10. in 1. ad Cor. — 1. Cor 4.7. — Rom.11 35. — Ioan.3 16. — Symb. Constan. — Io.1. — Heb.10.14. — Ioan.6.56. — H.ep.28.

AVGVSTINVS libro de Quantitate animæ. *Vellem vt nihil aliud a-* A.c.18.
gerem, quam reddere me, cui me maximè debeo; atque ita Deo fieri, quod ait H.ser.2.Sat.7.
Horatius, amicum mancipium Domino. Et epistola ad Armentarium, Id.ep.45.
qui contempto mundo obtulerat se Deo per votum. *Cogites, quod in*
diuinis eloquiis legitur. Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de
die in diem, atque arripias, curesque reddendum, quod ei te vouisse nosti, qui & Eccli.5.8.
debita exigit & promissa persoluit. Nam & hoc scriptum est. Vouete & reddi- Psal.75.12.
te Domino Deo vestro. Quanquam etsi non vouisses quid aliud tibi suaden-
dum fuit, aut quid melius ab homine fieri potest, quam vt ei restituat, à quo in-
stitutus est, præsertim quia charitatis erga nos Dei tantum apparuit, atque
illuxit indiciũ, vt filium suum vnigenitum mitteret, qui pro nobis moreretur?
Haud secus Sanctus BERNARDVS de Purificatione B Virginis. B.serm.3.
Quid fratres ait, *nos offerimus, aut quid retribuimus Christo pro omnib, quæ*
retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem quam habuit,
nimirum, qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus
optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus vtique nosmetipsi. Ille
seipsum obtulit, tu quis es, qui teipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat,
vt oblationem meam dignetur maiestas tanta suscipere? Duo minuta habeo,
Domine, corpus & animam: vtinam hæc tibi perfectè possim in sacrificium
laudis offerre. Bonum enim mihi longèque gloriosius atque vtilius est, vt tibi
magis offerar, quam deserar mihiipsi. Nam ad meipsum anima mea conturba-
tur, in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. EXEM-
PLVM huius voluntariæ oblationis habemus in Apostolo Paulo exi-
mium, quod describit CHRYSOSTOMVS oratione prima de Sancti
Pauli laudibus in hæc verba. *Abel obtulit sacrificium & inde laudatur, sed*
si Pauli hostiam adducamus in medium, quam cœlum à terra superior appare-
bit. Non enim vna tantum est, siquidem semetipsum per singulos dies im-
molabat: quam tamen rursus hostiam dupliciter offerebat, cũ quotidie moriens,
tum corpore suo mortificationem sine intermissione circumferens. Nam & ad
pericula iugiter parabatur consummans voluntate martyrium, & naturam in
se mortificando carnis nihilo minus quam immolatæ hostiæ Deo munus im-
plebat, imò etiam multo amplius Non enim oues offerebat, aut boues, sed se-
metipsum per singulos dies dupliciter immolabat, vt diximus. Propter quod
confitendo dicebat. iam immolor, sanguinem vtique suum immolationem
vocans. Neque verò his tantum sacrificiis contentus fuit, sed quia seipsum 2 Tim.4.6.
consecrauerat Deo, etiam orbem vniuersum studuit offerre. Propter quod iam
hinc post sudores plurimos ac trophæa innumerabilia transiturus pro discipu-
lorum consolatione dicebat. Sed etsi immolor super sacrificium & obsequium Phil.2.17.
fidei vestræ gaudeo, & congratulor omnibus vobis: propter quod & vos gau-

dete & congratulamini mihi. Quidnam igitur huic hostiæ reperitur æquale quam Paulus sancti spiritus cultro immolauit, quamq; in illo altari obtulit quod supra cælos locatum est?

Capvt VI.

De præstantia & fructu eximio huius oblationis.

IAm huius virtutis præstantiam iuxta ac fructum excellentem inde discere possumus, quod sit primarius Religionis inter virtutes morales nobilissimæ actus, haud secus quam sacrificium. Etsi sacrificia omnia, quæ in ueteri testamento de brutis animantibus, frugibus, aliisq; rebus creatis magnifico ritu & pompa instituta fuere, hoc inferiora sunt hac, de qua agimus, spontanea oblatione sui, quo bruta omnia, cæteraq; res creatæ inferiores sunt rationali creatura ad Dei imaginem similitudinemq; condita. Honorificè certe S. Patres de ea
H.ep.28. locuti sunt, atque imprimis B. Hieronymus pluribus locis. Nam in
Luc.21.1. epistola ad Lucinium, cum dixisset *seipsum offerre Deo proprium esse Christianorum & Apostolorum*, mox subiecit, *qui duo cum vidua paupertatis suæ in gazophylacium æra mittentes, totum censum, quem habuerunt, Domino tradiderunt, & merentur audire. Sedebitis super duodecim solia, iudicantes*
Matt.19.28. *duodecim tribus Israhel. Laudanda res & Apostolicorum temporum virtutibus coæquanda, quando venditis possessionibus suis credentes afferebant pecunias,*
Act.4.34. *atq; fundebant ante pedes Apostolorum, ostendentes auaritiam esse calcandam. Sed Dominus magis quærit animas credentium, quàm opes. Legimus, redem-*
Prou.13.8. H.ep.54. *ptio animæ viri propriæ diuitiæ.* Et in consolatione ad Iulianum. *Respice sanctum virum Pammachium, & feruentissimæ fidei Paulinum presbyterum, qui non solum diuitias, sed se ipsos Domino obtulerunt: qui contra diaboli tergiuersationem, nequaquam pellem pro pelle sed carnes & ossa & animas suas Domino consecrarunt. Contemnis aurum, contempserunt & multi Philosophi. è quibus vnus, vt ceteros sileam, multarum possessionum pretium proiecit in pelagus. Abite, dicens, in profundum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne mergar à vobis. Philosophus, gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium totam simul sarcinam deposuit, & tu te putas in virtutum culmine constitutum, si partem ex toto offeras? Teipsum vult Dominus, hostiam viuam, placentem Deo, te, inquam, non tua. Apostoli gloriantur, quod omnia dimiserint, & secuti sint Saluatorem, & certe præter retia & nauem, nihil legimus eos dimisisse, & ta-*

& tamen testimonio futuri iudicis coronantur, quia se offerentes totum dimiserant, quod habebant. Denique & epistolam ad Paulinum ipsum, his verbis claudit. *Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli nauem tantum & retia reliquerunt. Vidua duo æra misit in gazophylacium, & præfertur Cræsi diuitijs. Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.* Ep. 103. Deinde Sanctus AVGVSTINVS libro primo Soliloquiorum. A. c. 15. *Constanter*, inquit, *Deo crede, eiq; te totum committe quantum potes. Noli esse velle quasi proprius & in tua potestate, sed eius clementissimi & utilissimi Domini te seruum esse profitere: ita enim te ad se subleuare non desinet, nihilque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* Et in psalmum 131. *Quid vouimus Deo, nisi vt simus templum Dei? Nihil gratius ei possumus offerre, quam vt dicamus ei, quod dicitur in Esaia. Posside nos.* Qui autem Isa. 26. 13. iuxta 70. dicit. Posside nos, certe se possidendum Deo offert. Et in sermone 3. de natali Domini. *Sunt multi qui vouent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius vt vinum non bibat per aliquot annos, alius vt ieiunia certo tempore faciat, alius vt carnes non comedat. Non est istud votum optimum, nec perfectum. Adhuc melius volo. Non eligit Deus nec speciem tuam, nec oleum tuum, nec ieiunium tuum, sed hoc quod te hodie redemit, ipsum offer, hoc est, animam tuam. Et si interroges me, quomodo animam meam, quam ipse habet in potestate, offeram? Et ego respondebo tibi quomodo. Moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis, auertendo à malo, & conuertendo ad bonum, &c.*

DEMVM excellens vtilitas huius spiritalis oblationis duobus minimè obscuris argumentis cognosci potest. Alterum est, quod Sanctorum historiæ passim doceant eos omnes, qui in primo ortu suo à sanctis parentibus Deo pie oblati fuerunt sanctitate quoq; illustres, 1. Reg. 1. ac sæpe etiam miraculis extitisse, vt Samuelem prophetam vt S. Ioannem Baptistam in vtero materno sanctificatum, gloriosissimam matrem Dei sine vllo peccato conceptam, Gregorium Nazianzenum, S. Bernardum Claræuallensem Abbatem, S. Dominicum, S. Bonauent. S. Bernardinum, S. Nicolaum Tolentinatem, S. Franciscum de Paula, S. Elzearium comitem, aliosq; complures. Si enim oblatio aliena tantopere apud Deum valuit, quantum valebit propria & voluntaria eius, qui cum regio propheta dicere audebit. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Vnde S. CHRYSOSTOMVS libro tertio contra vitu- Psal 53 8. peratores vitę monasticę ita scribit de S. Samuel. *Anna fuit Hebræa mulier, quæ vnum filium cum partu edidisset, nec alium speraret se parituràm post ablactationem statim obtulit Deo: nec iam vt paternam domum reuiseret*

orauit, sed semper in templo Dei ille morabatur. Adeo verò magnus & strenuus adolescens ipse factus est, vt Deum, cum Hebræorum gentem ob effusam latè malitiam execraretur, nec visionem vllam eis reuelaret, rursus eximiæ virtutis meritis attraxerit, persuaseritq; ea omnia quæ antea solebat exhibere: prophetiam quoq;, quæ diu auolarat, restituere. Nec ista tunc modo valuit cum 1.Reg.3.1. *ad maturam ætatem peruenisset, sed etiam, cum adhuc puer esset: non enim erat, visio manifesta, & verbum pretiosum non erat. Cumq; ista talia ac tanta essent, illum Deus iugiter alloquio familiari dignabatur, ac per illum frequens oracula edebat; tantum confert emolumenti Deo semper quæ possederimus concedere.*

Alterum argumentum est, quod Dei proprium sit, vt canit Ecclesia *misereri & parcere.* Est enim ipsa bonitas & charitas, atq; idcirco non optat vel expectat aliud, quam vt nosmetipsos illi offeramus, non vt commodi aliquid à nobis accipiat, sed vt nobis benefaciat. Vult vt nosipsos uelut sportas vacuas sibi offeramus, quas possit suis implere donariis. Vnde S. Gregorius Nazianzenus in oratione N. in S. baptisma. quadam scripsit, *Deo dare, esse accipere.* Exemplum appositum huius rei S. cap.8. commemorat Seneca libro primo de beneficiis, vbi cum Æschines, pauper nihil haberet quod Minerualis loco penderet præceptori suo Socrati, dixit. Quoniam nummis careo, me totum tibi trado. Quod donum Socrati longe gratius fuit quàm pecuniarum; eiq; respondit se eum, cum moribus, tum litteris cultiorem, aliquando ad suos remissurum.

VIDE V. *Deuotio. Familiaritas cum Deo. Obedientia. Oratio. Perfectio Christiana. Religio. Et in* PANARIO. *Inobedientia. Voti violatio.*

OPERA BONA.

CAPVT I.

Quid Operum bonorum nomine intelligatur, & quot eorum sint genera.



OPERVM bonorum nomine iuxta diuinæ Scripturæ phrasin, intelligimus opera vtilia ad salutem, uti sunt, de Matt.5.16. quibus Christus apud Matthæum ait. *Sic luceat lux uestra coram hominibus, vt videant opera uestra bona.* Et S. Paulus ad Rom.2.10. Romanos. *Gloria & honor, & pax omni operanti bonum.* Et S. Ia-

S. Iacobus. *Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea,* Iac.1.25.
non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.
Et Sanct. Petrus. *Satagite, vt per bona opera certam uestram vocatio-* 2.Pet.1.10.
nem & electionem faciatis. Et Sanct. Ioannes. *Qui bene facit ex Deo* Ioan.ep.3.11.
est. Hæc opera nomine iustitiæ Christus honestauit apud Mat- Matt.5.20.
thæum dicens *nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum &*
Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et. *Attendite ne iustitiam* Mat.6.1.
uestram faciatis coram hominibus. mox enim subiicit. *Cum ergo facis elee-*
mosynam. & S. Zacharias apud Lucam. *vt sine timore, de manu inimico-* Luc.1.57.
rum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso. Et
Apostolus. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustifi-* Rom.2.13.
cabuntur. Et B. Iacobus. *Ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tan-* Iac.2.24.
tum. Et S. Petrus. *Vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* & S. Ioannes. *Qui* 1.Pet.2.24. 1.Ioan.3.7.
facit iustitiam, iustus est.

HORVM Operum bonorum tria Spiritussanctus ipse in sacris
litteris genera patefecit, ad quæ tanquam ad tres fontes suos reli-
qua omnia facile, teste S. August. in lib. de perfectione iustitiæ, refe- A.respons.17.
runtur. Nam in veteri testamento angelus Raphael hæc tria specia-
tim S. Tobiæ commendauit. *Bona,* inquiens, *est Oratio cum ieiunio, &* Tob.12.8.
Eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere. In nouo uerò Christus
Dominus apud Matthæum singulatim docuit, quemadmodum ea- Matth.6.
dem tria fructuose ad salutem exerceri queant. Vnde August. loco ci-
tato. *Dominus,* inquit, *in Euangelio cum dixisset. Nolite facere iustitiam ve-*
stram coram hominibus, vt videamini ab eis, ne istum cursum nostrum fine hu-
manæ gloriæ metiremur, non est in expositione iustitiæ ipsius executus nisi tria
ista, ieiunium, eleemosynas orationes. Ieiunio scilicet vniuersam corporis casti-
gationem significans; eleemosynis omnem beneuolentiam & beneficentiam,
vel dandi vel ignoscendi: & oratione insinuans omnes regulas sancti desiderii.
Et in psalmum 42. *Hæc iustitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemosyna,*
oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, ieiunium & elee-
mosynam. S. Leo de ieiunio decimi mensis. *Tria sunt quæ maximè ad reli-* L.serm.1.
giosas pertinent actiones: Oratio scilicet, ieiunium & eleemosyna: quibus exer-
cendis omne quidem tempus acceptum, sed illud est studiosius obseruandũ, quod
Apostolicis accipimus traditionibus consecratum. Oratione enim propitiatio Dei
quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redi-
muntur, simulq; per omnia Dei in nobis imago renouatur. Hæc triplex obseruã-
tia omnium virtutum comprehendit effectus. Petrus Chrysologus serm. 43.
Tria sunt, tria fratres, per quæ stat fides, constat deuotio, manet virtus. Oratio,
ieiunium, Misericordia. Quod oratio pulsat, impetrat ieiunium, misericordia
accipit. Sunt hæc tria vnum, dant hæc sibi inuicem vitam. Est namq; orationis

B.sect.11. *anima ieiunium, ieiunii vita misericordia est*, & c. multa. S. Bernardus in sententiis. *Tria sunt quibus debent insistere, quicunq; iustificari debent, quæ etiam continet sermo Domini in monte, eleemosyna, ieiunium, oratio. Sic enim adimpletur iustificatio, dum ab interdictis vitijs abstinent, & bona quæ præcepta sunt fideliter exercent. Opponantur ergo prauis operibus opera misericordiæ, contra carnalia desideria adhibeantur ieiunia, & pro curis seculi succedat amor Dei & frequentia orationis.*

Capvt II.

De multiplici bonorum operum fructu.

NON dubium est multos magnosq; bonorum operum existere fructus. Sapientis siquidem dictum est. *Bonorum laborum gloriosus*

Sap 3.15. *est fructus.* Et. *Cognoui, quod non esset melius nisi lætari & facere bene in vita*

Eccl.3.12. *sua.* Et. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.*

Eccl.12.13. I. Fructus est testificatio veræ fidei & doctrinæ. Nam Christus voluit pseudoprophetarum doctrinam falsam ex operibus dignosci.

Matt.7.16. *A fructibus eorum*, inquit, *cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Non potest arbor bona malos fructus facere, neq; arbor mala bonos fructus facere.* Nam de fide vera vel falsa hic sermonem esse liquet, & docet uetustissimus Tertullianus libro primo contra Marcio-

Iac.2.18. nem. Deinde B. Iacobus. *Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi*

B.reg.28. & 29. *fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* S. Basilius in suis Moralibus ex eodem fundamento probat, *quod vnusquisq; debeat professionem suam factis ipsi consentaneis comprobare.* idq; probat tribus aliis argumentis. Primo quia Christus discipulis suis dixit. *In hoc*

Ioan.13.35. *cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem mutuam habueritis*

Ioan.5.36. *inter vos.* 2. quia de se dixit. *Ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quod Pater miserit me. Si non facio opera Patris mei nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quod pater in me est & ego in Patre.* 3. quia Apostolus ita ad suos

2.Cor.6.3. Corinthios scripsit. *Nemini dantes vllam offensionem, sed in omnibus exhibentes vosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus.*

C.hom.24. &c. Eodem tendit, quod S. Chrysost. ad populum dixit, nihil æque nos à calumniis peruersorum hominum vindicare, ac bonam & piam conuersationem *Si viuimus*, inquiens, *in nequitia, licet sit qui detrahat nemo, omnium miserrimi sumus si verò virtutem exerceamus, licet totus terrarum orbis maledicat, tunc sumus omnium beatissimi. Non enim improborum*

detra-

detractionem, sed vitæ virtutem intuebuntur. Etenim omni tuba clarior est per opera demonstratio.

II. FRVCTVS est, quod bona opera ex viua fide, hoc est, per Gal. 5. 6.
caritatem operante, vt loquitur Apostolus, profecta, non solum sint Symbolum Christianæ vocationis & prædestinationis, sed etiam eandem confirment, certamque faciant. Nam Apostolus Petrus, qui crebrius ad bona opera in suis epistolis nos cohortatur, hoc etiam adiecit. *Fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem* 2. Pet. 1. 10.
& electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Vnde S.
Cyprianus epistola ad Cornelium Papam. *Hortamur plane quantum* C. lib. 1. ep. 2.
possumus, frater charissime, pro charitate mutua, qua nobis inuicem cohæremus, vt, quoniam prouidentia Domini monentis instruimur, & diuinæ misericordiæ consiliis salubrius admonemur, appropinquare iam certaminis & agonis nostri diem, ieiuniis, vigiliis, orationibus insistere cum omni plebe non desinamus, incumbamus gemitibus assiduis, deprecationibus crebris. Hæc enim sunt nobis arma cœlestia, quæ stare & perseuerare fortiter faciunt. Hæc sunt munimenta spiritualia, & tela diuina quæ protegunt.

III. FRVCTVS est, quod gratiam iniustis vere augeant, & perficiant, ac proinde & iustificent, id est, iustiores reddant. Id clarissimè ex B. Pauli epistolis euinci potest, nam in altera ad Corinthios agens de fructu spirituali eleemosynæ. *Qui administrat semen* inquit, *semi-* 2. Cor. 9. 10.
nanti, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. Et ad Collossenses. *Vt ambuletis digne Deo per omnia placentes,* Col. 1. 10.
in omni opere bono fructificantes crescentes in scientia Dei. Et S. Ioannes Apoc. 22. 11.
in Apocalypsi. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Imo Ecclesiasticus. *Non verearis,* ait, *vsque ad mortem iustifica-* Eccli. 18. 22.
ri quoniam merces Dei manet in æternum. Quod autem perficiant &
consumment iustitiam & gratiam clare tradit B. Iacobus. *Abraham* Iac. 2. 22.
pater noster nonnè ex operibus iustificatus est offerens filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? Et Sanctus Paulus ad Corinthios. *Has habentes promissiones ca-* 2. Cor. 7. 1.
rissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei. Hoc verò iustitiæ incrementum, aiunt
Concilii Tridentini Patres, petit sancta Ecclesia cum orat. *Da nobis* C. sess. 6. c. 10.
Domine fidei, spei, & charitatis augmentum.

IV. est, quod fiduciam bonæ conscientiæ gignant, magisque ad orandum & quidlibet impetrandum inflamment. *Fiducia magna erit,* dicitur in Tobia, *coram summo Deo eleemosyna omnib. facientibus eam.* Et a- Tob. 4. 12.
pud Ioannē Christus, *Omnis qui male agit odit lucem, & non venit ad lucē,* Ioan. 3. 20.
vt nō arguantur opera eius. Qui autē facit veritatē, venit ad lucē, vt manife-

stentur

1.Ioan.3.21. *stentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Et Ioannes ipse in prima epi-
stola. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad*
Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo quoniam mandata eius cu-
stodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus. Et rursus. *In hoc perfecta est*
1.Io.4.17. *charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicii.* Exemplum hu-
Isa.38.3. ius habemus in Ezechia rege, qui conscientia bonorum operum fre-
tus, non dubitauit sic Deum compellare. *Obsecro Domine, memento quæ-*
so quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod
bonum est in oculis tuis fecerim. Et ante eum rex Dauid. *Retribuet mihi*
Psal.17.25. *Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mea-*
Ps.25.34.131. *rum retribuet mihi. Quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.*
A.in præfat. Hunc fructum tradit & B. Augustin. enarrans psalmum 31. his verbis.
1.Tim.1.5. *Finis, inquit Apostolus, præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona*
& fide non ficta. Pro spe conscientiam posuit. Ille enim sperat, qui bonam con-
scientiam gerit. Quem verò pungit mala conscientia retrahit se à spe, & non
sibi sperat, nisi damnationem. Vt ergo speret regnum, habeat bonam conscienti-
am, & vt habeat bonam conscientiam, credat & operetur: quia quod credit fi-
dei est, quod operatur charitatis est. Et S. Cyprianus in sermone de Elee-
mosyna. *Præclara,* ait, *& diuina res salutaris operatio, solatium grande cre-*
dentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei,
Matt.5.14. *medela peccati.*

V. quod prouocent, tũ ad glorificandũ Deum, tum ad Christi imi-
tationẽ. Vnde Christus. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant*
1.Pet.2.12. *opera uestra bona, & glorificent Patrem uestrum, qui in cælis est.* Et S Petrus.
Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detra-
ctant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes
glorificent Deum in die visitationis. Ad imitationem sui Christus lauit
Ioan.13.15. discipulis pedes, nam dixit. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego*
1.Pet.2.21. *feci & vos faciatis.* Et S.Petrus. *Christus passus est pro nobis, vobis relin-*
Tit.2.7. *quens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Et S.Paulus ad Titum. *In o-*
mnibus præbe te exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gra-
Heb.13.7. *uitate.* Et ad Hebræos. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locu-*
ti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fi-
dem. Apostoli, S Antonius, Benedictus, Dominicus, Franciscus, Igna-
tius quot hominum myriades bonorum operum exemplo ad imita-
tionem vitæ licet arduæ & religiosæ pellexerunt? Cur tot Sancto-
rum vitæ descriptæ sunt, nisi vt res ab iis gestas cognoscamus & imite-
In uita Moysis. mur? *Idcirco,* inquit Greg. Nyssenus, *credendum est præstantissimorum vi-*
rorum vitas exquisitissimè descriptas, vt vita nostra imitatione ad virtutem
V. Exemplum malum. *rectius deducatur.* Sed plura de hac re in Panario.

VI. Fru-

VI. FRVCTVS, quod promereantur vitam æternam. Nam Christus ipse apud Matthæum docet Apostolos, gaudendum esse in persecutionibus, quia copiosa eos maneat merces in cœlo. *Gaudete,* inquit, *& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* 2. passim in scripturis dicitur, vnicuique reddendum præmium cœleste, secundum mensuram laboris. *Filius hominis,* ait Matthæus, *venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* Et Apostolus ad Romanos. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua.* Et Ioannes in Apocalypsi. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* 3. in iisdem opera pro ratione assignantur, cur detur vita æterna. Nam in die iudicii loquetur Christus. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare.* Et. *Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* 4. in iisdem dicitur regnum cœlorum ex iustitia reddendum bonis operibus. Paulus enim de se ait. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Et iterum. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* 5. in iisdem, qui bona opera fecerunt dicuntur digni præmio vitæ æternæ. *Dignus est operarius,* ait Dominus apud Lucam, *mercede sua. Vt digni,* ait Paulus, *habeamini regno Dei, pro quo patimini.* Et in Apocalypsi. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.*

Mat. 5. 12. — Matt. 16. 27. — Rom. 2. 7. — Apoc. vul. 1. 2. — Matt. 25. 35. — Ibid. 21. — 2. Tim. 4. 8. — Heb. 6. 10. — Luc. 10. 7. — 2. Thes. 1. 5. — Apoc. 3. 4.

NEC aliud Sancti Patres docuere. S. IGNATIVS epistola ad Romanos ita loquitur. *Sinite me bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri* Sanctus CYPRIANVS de vnitate Ecclesiæ. *Iustitia opus est vt promereri quis possit Deum: præceptis eius & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem.* Sanctus Ambrosius libro primo de Officiis. *Nonne euidens est meritorum aut præmia, aut supplicia post mortem manere?* S. Augustinus libro de moribus Ecclesiæ. *Vita æterna est totum præmium, cuius remissione gaudemus. Nec præmium potest præcedere merita, & prius homini dari, quam dignus est Quid enim hoc est iniustius, & quid iustius Deo? non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere.* B. Gregorius libro. 4. moralium. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum, vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.*

A. c. 15. — Au. c. 25. — G. c. 42.

IMMO S. Patres docent Deum remunerari opera bona supra condignum, hoc est plus retribuere, quam iure mereantur: nam scriptura clarè docet apud Matthæum, mercedem fore copiosam in cœlis, & apud Lucam *mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & superefluentem.*

Mat. 5. 12. — Luc. 9. 38. — Matt. 20. 15.

pe∬luentē. Et in parabola vineæ, quibuſdã datur integer denari⁹ diurnus, cũ tamen non integrũ diẽ in labore impendiſſent, nempe ex liberalitate. nã Dominus reſpondit. *An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus neq..ã eſt, quia ego bonus ſum?* Vnde S. Baſilius in pſalmum 114. *Propoſi.a eſt*, inquit, *æterna requies his qui legitimè in hac vita decertarunt, quæ non ſecundum operum debitum ac meritum retribuitur, ſed iuxta magni-*
Fi.c.10. *ficentiam Dei his qui in ipſum ſperauerunt exhibetur.* Et Fulgentius lib. 1. ad Monimum, reddens ratione cur vita æterna dicatur gratia cum merces ſit meriti ita ſcribit. *Gratia autem ipſa non iniuſtè dicitur, quia non ſolum donis ſuis Deus dona ſua reddit, ſed quia tantum etiam ibi gratiæ diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter, atq; ineffabiliter omne meritum quantumuis bonæ, & ex Deo datæ, humanæ voluntatis atq; operationis excedat.*

CAPVT III.

De neceſsitate bonorum operum ad ſalutem.

QVOD bonorum operum exercitatio ad ſalutem ſit neceſſaria tota Scriptura clamat. Nam Chriſtus Dominus imprimis non ſolum præcipit obſeruationem Decalogi, verum etiam eius præuaricatores ſalute æterna diſertè excludit. Cum enim hortatus fuiſſet Apoſtolos in primis ſuæ prædicationis initiis ad bona opera. *Nolite*, addit,
Matt. 5. 17. *putare quoniam veni ſoluere legem aut prophetas, ſed adimplere. Quicunq; ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Dico enim vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra, plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnũ cælorum.* Et rurſus. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Mandata a. ſunt de bo-
Matt. 19. 27. nis operibus præſtandis, & malis cauendis. Vnde cum in iudicio extremo reprobos condemnat, vnam illam cauſam reddit, quod bona
Matt. 25. 41. opera neglexerint. *Diſcedite*, inquiens, *à me maledicti in ignem æternum. Eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare.* Et contra, cum probos ſaluat, illam vnam cauſam reddit, quod bona opera præſtiterint. Deinde perſpicuæ ſunt Apoſtoli Pauli ſententiæ ad Romanos. *Si ſpiritu facta*
Rom. 8. 13. *carnis mortificaueritis, viuetis.* Et. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem con-*
Rom. 10. 10. *feſſio fit ad ſalutem.* Et ad Corinthios. *Id quod in præſenti eſt momentaneum*
2. Cor. 4. 17. *& leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et. *Triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſa-*
2. Cor. 7. 10. *lutem ſtabilem operatur.* Et ad Philippenſes. *Cum metu & tremore veſtram*
Phil. 2. 12. *ſalutem operamini.* Et ad Hebræos. Patientia vobis neceſſaria eſt, vt fa-

erentes voluntatem Dei reporteris promissionem. S. Iacobi quoq; luculenta est oratio. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum?* [Iac. 2. 14.]

S. PATRES idem profitentur. Nam Clemens Alexandrinus. *Gratia*, inquit, *saluamur, sed non absq; bonis operibus.* Et infra. *Quando audierimus, fides tua te saluum fecit, non accipimus absolutè eos saluos futuros, qui quomodocunq; crediderint, nisi facta quoq; fuerint consecuta.* S. Greg. Nazianzenus. *Operare bonum super hoc doctrinarum fundamento, quoniam fides sine operibus mortua est, quemadmodum & opera sine fide.* S. HIERON. in verba Isaiæ. *Murus & antemurale ponetur in ea. Murus*, inquit, *bonorum operum, & antemurale fidei. Non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.* B. CYRILLVS, *Quod fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit scribens. Tu credis quia vnus est Deus, &c.* Sanctus AVGVSTINVS de gratia & libero arbitrio. *Homines*, ait, *non intelligentes, quod ait Apostolus. Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus, putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi malè viuat, & bona opera non habeat, quod absit, vt sentiret vas electionis.* Sanctus PROSPER libro 1. de vita contemplatiua. *Verbum fidei prædicandum est, vt audiens credat, credens intelligat, intelligens bonum opus perseueranter exerceat, quoniam eum, qui potest vti liberæ voluntatis arbitrio, nec opera sine fide, nec fides sola sine operibus iustificat.* Adde CHRYSOSTOMVM qui scribens in dictum Apostoli. *Habentes autem eundem spiritum. Fides*, inquit, *opus habet auxilio spiritus ac præsentia, vt inconcussa permaneat: auxilium autem hoc vitæ puritate, moribusq; probatis retineri apud nos solet. Quare si cupimus fidem radicatam habere, viuendi ratione pura nobis opus est, quæ spiritum retineat, à quo totam fidei vim dependere constat. Impossibile enim est, impossibile profectò, si vitam impuram habeas, in fide non vacillare.* [C. 5. strom.] [G. orat. in San. Lauacrum.] [H. in c. 26. Isaiæ.] [C. lib. 10. in Ioan. c. 18.] [A c. 7.] [Rom 3.] [P. c. 19.] [2. Cor. 4. 13.]

CAPVT IV.

De bonorum operum proprietatibus.

PRIMA proprietas est, quod sint consentanea naturæ. Naturalis enim lex est, quam Christus apud Matthæum tulit, dum ait. *Omnia quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Sicut & illa, de qua testatur Apostolus ad Rom. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter* [Matt 7. 12.] [Rom. 2. 14.]

liter ea quæ legis sunt faciunt, qui ostendunt, opus legis scriptum in cordibus su-is. quod opus legis non est nisi bonum opus legi Decalogi consentaneum. Vnde S. Ambrosius libro de fuga sæculi. *Lex autem gemina est naturalis & scripta: naturalis in corde, scripta in tabulis. Omnes ergo sub lege, sed naturali. Primum natura ipsa boni operis magistra est. Scis non furandum, & seruum tuum, si furtum tibi fecerit verberas, & si quis ad vxorem tuam affectauerit, persequendum putas.*

A.c.3.

II Proprietas, quod sequantur cognitionem, uel cogitationem bonam. *Opera,* inquit Clemens Alexandrinus, *sequuntur cognitionem, non secus ac vmbra corpus.* S. Hieronymus ad Paulam Vrbicam, de interpretatione alphabeti Hebraici. *Nihil facere possumus, nisi prius quæ facienda sunt scierimus.* Et S. Augustinus. *Nullum est opus bonum, cuius non in mente sit cogitatio.* Et iterum. *Omnia opera uel mala, uel bona à cogitatione procedunt. In cogitatione quisq; innocens, in cogitatione reus est, propter quod scriptum est. Cogitatio sancta seruabit te.* Et B. Gregorius libro 10. moralium. *pæne cuncta bona opera ex cogitatione prodeunt. Sed sunt nonnulla cogitationis acumina, quæ ex operatione nascuntur. Nam sicut ab animo opus sumitur, ita rursus ab opere animus eruditur. Mens quippe diuini amoris exordia capiens imperat bona quæ fiant.*

Cl. 7. strom. H. ep. 155. A. in psal. 66. Id. conc. 24. in psal. 118. G. c. 16.

III Proprietas, quod nulla opera bona, hoc est, ad salutem pertinentia præstari possint, uel etiam inchoari sine diuina gratia. Clarè enim Dominus dixit. *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsq; in diem Christi.* Et. *Deus est enim qui operatur velle & perficere pro bona voluntate.* Consentiunt S. PATRES. vt CYPRIANVS libro 3. ad Quirinum. *In nullo,* ait, *gloriandum, quando nostrum nihil est.* Sanctus AMBROSIVS libro 2. in Lucam. *Vides, quia vbique Domini virtus studiis cooperatur humanis, vt nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino.* S. HIERONYMVS contra Pelagianos. *Hoc longa dissertione conclusum est, vt gratia sua Dominus, qua nobis concessit liberum arbitrium, in singulis operibus iuuet atque sustentet.* S. AVGVSTINVS contra duas epistolas Pelagianorum. *Liberum arbitrium dicimus ad bene pieq; viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.* Et de Prædestinatione Sanctorum. *Quod attinet ad pietatem & religionem, non sumus sufficientes cogitare aliquid quasi ex nobis, & nemo sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcunq; opus bonum.* S. Gregorius in Ezechielem. *Nos præuenit Deus, vt velimus, & volentes subsequitur, ne inaniter velimus.*

Ioan. 15. 5. Philip. 1. 6. Ib. c. 2. 13. C. c. 4. A. c. 12. H. lib. 3. A. lib. 2. c. 5. Id. c. 2. G. hom. 9.

V. Proprietas, Opera bona nostra rectè dicuntur & Dei, quia diuina gratia opitulante præstantur, & nostra, quia à libero arbitrio

nostro à Deo adiuto profecta. Vnde sicut, teste Augustino libro de gratia & libero arbitrio, in Scriptura dicitur. *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Et. *Præparatur voluntas à Domino,* ad ostendendam Dei gratiam, ita contra dicitur. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Et. *Hominis est præparare animam,* ad ostendendum hominis arbitrium & cooperationem. Vtrumq; coniunxit Apostolus cum dixit in priore epistola ad Corinthios. *Abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Vnde Hieronymus libro primo dialogorum aduersus Pelagium. *Atticus ait. Hoc mihi respondeas velim quod agis bonum, tuum est an Dei? Critobulus respondet. Meum est & Dei, vt ego operer, & ille adiuuet.* S. Augustinus libro 1. Retractationum. *Eadem regula & vtrumq;* (credere & velle) *ipsius est Dei, quia ipse præparat voluntatem; & vtrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Et S. Bernardus in tractatu de gratia & libero arbitrio. *Per quos & cum quibus operatur Deus, boni sunt vel angeli, vel homines qui quod vult Deus & agunt pariter & volunt. Vnde Paulus cum bona plurima quæ Deus per ipsum fecerat, enarrasset. Non autem ego ait, sed gratia Dei mecum. Potuit dicere, per me, sed quia minus erat, maluit dicere, mecum, præsumens se non solum operis esse ministrum, per effectum, sed & operantis quodammodo socium per consensum.* Et infra. *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; sed vt totum in illo, sic totum ex illa.*

A.c.5.
Zach.1.3.
Prou.16.1.
1.Cor 15.10.
Ac. 23.
1.Cor.15 10.

V. Eorum fundamentum est fides in Christum, quo sublato non prosunt ad salutem. *Qui enim non crediderit,* ait Christus, apud Marcum *condemnabitur.* Et Apostolus ad Hebræos. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Vnde S. Hieronymus in Oseam prophetam scribit, opera bona sine fide, perinde se habere ac membra sine capite. Chrysostomi quoq; in Genesin verba sunt. *Cum rectæ fidei dogmatibus vitam quoq; vestram diligenter curate. Fides enim sine operibus mortua est, & opera sine fide mortua sunt.* Augustinus in psalmum 31. *Ea ipsa opera quæ dicuntur ante fidem quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt: ita mihi videntur esse, vt magnæ uires & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem finis dirigit.* S. Gregorius in Ezechielem *Vnum sine altero nil prodesse ualet, quia nec fides sine operibus, nec opera adiuuant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audire, quam fidelis existeret. Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Et in epistola ad Theodelindam reginam. *Sicut rami sine virtute radicis arescunt, ita opera quantumlibet bona videantur, nulla sunt, si à soliditate fidei disiunguntur.*

Marc.vult.16.
Heb.11.6.
H.iu.c 6.
C.hom.2.
A in præfat.
G.hom.9.li 1.
Act 10.4.
Greg.ep.33 l.3.

V. Opera bona, etiamsi rectissimè fiant ob gloriam Dei, licitè
tamen fieri possunt intuitu mercedis vitæ æternæ. Sic enim loquitur
Psal.118.112. psaltes regius. *Inclinaui cor meum ad faciendum iustificationes tuas propter*
Matt.6.33. *retributionem.* Christus quoque dominus sic præcipit. *Primum quæri-*
te regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Deinde ipse
Matt.4.& 10. spe data regni cœlorum hortatur omnes ad pœnitentiã, & Apostolos
hortari docet. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.*
Col.3.24. Apostolus quoque ita scribit ad Colossenses *Quodcunque facitis ex*
animo operamini, sicut Domino & non hominibus, scientes quod à Domino ac-
Heb.11.26. *cipietis retributionem hæreditatis.* Et in epistola ad Hebræos producit
Moysen in exemplũ, *maiores diuitias æstimantem thesauro Ægyptiorum im-*
properium Christi, aspiciebat enim, inquit, in remunerationem, Immo &
Phil 3.14. seipsum, dum ad Philippenses ait *Ad destinatum persequor, ad brauium*
supernæ vocationis in Christo IESV. Certe ex Patribus Sanctus Cypria-
C.c.vlt. nus, cum libro de exhortatione Martyrii, spe præmii cœlestis marty-
res animasset. *Has cogitationes,* inquit, *quæ persecutio potest vincere? quæ pos-*
sunt tormenta superare? Sanctus Augustinus in psalmum 120. *Si opus bo-*
num in terra propterea feceris, vt terrena tibi cibum dent, scit sinistra tua, quid
faciat dextera tua, miscuisti dexteram sinistræ. Noli facere, nisi propter vitam
æternam: ideo fac & securus facies. Hoc enim mandauit DEVS. Et Sanctus
G.hom.13. Gregorius in Euangelia. *Neque castitas magna est sine bono opere, nec o-*
pus bonum est aliquid sine castitate. Sed si vtrumque agitur, restat, vt quisquis
ille est, spe ad supernam patriam tendat. Demum licet in temporalibus
rebus spectare temporalem finem, vt in pharmaco sumendo sanita-
tem, in serendo agro messem, in bello gerendo victoriam, cur in ope-
re spiritali non liceat spectare et remunerationem spiritalem à Deo
promissam? Dices. S. Bernardum in libro de diligẽdo Deo docere, abs-
que præmij intuitu diligendum Deum. *Vacua namque,* inquit, *vera ca-*
ritas esse non potest, nec tamen mercenaria est. Respondeo, mercenariam
fore si solam mercedem, vel præcipue intueremur. Deinde merces
est Deus ipse, quia beatitudo nostra in visione Dei consistit.

VI. Proprietas est perseuerantia in bonis operibus. *Qui enim*
Matt.10.22. *perseuerauerit vsque in finem,* ait, Christus, *hic saluus erit.* Et Apostolus.
Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.
Gal 6.9. Et. *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad*
Heb 3.14. *finem firmum retineamus.* HIERONYMVS ad Furiam. *Non quæruntur*
H.ep.16. *in Christianis initia, sed finis Paulus male cœpit, sed bene finiuit. Iudæ lau-*
Id.ep.28. *dantur exordia, sed finis proditione damnatur.* Et ad Lucinium. *Cœpisse*
multorum est, ad culmen peruenisse paucorum. Qui in stadio currunt, omnes
1.Cor.9.24. *quidem currunt, sed vnus accipit brauium. At contra de nobis dicitur. Sic cur-*
rite,

rite, vt apprehendatis. Augustinus in sermone ad fratres in eremo. A.serm.8.
Bonum inchoare, & malo fine concludere, quid aliud est, quam monstruosas
res conficere? Illa enim actio quasi chymæra est, quæ initium habet à ratione,
sed finem à sensualitate. Sanctus Bernardus ad Ianuenses. *Tolle perseue-* B.ep.129.
rantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec lau-
dem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in fi-
nem, hic saluus erit.

CAPVT VI.

De mediis quibus perfectionem suam conse- quantur.

PRIMVM Medium est, vt quæcunqe facimus ad gloriam Dei, non 1.Cor.10.31.
nostrã, facimus, iuxta illud Apostoli. *Siue manducatis, siue bibitis, si-*
ue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sic enim etiam adiapho-
ra opera (vt est bibendi & edendi) quæ per se nec bona, nec mala sunt,
prodesse nobis possunt ad salutem: Christus quoque Apostolis dixit.
Sic luceant opera vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glo-
rificent (non vos, sed) *patrem vestrum qui in cœlis est.* Quæ verba tra- Matt.5.16.
ctans Sanctus AVGVSTINVS in psalmum 65. *Nam si,* inquit, *propter*
vos glorificandos facitis opera bona, respondetur vobis, quod ipse dixit de
quibusdam talibus. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Et
iterum. Alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis Matt 5.5.
est. Ergo, inquiens, debeo abscondere opera mea, ne faciam coram hominibus?
Non. Sed quid ait. Luceant opera vestra coram hominibus. Anceps ergo rema-
nebo? Tam non potest homo seruire duobus Dominis diuersa iubentibus, quam
nec vni diuersa iubenti. Non ait Dominus, diuersa iubeo. Finem attende, in
finẽ canta, fine quo facias, vide. Si ideo facis, vt tu glorificeris, hoc prohibui: si au-
em ideo vt Deus glorificetur, hoc iussi. Date gloriam laudi eius.] Totam inten-
tionem nostram in laudem Dei mittit, nihil nobis relinquit, vnde laudemur Et A.con.12.
rursus in psalmum 118 *Magni interest, cum aliquid boni facimus, cuius rei*
contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum non initio sed fine pensan-
dum est, vt sc. non tantum si bonum est, quod facimus, sed præcipuè si bonũ est
ꝓpter quod facimus cogitemus. Huc spectat quod monet alicubi S Amb. A.ser.43.
vt opus omne cum signo crucis inchoemus. *Debemus,* ait, *surgentes gra-*
tias Christo agere, & omne diei opus in signo facere Saluatoris. Nonne cum ad-
huc gentilis esses, solebas signa perquirere? quæ signa quibus reb. essent prospera,
ma-

magna inquisitione colligere. Iam nunc nolo erres in numero, scito, quia in vno signo Christi omnium rerum tuta est prosperitas.

II. Medium est, vt ea exerceamus potius amore iustitiæ, quam formidine pœnæ: *Perfecta enim charitas*, teste S. Ioanne *foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate.* Vnde S. Augustinus in psalmum 77. *Ex corde*, inquit, *nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione iustitiæ. Nam quantum attinet ad facta quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant iustitiam, non furantur, & ideo pares sunt manu, dispares corde: pares opere, dispares voluntate. Ideo illic sic notati sunt. Generatio, inquit, quæ non direxit cor suum. Non dictum est, opera, sed cor. Recto enim corde recta sunt opera. Cum autem cor rectum non est, opera recta non sunt, etiamsi recta videantur.* Et in psalmum 118. exponens verba illa. Bonitatem, uel suauitatem fecisti seruo tuo Domine. *Nihil hic*, ait, *aliud dictum existimo, nisi fecisti vt me delectaret & bonum: quando enim delectat & bonum, magnum Dei donum est. Quando autem bonum opus, quod lex imperat, fit timore pœnæ, non amore iustitiæ, cum Deus metuitur, non amatur, seruiliter fit, non liberaliter. Seruus autem non manet in domo in æternum: filius manet in æternum, quia consummata charitas foras mittit timorem.*

1. Ioa. 4. 18.

Psal. 77. 8.

Aug conc. 17.

III. Medium est, vt dum præstamus bona opera, actu vel saltem virtute in Deum tanquam vltimum & supernaturalem finem ea referamus; docent enim Theologi ea, si in gratia fiant, esse vitæ æternę meritoria. Virtute autem opus in Deum refertur, non si quis initio anni, mensis vel diei omnia futura illo anno vel die opera referat in Deum, sed necesse est vt opus particulare referatur. v. c. si quis mane constituat dalerum integrum eo die propter Deum erogare in pauperes, dicetur virtute referre opus suum in Deum, etiamsi dum pecuniam illam distribuit, nihil de Deo cogitet. Quo spectat illa monitio Apostolica ad Colossenses. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere omnia in nomine Domini Iesu Christi.* Et illud S. Ambrosii. *Relinquenda sunt opera, quæ verum fructum, bonosq; processus habere non possunt, qualia sunt ista mundana, quorum vsus non potest esse diuturnus. Opus est vt opera tua ad Deum dirigas, & eius tibi aspiret fauor.*

Col. 3. 17.

A de Cain & Abel. lib 2. c. 2.

IV. est, vt operibus bonis adiungatur deuota oratio. Vnde in lamentationibus Ieremiæ sub persona pœnitentium dicitur. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. nos iniquè egimus.* Quæ uerba ita exponit S. Hieronymus. *Valde apud Dominum vtraque hæc sibi necessario congruunt, & vt oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Cor enim cum manibus leuat, qui orationem suam operibus roborat.*

Thren. 3.

H. lib 2.

Nam

Nam quiſquis orat, ſed operari diſſimulat, cor leuat, & manus nō leuat. Quiſq́ʒ verò operatur, & non orat, manus leuat & cor non leuat. Iuxta ergo Ioannis vocem (Si cor noſtrum non reprehenderit, nos fiduciam habemus ad Dominum, & quicquid petierimus ab eo accipiemus) tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum ſibi vitæ prauitas nulla contradicit, & bonorum operum ratio orationi concinit. Conſentit Sanctus Bernardus in Natali Domini. *Quærat,* ait, *deuotionis aquas, quiſquis ſeminauerit bonorum operum ſemina, vt irrigatus fonte gratiæ bonæ conuerſationis hortus nō areſcat, ſed in perpetua viriditate proficiat. Orat enim pro huiuſmodi propheta. Et holocauſtum tuum, inquiens, pingue fiat. Sic & laudibus Aaron regis, quoniam ſacrificium eius quotidianus ignis abſumpſit. In quibus omnibus nihil aliud intelligendum videtur, niſi vt bonæ opera feruore deuotionis, & dulcedine ſpiritualis gratiæ condiantur.* 1. Ioan. 3. 21. B. ſerm. 1. Pſ. 19. 4.

V. Medium, vt ceteris operibus adiungatur opus Eleemoſynæ. *Vidi ego,* inquit, S. Baſilius in diuites auaros, *multos ieiunantes, orantes præteritorum pœnitentia ſuſpirantes, omnem denique ſumptu pietatem oſtendentes, egentibus verò ne obolum quidem præbentes. Quid his cetera virtutum diligentia prodeſt? Non propterea regnum Dei conſequentur. Idcirco inquit Dominus. difficilius eſt diuitem intrare in regnum cœlorum, quam camelum per foramen acus. Hoc teſtimonium validum. Qui teſtatur verus, perſuaſi verò pauci.* Baſ. hom. 4. Matt. 19. 24.

VI. Medium, vt de bonorum operum noſtrorum meritis humiliter ſentiamus & loquamur, tum quia nemo abſq; reuelatione certò ſcire poteſt, ſe habere vera merita, tum quia facile ex bonorum operum conſideratione in hac vita ſuperbia gignitur. Vnde Daniel ſic Deū precabatur. *Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Et Chriſtus Dominus apud Lucam monet ſuos. *Cum feceritis hæc omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus.* Et Eccleſia ſancta aliquando his verbis orat. *DEVS, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus.* Et. *Vbi nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum, tuis nobis ſuccurre præſidijs,* Et S. Patres ita docuerunt. Chryſoſtomus in illud. Elatum eſt cor Oziæ. *Nihil,* inquit, *perinde gignit ſuperbiam, vt bona conſcientia, niſi aduigilemus. Vnde & Chriſtus ſciēs, quod poſt benefacta nos hic morbus adoritur, dicebat diſcipulis. Cū omnia feceritis, dicite, ſerui inutiles ſumus.* Et in Matthæum. *Noli mercedem repoſcere, vt accipias mercedem. Tu ſaluari te per gratiam confitere, vt ſe ille tibi debitorem fateatur, nec modo pro operibus tuis, ſed etiam pro hac æquanimitate. Quando enim aliqua præclarè fecerimus, habemus eum debitorem ob res bene geſtas, quādo verò arbitramur nihil nos operatos egregium am-* Dan. 9. 18. Luc. 17. 10. Dom. Sexageſ. Do. aduentus. C. hom. 3. Id. hom. 3.

plius etiam ob talem meremur affectum, quam propter opera ipsa quæ fecimus. Minimum itaq; de se sensisse, tàm magnum est, quam maximas res fecisse. Et G.c.6. Sanct. Gregorius libro 5. moralium. *Sæpe* ait, *qui in potestate sunt, ea quæ rectè faciunt, quia elatè cogitant, amittunt, dumq; se ad cuncta vtiles æstimant, etiam impensæ vtilitatis sibi meritum damnant. Vt enim cuiuslibet facta digniora sint, necesse est vt ei apud se semper indigna videantur, ne eadem bona actio agentis cor subleuet; & subleuando plus authorem de elatione deijciat, quam ipsos forte, quibus impenditur, iuuat.* HABEMVS huius medii P. in vita eius. illustria exempla duo. Primum S. Ambrosii, qui teste Paulino, morti vicinus sic circumstantes allocutus est. *Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Quæ verba, P. in vita Sanct. August. vt habet Possidius, S. Augustinus valde laudare solebat, dicebatque Ambrosium ita locutum, ne videretur præsidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse, & ideo magis de bono Domino, quàm de suis meritis confisum. Alterum est S. Bernardi, qui epistola 310. quam paulo ante mortem dictauit, ita loquitur. *Orate Saluatorem, vt tempestiuum iam exitum non differat, sed custodiat: curate munire votis calcaneum nudum* B. ep. 42. & in psal. 90. *meritis.* Et alibi non semel docuit vtilissimum esse coram Deo non iustitiam prætendere, sed misericordiam postulare, *Felix Ecclesia* ait sermone 68. in Cantica, *cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absque meritis deest. Habet merita, sed ad promerendum, non ad resistendum.*

VII. & extremum, quod eodem fere tendit, est vt opera nostra potius occultemus, quam diuulgemus, ob periculum vanæ gloriæ, H. ep. 22. quæ teste Hieronymo ad Eustochium, velut vmbra corpus vbiq; vir- Matt. 6. 5. tutem sequitur. Quod medium suggessit Dominus, cum apud Matthæum iubet orantem sese recipere intra cubiculum, & ieiunantem lauare faciem, & eleemosynam dantem ita dare, vt nesciat sinistra, C. hom 3. in Matth. quid faciat dextra. *Sicut vestem pretiosam,* ait Chrysostomus, *cum in publico ponimus plurimos ad insidias prouocamus, si verò domi recondamus in tuto cuncta seruamus: sic si opes virtutum palam quasi venales assiduè portemus in mente inimicum irritamus ad furtum: sin verò nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latent, tutissimo in loco consistent.* Et S. Gregorius libro G.c.18. 18 Moralium. *Sanctorum virorum est, bona quæ fecerint occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Vnde per semetipsam veritas dicit. Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Matt. 9. 30. *Hinc est etiam quod duos cæcos iuxta viam sedentes illuminans præcepit dicens Videte ne quis sciat de quibus ilico scriptum est. Abeuntes diffamauerunt eum per totam terram illam. Sed quærendum nobis est, quid sit hoc, quod ipse omnipotens, cui hoc est velle quod posse, & taceri virtutes suas voluit, & tamen*

ab his qui illuminati sunt inuitus indicatur: nisi quod seruis suis se sequentibus exemplum dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio, necessitate publicentur, & eorum occultatio sit custodia propria, eorumq; publicatio sit vtilitas aliena. Similia habet homilia 11. in Euangelia. & in 3. parte Pastoralis admonitione 36.

VIDE. V. *Charitas. Eleemosyna. Fama bona. Fides. Hospitalitas. Intentio Iustitia. Oratio. Profectus spiritualis. Satisfactio. Virtus. Et in* PANARIO. *Acedia. Colloquia otiosa. Exemplum malum. Immodestia. Ludus aleæ. Otium. Pigritia. Tepiditas.*

ORATIO.

CAPVT I.

De Definitione & partitione Orationis.

SI de nomine agatur *Oratio*, inquit S. Hieronymus in epistola ad Cyprianum, *iuxta Grammaticos omnis sermo loquentium est cuius etymologiam sic explicant, est oris ratio. In scripturis autem sanctis difficile orationem iuxta hunc sensum legimus sed eam quæ ad preces & obsecrationes pertinet.* Quo significatu non eodem modo à Sanct. Patribus definitur. ORATIO, inquit Sanct. BASILIVS oratione in martyrem Iulittam, *est boni cuiuspiam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur.* Greg Nyssenus de oratione Dominica. *Oratio est conuersatio, sermocinatioq; cum Deo.* Chrysostom. in Genesin, & libro primo de orando Deum. *Oratio est colloquium cum Deo.* S. Augustinus in sermonibus de Tempore *Quid autem oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium?* Damascenus libro 3. orthodoxæ fidei. *Oratio est ascensio mentis in Deum.* Ex his omnibus definitionibus vna perfecta conflari potest huiusmodi. Oratio est colloquium cum Deo, quo petimus, quæ nobis aut aliis sunt salutaria. Dicitur, *colloquiũ cũ Deo*, quia hoc discrepat à lectione oratio q; in lectione spiritali Deus loquatur nobis, in oratione nos Deo. Vnde Hieron. ad Eustochium de custodia Virginitatis. *Semper te cu-*

H.ep.139. B.hom.5. N orat.1. G.hom.30. A.ser.230. D.c.24. H.ep.22.

biculi tui secreta custodiant, semper tecum sponsus ludat intrinsecus. Oras, loqueris ad sponsum: legis, ille tibi loquitur. Et Augustinus in psalmum 85. *Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur, quando oras cum Deo loqueris.* Secundo dicitur in definitione, *quo petimus salutaria,*
Matt. 7. 7. quia hic agimus de precatione, qua aliquid à Deo petitur, iuxta illud.
Petite, & dabitur vobis: quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Vnde August. sermone 126. de tempore, agens de oratione Dominica quæ 7 habet petitiones. *O verè* ait, *cælestis oratio, quæ tota est oratio.*

Phil. 4. 6. PARTITIO Orationis potest esse triplex. Prima est S. Pauli, quam tradit in epistola ad Philippenses. *In omni,* inquiens, *oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.*
1. Tim. 2. 1. & in priore ad Timotheum. *Obsecro igitur primum omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* S. Hilarius in psalmum 140. appellat quatuor genera orationum. S. Chrysostomus in epistolam ad Timotheum cum Theophylacto, & S.
A. ep. 59. q. 5. Augustinus in epistola ad Paulinum, existimant Apostolum loqui de
Am. c. 5. variis orationibus sacrificii Missæ, alii de quibusuis, vt S. Ambrosius libro 6. de sacramentis. Hilarius loco citato. Theodoretus in com-
Cas. c. 9. & seq. mentariis Paulinis. Io. Cassianus collatione 9. S. Bernardus in sermone de 4. modis orandi, sed in explanatione vocum non conueniunt. Id videtur liquere, Apostolum, cum bis repetierit has 4. voces, discrimen aliquod inter eas constituisse. Videtur autem partitionis vim in materia orationis, quæ est res bona, vel mala, præterita vel futura collocasse, vt sensus Apostoli sit, orandum esse Deum pro malis auertendis, & bonis accipiendis, & quidem vtraq; postulanda esse in futurum, & pro impetratis gratias agendas. Videtur autem, vt habet Theodoretus & Augustinus, per *obsecrationes,* deprecationes malorum. per *orationes* verò petitiones bonorum intellexisse. Altera Partitio est. Oratio alia est Mentalis, alia mentalis simul & vocalis. Nam vocalis tantum, valet potius ad prouocandam Dei iram; quam ad
Isa. 29. 13. auertendam, iuxta illud. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum*
A. c. 4. *longe est à me.* Mentalis sæpe vtilior est Vocali, nam teste Ambrosio loco allegato. *Qui in silentio orat, fidem defert, & confitetur, quod Deus scrutator cordis & renis sit, & orationem tuam ante ille audiat, quam tuo ore*
H. in. c. 6. Matt. *fundatur.* Et S. Hieronymus quidem id à Christo apud Matthæum docet præceptum, cum ait. *Ora patrem tuum in abscondito. Mihi videtur,* inquit, *hoc magis esse præceptum, vt inclusa pectoris cogitatione, labiisque compressis oremus Dominum quod & Annam in Regum volumine fecisse legi-*
1. Reg. 1. 13. *mus. Labia, inquit, eius tantum mouebantur, & vox illius non audiebatur.* Et
G. c. 18. S. Gregorius libro 22. moralium, idem tradit, causamq; reddit. *Vera*

quippe

quippe postulatio, ait, *non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valen-*
tiores namq; voces apud secretissimas aures Dei; non faciunt verba nostra, sed Psal. 9.17.
desideria. Vnde rectè per psalmistam dicitur. Desiderium pauperum exaudiuit
Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Tertia Partitio est.
Oratio alia est publica, alia priuata. Publica dicitur, quæ nomine toti-
us populi in Ecclesia à Sacerdotibus peragitur, vt in Sacrificio Missæ.
Priuata est, quam singuli priuatim quocunq; loco peragunt, de qua S. 1.Tim.2.8.
Paulus. *Volo ergo viros orare in omni loco.*

CAPVT II.

De excellentia & dignitate Orationis.

EXCELLENTIAM Orationis multa in diuinis litteris produnt.
Ac primum, quod scriptum sit Moysis vultum ex colloquio cum
Deo habito ita radiis collustratum, vt populus Israheliticus non po-
tuerit oculos in illum intendere, vt est in Exodo, & posteriore ad Co- Exod. 34.30.
rinthios epistola S. Pauli. Deinde quod precibus suis Dominum qua- 2.Cor. 3.13.
si coegerit ad condonandam noxam eidem populo. Ita enim in Exo- Exo. 32.9.
do Dominus eum alloquitur. *Cerno, quod populus iste duræ ceruicis sit: di-*
mitte me, vt irascatur furor meus contra illos, & deleam eos, faciamq; te in
gentem magnam. Et psaltes regius de eodem. *Et dixit, vt disperderet eos, si* Psal. 105.23.
non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. Eadem da
causa Hieremiæ prophetæ vetuit ne oraret. *Tu ergo*, inquit, *noli orare*
pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem & non obsistas mihi, Ierem 7.16.
quia non exaudiam te. In quæ verba S. Hieronymus. *Ne videatur rogans*
propheta non impetrare quod postulat, præcipit Deus, ne pro populo peccatore, & H. in c.7. Ierem.
nullam agente pœnitentiam deprecetur. Quod autem dicit, & non resistas mihi,
illud ostendit, quod Sanctorum preces iræ Dei possint resistere. Vnde & Dominus
loquitur ad Moysen. Dimitte me. Et in epistola ad Gaudentium. *Quando* Exo. 32.9.
dicit, Dimitte me, ostendit se teneri posse, ne faciat, quod minatus est. Dei enim H. ep. 12.
potentiam serui preces impediebant. Deinde Oratio in psalmis confertur
cum sacrificio. *Dirigatur mea*, ait Dauid, *sicut incensum in conspectu tuo,* Ps. 140.2.
eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Et Deus apud Isaiam Isa. 56.7.
Domus mea, inquit, *domus Orationis vocabitur cunctis populis*, significans
orandi functionē, notam fore populo Christiano, qua toto mundo co-
gnoscatur & discernatur ab aliis nationibus. Deniq; non semel indi-
cat Scriptura angelorum ministeriū in hoc maximè excubare, vt pre-
ces nostras deferant in cælum. Nam Raphael angelus dixit Tobiæ. Tob. 12.12.
Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, &c. *ego obtuli orationem*

Act. 10. 10. *tuam Domino.* Et in Actis Apostolicis refertur Cornelium deprecantem Deum semper, manifeste vidisse *angelum Dei introeuntem ad se & dicentem sibi. Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Christo oranti in horto apparuit, teste Luca, *angelus de cœlo confortans eum.* Petro quoq; Apostolo, cum oratio sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo fieret, astitit angelus cum magno fulgore & è carcere eduxit, vt est in Actis.

Luc. 22. 43.
Act. 12. 7.

Tert. de orat.

QVOD ad veteres Patres attinet, vetustissimi duo Tertul. & Cyp. libellum integrũ de Oratione Dominica ediderunt, quorum ille posita quæstione, cur S. Ioan. Baptista, cum docuerit suos discipulos orare, nullam tamen formulam orandi reliquerit, respondet. *Ideo nec exstat, in quæ verba docuerit Ioannes adorare, quod terrena cœlestibus cesserit. Qui de terra est, inquit, terrena fatur, & qui de cœlis adest, quæ vidit ea loquitur. Et quid non cœleste, quod Domini Christi est? vt hæc quoq; orandi disciplina.* Et paulo post. *Neq; n. propria tantum orationis officia complexa est, venerationẽ Dei aut hominis petitionem, sed omnem pœne sermonẽ Domini, omnem commemorationem disciplinæ, vt reuera in oratione breuiarium totius Euangelij comprehendatur.* Cyprianus vero ita de ea loquitur. *Qualia sunt fratres charissimi orationis Dominicæ sacramenta, quam multa, quam magna, breuiter in sermone collecta, sed virtute spiritualiter copiosa, vt nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus, atq; orationib. nostris cœlestis doctrinæ compendio comprehendatur.* Greg. Nyssenus libro de Oratione. *Oratio corporum robur est, abundantia domus, recta legum ac iuris in ciuitate cõstitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, coniunctorum conseruatio. Oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus, eiusdem cum angelis honoris conditio, præsentium fructus, futurorum repræsentatio.* AMBROSIVS in psalmum 118. *Sunt etiam Orationis dignitates: si pro vidua roges, si roges pro pupillo, si roges pro misericordi, si roges pro nimium deuoto ac fideli, si roges in tribulatione, si roges cum dolore, si mæsto & ipse qui rogas compatiaris affectu intrat oratio tua Dei gratiam, intrat domum eius, si tecum Ecclesia deprecetur, si populus vniuersus imploret, vt Domini inclinet fauorem.* Chrysost. in Genesin. *Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, refugij locus. Oratio enim colloquium est cum Deo | Quod vt scias audi prophetã dicentem. Iucundum sit Deo eloquium meum: hoc est sermo meus appareat Deo.* Et libro primo de orando Deum. *Quis non obstupescat & admiretur, tantam beneuolentiam erga nos Dei, vt mortalibus tantum honoris largiatur, vt dignos nos habuerit qui cum ipso colloquamur, nostraq; vota apud ipsum deponamus? Nam verè profecto cum Deo confabulamur, quoties vacamus depreca-*

Cy. de orat. Dom.

A. ser. 22.

C. hom. 30.

Psal. 103. 34.

tioni: per quam simul & angelis copulamur, & societatem, quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus est deprecatio, superans interim etiam illorum dignitatem, si tamen maius est angelorum dignitate, colloquium miscere cum Deo. Atqui quod id sublimius sit, ipsi nos docent, multo quidem cum tremore vota sua offerentes. Et circa finem. *Cũ profitear deprecationem caput esse bonorum omnium, basim ac radicem vitæ frugiferæ, non est quod quisquam verbis illis Domini* (non omnis qui dicit mihi Domine, domine, intrabit in regnum cœlorum) *abutatur ad excusationem suæ socordiæ. Neque enim sola temperantia potest homini salutem adferre, si cætera desint bona, neq; cura pauperum, neq; benignitas, neq; quisquam aliorum, quæ cum virtute geruntur, sed oportet vt omnia simul concurrant in animas nostras. Cæterum precatio ceu radix & basis omnib. cæteris substernitur.* S. Ephræm sermone de Virginitate. *Desidera orationem, familiare cum Deo colloquium. Omnis enim oratio sancta & pura cũ Deo familiariter agit. Oratio autem perfectè Deum desiderantium magna cum lætitia, fiduciaq; multa ipsum etiam cœlum iugiter penetrat. In ipsa angeli atq; archangeli exultant, & coram throno sancti & excelsi vniuersorum Domini illam statuunt.* S. Bernardus in Cantica. *Attendite principes vestros, cum statis ad oran-* B. serm. 8.
dum vel psallendum, & state cum reuerentia & disciplina, & gloriamini, qa angeli vestri quotidie vident faciem patris. Nimirum missi in ministerium propter nos, qui hæreditatem capimus salutis, deuotionem nostram in superna ferunt, referunt gratiam. Vsurpemus officium, quorum sortimur consortium, vt in ore infantium & lactentium perficiatur laus.

CAPVT III.

De necessitate vsurpandæ orationis.

NECESSITATEM nobis incũbere DEVM sæpe deprecandi documenta & exempla passim in scripturis ostendunt. Nam inprimis Psal. 11. 4.
regius psaltes, cum dixisset in psalmo 31. *Tu remisisti impietatem pec-* Psal. 36 7.
cati mei, adiecit. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus.* Et alibi. *Subditus esto Domino, & ora eum.* Et. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo* Psal. 49 14.
vota tua. Et inuoca me in die tribulationis, & eruam te & honorificabis me. Eccli. 3. 4.
Ecclesiasticus quoque ita loquitur. *Qui diligit Deum, exorabit pro pecca-* Eccli. 18. 22.
tis, & continebit se ab illis. Et. *Non impediaris orare semper, & ne verearis v-* Ib. 8. 9.
sque ad mortem iustificari. Et. *Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum & ipse curabit te.* Deinde Dominus apud Matthæum Matt. 7. 7.
Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.

Matt.26.41. *Omnis enim qui petit accipit.* Et. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentati-*
Marc.13.33. *onem.* Et apud Marcum. *Videte, vigilate & orate, nescitis enim quando tem-*
Luc.18.1. *pus sit.* Et Lucam. *Oportet semper orare, & non deficere.* Et. *Vigilate itaq; o-*
Luc.21.36. *mni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt.*
Philip.4.6. Paulus quoq; ad Philippenses. *In omni oratione & obsecratione cum gra-*
Col.4.2. *tiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Et ad Collossen-
ses. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul &*
Thes.5.16. *pro nobis* Et ad Thessalonicenses. *Sine intermissione orate, in omnibus gra-*
tias agite. Hæc enim est voluntas Dei in Christo IESV in omnibus vobis. Ad
Iac.1.5. hæc B. Iac. P *Si quis vestrũ indiget sapientia postulet à Deo qui dat omnib. af-*
1. Pet.4.7. *fluenter.* Et S. Petrus. *Estote prudentes, & vigilate in orationibus.* Exem-
pla orantium, quia innumera sunt, omitto. S. Patres quoque hanc ne-
cessitatem sæpe inculcarunt, vt S. Cyprianus libro de oratione Do-
minica. *Inter cætera salutaria sua monita & præcepta Christus etiam orandi*
ipse formam dedit, ipse quid precaremur monuit, & instruxit. Et iterum. *Quæ*
vera magis apud Patrem precatio, quam quæ à filio, qui est veritas, de eius ore
Marc.7.9. *prolata est? vt aliter orare quam docuit, non ignorantia sola sit, sed culpa,*
quando ipse posuerit, & dixerit. Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem ve-
stram statuatis? Tertulliani quoque in exhortatione ad castitatem di-
ctum est. *Si quotidie omni momento oratio hominibus necessaria, vbique &*
continentia, quæ orationi necessaria sit. S. Chrysostomus libro primo de
orando Deum. *Quisquis non orat Deum,* inquit, *nec diuino colloquio cupit*
assiduè frui, is mortuus est, & vita carens, expersque sanæ mentis. Nam hoc i-
psum euidentissimum est amentiæ argumentum non intelligere magnitudi-
nem huius honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum,
quod animæ mors sit, non prouolui ad Dei genua. Quin insuper quod oporteat
quauis morte tristius existimare, si quis deprecatione priuetur pulchrè nos do-
Dan.6.10. *cet Daniel ille, propheta magnus, qui maluerit emori, quam triduo duntaxat ar-*
ceri ab orando. Et paulo post. *Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpli-*
citer impossibile sit absque precationis præsidio cum virtute degere, cumque hac
huius vitæ cursum peragere. Etenim qui fiat, vt quis virtutem exerceat, nisi
continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur homi-
nibus? Et rursus libro secundo. *Iam vero si quis dicat animæ neruos esse de-*
precationem, mea quidem sententia verum dixerit. quemadmodum enim cor-
pus neruis cohæret, currit, viuit, stat, & compactum est: adeo, vt si neruos inci-
deris, vniuersam corporis harmoniam dissolueris: itidem animæ per sanctas
preces sibi constant & compinguntur, ac pietatis cursum facile peragunt. Quod
si teipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxe-
ris. Vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio: per hanc datur velut ex a-
A.ep.121.c.8. *quis subuolare, cælumque transcendere.* S. Augustinus epistola ad Probam

Qui-

Qui nouit, inquit, *bona data dare filijs suis, petere nos, & quærere, & pulsare compellit. Quod quare faciat, qui nouit quid nobis necessarium sit priusquam petamus ab eo, mouere animum potest, nisi intelligamus, quod Dominus & Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere, quod præparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad accipiendum parui & angusti sumus.* Et ad Hilarium. *Omnibus necessaria est oratio Dominica,* Id ep.89.
quam etiam ipsis arietibus gregis, id est, Apostolis suis Dominus dedit, vt vnusquisque Deo dicat. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cui enim hæc in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hic sine peccato viuere pronunciandus est. Et libro de natura & gratia. *Sicut oculus* A.c.26.
corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere, sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æternæ luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere. at illa lux oratione impetratur.

CAPVT IV.

De multiplici orationis fructu.

PRIMVS fructus est, quod penetret cælos, iuxta illud Ecclesiasti- Eccli 35.21.
ci. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & non discedet donec altissimus aspiciat.* Vnde Sanctus AVGVSTINVS. *Clamauit de profundo Ionas* A.in psal.29.
de ventre cœti. erat non solum sub fluctibus, verum etiam in visceribus belluæ, nec tamen illud corpus & illi fluctus intercluserunt orationem ne perueniret ad Deum, & venter bestiæ non potuit tenere vocem deprecantis, Penetrauit omnia, dirupit omnia, peruenit ad aures Dei, quando aures Dei in corde precantis erant.

II. Fructus est, quod à Deo impetret remissionem peccatorum. Nam in oratione Dominica Christus iussit nos dicere. *Dimitte* Matt.6.
nobis debita nostra. Et Publicanus orans & dicens. *Deus propitius esto mihi peccatori, descendit in domum suam iustificatus,* vt est apud Lucam. Luc.18.
Vnde CHRYSOSTOMVS libro primo de orando Deum. *Etiamsi,* inquit, *nos peccatis refertos precatio deprehenderit celeriter purgatos reddit. Quid itaque maius, aut diuinius obtingere possit, quam deprecatio, cum hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat? Quod enim ani-* Luc 18.
mam peccatis obnoxiam deprecatio facile puram reddat, docet nos publicanus ille qui petijt à Deo remissionem peccatorum & impetrauit. Docet & leprosus, qui simul vt procidit ad pedes Dei mundatus est.

III. Fructus est, quod dæmonem repellat, eiusq; tentationes Nam & in oratione Dominica id petimus. *Et ne nos inducas in tentationem sed libera nos à malo.* Christus quoq; monuit genus quoddam dæmoniorum non expugnari, nisi ieiunio & oratione. Vnde Chrysost. loco citato. *Si dæmones nos conspexerint deprecatione communitos illico resiliunt, non aliter quam prædones ac facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum precationis præsidio, hic auulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates variaq; mala impellitur.* Et S. August. libro 10. de ciuitate Dei. *Vera pietate homines Dei aeream potestatem inimicam, contrariamq; pietati exorcizando eÿciunt, non placando: omnes tentationes eius vincunt orando, non ipsam, sed suum Deum aduersus ipsam. Non enim aliquem vincit, aut subiugat nisi societate peccati.*

Matt. 6. Matt. 17. 21. A. c. 22.

IV. Fructus, quod valeat etiam ad vincendos hostes visibiles homines, & alia mala auertenda, quod multis Scripturæ exemplis ostendi potest. Pauca è multis numerat Augustinus alicubi his verbis. *O quam grandis est ipsius orationis causa, ô quam grande mysterium. Ecce Moyses orabat in monte, & Iosue Amalech deuincebat. Per orationem Ezechias sanatur, & salutem animæ & corporis adipiscitur. Per orationem Saulus efficitur Paulus, & Doctor gentium, Hieremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, Iob in sterquilinio nudus triumphat, Susanna inter senes defenditur, paradisum de cruce latro inuenit. Stephanus de torrente in cælum suscipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur.*

A. ad frat. in erem. serm 22.

V. quod in iustis mereatur incrementum in virtute, & ipsam vitam æternam. Clare enim dixit Dominus apud Matthæum. *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.* Loquitur autem de mercede reddenda. Vnde S. Chrysost. in psalmum septimum. *Deo magnæ,* inquit, *curæ est, vt in virtute crescamus. Nihil autem æquè facit in virtute crescere, atq; cum Deo assiduè versari & colloqui, eiq; perpetuo gratias agere & psallere.* Et libro primo, de modo orandi Deum. *Si qui cum Cæsare miscent sermones, familiariterq; cum eo versantur, non possunt esse pauperes: multo minus fieri potest, vt qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes animas habeant mortales. Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ex quo consequitur, animæ vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piam, ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatũ auget, ac ceu thesaurum animis nostris recõdit.*

Matt. 6.

VI. quod valeat ad satisfaciendum pro pænis peccato debitis; neq; enim cum in oratione dominica petimus dimitti debita nostra, duntaxat petimus peccatum remitti quoad culpam, sed etiam quoad pænam. Deinde omnis qui peccat iniuriam facit Deo, ac ideò debitor

est Satisfactionis. Exemplum habemus Dauidis, qui tot psalmis compositis peccata sua defleuit, vt Deo satisfaceret. Item Manasse, de quo in secundo Paralipomenon sic legitur. *Qui postquam coangustatus est orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusq; est eum: & exorauit intentè, & exaudiuit orationem eius, reduxitq; eum Hierusalem in regnum suum.* Vnde S. Augustinus in Enchiridio. *De quotidianis autem breuibus leuibusq; peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur quotidiana oratio fidelium satisfacit.* Et S. Leo de ieiunio decimi mensis. *Oratione propitiatio Dei quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur.* 2. Par. 33. A. c. 71. L. serm. 1.

VII. quod impetret omnia subsidia ad vitam tam corporalem quam spiritualem necessaria, quæ nomine PANIS quotidiani in oratione Dominica S. Patres intelligenda volunt. Imo crebro plura impetrat, quam petantur, quod probat S. Hieronymus libro commentariorum in Isaiam exemplo Ezechiæ regis, cui post orationem cum lachrymis habitam *adijciuntur*, inquit, *quindecim anni ad vitam, quos ille non postulauerat, & insuper viuente eo regni securitas repromittitur.* Et Greg. Nazianzenus exemplo Alexandri Episcopi Constantinopolitani, qui cum tota nocte cum lacrymis Deum precatus esset, ne Arius in Ecclesiam, (quod fraude impetrarat à Constantino Imperatore) reciperetur, postero die horrenda morte sublatus est. Verba eius sunt. *Egregij illius Alexandri discipuli estis, magni Trinitatis propugnatoris & præconis, qui & verbis & rebus impium errorem depulit ac profligauit. Neq; enim memoria vobis excidit Apostolica illa oratio, quæ impietatis auctorem atq; antistitem sustulit, idq; in locis impurissima lingua dignis, vt nimirum contumelia contumeliam vlcisceretur, ac iusta morte mors animarum iniusta sempiterno dedecore inureretur.* Nec enim aliud Alexander postularat, quàm vt è vita tolleretur ante ingressum in Ecclesiam, non autem vt in latrinis, instar Iudæ medius creparet, & cum illis animam effunderet. Isa. 38. G. orat. ad Constantinop. Theod. lib. 1. Eccl. hist. c. 14. Socr. lib. 1. c. 25.

VII. quod orationi deditis, sæpe magnam conciliet voluptatem spiritus, quod probat S. Bern. ser. 5. de Quadragesima, verbis prophetæ Dauid dicentis. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Psal. 36. *Quid ô propheta*, inquit, *quod tam absolutè mones delectari in Domino, ac si ad manum nobis sit huiusmodi delectatio? Delectationem cibi, somni, & quietis, & ceterorũ, quæ in terra sunt, nouimus Deus a quam delectationem habeat, ut in eo delectemur? Fratres mei seculares hoc dicere possunt, vos non potestis. Quis enim vestrum est, qui non sæpe expertus sit conscientiæ bonæ delectationem? qui non gustauerit saporem castitatis, humilitatis, charitatis? Non est hæc delectatio potus neq; cibi aut similis cuiuslibet rei, delectatio tamen est. & maior omnibus illis diuina est, & non carnalis delectatio, & cum in his delectamur.*

ctamur planè delectamur in Domino. Quanta autem delectatio sit hæc, inde coniici potest quod legamus multos Sanctos integras noctes, imò plures dies & noctes in oratione continuasse.

CAPVT V.

De conditionibus, quibus oratio redditur efficax ad impetrandum.

Ch.in psal.7. QVONIAM *hoc perpetuo seruandum est*, auctore S.Chrysostomo, *vt non solummodo oremus, sed ita oremus, vt etiam exaudiamur*, operæ pretium est cognoscere conditiones, quibus oratio efficax redditur ad impetrandum. Oratio enim, vt idem ait, non est aliud quam *medicamentum, ex quo vtilitas multa capitur, nisi rectè adhibeatur.* Prima autem
Rom 10.14. conditio est FIDES vera in Christum. *Quomodo enim inuocabunt*, ait
Mar.11.24. Apostolus, *in quem non crediderunt?* Et Christus apud Marcum. *Quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis. Quæcunq; petitis*, intellige, bene:
Iac.4.3. quia S.Iacobus quibusdam dicit. *Petitis, & non accipitis, eo quod malè pe-*
A.ser.36. *tatis.* Vnde S.Augustinus de Verbis Domini. *Si fides deficit*, inquit, *oratio perit. Quis enim orat, qui non credit? Vnde & beatus Apostolus, vt ostenderet fidem fontem esse orationis, ait Quomodo autem inuocabunt, in quem non*
Id.in ps.108. *crediderunt?* Debet autem Fides esse in Christum, quia oratio quæ non *fit per Christum*, ait idem alibi, *non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.*

II. Conditio est FIDVCIA, quam exegit Dominus à Paralyti-
Matt.9.2. co, cui dixit *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Eidem promisit De-
Ps.90.14. us impetrationem in psalmis. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum: inuo-*
Cass.c.32. *cabit me, & ego exaudiam eum.* Certe Cassianus collatione 9. signum certum impetrationis esse docet, cum quis in oratione magnam fiduciam sensit. Sed quià hæc fiducia nascitur ex bonis operibus vel iustitia, fit tertia Conditio.

III. est Charitas, vel iustitia. Caritas enim vera perfectaq; iustitia est, vt alibi ex S.Augustino dictum est. Vnde S.Ioannes in priori epistola. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, &*
1.Ioan.3.21. *quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea*
Psal.33.16. *quæ sunt placita coram eo facimus.* Et Psalmista. *Oculi Domini super iustos,*
Ioan.15.7. *& aures eius in preces eorum.* Et Christus apud Ioannem. *Si manseritis in me & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis petetis, & fiet*

vobis.

vobis. Chrysostomus quoq; exponens initium psalmi 4. *Cum inuoca-*
rem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ. Ante alia omnia oportet eum qui precatur
habere fiduciam, & postulatum omnino consequetur. Et ideo propheta non di-
xit exaudiuit me, sed iustitiam meam, suam in Deum fiduciam ostendens, &
quod cum ea omnino ad Deum accedit. Ne dicat enim quispiam, ille fuit exaudi-
tus, quoniam erat Dauid, ego verò non exaudiar, quoniam sum pusillus & ab-
iectus, ostendit quod nec illum audit quomodocunq́, nec te non audit temere, &
nulla ductus ratione, sed semper res & facta exactè contemplatur. Quæ si ha-
bueris, & eorum possis vti defensione, omnino exaudieris.

IV. est. Humilitas, qua orans non in sua iustitia, sed in Dei fidit Luc.18.11.
misericordia. Ad quam conditionem tradendam Christus apud Lu-
cam induxit parabolam de pharisæo nimium suæ iustitiæ fidente, & Isa.66.2.
publicano. Vnde Deus ipse apud Isaiam. *Ad quem aspiciam nisi ad pauper-*
culum, & contritum spiritu & trementem sermones meos? Et Iacobus. *Deus* Iac.4.6.
superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Exempla habemus duo. A- Gen.18.27.
brahæ & Danielis. Ille sic orat. *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis* Dan.9.18.
& cinis. Hic verò. *Neq; enim*, inquit, *in iustificationibus nostris prosternimus*
nos ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Eam omnes S. Patres
requirunt ad exauditionem. Vnam tantum S. Bernardi in sermone de B.ser.5.
Quadragesima describam sententiam. *Sed & vitam æternam fortassis*
aliqui non in humilitate quærunt, sed tanquam in fidutia suorum meritorum.
Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciam donet orandi, sed non oportet, vt in
ea quisquam constituat fiduciam impetrandi. Et infra. *Sit oratio in omni hu-*
militate præsumens de sola, vt dignum est, miseratione diuina.

V. Conditio est, Deuotio, vt nempe oratio sit seria, feruens &
ex intimo corde profecta. Sic orabat enim rex Dauid cum diceret. *De* Ps.129.1.
profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. In quæ verba
S. Chrysost. *Quid est, de profundis? non dixit, solummodo ex ore vel lingua,* Ch.in ps.129.
errante enim mente sæpe verba funduntur, sed ex corde profundissimo, cum
magno studio, & magna animi alacritate, ex ipsis mentis penetralibus. Tales
enim preces magnam habent potentiam, vt quæ neq; subuertantur, neq; concu-
tiantur, etsi eas diabolus magno impetu inuadat. Quemadmodum enim arbor
valida, & quæ in multam profunditatem terræ agit radices, eiusq; sinus deuin-
cit & astringit cuiuis ventorum impetui resistit, quæ in terræ autem summa
superficie sita est, si qualibet parua aura incubuerit, labefactatur, & radicitus
euulsa iacet super terram. Ita etiam preces, quæ ab imo quidem ascendunt &
egerunt radices in profundo, etiamsi innumerabiles venerint cogitationes, et-
iamsi instructa tota diaboli acies firmæ manent & stabiles, & minimè euertun-
tur. Quæ autem ex ore & labiis procedunt, & non ab imo ascendunt, ne possunt
quidem ad Deum ascendere. Ac sancti non sic orabant, sed cum summo studio,

& maxima vehementia, vt etiam totum corpus inflecterent. Nam B. Elias orans primum quidem quæsiuit solitudinem, deinde cum posuisset caput inter genua, & seipsum cum magno ardore incenderet, ita fundebat preces. Et paulo post. *Audi, quomodo Anna orabat de profundis cuiusmodi fontes lacrymarum emittebat, quomodo per orationem euehebatur in sublime. Qui enim ita precatur, etiam antequam consequatur quod postulat, ex oratione magna bona percipit, omnes animi perturbationes reprimens, iram sedans, inuidiam expellens, rerum ad vitam pertinentium amorem diminuens, & exsiccans, animũ in magnã tranquillitatem redigẽs, in ipsum deinceps cœlum ascendens.* (1. Reg. 1.)

VI. vt petantur, quæ constat necessaria vel vtilia esse ad salutem & si non constet, petantur, quæ optima censeantur diuinæ voluntati, iuxta illud in Dominica oratione. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* & illud Christi in horto. *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Et B. Ioannis in prima epist. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcunque petierimus secundum voluntatem eius audit nos. Voluntas autem eius,* teste B. Paulo, *est sanctificatio vestra.* Vnde Sanctus Augustinus ad Probam. *Si aliquid contra quam oramus acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuisse, quod Dei, non quod nostra voluntas habuit, minime dubitare debemus. Nam & huiusmodi exemplum præbuit nobis ille mediator, qui cum dixisset. Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, humanam in se voluntatem ex hominis susceptione transformans, continuò subiecit. Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu vis pater. Quisquis autem illam vnam petit à Domino, & hanc requirit, certus ac securus petit, nec timet ne forte obsit, cum acceperit, sine qua nihil prodest, quicquid aliud, sicut oportet, acceperit.* Hac conditione in orando vsus est nobilissimus Nebridius, quem Sanctus Hieronymus in epistola ad Saluinam, de viduitate seruanda testatur *sic semper orasse Deum, vt illi, quod optimum esset eueniret*, quod sanè soli Deo constabat. Qua de causa Sanctus Chrysostomus alicubi sapienter monet, non minus agendas Deo gratias, cum negat, quam cum tribuit id quod petimus, quia non negat, nisi quod nobis est minus salutare. Et S. Augustinus in Ioannem, vt petamus nobis non dari, quicquid ignorantes non bene petimus. (Matt. 6. 10. Luc. 22. 42. Ioan. 5. 14. 1. Thess. 4. 3. A ep. 121. H. ep. 8. Ch. hom. 30. in Gen. A tract. 73.)

VII. & postrema sit Perseuerantia, Quam Christus ipse tradidit, primum in parabola illius, qui apud Lucam ob improbitatẽ assiduè petendi impetrauit quod voluit: deinde verbis istis apud eundem *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Et Apostolus ad Thessalonicenses. *Sine intermissione orate.* Vnde S. Hier. in lamẽtationes Ieremiæ. *Qui ad cupita peruenire voluerit, reflectere mentem à studio orationis non debet, sed magis perseuerare in intentione copiarum oportet.* Hinc est quod in libro (Luc. 11. 8. Luc. 18. 1. 1. Thess. vlt. 17. H. c. 3.)

Regum de Anna scriptum est, quod postquam orauerat, vultus eius non sunt 1.Reg.1.18.
amplius in diuersa mutati. Hinc & in Euangelio cæcus ille qui in Iericho trans- Luc.18.39.
euntem IESVM audierat, misereri sibi ab eo petebat, sed cum à prætereuntib.
sibi iuberetur vt taceret ipse multo magis clamabat dicens Miserere mei fili Da-
uid, vnde & lumen quod expetiit, nullo modo eius fructu carebat. Et S. Chry. Ch. hom.35.
in Ioan. *Pudeat nos, pudeat dilectissimi, & incredibilem socordiam nostram*
deploremus octo & triginta annos paralyticus ad piscinam expectauerat, expe- Ioan.5.5.
ctabatq; vt sanaretur, neq; eius impletum est desiderium, neque negligentia sua
non sanabatur, sed præuentus ab aliis, neq; propterea desperauit. nos autem, si
vel decem dies orationibus inuigilantes non exaudimur, iam tepescimus: ho-
minibus verò quam diligentissimum exhibemus ministerium in malitia, in dif-
ficultatibus seruientes, tandem frequenter omnem spem amittimus: dominum
autem nostrũ, vbi sine dubio merces sequitur longè laborib. amplior, Spes enim Rom.5.5.
non confundit, inquit, debito studio & diligentia prosequi nõ patimur, & quo-
nam hoc supplicio dignum? Sed laboriosa est assidua oratio. Et quid non laborio-
sum, quod à virtute proficiscatur? Et S. Greg. in psalmum sextum Pœni- G.in 7.ps.pœnit.
tentialem. *De profundis clamaui ad te. Non ait clamo, sed clamaui. Habes*
in hoc perseuerantiæ documentum, vt si primo non exaudiris, ab oratione non
deficias, immo precib. & clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult qua-
dam importunitate vinci. Ideo tibi dicit. Regnum Dei vim patitur. & violen- Matt.11.12.
ti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue
ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, vt regnum
cœlorum accipias: esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas cœlis. Quid hac ra-
pina locupletius? Quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, qua Deus non
offenditur, sed placatur, proximus non læditur, sed iuuatur; peccatum minui-
tur, non multiplicatur.

CAPVT V.

De Circunstantiis vel Ritibus orationis.

CIRCVNSTANTIAE vel Ritus orationis cum varii sint, nos præcipuos tantum assignemus, initio facto à circunstãtia Temporis, quod nocturnum vel diurnum est.

DE TEMPORE NOCTVRNO.

NOCTE iam olim oratum esse ostendit psalmus 118. in quo Da- Psal.118.62.
uid ait. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* CHRISTVS quoque
Domi-

Luc.6.12. Dominus non solum nocte orabat, sed etiam pernoctabat in oratione, vt scribit B. Lucas, Et S. Paulus Apostolus & Silas, teste eodem,
Act.16.25. in carcere media nocte orantes laudabant Deum. Quem morem tenuisse primos in Ægypto Christianos docet Philo in libro de Vita
Pl.lib.10.ep.97. contemplatiua. Et Plinius secundus epistola ad Traianum. Vnde S. Cyprianus de oratione Dominica. *Quod si Christus orabat, qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totā noctē iugiter vigilans continuis precib. orabat, quāto nos magis in frequentāda oratione debemus nocte vigilare?* Et S. Ambrosius in 118 psalmum. *Addidit psalmista.*
A.ser.8. *Media nocte surgebam, docens tibi surgendū esse media nocte: nec otiosum esto, quod adiunxit. Ad confitendum tibi, hoc est, vt illo maximè tempore deprecari Deum, & propria debeamus deflere peccata, nec solum præteritis veniam postulare, sed etiam præsentia declinare, futura cauere. Multa enim illo in tempore tentamenta proserpunt, tunc feruet carnis illecebra, tunc tentator illudit. Coquitur, cibus potusq; digeritur. Tunc tentator assistit, tunc retia iacit, qui turbare possit mentem improuidam, quando nullus arbiter culpæ & nullius criminis conscius, nullus potest esse erroribus testis. Et tenebræ circundant me, & parietes, quem vereor?* Lege Chrysostomū homilia 42. ad populum & homilia 26. in Acta de vtilitate nocturnæ precationis.

De Matvtino Et Vespertino.

Psal.62.7. Mane orare consueuit, qui dixit. *In matutinis meditabor in te.*
Psal.5.5. Et. *Mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi, & videbo.* Et. *Præuene-*
Ps.118. 48. *runt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Vesperi quoque.
Psal.54.18. Nam idem cecinit. *Vespere, & mane, & meridie narrabo & annunciabo, &*
Psal.140.2. *exaudiet vocem meam.* Et. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Vnde S. Cyprianus de oratione Dominica. *Mane orandum est, vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur: quod olim Spiritus sanctus*
Psal.5.5. *designabat in psalmis dicens. Rex meus, & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine mane exaudies vocem meam, mane assistam tibi & contemplabor te.*
Osc.6.1. *Et iterum per prophetam loquitur Dominus. Diluculo vigilabunt ad me dicentes. Eamus & reuertamur ad Dominum Deum nostrum. Recedente item Sole ac die cessante necessario rursum orandum est: nam quia Christus sol verus & dies est verus, sole & die seculi recedente, quando oramus & petimus, vt super nos lux denuo veniat, Christi precamur aduentum lucis æternæ gratiam præ-*
Ch.hom.41. *biturum.* Et S. Chrysostomus ad popolum Antiochenum. *Armis nobis opus est: magna vero armatura oratio: opus est ventis à puppi, opus omnia discere, vt diei spatium absq; naufragiis & vulneribus transigamus. Multi nam-*

que

queper dies singulos scopuli, & frequenter illiditur scapha atq; submergitur; propterea nobis opus est oratione, matutina præsertim & nocturna. Et S. Ambrosius in psalmum 118. *Graue est si te otiosum in stratis radius solis orientis inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Arguit nos tanti temporis spatium sine vllius deuotionis munere ac sacrificii spiritalis oblatione feriata transmissum. An nescis ô homo, quod primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas. Quotidiana tibi messis, quotidianus est fructus.* De ceteris horis, prima, 3. 6. 9. & aliis à clericis & monachis ad orandum frequentatis, lege nostrum Bellarminum. tom. 3. controuersiarum, libro primo de bonis operibus in particulari, capite 10. & seq. A. ser. 19.

De oratione ante vel post cibum.

PRO oratione ante vel post cibum facienda habemus exemplum Christi Domini, qui populum miraculosè cibaturus pane & pisce, prius eos oculis in cælum coniectis benedixit, vt est apud Matthæum, & cæteros Euangelistas. Deinde apud Matthæum legimus eum cum Apostolis hymno post cænam Eucharisticam dicto abiisse in montem Oliueti. Græcè est enim, καὶ ὑμνήσαντες, hoc est, cum laudes Deo cecinissent. Fuit enim Iudæis à Deo præceptum in Deuteronomio, vt post cibum gratias Deo agerent. *Cum comederis & satiatus fueris,* inquit *benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* Idem insinuat Apostolus cum ita ad Timotheum scribit. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reÿciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationē.* Vnde Tertullianus in Apologetico aduersus gentes. *Si honesta causa est conuiuÿ, non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. editur quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est vtile: ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse, ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Æquè oratio conuiuium dirimit, inde disceditur.* Et S. Basilius epistola ad Gregorium Theologum. *Orationes antequam cibum sumimus pro dignitate diuinæ benignitatis ineundæ sunt, cùm earum, quæ in præsenti nobis diuinitus conferuntur: tùm verò earum, quæ in posterum eisdem reconditæ sunt. Iam à corporum curatione rursus orationes gratiarum actionem exequantur iam acceptorum ergo, atq; eo amplius eorum flagitationem, quæ Deus nobis pollicitus est.* Et S. Chrysost. ad populum. *Opus est nos & mensam petentes, & desistentes Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus, nunquam in ebrietatem decidet, aut insolentiam, nunquam crapula disrumpetur: sed orationis expectationē pro freno sensibus habens impositam, cum debita modestia*

Matt. 14. 19. Mar. 6. 37. Luc. 9. 13. Ioan. 6. 9. Matt. 26. 30. Deut. 8. 10. 1. Tim. 4. 4. B. ep. 1. C. hom. 71.

ex omnibus appositis sumet, & multa quidem corpus & animam benedictione implebit. Mensa namq; ab oratione sumens initium, & in orationem desinens nunquam deficiet, sed fonte largius omnia nobis afferet bona.

De breuibus vel iaculatoriis orationibus.

BREVES & iaculatorias orationes inde probari potest ex Dei verbo non improbari Domino Deo, quod Christus sigillatim vetuerit multiloquium in oratione. (Matt. 6. 7.) Et S. Chrysostomus valde eas probat, si crebro per interualla instituantur, tum quod vehementer inflamment animum, tum quod à peccato hominem conseruent. Ita (C. hom. 4. de fide Annæ.) enim loquitur. *Si per interualla crebris precationibus teipsum accendes, non dabis occasionem diabolo, aut vllum ad tuas cogitationes aditum. Et quemadmodum in apparando prandio, quoties calidæ potu opus est, si aqua parum caleat, ad focum admotam recalfacimus, ita & hic faciendum est, & os nostrum ad precationes quasi ad prunas admouendum, vt hoc pacto mens ad pietatem rursum accendatur.* Et paulo post. *Ingemisce amarè, in memoriam reuoca peccata tua, suspice in cælum, dic in mente, Miserere mei Deus, & absoluisti precationem. Qui enim dicit. Miserere, confessionem offert, & peccatum suum agnoscit. Qui dicit, miserere mei, remissionem delictorum accepit. Qui dicit, miserere mei, regnum cælorum obtinuit. Quem enim Deus miseratur, non à pœna solum liberat, sed futurorum etiam bonorum possessione dignatur.* Et (Id. hom. 79.) rursus alibi ad populum. *Oportet orantem neque longos extendere sermones & iugiter orare. Breues enim & frequentes orationes fieri Christus & Paulus præceperunt paruis ex interuallis. Nam si sermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapsus multam subrependi diabolo facultatem dederis, & supplantandi, & cogitationem abducendi ab his quæ dicuntur. Si verò continuas & crebras orationes facias, totumq; tempus interpolans frequentia, facile poteris modestiam exhibere, & ipsas orationes cum multa facies* (A. ep. 121. c. 10.) *solertia.* S. Augustinus eandem orandi rationem illustrat exemplis eremitarum in epistola ad Probam. *Dicuntur* inquit, *fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta quæ oranti plurimum necessaria est per productiores moras euanescat atq; hebetetur intentio.* Idem de iisdem (C. c. 10. & collat. 9. c. vlt.) refert Cassianus institutionum monasticorum libro secundo. *Vtilius censent,* ait, *breues quidem orationes, sed creberrimas fieri; illud quidem, vt frequentius Dominum deprecantes iugiter eidem cohærere possimus: hoc verò, vt insidiantis diaboli iacula, quæ infligere nobis tunc præcipuè, cum oramus, insistit, succincta breuitate videmus.*

(Luc 6. 12.) LONGIORES verò orationes suam laudem habent. I. ab ex-

emplo Christi in oratione apud Lucam pernoctantis. 2. à dicto eius- Luc. 18. 1.
dem *Oportet orare & non deficere.* & Apostoli. *Sine intermissione orate.* 3. ab 1. Thes. 5. 17.
exemplo B. Annæ, ieiuniis & orationibus nocte ac die in templo, vt
habet S. Lucas seruientis. 4. primorum Christianorum, qui S. Petro in Luc. 2. 37.
vincula coniecto sine intermissione, vt idem in Actis refert, orabant. Act. 12. 5.
Vnde forte hoc æuo consuetudo orandi 40, horis continuis à Summis Pontificibus probata, manauit. Quoniam verò impossibile videtur, vt homo sine intermissione oret, quod Christus cum Apostolo præcipit, vide apud Bellarminum, quemadmodum veteres Patres hoc præceptum intellexerint. Mihi sanè cum S. Chrysost. simplicior ille sensus placuit, vt sine intermissione orare dicatur, qui dum aliquid à
Domino petit, non ilico desperat, sed iterum atq; iterum instat, quia Rom. 12. 12.
Apostolus dicit, *Orationi instate*, qui vrget opportune importunè do- Luc. 11. 8.
nec impetret, quia Christus ipse docuit Apostolos, nocte molestandum amicum importunè, donec panis aliquid ab eo impetretur. *Reg-* Matt. 11. 12.
num n calorũ vim patitur, vt Christus alibi docuit, *& violenti rapiũt illud.*

De loco orationis.

Orationi nullus certus locus est præscriptus. *Volo ergo* ait 1. Tim. 2. 8.
Apostolus, *viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione.* Vnde S. Basilius in exhortatione ad baptismum. *Non locus*, in- Bas. hom. 13.
quit, *sed propositi initium requiritur. Ieremias enim in luto erat, & Deum attraxit. Daniel in leonum lacu Deum placauit. Tres pueri in camino Deum promeruere. Latro non cruce prohibitus, quin paradisum assecutus fuerit. Iob in
stercore Deum ad misericordiam prouocauit. Igitur vbicunq; fueris ora.* Si vero Amb. in 1.
loca inter se conferantur, melius & consultius est in loco honesto, Tim. 2.
quàm sordido, in Ecclesia vel oratorio precibus dedicato orare, quam
in alio loco pro fano, priuato vel publico. Vnde S. Chrysost ad popu- C. hom. 10.
lum. *Neq; inquit, quispiam mihi dicat, quod nequit homo secularis continuè per diem orare, & ad Ecclesiam concurrere, potest enim & quam facillime. Si mentem namq; mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro sis siue in via, siue in mari siue in diuersorio, siue in officina positus siue sis vbicunq;, Deo poteris inuocato petitionẽ obtinere. Et domi quidem orari potest, non a. potest sicut in Ecclesia, vbi tanta Patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter promittitur. Non ita Dominũ per te solum orans audiris, vt cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid est puta vnanimitas & consonantia, charitatisq; vin-
culum & sacerdotum orationes.* Dices. Christus apud Matthæum iussit Matt. 6. 6.
nos ingredi cubiculum, dum orandum est, & claudere ostium. Resp. Chry. hom. 8. in 1. ad Tim.
quod non iubeat reuera nos ingredi cubiculum, sed tantum vanam hominum laudẽ fugere. Itaq; qui in publico orat, nolens à quoquam

videri laudem aucupatur, quam si in cubiculo oraret: qui autem clauso cubiculo orat, cupiens tamen id innotescere hominibus, is in plateis orat, & tuba ante se canit, & quo se plus abdit, magis prodit vt habet Chrysost. in opere imperfecto.

De gestv corporis in orat.

Primvs est Genvflexio vsurpata in veteri & nouo testamento, probataq; exemplo Christi, Petri, Pauli, & Stephani protomartyris, omniumq; veterum sanctorum. S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, scribit S. Iacobum Apostolum *flexis genibus pro populo precatum intantum, vt camelorum duritiem traxisse eius genua crederentur.* Idem de Pauli eremitæ corpore iam mortuo ita scribit in eius vita. *Introgressus speluncam S. Antonius vidit genibus complicatis erecta ceruice, extensisq; in altum manibus corpus exanime. Ac primum & ipse viuere eum credens pariter orabat. Postquam verò nulla, vt solebat suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit, quod etiam cadauer sancti Deum cui omnia viuunt officioso gestu precabatur.* Hunc gestum natura ipsa nos docuit, valetq; ad declarandam submissionem animi, inopiam & imbecillitatem nostram, quo aliquid impetremus ab eo, ad quem preces nostras dirigimus, vt docet S. Augustinus libro de cura pro mortuis agenda, & S. Hieron. libro secundo commentariorum in epistolam ad Ephesios. Affinis huic gestui, & quidem humilior est Prostratio in terram, vsurpata etiam à Christo, & S. Iacobo. *Aiunt*, inquit Chrysost. homilia 5. in Matthæum, *eum assiduitate orationis, iugiq; ad pauimentum prostratione corporis frontem quoq; eius callo obductam, vt nihil fere à cameli genibus discreparet.*

[3. Reg. 8. 2. Par. 6. Act. 7. 59. A. c. 5. H. c. 3. Matt. 26. 39. Marc. 4. 35.]

Statio. De Statione quando in orationibus vsitata fuerit, lege Bellarminum tomo 3. libro 2. de bonis operibus in particulari, capite 22. Tertullianus libro de corona militis scribit nefas fuisse die Dominico de geniculis adorare. Et de *sessione* in libello de oratione ait.

Sessio. *Contra Scripturam fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederit*, nempe tempore orationis. *Siquidem*, inquit, *irreuerens est assidere sub conspectu, contraq; conspectum eius quem maximè reuerearis ac venereris, quanto magis sub conspectu Dei viui angelo adhuc orationis astante. factum istud irreligiosissimum est; nisi exprobramus Deo, quod oratio nos fatigauerit.* Dices, Apostolos cum vacarent orationi sedentes Spiritum sanctum accepisse, nam de eo B. Lucas dicit. *Repleuit totam domum, vbi erant sedentes.* Respon-

[Act. 2. 2.]

deo, vocem sessionis ibi pro habitatione sumi. vti apud eundem Lucam in Euangelio cap. vltimo. *Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et capite primo. *In vmbra mortis sedent*; immò hoc ipso loco de Spiritu sancto dicitur. *Seditque supra singulos eorum.* Act.2.3.

ALTER Gestus est Eleuatio manuum, æquè in vtroque testamento tempore orationis vsurpari solita. Exemplum habemus Moysis in Exodo, & Aaronis in Leuitico. Rex Dauid quoque. *Leuaui*, inquit, *manus meas ad mandata tua quæ dilexi.* Et in Threnis monemur *vt leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos.* Apostolus item. *Volo*, ait, *viros orare in omni loco leuantes puras manus.* Vnde ex S. Patribus martyr Hippolytus in oratione de Consummatione seculi Christum in iudicio querentem inducit. *Manus vestras feci, vt ad preces & obsecrationes extenderetis eas, at vos ad rapinas, & cædes, & mutuas occisiones extendistis.* Et Tertullianus ad hunc gestum respiciens in Apologetico. *Paratus est*, ait, *ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani*, & c. quasi dicat orans. *Præsto sum, necte & plecte si vis, aut certe miserere.* Et Clemens Alexandrinus. *Caput & manus in cælum extendimus, vna cum verbo corpus à terra educere conantes erectam & eleuatam animam desiderio meliorum cogimus in sancta progredi, magno animo corporis vinculum despicientes.* B. Ephræm de Panoplia spirituali, scribit nos oratione tanquam arcu armari, *quoniam in ea manus extendimus, ac veluti sagittam in inimicum dirigimus.* Eusebius in vita Constantini, ait eum voluisse imaginem suam fingi tanquam precantis manibus expansis, oculisque in cælum sublatis. Accedit quod natura ipsa ritum hunc orandi indidit omnibus in repentino aliquo discrimine vitæ: & gentilis scriptor Apuleius in libro de mundo. *Habitus*, inquit, *orantium hic est, vt manibus extensis ad cælum precemur.*

Exo.17.11. Leu 9.22. Psal.118.48. Thren.3,41. 1.Tim.2.8. T c.30. C.7.strom. E.tom.2. E.l.4.c.15.

VIDE. V. *Cogitatio diuinæ præsentiæ. Cognitio Dei. Conscientiæ Examen. Contemplatio. Deuotio. Familiaritas cum Deo. Gaudium spirituale. Gratiarum actio Deo debita. Laudatio Dei. Oblatio sui. Religio. Et in* PANARIO. *Acedia. Desolatio spiritualis. Distractio in oratione. Illusiones spirituales.*

P.

PAX.

De significatione Pacis & Partitione.



Rom. 4. 1. ORIGENES explanans verba Apost. *Iustificati ergo fide pacem habeamus ad Deum.* Pax inquit, *dicitur, vbi nemo dissidet, nemo discordat: vbi nihil hostile, nihil barbarum geritur.* Haud secus A. in ps. 84. S. August. in psalmos. *Pax quid est? vbi nullum bellum est, vbi* Id. 19. de ci. c. 13. *non est contradictio, vbi nihil resistit nihil aduersum est.* Et alibi magis generatim, *Pax est trãquillitas ordinis.* Vnde & hãc partitionẽ pacis adjicit. *Pax ergo corporis est ordinata temperatura partiũ. Pax animæ irrationalis ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis ordinata cognitionis, actionisq́; consensio. Pax corporis & animæ, ordinata vita & salus animãtis. Pax hominis mortalis, & Dei immortalis ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominũ, ordinata concordia. Pax domus ordinata imperandi atq; obediendi concordia cohabitantium. Pax ciuitatis ordinata imperandi atq; obediendi concordia ciuium. Pax cœlestis ciuitatis, ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo, & inuicem in Deo.* Alia partitio pacis à Patribus traditur, in imperfectam & perfectam. Imperfecta est, qualis est iustorum, in hac vita. Perfecta verò qualis est beatorum in altera, & est vltimus finis noster ad quam S. August. in nono libro de ciuitate Dei, refert illud A. c. 11. Psal. 147. 14. ps. *Qui posuit fines tuos pacem.* ideoq́;, vt idẽ notat, cœlestis patria solet *Hierusalem, id est, visio pacis* nuncupari. Nos de imperfecta pace ipsorũ hominum agimus, vt sunt in hac vita, quam tenentur habere primo cum Deo, obsequendo illius voluntati in omnibus: secundo secum, resistendo propriis cupiditatibus, tertio cum proximo alendo cum illo concordiam Itaq; hæc plena erit pacis definitio. *Pax est quædam or-* Eph. 2. 14. *dinata animi concordia cum Deo, cum seipso & cum proximo.* De prima pace cum Deo, qua efficimur filii Dei & amici, dixit Apostolus *Ipse est* Rom 5. 1. *pax nostra, qui fecit vtraq; vnum.* Et. *Iustificati ex fide* (operante per charitatem) *pacem habeamus apud Deum per Dominum nostrum Iesum Chri-* Isa. 32. 17. *stum.* De altera pace cum seipso loquitur Isaias. *Et erit opus iustitiæ pax, cultus iustitiæ silentium & securitas vsq; in sempiternum, & sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* De tertia pace cum proximo, ait Christus Marc. 9. 49. apud Marcum. *Pacem habete inter vos.* Et Apostolus ad Romanos. *Si fieri* Rom. 12. 18.

potest,

poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Et Eph. *So-* Eph. 4. 3.
liciti ſeruare vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis. Rectè autem dicitur vinculum. *Quem admodum enim* ait CHRYSOST. in commentario illius C. Hom 19.
epiſt. *ſi quando teipſum alteri cuipiam alligare volueris, alia ratione illud non potes, niſi ipſum tibi colligaueris: ita hic Apoſtolus alligari nos inuicem vult* Act 4. 32.
non ſimpliciter pacificos eſſe, neque vtcumque diligere, ſed in omnibus vnam animam eſſe nempe qualis erat primorum Chriſtianorum pax, de quibus dicitur. *Credentium crat cor vnum, & anima vna.*

CAPVT II.

De Dignitate & præſtantia Pacis.

EAM diſcere poſſumus primum ex diuinis ſcripturis, quæ ſatis declarant eam ob cauſam Chriſtum Dominũ in hunc mundum præcipuè veniſſe, nempe vt in eum inueheret pacem. Nam B. Ioannes 1. Ioan. 3. 8.
in prima epiſtola ita loquitur. *In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. Et S. Paulus. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, vt duos* Eph. 2. 14.
condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem faciens pacem, & reconciliet ambos (Iudæos & gentiles) in vno corpore Deo per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo. Quare & Chriſtus ſic patrem orat. Volo pater, vt quos dediſti mihi omnes vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus. Et poſt longum ſer- Ioan. 17. 21.
monem. *Hæc dixi vobis, vt habeatis pacem in me.* poſt reſurrectionem Io. 16. 33. Luc. 24. 36.
quoq; ſtans in medio diſcipulorum dixit. *Pax vobis, ego ſum, nolite timere.* Immo à pace Deus nomenclaturam ſuam ſumere voluit. Apud I- Iſai. 45. 7.
ſaiam n. ait. *Ego Dominus faciem pacem,* Et apud Apoſtolum crebro *Deus* 2. Cor. 13. 11. Phil. 4. 7.
pacis appellatur, *pax Dei.* vt in 2. ad Corinthios. *Pacem habete & Deus pacis erit vobiſcum.* Et ad Philippenſes. *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum* (id eſt, cuius magnitudo mente capi nequit) *cuſtodiat corda veſtra.* Vnde ſequitur vbi pax eſt, ibi Deum eſſe; & vbi Deus eſt, ibi & pacẽ eſſe. Certe Apoſtolus in omnibus ferè epiſtolis, vt ad Romanos, Corinthios, Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes & Theſſalonicenſes, vt Dei gratiã, ita animæ pacem ſuis exoptat, duo ſumma bona, radicẽ & fructũ, principiũ & perfectionẽ, idq; hac verborũ formula. *Gratia vobis & pax à Deo patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto.* Cum quo congruit ſeptima beatitudo apud Matthæum à Chriſto relata. *Beati* Matt. 5. 9.
pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur

S. PATRES quoque eius dignitatem agnouerunt, vt S. Baſilius in pſalmum 28. *Inter benedictionis* inquit, *diuinæ ſpecies pax perfectiſſima eſſe* B. hom. 8.
videtur, quum ſtatus ſit mentem procul in temperie omni conſtabiliens: adeo vt pacificus vir hoc inſigni tanquam propriis notis internoſci poſſit, ſi quidem

sedatis & peramœnis est moribus: contra, qui adhuc compugnantium affectio-
num fatigatur intemperie, is nondum effectus particeps est diuinæ illius pacis,
quam Dominus suis dedit discipulis, quæ, cum omnem exuberat sensum, vtiq;
illorum præmuniet & tuebitur animas, qui se ea præstiterint dignos. Et in Isa-
Isai. 9. 7. iam, dum explanat illud. Et pacis eius. (Messiæ) non est finis. Ait enim, in-
Ioan. 14. 27. quit, Pacem do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Neque enim
pax eius vllo clauditur fine, quum id doni mundo sit superius. Si enim è mundo
esset vtique cum decidua concretione mundi dirimeretur ac disperiret. Nunc
autem quisquis ipsius pacem excepit perpetuo conuictu perfruetur bonorum, quæ
ab ipsa pace promanant. Salomonis pax præscriptis annorum circulis finem
accepit: quæ autem à Domino indulgetur pax, in omne coextenditur æuum
quod nullo circumscribetur fine aut termino. S. Greg. Nazianzenus ora-
tione prima de pace, vt ostendat eius præstantiam, docet eam ange-
lorum, qui primum à Deo locum obtinent, propriã esse. His, ait, ange-
licis & cœlestibus copiis nihil tam proprium est, quam pax & concordia. Nam
nec dissidiis obnoxia est diuinitas, quemadmodum nec dissolutioni, quin
potius & secum ipsa, & cum secundis rebus adeo concors & pacata est, vt præ a-
liis nominibus appellari gaudeat, pax & charitas, nos videlicet admonens, vt
has virtutes sedulo amplectamur, perinde ac Deum simul habituri. Ac proinde
qui pacis bonum amplexantur, dissensionemque oderunt, ad Deum, diuinasque
mentes accedunt. Et in oratione de moderatione in disputando. Quid-
nàm in doctrina nostra præstantissimum est? pax. addam etiam, vtilissimum.
Contra, quid turpissimum ac perniciosissimum? voluntatum disiunctio. Et in
oratione tertia de pace. Pax amica, meditatio mea, & decus meum, quam &
Phil. 4. 7. Dei, vt cuius Deum, & quam Deum esse scriptura pronunciat, velut in illo
2. Cor. 13. 13. Apostolè loco, Pax Dei, & Deus pacis, &. Ipse est pax nostra. Pax amica, quam
Eph. 2. 14. tametsi omnes vt bonam laudibus vehant, pauci tamen tuentur atque con-
H. lib. 2. seruant, vbinam nos tanto temporis spacio reliquisti? ecquando ad nos reditura
Eph. 6. 15. es? S. Hieronymus in epistolam ad Ephesios. Si qua alia dona sunt, quæ
tribuuntur à Deo patre & Domino IESV Christo inter hæc pax non minimum
possidet locum, quæ superat omnem sensum, & custodit corda, intellectusque
Id. lib. 3. Sanctorum: serenitas quædam atque tranquillitas animæ quiescentis, & vni-
Gal. 5. 22. uersam tempestatem & turbinem perturbationum fugans. Et ad Galatas.
Psal. 75. 3. Tertius fructus spiritus est pax, à qua Salomon quoque, qui in typo Christi
Matt. 5. 9. præcessit nomen accepit: Et de Ecclesia psalmista canit. Factus est in pace locus
Psal. 119. 7. eius. Et inter octo Euangelii benedictiones scribitur. Beati pacifici, quoniam filij
Dei vocabuntur. In primo etiam graduum psalmo cantatur. Cum his qui ode-
runt pacem eram pacificus. Nec putemus pacem in eo tantum esse quærendam,
A. c. 11. si cum alio non iurgemur, sed tunc pax Christi, hoc est hæreditas nostra nobiscum
est, si tranquilla mens nullis passionibus perturbetur. S. Augustinus libro 19.
de

de ciuitate Dei. *Tantum est pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus, nihil soleat gratius audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inueniri.* Et sermone 169. de Tempore. *Meritum Christianæ virtutis vilescit in cunctis, si vnitatem non habet pacis, nec peruenit ad vocabulum filij nisi per nomen pacifici. Pax est, quæ expoliat hominem seruitute, dat nomen ingenuum, mutat cum conditione personam, ex famulo liberum, facit filium ex seruo, amicum facit ex Deo, patrem reddit ex Domino. Filius Dei esse incipit, qui pacificus esse cæpit. Quanta est huius pacis retributio, hæreditatem possidere cum Christo? Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum ac puræ mentis indicium manifestum. Pacem meam do vobis, dixit Christus: vnde seruare mandatum, est pacem in omnibus custodire.* S. Gregorius libro 7. epistola ad Eusebium Episcopum *Si quam magna,* inquit, *sit pacis virtus attendimus, quo à nobis studio sit colenda agnoscimus. Hanc quippe Dominus & redemptor noster in magno munere discipulis suis relinquere ac dare dignatus est, vt eos qui firmitate fidei ei cohærebant, per hanc sibi pia faceret participatione consortes. Scriptum namq; est. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Quisquis ergo patris hæres esse desiderat, filius existere hanc custodiens non renuat.* Ioa. 14. 27. G. ep. 6. Matt. 5. 9.

CAPVT III.

De commodis Christianæ pacis.

PRIMVM commodum Christianæ pacis tradit iam dictus Sanct. GREGORIVS in tertia parte Pastoralis, quod sine ea nemo possit fieri spiritalis. *Discordes,* inquit, *admonendi sunt, vt certissimè sciant, quia quantislibet virtutibus polleant, spiritales nullatenus fieri possunt, si vniri per concordiam proximis negligant. Scriptum quippe est. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax. Qui ergo seruare pacem non curat, ferre fructum spiritus recusat. Hinc Paulus ait. Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis? Hinc iterum quoque dicit. Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit DEVM. Hinc rursus admonens ait. Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* G admon. 23. Gal 5. 22. 1. Cor. 3. 3. Heb. 12. 14. Eph 4 3.

II. Commodum tradit ORIGENES in Numeros, quod eius beneficio conseruentur in nobis cæteræ virtutes, ea verò absente, diffluant. *Non est* inquit, *dictum de communi numero bellatorum, quod nemo ex* O. hom. 26. Num. 21.

eis dissensit, sed de ijs dictum est, qui summa bellatorum nominati sunt. In istis
Act. 4.32. *enim, qui tales sunt nulla dissensio, nulla discordia. Isti sunt de quibus dictum*
est. Erat autem credentium cor vnum & anima vna. Isti sunt qui offerunt mu-
Matt. 5.23. *nera Deo, & præceptum illud diligenter obseruant. Si offers munus tuum ad al-*
tare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, di-
mitte ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens
offeres munus tuum. Quo scilicet leuet manus suas ad Deum sine ira & discep-
tatione. Discenda igitur nobis magnopere est consonantia disciplinæ, quia
tanquam in musicis, si harmonia chordarum fuerit consonanter aptata sonum
suauem modulati carminis reddit: si verò sit aliqua in fidibus dissonantia in-
gratissimus sonus redditur, & carminis dulcedo corrumpitur: ita & hi qui Deo
militant, si discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum
Deo videbitur, etiamsi multa bella conficiant, etiamsi spolia multa deferant, &
multa munera Deo offerant.

III. Commodum habet Chrysost. in epistolam ad Ephesios,
quod si integra sit pax & plena, omnem aditum ad animam obstruat
C. hom. 14. diabolo. *Non detis, ait, locum diabolo; oportet omnes pariter esse mutua com-*
pactione obturatos, & simul illi resistere: Iubemus itaque, vt solutis inimicitijs,
quas quisque erga proximum habet, in vnum inuicem conuertamini. Nam ita
non poterit vnquam locum habere diabolus: quemadmodum si inimicitias in-
ter vos alueritis, hinc innumera mala generantur. Et sicut quamdiu lapides be-
ne compacti sunt, nihilque vacuum inter se habent, firmi & infracti perstant: si
verò vel foramen acus duntaxat quod vtrinque penetret aut scissura, quæ capilli
locum habeat, fieri contigerit, omnia dissoluuntur ac pereunt: ita & diabolus,
donec compacti quidem & bene compositi fuerimus, nihil suorum omnino pote-
rit inferre Quamprimum verò vel modicum nos relaxare vel diuidere conti-
gerit, non aliter quam torrens quidam toto impetu infunditur. Vbique enim illi
solis initiis opus est.

IV. Commodum tradit S Augustinus ad fratres in eremo,
A. serm. 2. quod vtilitati coniungat iucunditatem, *misceat utile dulci,* vt loquitur
Horatius. *Scire,* inquit, *debetis fratres, quod quædam sunt bona, quæ non*
sunt iucunda: quædam iucunda, quæ non sunt bona v. g. bona sunt ieiunia, vi-
giliæ, macerationes, & similia. Hæc enim bona sunt sed non iucunda, quia caro
in his non iucundatur, sed læditur. Iucunda quippe sunt comessationes, ebrieta-
tes, sed non sunt bona. O monache vix poteris inuenire in præsenti vnum quod
sit bonum & iucundum Cupis tamen illud inuenire? persequere pacem, & am-
plectere eam. Hæc est enim sola virtus, quæ habet bonum & iucundum. Hæc
est illa bonitas, quæ nos habitare facit vnius moris in domo, vt simul viuere, si-
mulque mori semper optemus. O pax, tu mentis serenitas, animi tranquillitas,
amoris vinculum, charitatis consortium. Hæc est illa summa felicitas, quæ
bella

bella compescit, iras comprimit, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis placet à cunctis optatur. Beatus qui te habet, maledictus qui te odit & frangit inter homines, quoniam Antichristus est & filius perditionis.

V. Commodum esto, quod fusè persequitur Nazianzenus, omnia sola pace conseruari, dissidio perire, cælum, elementa, imperia, populos, urbes, Israelitas, Ecclesiam Christi. N.orat.1.de pace.

VI. Commodum Clementis Alexandrini, pacem & concordiam nos quasi manuducere ad felicitatem æternam. C.2.strom.

CAPVT IV.

De Proprietatibus Pacis.

PRIMA Proprietas est, quod ab omnibus expetatur, vt copiosè tradit S. Augustinus libro 19. de ciuitate Dei. Cuius ratio est duplex. I. quia omnis res conuenienter naturæ suæ desiderat perfectionem sibi congruentem obtinere sine repugnantia, quod est pacem habere. Vnde August. loco citato. *Sicut nemo,* inquit, *est, q̄ gaudere nolit ita nemo est q̄ nolit habere pacē.* tunc n. aliquis gaudet quando bonum aliq̄ obtinuit cum quiete & tranquillitate, id est, cum pace. 2. quia homo prorsus nudus ac inermis à Deo cōditus est, velut animal pacificum, à contentione alienum, secus quam cetera animantia, quibus Deus pro sui defensione dedit vel cornua, vel dentes, vel rostra, vel stimulos, vel aliquid aliud. vnde sequitur à natura homini inditam propensionem ad pacem, eoq; magis quod S. Augustinus dicto libro probare conetur omnibus etiam bestiis quamuis sæuis inesse amorē pacis. *Quæ enim tigris,* ait, *non filiis suis mitis immurmurat, & pacata feritate blanditur? Quis miluus quantumlibet solitarius rapinis circumuolat, non coniugium copulat, nidum congerit, oua confouet, & quasi cum sua matrefamilias societatem domesticam quanta potest pace conseruat? Quanto magis homo fertur quodammodo naturæ suæ legibus ad ineundam societatem pacemq́, cum hominibus, quantum in ipso est omnibus obtinendam, cum etiam mali pro pace suorum belligerent, omnesq́, si possint suos facere velint, vt vni cuncti & cuncta deseruiant.* A.c.12.

II. Proprietas est, quod cum omnibus, quoad fieri potest, non solum bonis, sed etiam malis sit colenda, sicut fecit rex Dauid dicens in psalmo quodam *Cum his qui oderunt pacē, eram pacificus.* Et docuit Apostolus. *Si fieri potest,* ait ad Romanos, *quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et ad Hebræos. *Pacem sequimini cum omnibus,* Psal.119 7. Rom.12.18. Heb.12.14.

A.serm.12. *& sanctimoniam.* Vnde S. Ambrosius in 118. psalmum. *Quam latum* Matt.5 44. *mandatum est charitatis? Diligite, inquit, inimicos vestros. Omnes vtiq; affectu charitatis inclusit, qui non exclusit inimicos. Vnde Apostolus ait. Si fieri potest: cum omnibus hominibus pacem habentes. Non potest hoc Iudæis dici, non gentibus, vt cum omnibus pacem habeant. Illi vix suos diligunt. Christiano etiam inimicos non licet non amare. Christianum cum dico, perfectum dico. In Christo enim plenitudo diuinitatis est, cuius nomen vsurpas.* Dixi (quoad fieri potest cum malis pacem colendam) quia aliquando fieri non potest, vt si fieret cum fidei orthodoxæ dispendio. *Neq; enim,* inquiebat, In Concil.Constantin. Greg. Nazianzenus ad centum quinquaginta Episcopos, *cum vera atq; orthodoxa fidei pernicie paci studendum est.*

III. est, quod non sit veri nominis pax nisi apud probos & iustos. Isa.57.21. *Non enim est pax impijs,* vt est apud Isaiam. & Ieremiæ 7. nominantur Matt.5.9. quidam *dicentes, pax pax, & non erat pax.* Qua de causa videtur Christus Dominus pacificos vocare filios Dei: & Apostolus pacem facere Gal 5.22. fructum Spiritussancti, & fere semper coniungere gratiæ, dum eam Romanis, Corinthiis & aliis optat. *Gratia,* inquiens, *sit vobis & pax.* Vnde Rom.1.7. S. Augustinus in psalmum 127. *Dicatur ergo quales debent esse filij? quales? pacifici? quare pacifici? quia Beati pacifici, quia ipsi filii Dei vocabuntur. Quia ergo in oliua fructus est pacis, oleum enim pacem significat, quia charitatem significat sine charitate nulla pax est. Et manifestum est, quod qui diuiserunt pacem, non habent charitatem.*

IV. est, pacem huius vitæ nihil esse, si conferatur cum pace & tranquillitate vitæ futuræ in cælo. In vita enim futura, S. ait, A.c.10. AVGVSTINVS in 19. libro de ciuitate Dei, erunt *virtutes, non contra ulla vitia, vel mala quæcunq; certantes sed habentes victoriæ præmium æternam pacem, quam nullus aduersarius inquietet. Ipsa est enim beatitudo finalis, ipsa perfectionis finis, qui consumentem non habet finem. Hic autem dicimur quidem beati, quando pacem habemus, quantulacunq; hic haberi potest in vita bona. Sed hæc beatitudo illi, quam finalem dicimus beatitudini comparata prorsus miseria reperitur. Hanc ergo pacem, qualis hic potest esse, mortales homines in rebus mortalibus quando habemus, si rectè viuimus bonis eius rectè vtitur virtus: quando verò eam non habemus etiam malis quæ homo patitur bene vtitur virtus. Sed tunc est vera virtus, quando & omnia bona, quibus bene vtitur, & quicquid in bono vsu bonorum & malorum facit, & seipsam ad eum finem refert, vbi nobis talis & tanta pax erit, qua melior & maior esse non possit.*

V. Proprietas. Pax est finis fidei Catholicæ omniumq; virtutum, iuxta illud Psalmistæ. *Qui posuit fines tuos pacem.* Et Apostoli. *Pax* Psal.147.14. *fratri-*

fratribus & charitas cum fide à Deo Patre & Domino Iesu Christo. Sic enim illa verba exposuit idem Augustinus in homiliis 50. *Tria dixit, inquiens, Pax, charitas, fides. A fine cœpit, ad initium terminauit. Initium enim est in fide, finis in pace, quia enim credimus ipsa est fides. Vnde charitas cum fide Si enim non credas, non amas. Nos dicamus Fides, charitas, pax. Crede, ama, regna. Si enim credis & non amas, adhuc non discreuisti fidem tuam ab eis qui tremebant & dicebant, scimus, quia sis filius Dei viui. Ergo tu ama, quia charitas cum fide ipsa te perducit ad pacem. Quam pacem? veram pacem, plenam pacem, solidam pacem, securam pacem, vbi nulla pestis, nullus hostis. Ipsa pax est finis omnium desideriorum bonorum.* Eph. 6. 23. A. hom. 7.

CAPVT V.

De Medijs idoneis ad obtinendam pacem.

PRIMVM medium est magno studio eam quærere, secundum consilium prophetæ Regii canentis. *Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.* Et Apostoli. *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Grecè est διώκετε, hoc est, *persequimini.* Vnde Theophylactus. *Reputa etiam, quod dixit, persequimini, hoc est, pacem etiam remotam, & quæ procul est, studete comprehendere, eam ad vos ipsos attrahentes.* Et Sanct. BASILIVS exponens dicta verba psalmi. *De hac,* inquit, *pace dixit Dominus. Pacem relinquo vobis pacem meam do vobis. Inquire igitur Domini pacem, & persequere eam. Persequeris autem non aliter, quam destinato studio currens & enitens ad brauium supernæ vocationis Dei. Illic enim supra pax vera est. Etenim quamdiu huic astricti sumus carni multis admodum vinculis obnoxij sumus, quæ nobis turbas cieant. Inquire pacem, nimirum solutionem à tumultuarijs huius mundi curis.* Psal. 33. 15. Heb. 12. 14. Th. in ep. ad Hebr. B. hom. in psal. 33.

II. Medium est, omnem internam animi amarulentiã, perturbationemq; tollere, qua nondum sublata impossibile est ad pacem veram peruenire, quod indicauit Apostolus loco proximè citato. Nam cum dixisset, *Pacem sequimini cum omnibus,* mox subiecit, *contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi:* Vnde CHRYSOSTOMVS in psalmum 4. *Nihil æquè solet pacem facere ac Dei cognitio & virtutis possessio, quæ animi perturbationum internum bellum domo procul eijcit, nec permittit vt homo cum seipso seditiones agitet. Sanè si hac pace non fruatur, etiãsi* Heb. 12. 14.

sint extrinsecus summa pax, etiamsi nullus eum hostis inuadat, est omnium q;
viuunt in terra miserrimus. Neq; n. Scythæ, nec Thraces, nec Sarmatæ, nec In-
di, nec Mauri, nec q̃cunq; sunt feræ gentes, tam atrox bellũ gerunt, quã improba
ac nefaria cogitatio, quæ versatur in penetralibus animi, & quæ non castigatur
intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentiæ vehemens desiderium. Quod
autem quæ intus nascuntur sint iis quæ extrinsecus inuadunt grauiora, hoc li-
cet videre in omnibus. Etenim & ligni naturam vermis, q; est intus magis cor-
rumpit, & vires sanitatemq; corporis morbiq; intus procreantur plus lædunt,
quam q; extrinsecus adueniunt, & ciuitates non tam externi, quam interni ho-
stes perdunt. Sed si quis timorem Dei habens perturbationes animi sedauerit, is
purissima & altissima pace perfruetur. Hanc pacem Christus largitus est.

III. Nullam causam vel occasionẽ dare dissensioni, & si ab alio data
Prou.18.1. sit, se subducere *Occasiones n. quærit,* inquit Sapiens, *qui vult recedere ab*
Rom.12.18. *amico.* Vnde Paulus cũ monuisset Romanos, vt quo ad fieri posset, cum
omnib. pacem colerent, addidit, *non vos ipsos defendentes charissimi* (ne
sc. occasionem præberent contentioni) *sed* inquit, *date locum iræ. Noli*
vinci à malo sed vince in bono malum. Quo pertinet quod S. Bas. in regu-
lis breuiorib. respondet ad Quæstionem positam. *Quid sit sal illud, de*
Mar.9.49. *quo Dominus præcepit, cũ dixit. Habete in vobis sal, & pacifici estote inter vos.*
Col.4.6. *Et quid item illud, de quo Apost. ait. Sermo vester semper in gratia sale sit con-*
ditus. In hoc loco, etiam ex contextu, inquit, *& serio vtriusq; capitis sensus per-*
spicuus est. Etenim ex verbis Domini nihil aliud docemur, quam vt nullã cau-
sam demus mutuæ disiunctionis, mutuiue dissidij; sed vt ad vnitatem spi-
ritus nos semper conseruemus in vinculo pacis. Ex verbis autem Apostoli, si quis
in memoria habuerit illum, q; dixit Si comedetur panis absq; sale, & si est gustus
in verbis inanib., docebitur profecto disponere sermones suos ad ædificationem
fidei, vt det gratiam audientibus tempore oportuno.

IV. Considerare, quod pax & concordia nobis testamenti loco re-
licta sit velut symbolum Christianorum. Ex hoc n. mundo discessurus
Ioan.13.14. Christus ad discipulos dixit. *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do*
vobis. Et. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem ad*
inuicem habueritis. Qua de causa Apost. omnem litigandi formulam
pro delicto aliquo habere videtur. Iam quidem inquit in ep. ad Co-
1.Cor.6.7. rinthios, *omninò delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos; quare*
non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini Nempe vt
1.Cor.6.7. alibi dixit. *Charitas omnia suffert.* Raræ sunt lites inter patrem & filium
virum & vxorem. Ratio est quia tanta fere inter eos viget dilectio, vt
multa pati malint, quam ad lites descendere. At quoquot Chri-
stiani dicimur, omnes fratres sumus vnius Dei patris filii, vnius Chri-
sti capitis membra, vno pane & calice potamur. Quod autem testa-
menti

menti loco hæc pax nobis legata sit, docet Greg. Nazian. oratione 3. de pace. *Pacifici, ait, munus, hoc est, pacem reuereamur, quam nobis hinc discedens Christus quasi testamento reliquit. Vnum hoc bellum agnoscamus: quod cum aduersariis potestatib. committitur. Eos quoq́, qui nobis infesti sunt fratrū nomine appellemus, si tamen id æquo animo patiantur. Exiguum quiddam concedamus, vt quod maius est vicissim accipiamus, nimirū concordiam: cedamus superemus.* G. sub fin.

V. Amor studiumq; iustitiæ, vel bonorum operum. Psaltes siquidē regius canit. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt*, nempe se mutuo tanquam duæ sorores, Et iterum. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Et Isaias *Et erit opus iustitiæ pax.* Et Apostolus *Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonū.* Vnde S August. in ps. 84. ita scribit. *Iustitia & pax osculatæ sunt. Fac iustitiam & habebis pacem, vt osculentur se iustitia & pax. Si n. non amaueris iustitiam pacem non habebis. Amant n. se duo ista iustitia & pax, & osculantur se, vt qui fecerit iustitiam inueniat pacem osculantem iustitiam. Duæ amicæ sunt tu forte vnam vis, & alteram non facis. Nemo n. qui non vult pacem, sed non oēs volūt operari iustitiam. Si ergo vis pacem, ama iustitiam, quia duæ amicæ sunt iustitia & pax. Ideo alius psalmus dicit tibi. Declina à malo & fac bonum: inquire pacem, & prosequere pacem. Iam n. non diu illam quæres, quia ipsa occurret tibi, vt osculetur iustitiam.* Psal. 84. 11. Psal. 118. Isai. 32. 17. Rom. 2. 10. Psal. 33. 15.

VI. Medium est humilitas, quod S. Greg. pro pace sarta tecta tenenda in Ecclesia Cyriaco Patriarchæ Constantinopolitano præscribit in hæc verba. *Quanta sit pacis virtus charissime frater, ex voce Dominica diligentius intuentes, quæ ait, Pacem meā relinquo vobis, pacem meā do vobis, ita in eius nos decet dilectione persistere, vt locum discordiæ præbere nullo modo debeamus. Sed quia in radice ipsius viuere aliter nō valemus, nisi mente & actu humilitatem, quam ipse auctor pacis docuit, teneamus, cum ea charitate, qua dignum est, suademus vt profanam elationem, quæ animabus semper aduersa est cordis pede calcantes, peruersi superbique vocabuli scandalum Ecclesiæ auferre de medio festinetis, ne à pacis nostræ societate diuisi inueniri possitis. Sed vnus in vobis spiritus, vna mens, vna charitas, vna in Christo, qui sua membra esse nos voluit, sit, Compago concordiæ.* G. lib. 11. ep. 45. Ioan. 14. 29.

VIDE V. *Amicitia. Charitas proximi. mansuetudo. Et in* PANARIO. *Immortificatio passionum.*

PER-



PERFECTIO
Christiana.

CAPVT I.

Quid nomine Christianæ Perfectionis intelligatur.

DIVINAE Litteræ perfectionis nomen variis virtutibus videntur attribuere, ac primo dilectioni Dei & proximi, maximè autem inimicorum. Nam Christus Dominus cum docuisset diligendos esse inimicos, & pro iisdem orandum,
Matt.5.48. mox subiecit. *Estote ergo vos perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus*
Matt.19.21. *est.* 2. Paupertati Euãgelicæ, nam diuiti iuueni Christus dixit. *Si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes & da pauperibus.* 3. solidæ institutio-
1.Cor.2.6. ni in doctrina & vita Christiana. Nam Apostolus ad Corinthios ait.
Heb.5.14. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos* Et. ad Hebræos. *Perfectorũ est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discre-*
1.Cor.1.10. *tionem boni ac mali.* 4. tribuunt consensioni in fide. nam idem Apostolus ait. *Obsecro, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. sitis autẽ*
Iac.1.4. *perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.* 5. martyrio, ad quod respexisse videtur S. Iacobus cum ait. *Patientia autem opus perfectum habeat, vt sitis*
Iac.3.2. *perfecti & integri in nullo deficientes.* 6. linguæ plenè domitæ. *Si quis enim in verbo non offendit* ait idem, *hic perfectus est vir.* 7. diuinæ visioni in altera vita. Nam S. Paulus sic loquitur. *Ex parte enim cognoscimus, & ex*
1.Cor.13.10. *parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod*
Phil.3.12. *ex parte est*: Et iterũ. *Non quod iam acceperim aut iam perfectus sim sequor autem, si comprehendam. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse.*

PATRES quoque veteres annotarunt non vnam esse intelligentiam vocabulo perfectionis subiectam. Clemens Alexandrinus libro 4. Stromatum. *Inuenio*, inquit, *perfectum multis modis accipi, prout is est, qui in vnaquaque virtute se recte gerit. Perficitur itaque & consummatur aliquis, & vt pius ac religiosus & vt tolerãs, & vt continẽs, & vt operarius, & vt Martyr, & vt cognitione præditus In omnibus autem simul perfectus nescio an vllus sit, qui est adhuc homo. nisi solum is, qui propter nos induit hominem.*
A.c.8. S. Ambrosius libro de officiis tertio, *Ipsum Paulum*, ait, *lego perfectum &*

non perfectum. Nam cum dixisset, Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequar autem si comprehendam, statim subiecit. Quicunque ergo perfecti sumus. Duplex enim est forma perfectionis, alia medios, alia plenos numeros habens; alia hic, alia ibi: alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuram. Deus autem iustus per omnia, sapiens super omnia, perfectus in omnibus. Idem fere habet S. HIERONYMVS aduersus Pelagianos eundem locum Apostoli pertractans. *Ex quo,* ait, *perspicuum est duas in Scripturis sanctis esse perfectiones, duasq; iustitias, & duos timores. Primam perfectionem & incomparabilem veritatem, perfectamq; iustitiam Dei virtutibus coaptandam. Secundam autem, quæ competit nostræ fragilitati iuxta illud quod in psalmis dicitur. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, ad eam iustitiam, quæ non comparatione, sed Dei scientia dicitur esse perfecta.* Haud secus S. Augustinus de verbis Apostoli. *Dixerat Apostolus. non sum perfectus. & dicit. Quotquot perfecti hoc sapiamus. Ego me non arbitror apprehendisse, non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim & dicit. Quotquot perfecti hoc sapiamus. Perfecti & non perfecti. Perfecti viatores, nondum perfecti possessores. Et vt noueritis, quod perfectos viatores dicat; qui iam in via ambulant, perfecti viatores sunt, vt scias viatores eum dixisse, non habitatores, non possessores, audi quod sequitur. Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, ne forte surrepat vobis, quia vos aliquid estis Qui autem seipsum putat esse aliquid, cum nihil sit, seipsum seducit. Veruntamen in quod perueniмus, in eo ambulemus. Videtis quia viatores sumus. Dicitis, quid est ambulare? Breuiter dico, proficere.* Huc vsq; ille. IOANNES deniq; CASSIANVS collatione XI. ex sententia Abbatis Chęremonis ita de Perfectione scribit. *Pro statu atq; mensura vniuscuiusq; mentis Scriptura diuina ad diuersos perfectionum gradus arbitrij nostri prouocat libertatem. Nec enim poterat vniformis omnibus perfectionis corona proponi, quia nec omnium vna virtus, aut voluntas, aut feruor est, & idcirco ipsarum quodammodo perfectionum diuersos ordines, diuersasq; mensuras sermo diuinus instituit. Quod ita esse Euangelicarum quoq; beatitudinum varietas euidenter ostendit.*

Margin notes: H. lib. 1. — Ps. 142. 2. — A serm. 15. — Phil. 3. 15. — Gal. 6. 3. — C. c. 12.

CAPVT II.

In quo propriè consistat huius vitæ perfectio.

ETSI sancti Patres fere in hoc conueniant, duplicem esse perfectionem, aliam huius vitæ, aliam alterius, tamen non ita præcisè

exposuerunt, in quo propriè sita sit huius vitæ, de qua nos agimus, perfectio. Videtur autem sita in coniunctione, quanta in hac vita obtineri potest, cum Deo. Cum enim quæq; res tum dicatur perfectionem suam consecuta, cum suo fini copulatur: Finis autem hominis sit Deus. *Finis enim legis Christus*, ait Apostolus, tunc demum homo dicendus est in virtute perfectus, cum perfectè Deo adhæserit. *Qui enim adhæret Deo, vnus spiritus est.* Vnde S. Augustinus libro 2. de doctrina Christiana. *Tunc*, ait, *optimus est homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi.* Et libro primo Confessionum. *Qui fecit nos ad te*, inquit, *inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et in psalmum 56. *Finis est Christus. quare dictus est finis? non qui consumat, sed qui consummet: consumere enim perdere est, consummare perficere. Finis ergo propositi nostri Christus est, quia quantumlibet conemur, in illo perficimur, & ab illo perficimur, & hæc est perfectio nostra, ad illum peruenire: sed cum ad illum perueneris, vltra non quæris, finis tuus est. Quomodo enim finis viæ tuæ locus est quo tendis, quo cum perueneris, iam manebis: sic finis studij tui, propositi tui conatus tui, intentionis tuæ ille est, ad quem pertendis: ad quem cum perueneris, vltra nil desiderabis, quia melius nihil habebis.* Hac perfectione præditus erat Apostolus cum in epistola ad Philippenses diceret. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Coarctor autem è duobus desiderium habens dissolui & esse cum Christo multo magis melius.* Cur enim mori erat lucrum illi; cur erat melius, nisi quia per mortem arctius erat Christo adhæsurus? eumq; comprehensurus & à facie ad faciem visurus? Et cum scriberet in epistola ad Galatas. *Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.*

Rom. 10. 4.
1. Cor. 6.
A c. 21.
A. c. 22.
Phil. 1. 21.
Phil. 3. 12.
1. Cor. 13.
Gal. 2. 20.

ADHÆREMVS verò toto affectu Deo, quando ei adhæremus per charitatem Dei & proximi perfectam. Charitas enim, vt loquitur idem Apostolus ad Colossenses, *est vinculum perfectionis.* Vnde S. Ioannes in epistola prima ait. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Et Christus Dominus. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hinc est quod idem Dominus apud Matthæum pronunciarit, *ex duobus mandatis*, nempe diligendi Deum & proximum, *vniuersam legem pendere & prophetas.* Vt B. Paulus Romanis scripserit, *plenitudinem legis esse dilectionem.* Corinthiis verò, esse omnibus virtutibus, donisq; cælestibus anteponendam. Nam cum dixisset. *Æmulamini autem charismata meliora*, subiecit. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Hinc deniq; Christus cum multa apud Matthæum de perfectione caritatis, maximè ea quæ in diligendis inimici

Col. 3. 14.
1. Ioan. 4. 16.
Ioa. 14. 23.
Matt. 22. 40.
Rom. 13. 10.
1. Cor. 12. 13.

micis sita est, disseruisset, subdidit. *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est:* non obscurè indicans beneficio charitatis ad perfectionem veram perueniri. Matt.5.48.

NEQVE mirum videri debet charitate imprimis & non aliis virtutibus perfectionem illam adhæsionis comparari. Nam charitas omnium virtutum, vt iam dictum est, habetur præstantissima. Deinde, alias omnes virtutes, earumq; perfectiones suo ambitu cõplectitur, & ideo Apostolus loco citato ad Corinthios scripsit. *Charitas patiens est, benigna est,* &c. texens quasi omnium virtutum compendium. Postremò quia amoris vel charitatis proprium est vnire amantem rei amatæ, vt docet S. Dionysius Areopagita in libro de diuinis nominibus. Et S. Augustinus scribit libro octauo de Trinitate, Amorem esse *quasi iuncturam quandam duo aliqua copulantem, amantem scilicet & quod amatur:* Quo amore ipse flagrans erga Deum libro 13. Confessionum ita loquitur. *Non possum metiri, vt sciam quantum mihi desit amoris ad id, quod satis est, vt currat vita mea in amplexus tuos: nec auertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia malè mihi est præter te, non solum extra me, sed & in meipso, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.*

1.Cor.13.4. D.c.4. A.c.10. A.c.8.

CAPVT III.

Perfectionem adhærendi Deo per charitatem omnibus Christianis esse mandatam.

QVOD verò mandatum & commendatum sit omnibus fidelibus, vt sint perfecti, ex variis Scripturæ, veteris atq; nouæ testimoniis discere possumus. Nam imprimis omnium fidelium parenti Abrahæ à Deo dictum est. *Ambula coram me, & esto perfectus.* vel vt LXX. interpretes verterunt, *irreprehensibilis.* Deinde in Deuteronomio toti populo Israhelitico imperatur. *Perfectus eris & absq; macula cum Domino Deo tuo,* Et alibi. *Non erit inconsummatus in filijs Israhel.* Tum Christus apud Matthæum. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Et eius præcursor S. Ioan Baptista missus est, teste S. Luca. *in spiritu Eliæ parare Domino plebẽ pfectam.* Apostolus quoq; in altera ad Corinth. *De cetero,* inqt, *fratres, gaudete, pfecti estote.* Et ad Coloss. *Docẽtes omnẽ hominẽ in omni sapientia, vt exhibeamus omnẽ hominẽ pfectum in Christo Iesu.* Et iterũ. *Epaphras semp solicitus p vobis in orationibus, vt sitis pfecti & pleni in õni*

Gen 17.1. Deut.18.13. Matt.5.48. Luc.1.17. 2.Cor.13.11. Col.1.28. Col.4.12.

Eph. 6. 13. *voluntate Dei.* Et ad Ephesios. *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Et ad Timotheum. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Hæc omnia fere testimonia adduxit S. Augustinus in libro de perfectione iustitiæ. Quibus accedat illud de caritate, quæ vinculum est perfectionis. Nam mandatum de diligendo Deo & proximo in vtraq; lege primum est & maximum, vt docuit Christus apud Matthæum. Immò finis totius legis, vel omnium mandatorum, teste Apostolo, est dilectio. Sicut ergo hæc sub præceptum cadit, ita necesse est cadat sub præceptum & perfectio quæ citra charitatem esse non potest.

2. Tim. 3. 16. A. ante med. Matt. 22. 38. Rom. 13. 10.

Qvo verò intelligatur, quæ charitatis perfectio cadat sub præceptum, notandum est posse distingui quasi tres gradus charitatis. Primus & summus est eorum, qui ita Deum amore prosequuntur, vt sine intermissione per contemplationē & amorem ei inhæreant. quæ perfectio ita solis beatis competit, vt nemo in hac vita ad eam aspirare queat. Vnde de Ioanne Baptista, qui tamen omnibus mortalibus in sanctitate erat prælatus dixit Christus. *Qui minor est in regno cælorum, maior est illo.* Ad eandem respexit & Paulus, cum ad Philippenses scriberet. *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam.* Secundus vel medius est eorum, qui sic amore Deum prosequuntur, vt quamuis propter vitæ huius necessitates interrumpant aliquando Dei amorē, tamen conantur frequenter posthabitis curis ei operam dare. Ad quem gradum aspirare debēt omnes Episcopi, qui sunt in statu perfectionis, & post eos religiosi, qui tenentur quotidie in vita spirituali progressum facere. Tertius & infimus gradus est eorum, qui ita Deum amore prosequuntur, vt licet nec semper, nec valde assiduè inhæreant, Deo per amorem actualem, tamen nullam rem Deo & amicitiæ eius anteponunt, sed illum habēt sibi propositum tanquam vltimum suum finem. Et hanc perfectionem omnes Christiani colere tenentur, cum omnes teneantur obsequi diuinis mandatis, & cauere peccata mortalia quibus Deo creatura peruersè anteponitur. Et de hac perfectione charitatis agit S. Ioannes cum in prima epistola ait. *Qui seruat mandata eius, in hoc charitas perfecta est.* Hac etiam seruatur, quantum satis est in hac vita ad vitandum peccatum mortale præceptum illud primum & maximum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* &c. vt docet S. Augustinus libro de perfectione iustitiæ ante citato. Exigitur enim tantum his verbis, vt quis totam mentem suam ita quidem per amorem Deo impendat

Matt. 11. 11. Phil. 3. 12. 1. Ioan. 2. 5. Matt. 22. 38.

pendat

pendat, vt illum solum ceu vltimum finem amet, neq; aliud aliquid, vt vltimum finem diligat.

CAPVT IV.

De Proprietatibus Christianæ Perfectionis.

PROPRIETAS prima sit, quot sit donum Dei. *Non potest*, inquit S. AMBROSIVS libro 2. de Pænitentia, *sine fauore Dei aliquis esse perfectus.* Nec mirum, quia sine charitate, vt diximus, nemo potest A.c.2.
esse perfectus. de qua ita loquitur S. Paulus ad Romanos. *Charitas Dei* Rom.5.5.
diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et ad Galatas eidem dat principem locum inter fructus Spiritus- Gal.5.22.
sancti. S. Ioannes quoq; in prima epistola ita scribit. *Charissimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est, & omnis qui diligit ex Deo* 1.Ioa.4.7.
natus est.

II. Proprietas est, quod semper augeri possit in hac vita. Ea enim hominis natura est, vt non repente euadat summus in studio virtutis, sed primo sit quasi infans incipiendo, secundo adolescat proficiendo, tertio fiat vir, hoc est, perueniat ad perfectionem. Vnde S. H.ep.139.
Hieronymus scribens ad Cyprianum. Ioannes, inquit, *Apostolus secundum merita filiorum suorum, profectusq; operum singulorum, scribit ad paruu-* 1.Ioan.2.
los, scribit ad iuuenes, scribit ad Patres. Et S. Augustinus in epistolam Io- A.tract.9.
annis. *Nunquid mox*, ait, *vt nascitur* (charitas) *iam perfecta est? vt perficiatur nascitur: cum fuerit nata nutritur: cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectionem venerit; quid dicit. Mihi viue-* Phil.1.21.
re Christus est, & mori lucrum. Optabam dissolui; & esse cum Christo. Et de A.ser.16.
Verbis Apostoli. *Vnusquisq; iam in ipsa iustificatione constitutus, accepta scilicet remissione per lauacrum regenerationis accepto Spiritu sancto proficiens de die in diem, videat vbi sit, accedat, proficiat, & crescat donec consummetur.* Quare & Scriptura ipsa hortatur vt crescamus in charitate. *In* Eph.4.15.
charitate, ait Paulus ad Ephesios, *crescamus in illo.* Et ad Philippenses. Phil.1.9.
Hoc oro, vt charitas vestra magis abundet. Et ad Thessalonicenses. *Vos Do-* 1.Thess.3.12.
minus multiplicet & abundare faciat in caritate. Ecclesia quoq; sic orat. *Da nobis Domine fidei & charitatis augmentum.*

III. Omnis perfectio in hac vita imperfecta est. Ita S. Hieronymus libro primo aduersus Pelagianos. *Hæc*, inquit *est hominis vera sapien-*

sapientia imperfectum se nosse, atque, vt ita loquar, cunctorum in carne iu-
storum imperfecta perfectio est. Et forte ideo Apostolus ipse in epistola
Phil.3.12. ad Philippenses vocat perfectum & imperfectum. Vnde AVGV-
A.serm.15. STINVS de verbis Apostoli. *Dixerat non sum perfectus, & dicit.*
Quotquot perfecti hoc sapiamus. perfecti & non perfecti viatores nondum
perfecti possessores. Quamuis perfectio nostra in hac vita non solùm sit im-
perfecta respectu perfectionis futuræ in cœlo, vt hic indicat Augu-
stinus, sed etiam quia nulla tanta perfectio vel caritatis vel aliarum
virtutum dari possit, quin possit augescere, etiam in infinitum vt S.
T.22.4.24.c.7. Thomas multique alii Theologi docent. Immò in beatis hominibus
& angelis existentibus in cœlo tanta non est, quin maior inueniatur in
Deo O. M.

IV. Nemini, quocunque in statu, licito tamen, degat, interclu-
sus est aditus ad perfectionem. Habemus enim & in vetere testamen-
Gen.6.9. to quosdam nuncupatos perfectos. Nam in Genesi dicitur. *NOE vir*
iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit. Et in
Eccli.44.17. Ecclesiastico. *NOE inuentus est perfectus iustus, & in tempore iracundiæ*
factus est reconciliatio. ABRAHAE quoque omnium gentium patri-
Gen.17.1. archæ dictum est. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Quis verò neget
Psal.72.28. & regem Dauid fuisse perfectum, dicentem in psalmis. *Mihi autem ad-*
hærere Deo bonū est, ponere in Domino Deo spem meā. cui Deus dixit vt est in
Act.13.22. Actis Apostolicis, *Inueni Dauid filium Iesse virum secundum cor meum, qui*
Psal.88.22. *faciet omnes voluntates meas.* Vnde Cas. collatione quarta. *Facilius,*
C.c.19. inquit, *ad salutarem conuersationem ac perfectionis fastigium carnalis quis*
id est, secularis vel gentilis accedit, quam is, qui professus monachum, nec ta-
men viam arripiens secundum regulam disciplinæ ab illo semel spiritualis
feruoris igne discessit. Ille namque corporalibus saltem vitiis humiliatus, at-
que immundum se sentiens contagione carnali ad fontem veræ purificationis
ac perfectionis culmen quandoque compunctus accurrit, & horrescens illum,
in quo est, gelidissimum statum spiritus ardore succensus ad perfectionem faci-
lius conuolabit.

V. Proprietas est, Diligere inimicos. Christus enim cum docuisset
diligēdos eos exēplo Patris cœlestis pluentis super iustos, & iniustos
mox subiecit. *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Et
Apostolus ad Romanos inde extollit charitatem Christi, quod pro
inimicis mortuus sit. Vnde S. Augustinus in enchiridio. *Munus ma-*
A.c.73. *gnum est erga eum esse beneuolum, siue etiam beneficum, qui tibi mali nihil*
fecerit. Illud multò grandius, & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum
Rom.5.10. *quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bo-*

num semper velis, faciasque cum possis, illius memor exempli, qui in cruce pendens, pro suis exorat persecutoribus, suosque admonuit, dicens. Diligite inimicos vestros, bene facite eis, qui vos oderunt, & orate pro eis, qui vos persequuntur. Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quo quidem se debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum orando Deum, secumque agendo luctandoque perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantum credimus exaudiri, cum in oratione Dominica dicitur. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, proculdubio verba sponsionis huius implentur, si homo, qui nondum ita profecit, vt iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine, qui peccauit in eum, vt ei dimittat, dimittit ex corde, quia etiam sibi roganti vult vtique dimitti, cum orat & dicit. Sicut & nos dimittimus debitorib. nostris, id est, dimitte sic nobis debita nostra rogantibus nobis, sicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris. Matt. 5. 44.

VI. est Sanguinem pro Christo vel proximo profundere *Maiorem hac dilectionem nemo habet*, ait Christus, *vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* & S. Ioannes in epistola prima. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Vnde B. Iacobus ait. *Patientia opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes. Qui est autem perfectus*, auctore Clemente Alexandrino, *propter charitatem omnia suffert, omnia sustinet, non vt homini placens, sed Deo.* Et alibi idem ostendit nomen perfecti propriè in eum competere, qui vsque ad mortem omnia sustinet & Martyrij coronam obtinuit. *Qui* inquiens, *cum vera religione recte vitam instituerit, maximam inter homines dignitatem consecutus, ne sic quidem eo peruenerit vt dicatur in carne perfectus, quoniam hanc appellationem præoccupauit vitæ finis, cum qui est Martyr ex cognitione, iam eo peruenerit vt perfectum opus ostenderet, sanguine per charitatem ex cognitione profectam benigne donato emittens spiritum: beatus autem hic fuerit & iure perfectus vocetur, vt sublimitas potestatis sit Dei, & non ex nobis, vt dicit Apostolus.* Et S. Augustinus de verbis Apostoli. *Perfectio in hac vita*, inquit, *nonnulla est ad quam sancti Martyres peruenerunt, ideoque habet Ecclesiastica disciplina quod fideles nouerunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur, pro ceteris autem cõmemoratis defunctis oretur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationib. commendari. Certauit enim contra peccatum vsque ad sanguinem. Quibusdã verò adhuc imperfectis, & tamẽ ex parte iustificatis ad Hebræos dicit Apost. Nondum n. vsque ad sanguinẽ pugnastis aduersus peccatum certãtes. Si ergo illi*

Ioan. 15. 13.
1. Ioa. 3. 16.
Iac. 1. 4.
Id. 4. strom.
Cl. 7. strom.
2. Cor. 4. 7.
A. serm. 17.
Heb. 12. 4.

non-

nondum vsque ad sanguinem, procul dubio aliqui vsque ad sanguinem. Qui vsque ad sanguinem? vtique sancti Martyres, de quibus lectio S. Iacobi Apo-
Iac.1.1. *stoli. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes in-ciderítis. Perfectis iam dicitur, qui etiam possunt dicere, Proba me, Domine &*
Ps.25.2. *tenta me. Scientes, inquit, quia tribulatio patientiam operatur, patientia au-tem opus perfectum habet. Quid addi potest, vt opus perfectum habeatur?* Hæc ille. Atque hæc perfectio maximè requiritur in Episcopis aliis-que Dominici gregis pastoribus. *Bonus enim pastor,* teste Pastorum
Ioa.10.11. principe, *animam suam ponit pro ouibus suis.*

CAPVT V.

De medijs ad perfectionem obtinendam idoneis

Psal.110.10. Prou.1.7. Eccli.1.20. PRIMVM medium est Timor Domini. *Timor enim Domini initium est sapientiæ,* teste Dauide & Salomone. *Imò plenitudo sapientiæ est ti-mere Deum,* ait Syracides. Quid verò aliud plenitudo sapientiæ, nisi
C.c.39 & 43. perfectio? Hoc medium præscripsit Cassianus institutionum suarum libro 4. *Principium nostræ salutis,* inquit, *eiusdemque custodia timor Domi-ni est. Per hunc enim & initium conuersionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his qui imbuuntur ad viã perfectionis acquiritur. Qui cum penetra-uerit hominis mentẽ contemptum rerum omnium parit, obliuionem parentum, mundique ipsius gignit horrorem,* Et S. Bernardus in Cantica. *In veritate*
B.serm 55. *didici nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperan-dam, quam si omni tempore coram Deo inueniaris, non altum sapere, sed time-re. Beatus homo qui semper est pauidus. Time ergo cum arriserit gratia, time*
Prou.28.14. *cum abierit time, cum denuo reuertetur, & hoc est semper pauidum esse. Cum adest, time ne digne opereris ex ea. Nã hoc monet Apostolus. Videte inquiens, ne*
2.Cor.6.1. *in vacuũ gratiam Dei recipiatis. Quid si recesserit? Plane multo magis tunc ti-mendum, quia vbi deficit tibi gratia, deficis tu. Audi etenim quid gratiæ dator*
Ioan.15.5. *dicat. Sine me, ait, nihil potestis facere. Time ergo subtracta gratia, tanquam mox casurus. Time & contremisce Deo tibi, vt sentis, irato. Iam si gratia re-propitiata redierit, multo amplius timendum, ne forte contingat recidiuum pa-ti, iuxta illud in Euangelio. Ecce sanus factus es, vade & iam amplius noli pec-*
Ioan.5.14. *care, ne aliquid deterius tibi contingat. Beatus es, si cor tuum triplici isto timo-re repleueris, vt timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longè plus pro recuperata. Hoc fac & eris hydria in Christi conuiuio impleta vsque ad summum, continens nimirum metretas, non binas tantum, sed & ternas vt*

Christi merearis benedictionem, qui aquas tuas conuertat in vinum lætitiæ, & perfecta charitas foras mittat timorem. Quoniam autem Cassianus ex timore Dei, dixit oriri omnium rerum, totiusq; mundi contemptum, merito secundo loco subiicimus pro medio renunciationem seculi.

II. MEDIVM est renunciatio seculi per vota tria Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, qualis fieri solet à Religiosis. Nam vt S. Ioannes in prima epistola monet, *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* 1.Ioa.2.16. Concupiscentia carnis tollitur per votum castitatis, oculorum per paupertatis, superbia vitæ per votum obedientiæ & subiectionis. Hæc autem renunciatio non sub præceptum, sed consilium tantum cadit. Vnde Christus adolescenti, qui præcepta omnia seruarat, dixit, *Si vis perfectus esse: Vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Matt 19.21. *Semper enim grandia*, inquit S. Hieronymus ad Pammachium, de obitu Paulinæ, *in audientium ponuntur arbitrio.* H.ep.26. Sensus autem verborum Christi est. Si vis compendio ad perfectionem, quæ consistit in intima cum Deo coniunctione per charitatem, peruenire, amplectere hoc medium renuntiationis opum, honorum & voluptatum huius mundi, propriæq; voluntatis, remotisq; his impedimentis viam planissimam aperueris ad summam vitæ Christianæ perfectionem. Vnde S. Thomas Aquinas in opusculo 18. S.Th.c.7. *paupertas*, inquit, *non tam perfectio censenda est, quam via ad perfectionem.*

III. Medium est humilitas. *Nam*, inquit idem Cassianus loco citato, *contemptu ac priuatione facultatum omnium humilitas acquiritur, quæ*, subdit, *cum fuerit in veritate possessa confestim te ad charitatem, quæ timorem non habet, gradu excellentiore perducet.* Huc collineant dicta Patrum, qui ex verbis Apostoli in epistola ad Philippenses non semel citatis, colligunt perfectorum proprium esse agnoscere se non esse perfectos. Chrysostomus exponens illud. *Quotquot igitur perfecti sumus hoc sentiamus.* Phil 3.15. *Quid?* inquit, *nempe quod oporteat, quæ à tergo sunt obliuisci, quod perfecti sit non putare seipsum esse perfectum. Quomodo ergo dicis* (Paule) *Quotquot perfecti sumus? Si enim non accepisti, neq; perfectus factus es, quomodo perfectos iubes sentire, quod tu sentis, quum nondum perfectus sis?* Et Hieronymus aduersus Pelagianos. *Hæc est hominis vera Sapientia imperfectum se nosse.* H.lib.1. Et Augustinus in psalmum 38. *Aliter ergo hic non potes esse perfectus, nisi scias hic te non posse esse perfectum.* B.ep.75. Adde Basilium in epistola ad Neocæsarianos dicentem, *quod perfectorum hoc est proprium, vt seipsos non extollant.*

IV. est Studium & conatus in dies proficiendi. Phil.3.15. Hoc vtebatur Apostolus, vt tandem perueniret ad perfectionem: cum enim negas-

set se esse perfectum. *Vnum autem*, inquit, *quæ quidem retro sunt obliuiscens ad ea verò, quæ sunt priora extendens meipsum ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Ad quæ verba apud Hieronymum libro allegato respiciens Atticus, cum Critobulus rogasset. *Quomodo ad perfectionem diuinus sermo prouocat?* respondit. *Hac ratione qua dixi, vt secundum vires nostras vnusquisq; nostrorum quantum valuerit extendatur si quo modo possit peruenire & comprehendere brauium supernæ* C.hom.11. *vocationis.* Quomodo autem nos extendamus exponit Chrysostomus ibidem in epistolam ad Philippenses. *Extendens*, inquit, *is est, qui pedes tanquam currentes reliquo corpore anteuertere studens, seipsum in ea, quæ à fronte sunt, extendit, & manus quoq; protendit, vt etiam amplius quiddam vltra cursum efficiat. Hoc verò fit ex multa animi alacritate, ex multo feruore. Ita oportet currentem currere, cum tanto studio, cum tanta alacritate, non pigrè.* Hoc medium tanti fecit S. BERNARDVS vt nomenclaturam B.ep.253. perfectionis illi tribuerit. *Indefessum proficiendi studium, & iugis*, scribit ad Abbatem Guarinum *conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quod si studere perfectioni, esse perfectum est, profectò nolle proficere deficere est. Vbi sunt ergo, qui dicere solent, sufficit nobis, nolumus esse meliores, quam Patres nostri?*

V. Mortificatio affectuum, perturbationumq; animi. Et hoc inter media ad perfectionem obtinendam opportuna retulit in libro C.lib.4.c.vlt. de institutis renunciantium CASSIANVS. *Audi*, ait, *paucis ordinem, per quem ascendere ad perfectionem summam sine vllo labore ac difficultate valeas. Principium nostræ salutis sapientiæq; secundum Scripturas timor Domini est: De timore Domini nascitur compunctio salutaris: De compunctione cordis procedit abrenunciatio, id est, nuditas & contemptus omnium facultatum. De nuditate humilitas procreatur. De humilitate mortificatio voluntatum generatur: Mortificatione voluntatum extirpantur atq; marcescunt vniuersa vitia. Expulsione vitiorum virtutes fructificant atq; succrescunt. pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur: puritate cordis Apostolicæ* Ib.c.35. *charitatis perfectio possidetur.* Quemadmodum autem mortificare affectus nostros possimus non longe ante his verbis exposuit. *Sicut in-* Gal.6.14. quiens, *crucifixus quis* (alludit autem ad Apostoli verba dicentis se esse mundo crucifixum) *iam non pro animi sui motu membra sua quoquam mouendi vel conuertendi habet potestatem, ita & nos voluntates nostras ac nostra desideria, non secundum id quod nobis suaue est, ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut is qui patibulo crucis affigitur, non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino cura solicitudineq; di-*

stendi-

stenditur, nulla possidendi concupiscentia permouetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet iniuriis, non præteritarum iam recordatur, seque cum adhuc spirat in corpore cunctis elementis credit esse defunctum, illuc præmittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat ilico transiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, non solùm carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis migraturos. Hoc enim modo mortificatas poterimus vniuersas concupiscentias nostras, & affectus habere carnales. Vnde S. AVGVSTINVS docet incrementum perfectionis vel caritatis æstimari debere secundum maiorem mortificationem affectuum, & subactionem cupiditatum carnalium. Nam in libro 83. quæstionum sic loquitur. (A.q.36.) *Nutrimentum charitatis est imminutio cupiditatis, perfectio, nulla cupiditas. Quisquis igitur eam nutrire vult instet minuendis cupiditatibus.*

VI. Expulsio vitiorum; hanc enim CASSIANVS supra mortificationi voluntatum subiecit. Eam sæpe inculcat Apostolus, vt ad Romanos. (Rom.6.6.) *Vetus,* inquiens, *homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* Et ad Corinthios. (2.Cor.7.1.) *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei.* Et ad Ephesios. (Eph 4.22.) *Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Vnde S. BASILIVS de institutione monachorum scribit *Christianum, qui ingreditur genus vitæ, quod est secundum philosophiam, id est, secundum virtutis perfectionem, vitiosas animi affectiones diuersas, quibus anima infici solet debere ab se segregare.*

VII. Insitio virtutum, quam & Apostolus expulsioni vitiorum coniunxit, cum enim dixisset de vetere homine exuendo addidit. (Eph 4.23.) *Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem qui se-* (Col.3.10.) *cundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Vnde Cassianus (C.c.3.) collatione 14. *Actualis perfectio duplici ratione subsistit: nam primus eius est modus, ut omnium natura vitiorum & curationis ratio cognoscatur. Secundus, vt ita discernatur ordo Virtutum earumq; perfectione mens nostra formetur, vt illis non iam velut coacta, & quasi violento imperio subdita famuletur, sed tanquam naturali bono delectetur, atq; pascatur.* Addit ibidẽ, facilius esse inserere virtutes, q̃ euellere vitia, *ideo fortasse, quia vitia plura sunt, q̃ virtutes, & naturæ corruptæ quasi cognata, virtutes autem extraneæ: aut etiam quia idem labor & industria, quæ in vitiis conuellendis ponitur, virtutibus inserendis inseruit.* Hæc duo media, nempe fugam vitiorum, & insitionem virtutum si coniungas efficies puritatem cordis, quam illis

proxime subiecit Cassianus; itaque nihil opus est de ea sigillatim dicere.

IIX. Medium sit Oratio, cum enim perfectio in charitate sit eximium Dei donum, atq; adeo omnium nobilissimum, mirum non est, quod ad illud impetrandum oratione opus habeamus. Vnde S.
A.conc.17. Augustinus in psalmum 118. scribens *Cui*, ait, *donatur à Deo charitas Dei, & propter Deum charitas proximi profecto instanter orare debet, quo tantum sibi augeatur hoc donum, vt non solum pro illo contemnat delectationes ceteras, sed etiam quaslibet perferat passiones.* Et libro 8. confessionum.
Id.c.3.& 4. *Hei mihi quam excelsus es in profundis, nunquam recedis, & vix redimus ad te. Age Domine, & fac, excita & reuoca nos: accende & rape: flagra & dulcesce: iam*
Id.c.26. *amemus & curramus.* Et libro de natura & gratia. *Sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus nisi candore lucis adiutus non potest cernere, sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere.*

Psal.5.5. IX. Meditatio crebra rerum diuinarum, de qua loquebatur rex Dauid cum diceret. *Mane astabo tibi & videbo*, vel vt legit Augustinus,
Ps.38.4. *contemplabor.* Et *In meditatione mea exardescet ignis.* Et. *Reuela oculos meos,*
Ps.118.18. *& considerabo mirabilia de lege tua.* Et. *Da mihi intellectum, & scrutabor le-*
Ib.34.
2.Cor.4.18. *gem tuam.* Et S. Paulus in altera ad Corinthios. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt,*
B.q.5. *quæ autem non videntur æterna.* De quo medio ita scribit S. Basilius in regulis fusius disputatis, ad eos qui seculo renuntiarant. *Omni custodia custodiendum fuerit cor nostrum, neq; patiendum, vt assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur, neue eorum, quæ mirabiliter ab eis facta sunt, memoria contaminetur per futiles & euanidas cogitationes: contraq; illud agendum assiduè, vt ex purissima ac perpetua recordatione impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem, velut indelebile aliquod signum circumferamus. Siquidem hæc est ratio per quam erga Deum acquiri charitas consueuit, quæ simul cum ad conficienda Dei mandata nos excitet, tum vicissim quoq; ab iisdem ipsa ad perpetuitatem stabilis conseruetur.*

X. & postremum medium est, Vti Duce & Magistro, qui viam
C.c.11.coll.2. perfectionis ostendat. *Cum enim omnes artes ac disciplinæ*, ait Cassianus, *humano ingenio repertæ, quæ nihil amplius, quam huius vitæ commodis prosunt, rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina nequeant comprehendi, quam ineptum est credere, hanc solam non egere doctore, quæ & inuisibilis & occulta est, & quæ non nisi corde purissimo peruidetur: cuius error non temporale damnum nec quod facile reparetur, sed animæ perditionem parit, mortemq;*
Deut.32.7. *perpetuam?* Spiritus sancti certè hæc sunt salutaria monita ad nos. *Inter-*
Eccli.37.12. *roga Patrem tuum & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Et. *Cum*

viro

viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia, &c. *Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoueris obseruantem timorem Dei. Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Et S. Paulus ad Romanos. *Non plus sapere,* Rom.12.16.
quam oportet sapere sed sapere ad sobrietatem. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Vnde S. Basilius in Isaiam. *Intolerabilis est superbiæ argumentum* B.in c.1.
existimare se nullius egere consilio, sed sibi vni attentum esse, quasi solus possit sibi consilio decernere quæ optima sunt. S. Ambrosius de Officiis libro pri- A.c.41.
mo. *Si hi qui sunt ignari locorum cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, quanto magis adolescentes cum senibus debent nouum sibi iter vitæ aggredi, quo minus errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere.* S. Hierony- H.ep.4.
mus ad Rusticum monachum. *Mihi quidem placet, vt habeas Sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es.* Et S. Bernardus ad Ogerium. *Qui se sibi magistrum* B.ep.87.
constituit, stulto se discipulum subdit. Plura in PANARIO require V. *Iudicium proprium.*

VIDE V. *Abnegatio. Charitas Dei & proximi. Conscientia examen. Contemplatio. Familiaritas cum Deo. Martyrium. Oblatio sui. Profectus spiritualis. Sapientia. Virtus.*

PERSEVERANTIA.

VIDE V. *Inconstantia.* in PANARIO.

PIETAS IN DEVM.

VIDE V. *Religio.*



PIETAS in Parentes.

CAPVT I.

Quid nomine pietatis intelligatur.

A.c.1. HVIVS vocis significationem accuratè tradit S. Augustinus libro decimo de ciuitate Dei. *Pietas*, inquiens, *propriè Dei cultus intelligi solet quam Græci ευσεβειαν vocant. Hæc tamen & erga parentes officiosè haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur, quod ideo arbitror euenisse, quia hæc fieri præcipue DEVS mandat, eaque sibi vel pro sacrificiis vel præ sacrificiis placere testatur.* Nos de secunda vocis significatione hic agemus, quam M.T. Cicero in Somnio Scipionis vsurpauit, dum ait. *Cole pietatem, quæ cum sit magna in parentibus & propinquis, tum in patriam maxima est.* Sic autem agemus de pietate filiorum erga parentes, vt adiungamus etiam (quoniam eiusdem argumenti est) de pietate parentum ergo filios.

HANC pietatem alioquin naturæ consentaneam imperauit nobis Deus in quarto Decalogi præcepto, vt cum dixit in exodo. (Exo.20.12.) *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis lõgæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi* Et in Deuteronomio. (Deu.5.16.) *Honora patrem tuum & matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore & bene sit tibi.* Et in Prouerbiis Salomonis. (Prou.23.22.) *Audi patrem tuum qui genuit te, & ne contemnas cum senuerit mater tua.* Et *Gaudeat pater tuus & mater tua, exultet quæ genuit te.* Et apud Ecclesiasticum. (Eccli.3.6.) *Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore, & qui obedit patri, refrigerabit matrem.* Et apud Tobiam. (Tob.4.3.) *Honorẽ habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius* Et Christus ad iuuenem diuitem inter mandata seruanda, (Matt.19.19.) *Honora*, inquit, *patrem tuum & matrem tuam. Diliges proximum sicut teipsum.* Et Paulus ad Ephesios. *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam quod est mãdatum in promissione, vt bene sit tibi & sis longæuus super terram.* Et ad Colossenses. (Col.3.20.) *Filii obedite, parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino.*

NA-

NATVRA eandem pietatem docuit Ethnicos. Pythagoræ dictum est. *Parentes honora, & qui genere tibi proximi sunt.* Et PITTACI vnius è 7. Sapientibus. γονέας αἰδοῦ. *Parentes venerare.* PLATO in libris de legibus. *Existimandum est nullum apud Deos magis honorandum simulachrum nos habere debere, quam patres & auos senio confectos, matresque simul, quibus honoratis DEVS gaudet.* EVRIPIDES in Hercule. *Nihil est tam honorificum liberis, quam debitum honorem parentibus offerre.* ARISTOTELES octauo Ethicorum. *Natura pater filiorum, & aui nepotum, & rex eorum quibus præsidet imperium obtinet.* A.c.13. *hæ autem amicitiæ in excellentia consistunt, quapropter & honorantur ipsi parentes.* Et 8. Topicorum. *Qui dubitat, num oporteat Deos venerari, aut parentes honorare, non eget ratione sed pœna.* Marcus Tullius primo de officiis. *Si comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii, principes sunt, patria, & parentes, quorum beneficiis maximè obligati sumus: proximi liberi, totaque domus.* Et post reditum ad Senatum. *Parentes carissimos habere debemus, quod ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est.* Et de aruspicum responsis. *Parentibus nos primum natura conciliat.*

CAPVT II. q. 11

Quæ pietatis officia filij debeant parentibus.

FILII parentibus debent primo officium honoris & reuerentiæ, vt liquet ex testimoniis scripturæ allatis. Debent autem, verbo, Eccli. 3.9. ore & opere. Vnde Ecclesiasticus. *In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum.* S. Hieronymus tractans verba illa. *Honora patrẽ & matrẽ. Primus gradus pietatis est, iste* inquit, *vt quos auctores sibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas cõtumeliis, sed nec vultu lædenda est pietas parentum. meretur cæcitatis subire supplicium, qui parentũ vultus toruo visu despexerit.* Et S. Ambrosius libro 8. in Lucam. *Honora tuos paren-* A.c.17. *tes, quia suos Dei filius honorauit: legisti enim. Et erat subditus illis. Si DEVS* Luc.2.51. *seruulis, quemadmodũ tu parentibus. Honorabat igitur Ioseph & Mariã Christus non naturæ debito, sed pietatis officio. Honora ergo & tu parentes.* Et lib. A.c.17. primo de officiis. *Est bonorum adolescentium timorem Dei habere, & deferre parentib. honorem, habere senioribus reuerentiam. Vt n. in senib. grauitas, in iuuenibus alacritas, ita, in adolescentibus verecundia velut quadam dote cõmendatur naturæ; Erat Isaac Deum timens, vtpote Abrahæ indoles, honorem deferens patri vsque eo, vt aduersus paternam voluntatem nec mortem*

re cusa-

[Gen. 22.] *recusaret.* Cyrillus Alexandrinus libro 4. in Genesin. *Qui rectam viam sequi voluerint mirum in modum proficient, si didicerint nullam rem excellentiorem fore quam pietatem filiorum, obseruantiamque in suos parentes. Quod autem parentes res sanctissima inter omnes nationes habeatur, lex quoque diuina plane docebit: quæ cum iussisset Deum vnum ex toto animo, & toto corde oportere diligere, hoc etiam addidit. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene tibi sit. Parentes enim imaginem Dei quodammodo gerunt.*

II. Debent officium timoris, & amoris, sed magis amoris. Nam [Leuit. 19. 3.] Leuitici 19. dicitur. *Vnusquisque patrem suum & matrem suam timeat.* [Ib. 19.] Et. *Diliges amicum tuum sicut teipsum, dicit Dominus,* at quis filiis amicior [B. hom. 9.] esse debet parentibus? De hoc officio ita disserit S. Bas. in hæxamero. *Vos porro filij amate & colite parentes. Vos parentes nolite ad iracundiam filios prouocare. Nunquid & natura ea non dicit? Nihil noui diuus Paulus dicit, sed naturæ vincula vincit, insuperque præstringit. Nam vnde fit, vt in obuium quidem tam copioso numerosoque grege è stabulis exiliens agnus matris suæ continuo percipiat vocem, ad eam properet, atque lactis fontes proprios rectà petat, papillisque maternis contentus sit, etiamsi perparum habeant succi præteritis haud paucis vberib. lacte distentis? Quin mater ipsa inter tam multos agnos eum internoscit vt propriũ?* [H. ep. 62.] S. Hier. ad Theophilum aduersus errores Io. Hierosolymitani. Amari parẽs debet. *Amari parens & Episcopus debet, non timeri. Antiqua sententia est Quem metuit quis, odit; quem odit, perijsse cupit. Vnde in nostris literis cum initia paruulorum in timore consistant, perfecta dilectio foras mittit timorem.* S. Ambrosius in psalmum [A. serm. 15.] 118. *Naturam interroga,* (inquit Christus) *quid exegerim, quæ vtique auctoris arbitrium genitali singularum necessitudinum testatur affectu. Amare parentes filios lex naturæ est. Diligere fratres naturæ prærogatiua est, quæ eodem domicilio diu fotos assuefecit ad gratiam charitatis.* S. Gregorius in [G. in 4. psal.] psalmos pœnitentiales. *Filii Ecclesiæ in hoc quod Deum toto corde diligunt, patrem se Deum habere euidenter ostendunt. Filiorum enim est diligere, non timere.* Huc tendit illud Terentii in Adelphis.

Hoc patrium est potius consuefacere filium,
Sua sponte rectè facere, quam alieno metu.
Hoc Pater ac Dominus interest: hoc qui nequit,
Fateatur se nescire imperare liberis.

Et CICERO, post reditum ad Senatum. *Parentes charissimos habere debemus, quod ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est.* Et pro Cluentio. *Nullum est nomen amantius, indulgentiusque quam maternum.* Seneca libro tertio de beneficiis. *Parentes suos non amare impietas* [S. c. 1.] *est, non agnoscere insania.*

III. De-

III. Debent iis officium parendi & obsequendi in omnibus, quæ voluntati diuinæ non repugnant. Idcirco Apostolus commonefecit tam Ephesios, quam Colossenses, vt filii parentibus obedirent in Domino. Vnde S. Hieron. in epistolam ad Ephesios. *Ambiguè*, inquit *dictum. Vtrum in Domino parentibus suis filii debeant obedire, an certe parentibus suis filii obediant in Domino. Quod vtrumq́; faciendum, vt in his parentibus, qui nos in Domino genuere, qualis fuit Paulus & Apostoli obediamus, & ea faciamus quæcunq; præceperint: & parentibus de quibus secundum carnem nati sumus, obtemperemus in Domino, implentes ea quæ non sunt Domini contraria voluntati.* Sapiens, & modum, quo perfectè officium hoc præstari queat insinuat, dum ait. *Qui timet Dominum honorat parentes, & quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt.* Sic teste Petro Apostolo, Sara obedicbat quondam Abrahæ, *Dominum eum vocans.* Sic Christus Dominus, qui venerat vt in forma serui ministraret, & non ministraretur, velut seruus fuit quoq; subditus parentibus suis, nam Lucas dicit. *Et erat subditus illis.* Eph. 6. 2. Col. 3. 20. H. lib. 3. com. Eccli. 3. 8. 1. Pet. 3. 6. Luc. 2. 51.

IV. Debent iis officium subministrandi omnia ad victum & amictum necessaria, cum iis fuerint destituti, id enim verbo *honorandi* significari in præcepto Decalogi, ex ipsa Scriptura probant sancti Patres, vt S. Ambrosius in Lucam. *Est autem honor non solum honorificentiæ, sed etiam largitatis. Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Honor enim est deferre pro meritis Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam. O fili, quantum tibi sumes iudicium si non pascas parentem? Illi debes, quod habes, cui debes quod es. Si non propter gratiam & salutem, propter verecundiam pasce.* S Hieron. in Matthæum *Honor in Scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas quæ veræ viduæ sunt. hic honor donum intelligitur. Et in alio loco. Presbyteri duplici honore honorandi, maximè qui laborant in verbo & doctrina Dei. Præceperat Dominus, vel ætates, vel penurias parentum considerans, vt filii honorarent, etiam in vitæ necessariis ministrandis parentes suos. Hanc prouidentissimam Dei legem volentes scribæ & Pharisæi subuertere docuerunt pessimos filios, vt quæ parentibus erant offerenda, Deo vouerent, &c.* Deinde Ecclesiasticus. *In opere*, inquit, *& sermone, & omni patientia honora patrem tuum.* Et iterum. *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua: Eleemosyna enim patris non erit in obliuione.* Et rursus. *Quam malæ famæ est qui derelinquit patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Præterea Apostolus in priore ad Timotheum ita loquitur. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, &* A. lib. 8. c. 17. 1. Tim. 5. 3. H. lib. 2. c. 15. 1. Tim. 5. 3. Ib. v. 17. Matt. 15. 5. Eccli. 3. 9. Ib. 12. Ib. 18. 1. Tim. 5. & 8.

est infideli deterior. Qui autem magis sui, & domestici censeri debent liberis, quam parentes? Deniq; habemus exemplum Christi Domini, qui de cruce matrem suam commendauit Ioanni Euangelistæ. *Deinde,* inquit Ioannes, *dicit discipulo. Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Quæ verba expendens S. Augustinus tractatu 119. in Ioannem. *Exemplo,* ait, *suo suos ministros instruxit præceptor bonus, vt à filiis piis impendatur cura parentibus, tanquam lignum illud, vbi erant fixa membra morientis etiam cathedra fuerit magistri docentis. Ex hac sana doctrina didicerat Paulus Apostolus, quod docebat, quando dicebat. Si quis autem suis, & maximè domesticis non prouidet, fidem negauit, & est infideli deterior. Quid autem tam cuiq; domesticum quam parentes filijs, aut parentibus filij? Huius itaq; celeberrimi præcepti ipse magister sanctorum de sei, so constituebat exemplum, quando non vt famulæ Deus, quam creauerat & regebat, sed vt matri homo, de qua creatus fuerat, & quam relinquebat alterum pro se quodammodo filium prouidebat. Nam cur hoc fecerit, quod sequitur, indicat. Ait enim Euangelista. Ex illa hora accepit eam discipulus in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat.* Huc vsq; Augustinus. Addam hic hominis Ethnici nunquam satis laudatam de hoc argumento sententiam, nempe SENECÆ, qui disputans, possintnè liberi parem reddere pro beneficiis acceptis gratiam, tandem concludit. *Nulla vi verborum, nulla ingenij facultas exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile, quamq; nunquam à memoria hominum exiturum, posse hoc dicere. Parentibus meis parui, cessi: imperio eorum, siue æquum siue iniquum fuit obsequentem, submissumq; me præbui: ad hoc vnum contumax fui, ne beneficiis vinceret. Certate obsecro vos, & fusi quoq; restituite aciem. Felices, qui vicerint, felices qui vincentur. Quid eo adolescente præclarius, qui sibi ipsi dicere potuit, neq; enim fas est alteri dicere. Parentem meum beneficiis vici? Quid eo fortunatius sene cui omnibus vbiq; prædicabit, à filio suo se beneficiis victum. Quid autem est felicius, quam sibi cedere?*

Ioan. 19. 27.

A. c. 19. Io.

1. Tim. 5. 8.

S lib. 3 de benef. c. 38.

S. Basilius quoq; & ex eo S. Ambrosius in hexæmero suo ad pudefaciendos filios ingratos, qui necessaria subsidia parentibus senio grauatis subtrahunt, ita scribunt. *Quam verò,* ait Ambrosius, *rationabilium excedat pietatem ac prudentiam Ciconiæ clementia, considerandum. Nam depositi patris artus per longæuum senectutis plumarum tegmine alarumque remigio nudatos circumstans soboles pennis propriis fouet. Et quid dicam? collatitio cibo pascit, quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, vt hinc atque inde subleuantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij patris membra?*

B. hom. 8.
A. lib. 5. c. 16.

bra? Quis nostrum leuare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsa historia vix credibile habetur? Quis, vt pius sit, non hoc seruulis mandat obsequium? At verò auibus non est graue, quod pietatis est plenum, non est onerosum, quod soluitur naturæ debito. Est enim vectura pietatis, quod eo vsque frequenti testificatione percrebuit, vt congruæ mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu pia auis vocatur. Habet etiam vniuersorum suffragia: nam retributio beneficiorum ἀντιπελάργωσις *vocatur.* πέλαργος *enim ciconia dicitur. Virtus itaq; ab his nomen accepit, cum relatio gratiarum ciconiæ vocabulo nuncupatur.*

CAPVT III.

Cur liberi hæc officia debeant parentibus.

QVOD liberi hæc omnia officia debeant parentibus perspicuum est, nempe ob multa & magna beneficia ab illis accepta. Vnde Apostolus. *Filii, inquit, obedite parentibus uestris in Domino. hoc enim iustum est.* (Eph 6.1.) 2. quia Deus ita præcepit. (Eccli.3.3.) Vnde idem Apostolus ad Colossenses. *Filii, obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino*, id est, præcepit Dominus, ait Theodoretus. Et Syracides. (Ib.) *Deus honorauit Patrem in filiis, & iudicium matris exquirens firmauit in filios.* Honorauit autem, quia filiis præcepit, vt honore afficerent patrem: iudicium verò matris firmauit, quia iussa matris suo præcepto rata fecit. Quare & mox subiecit. *Qui timet Dominum, honorat parentes.* Beneficia autem parentum scriptura non reticuit, nam cum (Tob.4.3.) Tobias filio dixisset. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius*, addit. *Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Non tacuerunt S. Patres. Sanctus Ambrosius in Lucam (A.lib.2.c.8.) *Disce, quid parentibus tuis debeas. Tu matri debes pudoris iniuriam, virginitatis dispendium, partus periculum, matri longa fastidia, discrimina, cui miseræ in ipsis votorum fructibus maius periculum est, & cum ediderit, quod optauit, partu absoluitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu multiplicatos alienis vsibus census, iactaque agricolæ semina posterorum ætatibus profutura? Nonne pro his obsequia saltem oportet rependi?* Et infra. *Pasce matrem tuam. etsi paueris matrem, adhuc non* (Id.lib.8.c.17.)

redidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est, non reddidisti obsequia, quibus illa te gestauit, non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis vbera, non reddidisti famem, quam illa pro te tolerauit, ne quid quod tibi noxium esset, ederet, ne quid quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa ieiunauit, tibi manducauit, tibi illa quem voluit cibum non accepit, tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilauit, tibi fleuit, & tu illam egere pateris?

TERTIO debent hæc officia parentibus, quia Deus ea præcepit serio, id est, adiuncta comminatione grauissima si secus faciant, eos non audiendo, non honorando, non pascendo, sed contemnendo, dedecore vel morte afficiendo. Qua de re multa habes in diuinis litteris, vt in Exodo. *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo vel matri morte moriatur.* Et in Leuitico. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur Patri matriq; qui maledixerit, sanguis eius sit super eum* Et in Deuteronomio. *Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, ducent ad seniores ciuitatis, dicentq; ad eos. Filius noster iste proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atq; conuiuijs, lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israhel audiens, pertimescat.* Et iterum. *Maledictus qui non honorat patrem suum & matrem. & dicet omnis populus, Amen.* Deinde in Salomonis Prouerbiis. *Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris.* Et. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Et. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus. & comedant eum filii aquilæ.* Et in Ecclesiastico. *Quam malæ famæ est qui derelinquit patrem. & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem?* Vnde S. AMBROSIVS loco supra citato. *Honora patrem tuum & matrem tuam. Primus enim gradus iste pietatis est: namq; hos auctores tibi esse voluit Deus. Honora obsequiis, vt abstineas à contumeliis, quia ne vultu quidem lædenda est pietas parentum. Sed parum est non lædere, quia lex prospexit ne patiantur iniuriam. Qui enim maledixerit patri vel matri morte morietur. Tu honora, vt bonus sis. aliud est legis beneficium, aliud pietatis officium.*

Ethnicorum dicta prætermitto.

Exo. 21. 15. Leu. 20. 9. Deu. 21. 18. Ib. c. 27. Prou. 20. 20. Ib. 28. 24. Ib. 30. 17. Eccli. 3. 18. A. l. 8. in Lucam Cap. 17.

CAP.

CAPVT IV.

Quantus fructus ex his officiis in liberos dimanet.

PRIMVM fructum Deus ipse præcepto de honorandis parentibus adiunxit in Deuteronomio, dicens. *Honora patrem tuum & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene sit tibi.* Et repetiuit S. Paulus *Honora, &c, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi; & sis longæuus super terram.* Vbi hoc mandatum primum dicitur in promissione, vt habet commentarius S. Ambrosii, & Augustini, vel quia primum est in secunda Decalogi tabula, habetq; promissionem illam. *Vt bene sit tibi, &c.* Vel quia cum sæpe in Scriptura promittatur longæuitas mandata Dei præstantibus, ea tamen primo promittitur honorantibus parentes, idq; rectè. Nam cum homines soleant ex operibus suis fructum & vtilitatem quærere, ex parentibus autem declinantibus ad mortem non videatur magna speranda vtilitas, ideo Dominus Deus voluit aliquid promittere honorantibus parentes, nempe longam vitam, eo quod gratus super accepto beneficio, dignus est cui acceptum beneficium conseruetur, ingratus autem acceptum beneficium meretur perdere. Quod beneficium cum filio sit vita, quam à parentibus accepit, iustum est, vt si honorando parentes gratum se præbuerit, vita ei conseruetur, hoc est, diu viuat. Nec solum longam vitam promittit Dominus, sed *vt bene sit tibi*, inquit, hoc est, vt felicem & iucundam ducas vitam. omnia enim quæ ad vsum huius vitæ pertinent promittuntur honoranti parentes, vt sunt honor, dignitas, opes, lætitię & successus ex animi sententia. Vnde Sapiens. *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Dices, multos morigeros citò mori, & immorigeros diu viuere. Respondeo iuxta doctrinam S. Augustini libro primo de ciuitate Dei, non ideo falsam reddi Dei promissionem, quia si morigeris eam non præstet in hac vita, abunde compensabit in altera: sicut nemo violatæ promissionis eum arguerit, qui cum ceruisiam promiserit, postea dat eius loco vinum. Subiiciā memorabile exemplum ex S. Bernardino de adolescente cui ob inobedientiam vita abbreuiata est. *Nostra ætate*, ait, *in Hispaniæ citerioris oppido cui nomē Sui, non ita procul Valentia adolescens fuit, qui per parentum inobedientiam eo deuenerat vt anno 18. propter latrocinia & publica facinora in vincula coniectus, & suspendio damnatus sit. Erat etiam tū*

Deut. 5. 16.
Eph. 6. 1.
Amb. in ep. ad Eph.
Aug. l. de concordia.
Prou. 1. 9.
c. 8.

prorsus imberbis. pendēti verò iam atq; exanimi subito prorumpit barba moxq; spectante populo, tum illa, tum comæ capitis plane canescunt, vt ætatem referret hominis nonagenarij. Miraculo rei accitus cum populo & toto clero accurrit Episcopus. Omnes in genua prostrati expectant, dum ostendat Deus, quid sibi monstrum hoc velit. Atque ecce tibi Episcopus editiorem capiens tumulum, ad omnes ait Voluisse Deum ostendere, quantum de vita iis detrahat, qui de parentum obedientia detraxerunt, Victurum enim fuisse hunc iuuenem ad eam ætatem, qua iam apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientia detraxisset. Ita habet Dominica Quadragesimæ sermone 17. art. 3. c. 1.

Eccli 3. 5. COMPLVRES alios fructus coaceruat Ecclesiasticus *Sicut qui thesaurizat*, ait, *ita & qui honorificat matrem suam* hoc est, multa bona spiritualia & temporalia accumulat 2. *Qui honorat patrem suum iucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur.* hoc est, abundabit liberis, & votorum suorum compos fiet. 3. *Qui honorat patrem suum vita viuet longiore. & qui obedit patri refrigerabit matrem*, id est, pro doloribus & curis afficiet gaudio. 4. *Honora patrem tuum vt superueniat tibi benedictio ab eo & benedictio illius in nouissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Qua sententia indicatur, quanti Deus faciat benedictionem, vel maledictionem filiorum à parentibus profectam, cum Deo faciente fiat, vt ad benedictionem parentum, filiorum familiæ & res stabiliantur; contra verò vt ad maledictionem eorundem fundamenta domorum eradicentur, id est, penitus eorū familiæ euertantur. Id patuit in Iacbenedicto ab Isaac. In Ephraim & Manasse, & duodecim patriarchis à Iacob benedictis, & multo antiquius in benedictione & maledictione Noe. S. Augustinus libro 22 de ciuitate Dei, de 10 filijs à matre maledictis ita scribit. *Decē quidam fratres fuerunt quorum septē sunt mares tres fœminæ de Cæsarea Cappadociæ suorum ciuium non ignobiles maledicto matris recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaquauersum cuique ire visum est, toto pæne vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo frater & soror, Paulus & Palladia, multis aliis locis miseria diffamante iam cogniti.* Deinde fusè narrat, quomodo ad memoriam Stephani martyris à tremore liberati sint, toto populo spectante, & maximo clamore Deo & Martyri gratias agente.

Ac. 8.

* * *

CAP.

CAPVT V.

Liberos non ſemper eſſe obligatos ad dicta obſequia præſtanda parentibus.

ETSI mandato diuino filii teneantur obſequi parentibus, non tamen tenentur, quotieſcunque parentum voluntas repugnat cum diuina voluntate. *Oportet enim, Deo magis obedire,* ait Petrus cum Apoſtolis in Actis, *quam hominibus.* Et Chriſtus cuidam diſcipulo poſtulanti, vt prius ſepeliret patrem ſuum, reſpondit. *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſos.* Et rurſus alibi. *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Et iterum. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem ſuam, &c. adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Deinde Apoſtolus in epiſtola ad Epheſios & Coloſſenſes, vbi filios iuſſit obedire parentibus, addit *in domino,* hoc eſt, cũ mandatum parentũ conſpirat cum Domini Dei voluntate, vt expoſuit S. Hieronymus & Chryſoſtomus in commentariis. Vnde S. Ambroſius in pſalmum 118. *Fortaſſe dicat aliquis. Tu Domine Ieſu legem dediſti dicens. Dilige Dominum Deum tuum, dilige proximum tuum: & vt impleres hanc legem veniſti. Dixiſti per legem. Honora patrem & matrem, & in Euangelio iubes, vt parentes oderim? Quomodo ſibi conueniunt iſta præcepta? Sic mitis & humilis corde veniſti? non poſſum ſaluo pietatis iure odiſſe patrem, cui debeo quod creatus ſum.* Et infra reſponſum dans ait. *Denique ipſe Chriſtus in Euangelio euidenter expoſuit, qua ratione noſtros debeamus odiſſe dicens. Qui diligit patrem aut matrem, plusquam me, non eſt me dinus. Non dixit indignos eſſe, qui parentes ſuos diligunt, ſed eos indignos ait, qui plus parentes, quam Chriſtum diligunt. Si enim ideo deferimus parentibus, quia noſtræ generationis auctores ſunt, quanto magis Chriſtum oportet amare, qui ipſorum eſt auctor parentum. Iſti dederunt, quod non poteſtatis eſt, ſed miniſterii ſui; Chriſtus dat ſalutem, qui parentum beneficia conſeruat.* Sanctus Hieronymus ad Furiam, de Virginitate ſeruanda. *Honora,* inquit, *Patrem tuum, ſed ſi te à verò patre non ſeparat. Tamdiu ſcito ſanguinis copulam, quamdiu ille ſuum nouerit creatorẽ. Alioquin Dauid protinus tibi canet. Audi filia, & vide & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum: qa audiſti, quia vidiſti, qa inclinaſti aurẽ tuam, & populi tui, domusq́; patris tui oblita es.* Et ad Nepotianũ *Ecce*

Act 5.30. Matt.8.22. Matt.10.37. Luc.14.26. Eph.6.2. Col.3.20. Amb. ſerm. 15. H. ep. 10. Pſal.44.11. Id ep. 2.

Ecce aduersarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater ostendat: licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. Scitum est & illud Chrysostomi in Ioannem. *Cum spiritualia*
C.hom.84. *impediunt parentes, ne cognoscendi quidem sunt: ita cum nihil impediunt, merito omnia ijs sunt tribuenda, & omnibus ipsi anteferendi.* S. Augustinus ad
A.ep.38. Lætum. *Sicut præceptum quo perdere iubemur animam nostram, non ad id valet, vt se quisque interimat, quod inexpiabile nefas est: & tamen valet vt interimat in se carnalem affectum animæ, quo cum impedimento futuræ vitæ præsens vita delectat. Hoc est enim quod dictum est: oderit animam suam, & perdat eam. Quod tamen diligendo fit, quandoquidem apertissimè fructum eiusdem animæ acquirendæ in eodem præcepto commemorat, dicens. Qui perdiderit eam in isto seculo, in vita æterna inueniet eam. Ita de parentibus rectissimè dicitur, vt qui eos amat perdat eos, non more parricidarum interficiens, sed spirituali gladio Verbo Dei carnalem affectum eorum quo & seipsos, & eos quos genuerunt irritamentis huius seculi obligare conantur, piè fidenterque percutiens & occidens, illud in eis viuere faciat quo fratres sunt, quo cum filijs suis temporalibus parentes æternos Deum Ecclesiamque cognoscunt.* Et in libro contra Adimantum Manichæi discipulum, qui, contendebat
A.c.6. propter testimonia initio citata nouum testamentum repugnare veteri, allegat pro contemptu parentum locum ex Deuteronomio. *Qui*
Deu.33.9. *dicit patri,* inquit, *aut matri, non noui vos, & qui filios, suos non agnoscit, ipse autem cognouit testamentum tuum.* & ideo vetus non repugnare nouo dicenti, odiendos parentes. *Ex quo,* addit, *manifestum est, & honorem parentum in gradu suo esse seruandum, & eos tam in diuini amoris comparatione præsertim si impedimento sunt, nulla dubitatione oportere contemni.*

EXQVA doctrina liquet posse aliquem, si parentes impedimento sint, religiosæ vitæ statum, ad quem à Deo vocatur, etiam inuitis illis inire: hoc enim est quod S. Hieronymus paulo ante dixit, *Per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola,* excipe casum, nisi parentes extrema vel graui inopia premantur, & aliunde non suppetunt præsidia. Tunc enim filius tenetur, vel in aliud tempus differre, vel etiam prætermittere religionis ingressum. Quod si parentes in eandem inopiam labantur, post professionem solennem in religione à filio factam, filius tantum ea subsidia temporalia & spiritalia conferre tenetur, quæ saluis religionis suæ legibus in quas iurauit, omnino poterit, sicut si vxorem duxisset, teneretur ijsdem omnia suppeditare, quæ saluis matrimonii legibus posset. *Sic etenim quisque,* ait
G.c.18. S. Gregorius libro moralium septimo, *propinquorum debet necessitatib.*

com-

compati, vt tamen per compassionem non sinat vim suæ intentionis impediri, vt affectus quidem mentis viscera repleat, sed tamen à spiritali proposito non auertat. LEGE nostrum Gregorium à Valentia in 22. S. Thomæ disputat. 7. quæstione I. de Pietate, Puncto 2. de hoc casu disserentem.

CAPVT VI.

De pietatis officiis, quæ parentes debent liberis.

PRIMVM officium, quod parentes etiam natura duce & magistra præstare debent liberis est, diligere illos; nam & feræ hoc officium præstant suis fætibus. Vnde Sapiens. *Omne*, inquit, *animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi.* Eccli. 13. 18. quis autem parenti proximior vel similior est quam filius? Et Apostolus vult à fœminis senioribus Tit. 2. 4. doceri adolescentulas, *vt viros suos ament, & filios suos diligant.* S. Ambrosius libro de sancto Ioseph. *Amare*, inquit, *liberos dulce & impen-* A. c. 2. *sius amare prædulce: sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis; si aut nimia indulgentia dilectum resoluat, aut prælatio vnius cæteros ab affectu germanitatis auertat. Quid ergo? reprehendendus Iacob,* Gen. 37. 3. *quia præferebat vnum cæteris? Sed nec libertatem possumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri, nec filiis resecare debemus studium plus placendi.* Idem in hexæmero pro hoc amore varia affert A. l. 5. c. 3. 17. 18. exempla brutarum animantium, vt piscium, hirundinis, cornicis & & li. 6. c. 4. vrsæ. M. Tullii dicta sunt. *A natura ipsa, vt eos quos genuerimus amemus,* Cic. 1. de fin. *impellimur. Feræ partus suos diligunt, & nos in liberos nostros vti debemus in-* 2. de orat. *dulgentia. Nihil dulcius hominum generi à natura datum est, quam sui cuique* post redit. ad Quir. *liberi. Nullum est nomen amantius indulgentiusque quam maternum.* Contra hoc officium grauiter peccant. 1. qui prolem necdum in lucem editam in vtero materno enecant. 2. qui abortum studio vel incuria procurant. 3. qui iam natos exponunt. 4. qui tàm negligenter educant, vt claudi, lusci, gibbosi fiant, in ignem vel aquam cadant.

II. Officium est, liberos in lucem editos materno lacte alere, & non alienis nutricibus, nisi cum necessitas cogit, tradere, quod multis rationibus Phauorinus probat apud A. Gellium Noctium Atticarum duodecimo. A. G. lib. 12. c. 1. Exemplum habemus in Scripturis sanctarum mulierum, Saræ, Annæ Samuelis, matris Machabæorum, & ipsius Dei genitricis, Gen. 21. 7. quæ proprios filios lactasse leguntur. Et merito. ad quid enim 1. Reg. 1. 23.

2.Mach.7.27. Deus & natura martyribus vbera præbuit, nisi vt natis subministrent lac? Certe periculosum est tenero infantulo, vt inquit Phauorinus ille, proprii, consueti, & iam cogniti sanguinis alimonia priuare. Vnde sæpe fit, vt vel cito extinguatur vel saltem imbecillior fiat, ac potius nutricem quam parentum suam loco matris habeat. Quare Sanctus Ambrosius in hexamero ita scribit. *Discant homines amare filios ex vsu pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatæ sedulo prosequuntur, & solicitæ ne teneri forte deficiant cibum suggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia non derelinquunt At verò feminæ nostri generis cito ablactant etiam illos quos diligunt, aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt, pauperiores verò abijciũt paruulos, & exponunt, & deprehensos abnegant.* Et Sanctus Gregorius ad interrogationes Augustini Anglorum Episcopi. *Prima consuetudo in coniugatorum moribus effecit, vt mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant quod videlicet ex causa incontinentiæ videtur inuentum: quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.*

Plut. de libro educandis

A.c.19.

G.c.10.

III. Officium est iisdem, non quæ ad copiam & delitias, sed ad necessarium victum & amictum] pertinent, prouidere in præsens & futurum tempus. *Nec enim debent*, inquit, Apostolus *filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis* quod natura, inquit in eum locum Chrysomus, eos docuit. Et Sanctus Basilius in psalmum 7. *Debetur*, ait, *liberis à parente secundum naturalis amoris affectum sustentandæ vitæ prouentus. Parentum enim est, inquit, colligere siue thesaurum recondere liberis, vt præter hoc, quod ad vitam illos genuerunt, etiam viuendi subsidia subministrent.* Contra hoc officium delinqunt, qui neglecta filiorum cura bona sua dilapidant, aut tam multa in alios conferunt vt pro filiis alẽdis parum supersit, quos reprehendit S. August. in epistola ad Ediciam, quæ tam multa erogarat in pauperes, vt parum restaret filii sustentationi. Deinde, qui ob alteras nuptias initas, priorum obliuiscuntur filiorum, quos perstringit Sanctus Basilius homilia nona. Tertio qui non aduigilant, vt tẽpestiuè vel opificium addiscant, vel rei litterariç eo vsque operam dent, vt muneri aliquo vel seculari vel Ecclesiastico gerendo idonei fiant. Quarto, qui plus eis locupletandis, quam bonis moribus veraque pietate informandis student: quos non semel insectatur Sanctus Chrysostomus: vt homilia 60 in Matthæum & nona in priorem epistolam ad Timotheum. *Exerceamus*, inquit, *ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quæramus. Nam si quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt, sin*

2.Cor.12.14.

A.ep.199.

Ch.h.9. in 1. ad Tim.

sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. vis filium relinquere diuitem? Bonum illum ac benignũ esse doce: ita enim etiam rem familiarem auctiorem facere poterit. Quod si tenuis illi substantia fuerit, nihil deteriori in loco erit, quam hi qui plurima possident. Quod si malus fuerit, etiamsi infinitam illi substantiam relinquas, non illi custodem reliquisti, sed longè deteriore conditione illum fecisti, quam si in extremam deuenisset inopiam. Paupertas enim vel inuitos coercet, atque intra virtutis, limites continet: opes verò ne volentes quidem pudice, temperanterque viuere sinunt, verum exorbitare faciunt, atque peruertunt.

IV. est. Erudire eos per se & alios in sana & Catholica doctrina, inculpatisque moribus, verbo & exemplo. Ita Spiritus sanctus crebro monet in scripturis, vt in Deuteronomio. *Docete,* inquit, *Filios vestros, vt illa* (præcepta Dei) *meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris, atque surrexeris, Scribes ea super postes & ianuas domus tuæ, vt multiplicenter dies tui, & filiorum tuorum.* Et in Salomonis Prouerbiis. *Erudi filium tuum, ne desperes.* Et. *Prouerbium est Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Et. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.* Et apud Ecclesiasticum. *Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur.* Quam autem doctrinam, quo ad mores, tradere debeant patres filiis, habes Prouerbiorum capite 4. & 5. ac Tobiæ 4. & 10. Apostolus quoque Ephesiis ita scribit. *Patres, educate filios in disci lina & correptione Domini.* Et ad Titum. *Anus prudentiam doceant adolescetulas; vt viros suos ament, filios diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas subditas viris suis, vt non basphemetur Verbum Dei.* Vnde Sanctus HIERONYMVS exponens verba Danielis de parentibus Sanctæ Susannæ. *Et parentes eius iusti edocuerunt filiam suam iuxta legem Moysi. Hoc vtendum est,* inquit *testimonio ad exhortationem parentum, vt doceant iuxta legem Dei, sermonemque diuinum, non solum filios, sed & filias suas.* Et in epistola ad Saluinam de viduitate seruanda. *Non est parui apud Deum meriti bene filios educare. Audi Apostolum commonentem. Vidua eligatur non minus annorum sexaginta, quæ fuerit vnius viri vxor, in bonis operibus habens testimonium, si filios educauit, si hospitalis fuit, si sanctorum pedes lauit.* Sanctus Chrysostomus aduersus vituperatores vitæ monasticæ. *Paulus cum,* inquit, *ad Timotheum de parentibus scriberet aiebat. Quoniam salui fient per filiorum generationem, si permanserint in fide & dilectione & sanctificatione cũ castitate Iob quoq; sanctissimum virum, quum ex virtutibus reliquis scriptura collaudet, quod fuerit iustus, quod verax, quod religiosus, quod pius, tum ex eo maximè, quod filiorum optimè nutriendorum*

[Marginal notes: Deut 11. 91. — Prou. 19. 18. — Ib. 22. 6. — Ib. 29. 17. — Eccli. 30. 2. — Eph. 6. 4. — Tit. 2. 5. — Dan. 13. 3. — H. ep. 9. — 1. Tim. 5. 9. — Chr. lib. 3. — 1. Tim. 2. 15.]

habuerit summam diligentiam. Non enim ea cura vtebatur, vt aurum illis copiosissimum acquireret, non vt humana gloria verendos & illustres cerneret, sed quid ille tandem? Audi quid Scriptura dicat. Cum consummati, inquit, essent dies conuiuij, mittebat Iob & purificabat eos, consurgensq́, diluculo, offerebat pro eis sacrificia ad numerum ipsorum, vitulumq́, vnum, pro peccatis, pro animabus eorum. Dicebat enim Iob in corde suo. Ne forte filij mei in mente sua mala cogitauerint aduersus Deum.

(Iob 1. 5.)

CONTRA hoc officium peccant, qui cum ipsi liberos in recta doctrina & moribus per otium instituere vel non possint vel nolint, ne pædagogis quidem probatis tradunt instituendos, in quos inuehitur S. Chrysost. ita in Matthæum scribens. *Maiorem*, inquiens, *asinorum ac equorum quam, filiorum curam habemus. Nam si asinis agaso nobis præficiendus est, non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem, aut rei eius imperitum præficiamus: sin verò ad colendum filiorum ingenium pædagogus sit nobis inueniendus, qui casu oblatus fuerit eum recipimus, nec consideramus vllam artem hoc artificio sublimiorem inueniri. Quid enim maius, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certè pictore, omni statuario, ceteris huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuuenum animos fingere non ignoret.* Multa de hac re præclarè consuluit PLVTARCHVS in libro de educandis liberis, ostenditq; adolescentiam magis quam pueritiam, ob grauiorum lapsuum pericula opus habere pædagogo.

(Chr. hom. 60.)

V. Officium est, filios cum deliquerint pro grauitate lapsus corrigere, quod sæpissimè Sapiens inculcat, vt in Prouerbiis. *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Et. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Et. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Deinde in Ecclesiastico. *Filii tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Et *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo.* Et *Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet præceps. Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non des illi potestatem in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* De eodem officio monuit Apostolus, cum in epistola ad Ephesios commonefecit parentes, vt educent lib. *in disciplina & correptione Domini.* Et ad Hebr. vt probet Deum flagellare omnem filium quem recipit. *Quis enim,* inquit, *filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filii estis.* Vnde S. Ambrosius

(Prou. 13. 24. — Ib. 22. 15. — Ib. 23. 13. — Eccli. 7. 25. — Ib. 30. 1. — Ib. 8 9. 10. — Eph. 6. 4. — Heb. 12. 8. — A. ep. 18.)

sius epistola ad Horontianum. *Vtiles sunt correptiones parentis, qui non parcit, vt obedientem præceptis salutaribus præstet animam filii sui. Nemo desperare debet, quicunq; corripitur, atq; arguitur. Qui enim diligit filium corripit. Nemo de remedio diffidat.*

VI. est moderationem in disciplina seruare, vt nec in austeritate excedatur, nec in indulgentia. Austeritate enim imperii fit, vt pueri & adolescentes disciplinam fugere & odisse incipiant. Vnde Apostolus. *Et vos Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros.* Et iterum. *Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Quæ verba expendens S. Hieron. libro 3. commentariorum in epistolam ad Ephesios. *Peccatum filiorum est, non obedire parentibus: peccatum verò parentum paruulos filios atq; lactentes ad iracundiam prouocare: aut certe iam adolescentibus & maturioris ætatis ea imperare, quæ grauia sunt. Sicut igitur in filiis obsequium, & merces subiectionis est demonstrata: ita parentibus moderatum iubetur imperium, vt non quasi seruis, sed quasi filiis præesse se nouerint. Nec hoc præcepti fine contentus est, sed & illud adiunxit. Educate illos in disciplina & correptione Domini. Quam correptionem nos legimus, melius in græco dicitur νουθεσία, quæ admonitionem magis & eruditionem, quam austeritatem sonat.*

Eph 6.4. Col 3.21. H. in c. 6.

QVOD ad Indulgentiam attinet, si in ea excedatur, deteriores parit filios quam austeritas, nempe segnes, superbos, audaces, præfractos, indomitos, vt ostendunt monita Salomonis pro quinto Officio paulo ante allata, & illud vulgati Poetæ.

Blanda Patrum segnes facit indulgentia natos
Iuge sed impigros reddit, vigilesq; flagellum.

Accedit quod Deo maximè in parentibus blanda illa indulgentia displicere videtur, nam, vt liquet ex sacra Regum historia, Deus eam in Heli sacerdote iudice cæteroquin iusto & sancto grauissima pœna vindicauit, dum & ipse de sella misereruens fractis ceruicibus expirauit, & posteritas eius valde afflicta fuit. Vnde S. Hieronymus loco citato. *Heli sacerdos ipse sanctus fuit, sed quia filios suos non erudiuit in omni disciplina & correptione, supinus cecidit & mortuus est: non enim poterat ad priora extendi, sed retrorsum ruit, & opisthotono insanabili lapsus in tergum ad Sodomam cum Loth vxore respexit. Et certè corripuerat filios suos dicens. Quare facitis verba hæc, quæ ego audio de vobis mala ab omni populo? nolite filii mei, quoniam non est bona fama quam ego audio de vobis.* Et S. Chrysostomus aduersus vituperatores vitæ monasticæ multò fusius. *Sacerdos, inquit, quidam apud Iudæos fuit vir imprimis moderatus atq; mansuetus, Heli nomine; huic duo cum essent liberi, videretq; illos vitiis deditos non*

4. Reg 4.18. H. in c. 6. ad Eph. 1. Reg 2. Chr. lib 3.

coercuit, siue vt verius loquar, corripuit illos quidem & cohibuit, verum non cum omni studio & vehementia id fecit. Horum autem hæc fuere crimina: ventris ingluuies & fornicatio. Edebant enim, inquit, antequam sacrificarentur sacræ carnes, priusquam offerretur Deo sacrificium. Quibus compertis pater non illos pœna affecit, ceterum verbis tantum castigare, leniq; castigatione ab hac eos peruersitate reuocare conatus est, atque huiuscemodi verba iugiter
1.Reg.2.23. *ad illos loquebatur Nolite filij, nolite sic facere. non enim bona fama est, quam ego audio de vobis, vt faciatis populum non seruire Domino. Si delinquens peccauerit vir in virum, orabunt pro illo Dominum: sin autem Domino peccauerit vir, quis pro illo orabit? Et certè plena sunt grauitatis, reuerentiæ & ponderis hæc verba, quæ ad statum vitæ melioris reuocare possent eum, qui penitus excors & amens non esset. Quippe sceleris immanitatem indicant, & quam sit metuendum & cauendum admonent, & quæ pœna subsequebatur ostendunt, grauissima scilicet & intolerabilis. Verum quia non omnia, quæ fuerant agenda, vt illa vitia necarentur, molitus est, & ipse cum illis vna periit. Namq; ille & minas addere debuerat, & à suo eos conspectu amouere atq; etiam verberibus afficere, multoq; illis grauius & durius instare. Quia vero verborum tantum monitis contentus fuit, illis & sibiipsi Deum aduersum, infestumq; constituit: cumq; improbè & intempestiuè filijs parceret, & suā simul & illorum salutem perdidit.* Denique post multa ita concludit. *Itaq; nulla alia ex ratione peruersi vt fiant liberi contingit, nisi quod eorum patres circa vitæ præsentis commoda æquo amplius incumbunt, & ferè dixerim, insaniunt. Cum enim illa solummodo inquirunt, nihilq; illis præferendum censent, & suā pariter & liberorum animam negligere coguntur, Hos ego patres, quod nemo tamen me commotius dicere, quam verius existimet, parricidis ipsis immaniores, sceleratioresq; dixerim. Illi enim corpus ab anima disseparant: isti & animam & corpus æternis ignibus tradunt. Atq; is quidem, qui corpore occiditur, necessario naturali lege, etiamsi necatus non fuisset, moreretur: hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi consciuisset paterna negligentia. Præterea corporis mortem superueniens resurrectionis gloria protinus delere poterit, cum sibi nulla sit iam reliqua salutis spes, verum immortales cruciatus luere cogatur. Itaq; non iniuria parentes eiusmodi deteriores parricidis esse diximus.*

POSTREMVM officium parentum est, nihil quod turpe sit, aut dedeceat coram liberis agere. *Habet enim quiddam erga parentes* in-
A.c.4. quit S. Augustinus libro secundo de ciuitate Dei, *humana verecundia,*
Gen.9.23. *quod nec ipsa nequitia possit auferre.* Qua edocti quondam Sem & Iaphet
Am.c.31. Noe parentem ex ebrietate nudatum auerso vultu veste operuerunt. Atque inde S. Ambrosius colligit non decere vt filii cum parentibus

lauacra ingrediantur. Ita enim scribit libro de Noe & arca. *Quid est, quod Sem & Iaphet imposuerunt vestimentum super humeros suos, & perrexerunt retrorsum, & operuerunt nudum patrem, & non viderunt nudationem eius? Littera euidentem expressit pietatis affectum, quod nudatum amictu patrem boni filii videre cauerunt, ne paterna reuerentia vel ipso minueretur aspectu. Siquidem etiam tacito vultu pietas frequenter offenditur. Vnde etiam Romæ vetus fuisse vsus dicitur, ne filij cum parentibus, & maximè puberes intrarent lauacrum.* De pluribus monet Poeta Ethnicus IVVENALIS ita canens. Iu. Sat. 14.

Plurima sunt Fuscine, & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntq; parentes.
Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fritillo.
Sic natura iubet, velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos auctoribus vnus & alter,
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abstineas igitur damnis huiusce, etenim vel
Vna potens ratio est, ne crimina nostra sequantur,
Ex nobis geniti, quoniam dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes sumus, & Catilinam
Quocunq; in populo videas, quocunq; sub axe,
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus vsquam.
Nil dictu fœdum, visuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

EODEM pertinet pietas discipulorum in magistros, & subditorum, maximè religiosorum vel religiosarum in suos Superiores.

VIDE V. *Charitas proximi. Correctio proximi. Honestas. Iustitia. Obedientia.*

POENI-



POENITENTIA.

CAPVT I.

De nomine & definitione Pœnitentiæ.

POENITENTIAE nomen prisci Gammatici à pęna deriuari volunt. Quos enim pœnitet facti, ii pœna aliqua vel dolore excruciantur. Quo significatu dixit in Tusculana quarta M. Tullius. *Quomodo si naturalis esset ira, quenquam pœniteret quod fecisset per iram, vt Alexandrum regem videmus, qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix à se manus abstinuit tanta vis fuit*
Tert.lib.2. *pœnitendi.* Tertullianus contra Marcionem, cum dixisset, vocem pœnitentiæ cum Deo tribuitur, tantum significare *simplicem conuersionem sententiæ prioris,* addit. *Nam & in græco sono pœnitentiæ nomen non ex*
L.c.13. *delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est.* Lactantius verò libro VI. institutionum. *Agere pœnitentiam,* ait, *nihil aliud est, quam*
Id c.24. *profiteri & affirmare se vlterius non peccaturum.* Et multo inferius. *Is n. quem facti sui pœnitet, errorem suum intelligit: ideoque Græci melius & significantius* μτεανοίαν *dicunt quam nos possimus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ & confirmat animum suum ad rectius viuendum.* Verum indubitatum est, tum in diuinis scripturis, tum apud S. Patres vtramq; vocem nō pro sola resipiscentia, sed pro detestatione & vindicatio-
Matt.11. ne peccatorum vsurpatam. Nam apud Matt. & Lucam sic legimus.
Luc 10. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Vterque autem Euangelista vtitur voce μετενόησαν. Nemo autem dicitur propriè in cilicio & cinere resipiscere, cum resipiscentia præcedat pœnitentiam in cilicio. Sic S. Basilius in oratione de fame & siccitate externam pœnitentiam Niniuitarum vocat μετάνοιαν. S. Cyprianus sermone 5. de lapsis. *Pœnitentia,* in-
Amb.c.2. quit, *crimine minor non sit.* Et S. Ambrosius libro primo de Pœnitentia. *Qui culpam exaggerauit, exaggeret etiam pœnitentiam Maiora enim cri-*
A.ep.108. *mina, maioribus abluuntur fletibus.* S. August. epistola ad Seleucianam. *Ista Pœnitentia bonorum & humilium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicen-*

dicentes, Dimitte nobis debita nostra. S. Gregorius in Euangelia *Pœnitentiam agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Nos hoc loco non agimus de Pœnitentia, qua sacramentum est, sed duntaxat, quâ virtus est (vt liquet ex inscriptione li.) & nihil aliud significat, quam verum animi dolorem, de peccato cum voluntate illud puniendi coniunctam. quem Theologi vocant Contritionem. De ipsa autem punitione peccati vel satisfactione suo loco agemus. Contritionis vero vocabulum sumptum est ex phrasi scripturæ, vt ex illa psalmi quinquagesimi, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, & 146. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Quam expendens S. Augustinus ibidem, *Sanat*, ait *contritos corde, sanat ergo humiliatos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes, in sese verum iudicium exercentes, vt possint esse illius misericordiam sentientes.* G.hom.34.

CAPVT II.

Quæ requirantur ad veram Pœnitentiam vel Contritionem.

PRIMA conditio est, vt pœnitentiam acturus resipiscat, id est agnoscat se peccasse. Idcirco enim DEVS percunctatus est Euam in paradiso. *Quare hoc fecisti?* Et Cain. *Quid fecisti?* Angelus quoque populum in libro Iudicum. *Quare hoc fecistis?* vt agnoscerent ipsi lapsum suum. Deinde rex Dauid post lapsum ait. *Iniquitatem meam cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Et rex Ezechias apud Isaiam. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et rex regum apud Ezechielem. *Notas fac Hierusalem abominationes suas.* Idem docuere prisci Patres. S. Cyprianus. *Vos verò pœnitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, grauissimum conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos aperite.* Lactantius loco ante citato. *Is quem facti pœnitet errorem suum intelligit.* Chrysostomus de compunctione cordis. *Hoc solum est, quod à nobis exposcitur, vt semper recordemur mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos.* S. Hieronymus exponens illud Ieremiæ. *Postquam cognoui percussi femur meum. Dolentis, ait, & plangentis, & super errore pristino plorantis indicium est, vt femur manu percutiat.*

Gen.3.13. Gen.4.10. Iud.2.2. Psal.50.5. Isa.38.15. Ezech.16.2. C.ser. de lapsis C.lib.1.

II. CONDITIO est, vt oderit peccatum commissum, & de eo doleat. Vnde Iob dicebat post agnitũ peccatum. *Auditu auris audiui te, idcirco* Iob.42.

Isa.26.17. ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Et Isaias. *Sicut quæ concepit, dum appropinquauerit, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine.* Et apud eundem Ezechias rex promittit se Isa.38.15. *in amaritudine animæ suæ*, annos recogitaturum. Apud Ioelem quoque Ioel.2.12. vox Dei est. *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & fletu & Luc.22.62. planctu.* Petrus certe Apostolus lapsum suum, teste B. Luca, *fleuit amare.* Nec aliud S. Patres. S. Cyprianus supra dixit, *pœnitentes ac dolentes* C.de lapsis. *peccata vestra perspicite.* Lactantius, resipiscit, *qui dementiam suam ca-* L.l.6.c.24. *stigat.* Gregorius Nazianzenus oratione in Sancta lumina, ait se *pœnitentes recipere, si lacrymis confectos videat* Ambrosius libro 2. de pœ- A.c.10. nitentia. *Dum dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ.* Augustinus in Enchiridio, *In a-* Au.c.65. *ctione pœnitentiæ, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.* Et sermone 7. de tempore *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei: quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita.* Et S. Greg. in pastorali. *Admonendi sunt, qui admis-* G.3.p.c.32. *sa deserunt, neque tamen plangunt, ne iam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant.*

III est, vt proponat in animo, se vitam emendaturum, Vnde Isa. Isa.1.17. ad peccatores. *Quiescite agere peruerse, discite benefacere.* Et Ezechias. Ezech.18.31. *Proijcite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis; &* Eph.4.22. *facite vobis cor nouum; & spiritum nouum.* Et S. Paulus ad Ephesios. *Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem.* Hanc conditionem etiam supra admisit Lactantius dum scripsit *agere pœniten-* L.loco cit. *tiam nihil aliud esse quam profiteri se vlterius non peccaturum.* Deinde eum resipiscere, *qui confirmat animum suum ad rectius viuendum, tum illud ipsum maxime cauet ne rursus in eosdem laqueos inducatur.* Idem indi- G.hom.34.in Euang. cat S. Gregorius cum ait. *Pœnitentiam agere est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, vt tamen alia committat adhuc pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat.* Deinde in Synodo Tridentina ita Contritio explicatur, vt sit *dolor de peccato com-* C.Trid.sess.14. cap.4. *misso cum proposito non peccandi de cetero.* Idem asserunt C. Florentini patres in instructione Armenorum.

IV. Conditio est, vt serio & ex animo tria iam dicta præstet, hoc est, vere lapsus suos agnoscat, ex corde & serio doleat, ac de emendatione seria constituat, si velit remissionem peccatorum consequi & iustificari. Hoc enim euincitur ex modo loquendi diuinæ Scripturæ. Deu.4.29. ib.30. Nam in Deuteronomio dicitur. *Cum quæsieris Dominum, inuenies si toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et rursus, *Si ductus pœnitu-*

pœnitudine cordis, reuersus fueris ad Dominum in toto corde tuo, & tota anima tua, miserebitur tui. Et in 2. Paralipomenon. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum.* Et apud Ioelem. *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, fletu & planctu, & scindite corda vestra.* Conuerti autem ad DEVM in toto corde, non est dolorem concipere æqualem offensioni diuinæ hoc enim est impossibile, cum offensio Dei & infinita: sed tantum est conuerti serio & syncere; non frigide, sed feruenter, hoc est, vt simpliciter ab omnibus peccatis abhorreamus tanquam summo malo quod nobis possit contingere. Itaque quod scribit S. Cyprianus in sermone de lapsis. *Quam magna deliquimus tam granditer defleamus*, ita intelligendum est, vt velit grauiora peccata vehementius deploranda esse quam leuiora. *Grauiora peccata*, inquit Ambrosius libro primo de Pœnitentia, *maioribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia.*

1.Par.30. Ioel.2.12. A.c.4.

CAPVT III.

De necessitate Pœnitentiæ vel contritionis.

NECESSITATEM duplicem faciunt Theologi, aliam præcepti, aliam medii: licet enim quæcunque necessaria sunt necessitate medii, sint etiam necessaria necessitate præcepti, non tamen e cõuerso. Vtraq; autem necessitas competit Pœnitentiæ. Præcepti quidem, quia in vtroque testamento non pauca exstant mandata agenda pœnitentia. vt apud Ezec. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatib. vestris.* Et rursus, *Conuertimini, conuertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israhel?* Et apud Io. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & planctu.* Et apud Matt. S. Io. Bap. *Pœnitentiam agite, appropinquauit n. regnum cœlorum.* Et Christus Dominus *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Et S. Petrus. *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum.* Et S. Ioannes in Apocalysi. Memor esto, *vnde excideris, & age pœnitentiam.*

Ezech.18.30. Id.c.33.11. Matt.3.2. Matt.4.17. Act.2.38. Apoc.2.5.

MEDII quoque necessitas ex iisdem scripturis perspicere probatu. Nam Dominus apud Ezechielem sic loquitur. *Si annunciante te ad impium, vt à viis conuertatur, non fuerit conuersus à via sua, ipse in iniquitate sua morietur*, Et apud Lucam. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et sanctus Petrus. *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Ac Paulus. *Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizabis tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei.*

Ezech.33.9. Luc.13.3. Act.3.19. Rom.2.4.

Apoc. 2.5. Et Dominus in Apocalypsi. *Veniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* ADHÆC Scriptura crebro accusat impœnitentes, vt in psalmis. *Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra.* Et in Prouerbiis. *Quia vocaui & renuistis, &c. ego quoq; in interitu vestro ridebo.* Et apud Matthæum. *Quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluisti?*

Psal. 94.8. Prou. 1.24. Matt. 23.37.

S. PATRES quoque prisci eandem necessitatem agnouerunt. Tertullianus libro de Pœnitentia. *Bonum est,* ait, *pœnitere, an non? quid reuoluis? Deus præcipit.* S. Ambrosius ad virginem lapsam. *Pœnitudo necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medicamina. Cum animo conceperis non aliud remedium constitutum esse post baptismum quam pœnitentiæ solatium, quantamuis afflictionem, quantumuis laborem & indecorem subire esto contenta.* Hieron. epistola ad Demetriadem, de seruanda virginitate. *Pœnitentia quasi secunda post naufragium miseris tabula sit: in virgine integra seruetur nauis.* B. Pacianus epistola ad Sympronianum. *Pigeat sane peccare, sed pœnitere non pigeat, pudeat periclitari, sed non pudeat liberari. Quis naufrago tabulam, ne euadat, eripiet? quis sanandis vulneribus inuidebit?* S. Augustinus epistola ad Vincentium. *Nec quenquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocunq; seu magno, seu paruo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire.*

A. c. 8. H. ep. 8. P. ep. 1. A. ep. 48.

CAPVT IV.

De præstantia & vtilitate Pœnitentiæ.

PRÆSTANTIAM virtutis huius inde discimus quod diuina Scriptura tradat eam nisi ex Dono Dei posse obtineri. Vnde crebræ sunt in ea eiusmodi voces, vt in psalmis, *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Et. *Deus virtutum conuerte nos.* & in Ieremia. *Conuerte me Domine, & conuertar.* Et. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* Vbi Hieronymus. *Vide,* inquit, *quantum sit auxilium, & quam fragilis humana conditio, vt hoc ipsum, quod pœnitentiam agimus, nisi nos Dominus ante conuerterit, & nisi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valeamus.* Et S. Leo ad Theodorum Episcopum *Ipsam pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo. Ne forte det illis Deus pœnitentiam.* Et S. Fulgentius de fide ad Petrum. *Firmissimè tene, & nullatenus dubita, neminem hic posse pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita sua miseratione conuerterit.*

Psal. 84.5. Ps. 79.4. Ier. 31.19. L. ep. 91. F. c. 31.

DEINDE Scriptura eam confert cum Sacrificio, actu religionis

nis præstantissimo, vt in psalmo 50. *Sacrificium Deo*, inquit rex Dauid, *spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Vnde Lactantius in epitome diuinarum institutionum. *Pœnitentia non minimum locum inter virtutes habet, quia sui correctio est. magnum est pœnitentiæ auxilium, magnum solatium: illa est vulnerum, peccatorumq; sanatio, illa spes, illa portus salutis: quam qui tollit, viam vitæ sibi amputat, quia nemo esse tam iustus potest, vt nunquam sit ei pœnitentia necessaria. Hæ sunt victimæ, hoc sacrificium placabile, hic verus est cultus, cum homo mentis suæ pignora in aram Dei confert, summa illa maiestas hoc cultore lætatur hunc vt filium suscipit sibi, quia donum immortalitatis impartitur.* Apud reliquos quoq; Patres eximia habet encomia. S. Cypriani libro de lapsis hæc extrema sententia est. *Qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus & virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* S. Basilius in Isaiam. *Contritio cum à Domino veniat, necesse sit, vt ipsi præuertentes eius aduentum nostrum cor de se plus iusto sentiens conteramus, vt eius humiliatio fiat hostia & sacrificium.* Et libro de vera Virginitate. *Pœnitentia certum est relaxari peccata.* S. Ephræm libro de die iudicii. *Compunctio sanitas animæ est, illuminatio mentis est, compunctio remissionem delictorum nobis acquirit.* S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ agens de eius contritione. *Quæ peccata fletus iste non purget? quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant?* Et infra. *O felix pœnitentia, quæ ad se Dei trahit oculos.* S. Ambrosius libro 2. de Pœnitentia. *Euidentissimè Domini prædicatione mandatum est etiam prauissimi criminis reis, si ex toto corde & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, sacramenti cælestis refundendam gratiam.* S. Chrysost. sermone de pœnitentia. *O pœnitentia, quæ peccatum miserante Deo remittis, & paradisum reseras, quæ contritum sanas hominem, & tristem exhilaras, vitam de interitu reuocas, statum restauras, honorem renouas, fiduciam das, reformas vires, gratiamq; abundantiorem refundis. O pœnitentia, quid de te noui referam. Omnia ligata tu soluis, omnia soluta reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O pœnitentia rutilantior auro, splendidior sole, quam non vincit peccatum, nec defectio superat, nec desperatio delet. Pœnitentia respuit auaritiam, horret luxuriam, &c. O pœnitentia misericordiæ mater, & magistra virtutum, magna opera tua quibus reos resoluis, ac reficis delinquentes, lapsos releuas, recreas desperatos. Per te subito rapuit latronem Christus ad regnum; per te Dauid post flagitium felix iterum recepit Spiritum sanctum,* &c. S. Augustinus ad Macedonium. *Quosdam à societate remouemus altaris, vt pœnitendo placare possint, quem peccando contempserant.* S. Gregorius in primum Regum. *Niniuitæ dum veluti pro*

Psal. 50. 19. — L. c. 6. — B. in c. 13. — B. vltra med. Ep. c. 5. — H. ep 30. — A. ep. 54. — G. lib 3. c. 4.

difficili reconciliatione graui pœnitentia se deyciunt omnipotentis Dei miseri-
B. serm. 10. *cordiam facile meruerunt.* S. Bernardus in Cantica agens de vnctione
Ioan 12.3. Mariæ Magdalenæ. *Quid, inquit, de illo vnguento legitur? Et domus reple-
ta est odore vnguenti. Peccatricis manibus distillabatur, & extremis membris
corporis, id est pedibus fundebatur, & tamen non vsq; adeo contemptibile, aut
vile fuit, quin totam domum vis aromatum, & suauitas repleret odoris. Quod
si attendamus quanta in vnius peccatoris conuersione fragrantia respergatur
Ecclesia, & quantis fiat odor vitæ ad vitam quiuis pœnitens, si publicè perfecte-
que pœniteat, profectò & de hoc æquè indubitantes pronunciabimus, quia do-*
Luc. 15.7. *mus impleta est ex odore vnguenti. Deniq; & su ernas beatorum mansiones at-
tingit pœnitentiæ odor, ita vt, teste ipsa veritate, magnum gaudium sit inter
angelos Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Gaudete pœnitentes pu-
sillanimes confortamini, Non est omnino spernenda, nec vilis æstimanda huius-
cemodi vnctio, cuius odor non solum homines prouocat ad correctionem, sed &
angelos ad exultationem inuitat.*

CAPVT V.

De quibusdam Pœnitentiæ adiunctis, ad perfectionem eius attinentibus.

A. lib. 1. ep. 4. PRIMVM adiunctum est S. Ambrosii, difficile esse in hac vita con-
gruam pœnitentiam de peccatis agere. Sic enim scribit ad Simpli-
cianum. *Nihil peccare solius est Dei: emendare sapientis est, & corrigere erra-
tum, & pœnitentiam gerere peccati. Id tamen est difficile in hac vita hominum.
Quid enim tam rarum, quam vt inuenias virum qui seipsum coarguat, & fa-
ctum condemnet suum? Repugnat enim natura, repugnat verecundia, quia
erubescit vnusquisq; propriam culpam fateri. Præponderant enim futuris præ-
sentia, & iucunda serys, & asperis mollia, & tristibus læta, & illecebrosa rigi-*
Id. c. 10. *dioribus.* Et libro 2. de Pœnitentia. *Facilius inueni qui innocentiam ser-
uauerint, quam qui congruè egerint pœnitentiam.* Si quæras, quam ergo
Ambrosi congruam vocas pœnitentiam? respondet ibidem. *Renun-
ciandum seculo est somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat, in-
terpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspirys, sequestrandus oratio-
nibus; viuendum ita, vt vitali huic moriamur vsui, seipsum sibi homo abne-
get, & totus mutetur: sicut quendam adolescentem fabulæ ferunt post amores
meretricios peregrè profectū, & abolito amore regressum postea veteri occurris-
se dilectæ, quæ sibi non interpellatam mirata putauerit non recognitam, rursus*
Matt. 16.24. *occurrens dixerit Ego sum, responderit ille Sed ego non sum ego Vnde bene Do-*

minus

minus ait. Qui vult venire post me abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam & sequatur me Verum loquitur Ambrosius de perfecta pœnitentia. Notum enim & vulgatum est Dei dictum apud Isaiam. *Quacunq. hora ingemuerit peccator, saluus erit.* Et illud Chrysostomi homilia 9 de Pœnitentia. *Dicimus facilem esse pœnitentiam, neq. onus in ea. Peccator es? dic, peccaui, & soluisti peccatum. Producimus peccantem Dauid, & soluentem peccatum.* Isa. 30. 15. iuxta 70.

II Adiunctum est, vt pœnitentes fructus pœnitentiæ dignos edant, quod Pharisæos & Sadducæos docuit S. Ioannes Baptista, hoc est, lacrymis, humilitate, precibus, ieiunio, ciliciis, operibusq; misericordiæ demonstrent se serio pœnitere. Vnde S. Cypr. serm. de lapsis, qui fidem in persecutione eiurarant. *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit. Putas ne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cuius templum sacrilega contagione violasti? Putas facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solis adhærere cinere, in cilicio & sordibus volutari: post indumentum Christi perditum, nullum hic iam velle uestitũ; post diaboli cibum malle ieiunium, iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberentur. Incunctanter & largiter fiat operatio.* S. Basil. in regulis moralibus, & in regulis breuioribus quæstione quinta notat ab Apostolo Paulo hos fructus Pœnitentię descriptos in altera epistola ad Corinthios, dum ait. *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos in aduentu Christi, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me. Ecce enim hoc ipsum quod secundum Deum contristati estis, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationẽ, sed vindictam.* Et homilia prima de laudibus ieiunii docet *pœnitentiam sine ieiunio otiosam esse & infrugiferam.* In altera verò, ieiunium esse *pœnitentiæ initium.* Et S. Ambrosius libro secundo de Pœnitentia. *Audiant qui agunt pœnitentiam, quo modo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conuersione. Vide, inquit, Domine, quia tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo, conuersum est cor meum in me. Cognouisti intentionem animi, fidem mentis cognosce & habitum corporis. Sederunt, inquit, in terra, tacuerunt seniores filiæ Sion, & imposuerunt terram super caput suum, præcinxerunt se cilicio, virgines Hierusalem defecerunt in lachrymis, oculi* Matt. 3. 8. B. c. 3. 2. Cor. 7. A. c. 6.

mei

Ioa.3.6. *mei caligauerunt. Sic fleuit & Niniue populus, & denunciatum excidium ciuitatis euasit. Tanta est enim pœnitentiæ medicina, vt mutare videatur suam Deus sententiam. In te est igitur vt euadas. vult rogari Dominus, vult de se sperari, vult sibi supplicari. Homo es, & vis rogari, vt ignoscas: & putas Deum tibi non roganti ignoscere? Ipse Dominus Hierusalem fleuit, vt quia ipsa flere nolebat, Domini lachrymis ad veniam pertingeret. Ipse nos flere vult, vt euadere possimus. Quid erubescis tu peccata tua flere, cum Deus etiam prophetas iusserit flere pro populis?* S. Chrysost. in epistolam ad Hebræos.

C.hom.9. *Deus dedit pœnitentiæ medicinam, quæ possit omnia peccata nostra delere, tantum si consideremus qualiter oporteat apponere. Qualiter ergo istud medicamentum conficitur? Primo contemnendo & confitendo propria peccata. Iniquitatem, inquit, meam non celaui. Secundo confiteri ex humilitate multa. Si enim confessus fueris peccatum tuum, sicut oportet confiteri, humiliatur anima. Oportet autem*

Ps.50.19. *& alia addere humilitati, si talis erit, qualem B. Dauid habebat dicens. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Post humilitatem autem oratione in-*

Ps.6.7. *tenta opus est, lacrymis multis per diem & noctem. Lauabo, inquit, per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo. Post orationem autem sic intentam, opus est eleemosyna multa. Medicamentum enim validū,*

Luc.11.41. *quod maximè operetur ad pœnitentiam hoc est. Audi enim quid dicit Scriptura. Date eleemosynam, & erunt vobis omnia munda. Adhæc oportet opem ferre iniustitiam patienti, &c.* S. Hieronymus epistola ad Eustochium fructus pœnitentiæ dignos Paulæ matris ita describit. *Mollia etiam in grauissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat: si tamen illa quies dicenda est, quæ iugibus pæne orationibus dies noctesq; iungebat, illud implens de psalterio. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. In qua fontes crederes lacrymarum, ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes ream. Cumq; à nobis crebrius moneretur, vt parceret oculis, aiebat. Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurissa, & cerussa, & stibio sæpe depinxi, affligendum corpus quod multis vacauit delitiis. Longus risus perpeti compensandus est fletu.*

III. Adiunctum, vt non differatur ad mortem. Sapientis enim monitum est. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*

Eccli.5.4. *Subito enim veniet ira illius.* Et S. Ambrosii libro 2 de Pœnitentia. *Eos,*

A.c.11. *inquit, qui pœnitentiam differunt satis ipse Dominus admonuit dicens. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Nescimus, qua hora fur veniat, nescimus an proxima nocte à nobis reposcatur anima. Adam post culpam statim de paradiso Deus eiecit: non distulit, sed statim separauit à delitiis, vt ageret pœnitentiam. Quid enim, quod differas? an vt plura peccata committas?*

mittas? Ergo quia Deus bonus est, ideo tu malus, & diuitias bonitatis eius & patientiæ contemnis? Sed plura de hac re in PANARIO V. *Procrastinatio.*

IV. Adiunctum, Quamuis periculosum sit prorogare conuersionem longius, nunquam tamen sera est conuersio. nam Ezechiel ait. *Impietas impij non nocebit, in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua.* S. Cyprianus. *In eodem articulo temporis, cum iam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit pœnitentiam clementissimi Dei benignitas nō aspernatur, nec serum est quod verum, nec irremissibile quod voluntarium, & quæcunq; necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio excludit à venia.* S. Hieronymus tribus epistolis hoc suum dictum repetit. *Nunquam sera conuersio. Latro de cruce transiit ad paradisum.* Sed plura in dicto PANARIO V. *Desperatio.*

Ez.c.33.12. C. serm. de cœna Dom. H. ep. 7. 25. & 48.

V. Adiunctum, vt quotidiana sit nostra pœnitentia, & proinde continuetur per totam vitam. Quotidie enim tundendo pectus, vt supra ex Augustino epistola ad Seleucianam citauimus, in oratione Dominica dicimus *Et dimitte nobis debita nostra.* Eiusdem in libro 50. homiliarum hæc sunt verba. *Altera pœnitentia est cuius actio per totam istam vitā, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis humilitate subeunda est: primo, quia vitam æternam incorruptibilem, immortalemq; nullus desiderat, nisi eum vitæ huius temporalis corruptibilis mortalisq; pœniteat. Deinde, quamuis quisq; se glorietur sic habere corpus edomitum, vt mundo crucifixus ab omni opere malo in seruitutem redacta membra castiget, intelligat sibi omnia hæc præstita esse, non à se existere. non solum ergo propter ipsam mutabilitatem, & ignorantiam & propter diei malitiam, sed etiam propter ipsum puluerem mundi huius quotidianam debemus agere pœnitentiam.* Eodem collimant verba S. Chrysost. in Genesin. *Si animam ornare vis sicut corpus solet, appone adiutorium quod ex precibus est, & peccatorum confessionem, & continuis lacrymis faciem tuam lauare ne cesses. Nam sicut faciem corporis tui quotidie abluis ne qua forte macula facici inhærens fœda appareat, sic & animæ curam habe, quotidie lacbrymis eam abluens calidis. Hac enim aqua maculæ deponuntur.* Et homilia 3. de pœnitentia. *Tametsi quotidie peccas, quotidie pœnitentiam age.* Et S. Ambrosii libro altero de Pœnitentia sic scribentis. *Merito reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam (publicam) putant quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent. quia sicut vnum baptisma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati:*

A. hom. vlt. C. hom. 21. A. cap. 10.

sed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum. Ex his ergo Patribus habemus quotidianam & perpetuam agi posse pœnitentiam saltem ob leuia vel venialia peccata. De lethalibus agemus capite sequenti.

CAPVT VI.

De mediis, vel motiuis ad agendam Pœnitentiam.

PRIMVM medium est, Consideratio peccatorum etiam olim commissorum, quoad fæditatem, magnitudinem & multitudinem. Ex-
Psal. 50. 5. emplum habemus regis Dauidis in psalmo quinquagesimo peccata iam dimissa recolentis: *Quoniam iniquitatem,* inquit, *meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Et S. Pauli, sæpe inculcantis, quod persecutus sit Ecclesiam. Vnde S. Chrysostomus libro 2. de Compunctione cordis. *Tantum boni confert meminisse frequentius hominem peccati sui, vt etiam Paulum Apostolum videamus ea quæ abolita iam fuerant & deleta, adducere tamen in medium, & cum culpam de præsentibus non haberet, tamen quoniam recordationes peccatorum, & luctum gemitumque sciebat animæ prodesse, etiam illa commemorat, quæ per ignorantiam commissa, gratia baptismi & confessio fidei aboleuerat* Et infra. *Oportet ergo nos recordari priora delicta, etiam ea pro quibus veniam consecuti sumus, vt intuentes quam ingentem modum debiti remisit nobis Deus & amplius eum diligere possimus, & verecundiam pudoremque concipere, atque ex his corde compungi considerantes, quod ni miseratio ipsius subuenisset, tantum illud peccatorum pondus sine dubio nos in imis inferni pœnis suppliciisque pressisset.* Hoc medio
A. lib. 2. c. 2. vsus videtur S. Augustinus, qui in libris confessionum ita de se loquitur. *Amore amoris tui facio istud recolens vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis meæ, vt dulcescat mihi dulcedo non fallax, dulcedo fælix, & secura, & colligens me à dispersione, in qua frustatim discissus, dum ab vno te auersus in multa euanui.* Atq; hac ratione fieri potest, vt etiam probi & iusti perpetuam pœnitentiam vsq; ad vitæ exitum de lethalibus peccatis agere queant, atq; olim egerint, qui idcirco se carceribus, se-
Cl. gradu 5. pulcris & monasteriis, vt est in Ioanne Climaco & Vitis Sanctorum, incluserunt.

II. Medium est memoria nouissimorum. Vnde Sapiens *In omni-*
Eccli. 7. 40. *bus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Et rex
Psal. 118. 120. Dauid. *A iudiciis tuis timui.* Et Christus Dominus. *Timete eum, qui post-*
Luc. 12. 5. *quam occiderit habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis hunc timete.* Quod medium non semel vrget S. Chrysostomus, vt libro primo de

de compunctione cordis. *Hoc solum est*, inquit, *quod exposcitur à nobis, vt semper ad animum reuocemus mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo & gehennam ponamus in conspectibus nostris, & angelos, qui in die iudicii vbiq; discurrunt & congregant de omni orbe terrarum eos, qui trudendi sunt in gehennam, ac suppliciis tradendi. Ponamus etiam illud ante oculos, quanti doloris est excludi ac proiici regno cœlorum, quod, vt mihi videtur, grauius est ipsa gehenna. Nam etsi ignis ille non arderet, & immortalis illa pœna non esset parata, hoc solum, quod alieni efficimur à Christo, & excludimur à bonis æternis, nonne omni pœna cruciabilius diceretur?* Et S. Augustinus de innocentibus. *Si diem mortis suæ homines iugiter cogitare vellent, animam suam ab omni cupiditate vel malitia cohiberent.* A. serm. 5. Et Ioan. Cassianus collatione decima *Postremum illud est, quod generaliter omnium vitiorum peremptorium esse non dubium est, vt se de hoc mundo credat quotidie migraturum.* C. c. 6.

III. Medium consideratio passionis Christi Domini.

IV. Considera, quot bonis donisq; spiritalibus vnum peccatum mortale hominem Christianum, spoliet, & contra quot quantisq; malis eundem obruat.

V. Considera, quantam pœnitentiam multi Sancti etiam pro leuibus peccatis egerint. De quibus tribus mediis, consule nostrum Rem. 5. 6. PANARIVM in V. *Peccatum.* & *Peccatum veniale.* Rem. 8.

VI. Fiducia magna in diuina misericordia, qua fretus magnus ille peccator dixit. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Psal. 50. 1. *Nemo siquidem*, teste S. Ambrosio libro primo de Pœnitentia, *potest bene agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam.* A cap. 1. Immò nulla potest esse tanta vel magnitudo vel multitudo peccatorum, quæ beneficio pœnitentiæ non expientur *Si fieri potest* ait S. Basilius in regulis breuioribus, *vt multitudo miserationum Dei numeretur, & magnitudo misericordiæ vlla mensura comprehendatur, collata cum magnitudine peccatorum, adhibeatur sane, si libet, desperatio. Si autem hæc & magnitudine possunt, & numero definiri (misericordia a Dei & miserationes, neq; magnitudine vlla possunt, neq; numero circumscribi) sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia Dei & commissa peccata detestanda, quorum condonatio proposita est in sanguine Christi.* B. quæst. 13. Et S. August. serm. 58. de Tempore. *Sed forte cogitat aliquis tam grauia se admisisse peccata, vt iam misericordiam Dei promereri non possit. Absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo quicunq; illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cælestis medici non attendis? Cum n. Deus velit misereri, quia bonus est &*

possit quia omnipotens est, ipse contra se diuinæ pietatis ianuā claudit, qui Deum sibi misereri aut non velle, aut non posse credit, eumq; aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit.

VII. Examen conscientiæ, de quo S. Augustinus in 50. homiliarum libro. *Ascendat*, inquit, *homo aduersum se tribunal mentis suæ, si timet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illud recipiat vnusquisq; quod per corpus gessit, siue bonum siue malum, constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens. Arguam te, & statuam te ante faciem tuam. Atq; ita constituto in corde iudicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidem sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat.* Et S. Chrysost. in psalmum 50. *Habeto codicem conscientiam tuam, & scribe quotidiana peccata. Quando accubueris super stratum tuum & neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium conscientiam tuam & reminiscere peccata tua, si quid in verbo, seu in facto, vel in cogitatione peccasti. Hoc enim dicit propheta. Irascimini & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini*, &c. Plura de hac re V. *Conscientia.*

A hom. 50. Psal. 49. 21. Ch. hom. 2. Psal. 4. 5.

VIII. & vltimum medium sit consideratio exemplorum, hoc est, eorum, qui veram pœnitentiam egerunt, ac primò Dauidis, Achab, Manassis, Niniuitarum de quibus S Basilius in diuites auaros, & homilia de Pœnitentia. 2. Eliæ & S. Ioannes Baptistæ, de quibus S. Hieron. lib. 2. in Matthæum, 3. S. Petri Apostoli, de quo Augustinus sermone 104. & 124. de Tempore. 4. S. Mariæ Magdalenæ. de qua S. Ambrosius libro 2. de Pœnitentia 5. Theodosii Imperatoris de quo idem, in oratione funebri de obitu Theodosii.

B. hom. 8. & 29. H. in c. 11. A. c. 8.

VIDE V. *Confessio sacramentalis. Conscientiæ examen. Iustitia. Profectus spiritualis. Satisfactio. Et in* PANARIO. *Immortificatio passionum.*

PRO-

PROFECTVS SPIRITUALIS.

CAPVT I.

Quid sit Profectus spiritualis, & quæ de eo in S. Scripturis monita.

PROFECTVS Spiritualis nomine hoc loco intelligimus progressum in studio virtutis & pietatis Christianæ, similitudine sumpta ab iter facientibus. *Proficere*, enim teste S. Bernardo sermone 2. in Vigilia natalis Domini, *est quoddam proficisci*. Vnde de quibusdam profectus spiritalis studiosis dicitur in psalmo 83. *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem*, nam paulo ante dixerat. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit*. In quæ verba S. Hier. *Ille disposuit ascensiones in corde suo; quicunque sanctus quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliuiscitur. Propterea dicuntur & in Psalterio psalmi graduum quindecim, & primus dicitur. Ad Dominum, cum tribularer, clamaui; & in secundo. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Et in Tertio. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, & semper procedit, & proficit & ascendit in sublimiora. Quod dicit hoc est. Ascensiones in corde suo disposuit. Felix est, qui quotidie proficit, qui non considerat, quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, vt proficiat. Sanctus ascensiones in corde suo ponit, peccator descensiones. Quomodo qui sanctus est, quotidie proficit, ita qui peccator est quotidie decrescit.* Hæc iste; Quare Salomon in Prouerbiis suis ita iustum describit. *Iustorum autem semita, quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* Et Ecclesiasticus. *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient.* Cuius perpetuæ famis & sitis in iustis causam pulcrè assignat S. Gregorius in Euangelia. *Hoc distare*, inquit, *fratres carissimi, inter delitias corporis & cordis solet, quod corporales delitiæ cum non habentur graue in se desiderium accendunt, cum verò auidè eduntur comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spiritales deliciæ, cum non habentur, in fastidio sunt, cum verò habentur, in desiderio,*

Psal. 83. 8.
H. in ps. 83.
Prou. 4. 18.
Eccli. 24. 29.
G. hom. 36.

tantoque amplius à comedēte esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur. In istis appetitus placet, experientia displicet. In istis appetitus vilis est, & experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat: in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spiritales deliciæ desiderium in mente dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod auidius ametur. Et ideo non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur.

CAPVT II.

De necessitate & fructu huius profectus.

CVR hic spiritualis profectus omnibus veræ virtutis cultoribus necessarius sit & salutaris, plures causæ reddi possunt. Prima sit, quod omnes teneamur ad vitæ Christianæ perfectionem aspirare, quod sine quotidiana in virtute progressione ægrè fieri potest. Clarũ siquidem est Christi edictum apud Matthæum promulgatum *Estote* Matt. 5.48. *perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Deinde tenemur dilige- Matt. 22.37. re Deum ex toto corde, & proximum sicut nos ipsos, vt est apud eun- Rom. 13.10. dem, at perfectio, vel *plenitudo legis* vt loquitur Apostolus ad Romanos, *est dilectio.* Et ad Colossenses: *Super omnia autem hæc*, ait idem. *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* Et perspicua est huius doctrinæ ratio. Tum n. quæq; res perfectionem suam consecuta dicitur, cum peruenit ad suum finem. At finis noster est Deus, cui vtiq; adhæremus per charitatem. *Deus enim charitas est*, inquit B. Ioannes, *& qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Vnde S. August. libro pri- 1.Ioa. 4.16. A.c.22. mo de doctrina Christiana. *Tunc quippe, inquit, optimus est homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi.*

II Causa est, quia quamdiu in hac vita degimus, in schola Christi versamur, & discipuli Christi sumus: atqui indignus est schola & magistri institutione, qui non conatur in studio quod pertractat proficere. Luc. 14.26. Accedit, quod apud B. Lucam Christus diserte negat suos esse disci- Ib. 33. pulos, qui non oderint patrem & matrem, qui non tulerint crucem, qui non renunciarint omnibus quæ possident, & apud S. Ioannem, *In hoc*, ait, *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad inuicem.* Et addit. *Maiorē hac dilectionē nemo habet vt animam suā* Ioa. 13. 35. Ioa. 15. 13. *ponat quis pro amicis suis*, at quomodo ad hanc virtutum perfectionem B. ep. 341. aspirabit contemptor profectus in spiritu? Vnde Sanctus Bernardus

sic

sic inchoauit epistolam ad monachos Ecclesiæ S. Bertini scriptam. *Ita quæso, ita facite dilectissimi Discipulus quippe proficiens gloria est magistri. Quisquis in schola Christi non proficit, eius indignus est magisterio.*

III. Causa est, quia *vera virtus*, vt loquitur idem Sanctus in epistola ad Abbatem Garinum, *finem nescit, tempore non clauditur. Vnde est illud. Charitas nonquam excidit. Et item. Patientia pauperum non peribit in finem. Et. Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. Nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit; satis est, sed semper esurit, sititque iustitiam, ita vt si semper viueret, semper quantum in se est iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. non enim ad annum, vel ad tempus iustar mercenarij, sed in æternum diuino se mancipat famulatui. Audi denique vocem iusti. In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, qa in ipsis viuificasti me. Et rursum inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum. Non igitur ad tempus. Proinde iustitia eius non manet aliquanto tempore, sed in seculum seculi. Sempiterna itaque iusti esuries sempiternam meretur refectionem. Et, licet in breui consummetur pro tempore, iudicatur tamen explesse tempora multa pro virtutis perpetuitate. Quo denique pacto temporis breuitas bonorum præiudicet perpetuæ deuotioni, quæ pertinacem reproborum malitiam excusare non sufficit? Ob hoc enim proculdubio inflexibilis, & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate, ita vt si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret: imò semper viuere vellet, vt semper peccare posset. Proinde potest & de isto per contrarium itidem dici. Consummatus in breui expleuit tempora multa, quod merito multorum, immò omnium temporum receperit vicem, qui nullo tempore voluerit mutare intentionem.* Hucusq; Bernardus.

B. ep. 257.
1. Cor. 13. 8.
Psal. 9. 19.
Psal. 18. 10.
Phil. 3. 13.
Psal. 118. 93.
Ib. v. 112.
Sap. 4. 13.

IV. Causa est, quia qui vel non vult proficere, vel existimat sibi opus non esse vlteriore progressu, incipit deficere. *Quantumcunque hic vixerimus*, ait Sanctus Augustinus, *quantumcunque hic profecerimus, nemo dicat. Sufficit mihi, iustus sum: qui dixerit, remansit in via, non nouit peruenire. Vbi dixerit, sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit. Fratres, inquit, ego me non arbitror apprehendisse. Et rursum dicit. Qui se putat scire, nondum scit, quemadmodum eum oporteat scire. Vnum autem quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus secundum intentionem, sequor ad palmam supernæ vocationis. Ille ergo currit, tu hæsisti? ille dicit nondum se perfectum, & tu iam de perfectione gloriaris? Confundantur, qui dicunt tibi, euge euge.* Et Doctor mellifluus. *Non proficere sine*

A. in psal. 69.
Phil. 3. 13.
1. Cor. 8. 2.
B. ep. 34.

dubio deficere est. Nemo proinde dicat, satis est, sic volo manere, sufficit mihi esse
sicut heri & nudiustertius. In via residet qui eiusmodi est, in scala subsistit, vbi
neminem Patriarcha vidit non ascendentem. Dico ergo qui se existimat stare,
Gen. 28. 12. 1. Cor. 10. 12. *videat, ne cadat. Ardua & angusta est: & non hic sed in domo patris mansiones*
Joan. 14. 2. *sunt multæ.*

V. Causa est, quia nihil est, quod in hoc mundo quiescat. *O mo-*
nache, inquit idem Clarauallensis Abbas, *non vis proficere? non Vis ergo*
B. ep. 253. *deficere? nequaquam, quid ergo, Sic mihi, inquis, viuere volo & manere in quo*
perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non po-
test. Quid enim stat in hoc seculo? Et certe de homine specialiter dictum est. Fu-
git velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et rursum alibi. *Mo-*
Iob. 14. 2. Id ep. 341. *ueat nos ipsum quoque secularis cupiditatis exemplum. Quem n. ambitiosum*
vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus ad alias nō anhelare? Sic &
curiosi cuiusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Quid, eo-
rum qui auaritiæ seruiunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas homi-
num sectantur laudes, nonne & ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos ne-
gligentiæ & tepiditatis? Pudeat certè spiritualium nos bonorum minus cupi-
dos inueniri. Erubescat anima conuersa ad Dominum minori affectu sectari
iustitiam, quam iniquitatem antea sectaretur. Est enim causa quoque valde
Rom. 6. 23. *dissimilis. Stipendium quippe peccati mors, fructus autem spiritus vita æter-*
na. Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem, &
minori studio salutis acquirere, quam perditionis augmentum. Nam vt omni-
no simus inexcusabiles, in via vitæ, quo citius, eo facilius curritur, & leue sal-
uatoris onus, quo crescit amplius, portabilius est. Nonne & auiculas leuat, non
Gen. 15. 13. *onera pennarum siue plumarum numerositas ipsa? Tolle eas & reliquum cor-*
Gen. 23. 4. *pus pondere suo fertur ad ima.* Confirmat hanc causam, quod hominis,
Psal. 118. 19. 2. Cor. 5. 8. qua Christianus est, proprium sit non quiescere. Est enim secundum
Phil. 3. 20. doctrinam S. Scripturarum incola, peregrinus & viator, cuius munus
1. Pet. 2. 11. Heb. 11. 13. est tendere ad patriam cœlestem. *Non enim habemus hic manentem ci-*
Heb. 13. 14. *uitatem,* vt ait Apostolus, *sed futuram inquirimus,*

CAPVT III.

De medijs idoneis ad faciendum progressum spirit.

Phil. 3. 13. PRIMVM medium suppeditat nobis B. PAVLVS verbo & exem-
plo in epistola ad Philippenses. *Fratres,* inquit, *ego me non arbitror*
comprehendisse, Vnum autem quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero,
quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinatum persequor, ad brauium
su-

supernæ vocationis Dei in Christo IESV. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Quibus verbis indicat, si proficere velimus, nos non debere meminisse bonorum quæ egimus, sed quæ acturi simus, Nam vt in illum locum scribit S. Chrysost., *nihil adeo recte facta euacuat, & in ventū abigit, atq; memoria bonorum, quæ nos operati sumus. Nam duo mala parit; & segniores facit, & in arrogantiam extollit. Quapropter Paulus quoniam* Ch. hom. 12. *videbat naturam nostram ad socordiam pronam, & Philippenses plurimum laudauerat: vide quomodo animos eorum contrahat per hunc locum. Quid dicit? Fratres mei, ego meipsum nondum arbitror assequutum esse, nempe virtutem omnem.* Et paulo post. *Si Paulus post mille mortes, post tanta pericula isthuc arbitratus de se est. multo magis nos obliuiscenda ergo & nobis recte facta & à tergo relinquenda sunt. Etenim & qui currit non reputat, quantum spacij confecerit, sed quantum adhuc desit: & non quantum virtutis impleuerimus reputemus, sed quantum adhuc supersit. Quid enim nos iuuerit, quod confectum est, si quod deest adiectum non fuerit? Et non dixi, non reputans, neque memorans, sed obliuiscens. Nam ita demum diligentes & seduli reddimur, quando omnem animi promptitudinem, & alacritatem ad id, quod adhuc superest assequendum recolligerimus & reparauerimus, quanto præterita obliuioni mandauerimus.*

II. Medivm est diuini auxilii imploratio. Vnde psaltes regius Ps. 83. 6. agens de profectus spiritalis cupido *Beatus*, inquit, *vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem.* Vnde S. Augustinus illud psalmi A. in psal. 118. 118. legem pone mihi Domine viam mandatorum tuorum exponens. conc. 11. *Ad hoc*, ait, *poscit sibi legem poni, quæ vtique si posita ei non fuisset, non in viam mandatorum Dei (vt ante dicit) in cordis latitudine cucurrisset. sed quia proficiens loquitur, & Dei donum nouit esse, quod proficit: quid aliud petit, cum sibi legem poni petit, nisi vt in ea magis magisque proficiat? quemadmodum si poculum plenum teneas & sitienti dare incipias, & haurit bibendo, & poscit desiderando.* Et infra. *Inde est quod & corrigit viam suam in custodiendo verba Dei, illo regente, illo fauente, neque enim per se ipse posset, cum Hieremias fateatur & dicat. Scio Domine quoniam non est hominum via eius. neque* Ier. 10. 23. *viri, vt corrigat viam suam. Et iste superius optauit. Vtinam dirigantur viæ meæ. Et hic. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi, continuò diuinum quæsiuit auxlium, ne in corde eius Dei eloquia sine fructu absconderentur, nisi opera iustitiæ sequerentur.*

III. est, nostra cum Dei auxilio industria & cooperatio. *Dei enim sumus*, vt est in epistola priore ad Corinthios, *adiutores.* Idque in lo- 1. Cor. 3. 9. co paulo ante citato indicauit Apostolus, cum ait. *Ad ea vero, quæ sunt* Ph. l. 3. 13.

C.hom.11.ad Philip. *priora extendens me ipsum. Extendens enim is est*, inquit Chrysost. ibidem, *qui pedes quanquam currentes, reliquo corpore anteuertere studes seipsum in ea quæ à fronte sunt extendit, & manus quoque protendit, vt etiam amplius quiddam vltra cursum efficiat. Hoc verò fit ex multa animi alacritate, ex multo feruore. Ita oportet currentem currere, cum tanto studio, cum tanta alacritate, non pigrè.* Huc pertinet quod idem Paulus scribit ad Ti-
1.Tim.4.7. motheum. *Exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia.* Vnde apud Græcos monachi, qui maximè huic quotidiano profectui in virtute operam dabant Ascetæ, dicti sunt, & S. Basilius institutiones suas monasticas Asceticα, vel exercitamenta nominauit. *Omnis enim res*, ait S. Ambrosi-
A.co.1. us in primo libro de officiis, *proprijs ac domesticis exercitijs augetur. Quomodo sine exercitio doctrina, aut sine vsu profectus? Qui disciplinam bellicam vult assequi, quotidie exercitatur armis, & tanquam in procinctu positus præludit prælium. Et qui viribus corporis, legitimoque luctandi certamine coronam petunt, quotidiano vsu palestra durantes membra, nutrientes patientiam, labori assuescunt.*

IV. est imitatio Christi Domini, & sanctorũ. Christi exemplũ ppo-
B.ep 253. nit S. Bern. *Ipse*, inquiẽs, *hominis seculique auctor quamdiu in terris visus est,*
Act.10.38. *& cum hominibus conuersatus est, nunquid stetit? Et quidem teste scriptura, pertransiit benefaciendo, & sanando omnes. Pertransiit ergo, sicut non infructuosè; ita non remissè, non pigrè, non lento gressu. sed quemadmodum item de*
Ps.18.7. *eo scriptum est. Exultauit vt gigas ad currendam viam. Porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat. Sic currite, vt comprehendatis. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusque metam, vbi Christus posuit suam.*
1.Cor.9.24. *Factus est, inquit, obediens vsque ad mortem Quantumlibet ergo cucurreris,*
Phil.2.8. *si vsque ad mortem non perueneris, brauium non apprehendis. Brauium Christus est.* Sanctorum verò exempla proponit Chrysost. in Genesin, cum
Ch.hom.11. agit de profectu faciendo in virtutibus. *Propterea etiam*, inquit, *Sanctorum omnium vitas & conuersationem in diuinis scripturis perscriptam Spiritus sancti gratia reliquit, vt discentes, quod licet eiusdem fuerit naturæ, virtutibus tamen studuerunt, ne simus nos ignaui & desides in ijs exercendis. An non naturæ nostræ fuit & beatus Paulus? Flagro amore huius viri, & propterea continuo versatur ipse in ore meo, & quasi in archetypum aliquod exemplar, ita in illius animam respiciens, obstupesco in hoc viro miram affectionum, supplantationem, fortitudinis excellentiam, amoris in Deum feruorem, & arbitror, quod vnus homo omnes virtutes congregarit, & perfecerit.*

V. Medium est creber vsus Examinis conscientiæ, quod insi-
A.serm.15. nuat Sanctus AVGVSTINVS sermone quodam de verbis Apo-

stoli.

stoli, dum tractat verba S. Pauli ex epistola ad Philippenses. *Veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. Dicitis*, inquit, *quid est ambulare? Breuiter dico proficere, ne forte non intelligatis, & pigrius ambuletis. Proficite fratres mei, discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim est aliquis intus tecum, cui erubescas, & iactes te. Est tibi, sed cui placet humilitas, ipse te probet. Proba & teipsum tu ipse. Semper tibi displiceas, quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi placuisti ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, & periisti, semper adde: semper ambula, semper profice: noli in via remanere, noli retro redire, noli deuiare. Remanet, qui non proficit: retro redit, qui ad ea reuoluitur, vnde iam abscesserat; deuiat, qui apostatat. Melius it claudus in via, quam cursor præter viam.* Phil. 3. 13.

Idem medium præscribit S. Chrysostomus loco iam citato. *Si Paulus*, ait, *qui tot præclaris operibus excelluit, & quasi angelus semper terram apparebat, quotidie studebat lucrifacere, & pro veritate stare in acie contra pericula, & sibi colligere spirituales merces; & semper progredi, qualem habebimus nos defensionem, qui non solum bonis omnibus operibus destituti sumus, sed & malis grauati, quorum vnum duntaxat in ipsum perditionis profundum detrudere nos sufficeret, nullumque præterea studium est, vt vel hæc saltem emendemus?* Et intra. *Obsecro igitur vos omnes, vt vnusquisque, si non antea, vel certè iam operam det, vt vitium quod affectiones suas magis interturbat ex anima exsecet, & pia cogitatione quasi spirituali quodam gladio vtens seipsum ab affectionibus liberet Dedit enim nobis Deus rationem quæ sufficiat & possit si velimus prauum respicere ad edomanda omnia quæ in nobis nascuntur vitia.* Chrys. hom. 2. in Genesin. Examen particulare.

V. Medium & extremum sit quotidiana propositi renouatio, quam non semel S. Antonius eremita, teste S. Athanasio fratribus suis congregatis consuluit in hæc verba. *Hoc sit autem primum cunctis in commune mandatum, nullum arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere, quod cœperit, præsertim cum humanæ vitæ spacia æternitati comparata breuissima sint & parua*, Et rursus impendente iam morte *Ego*, inquit ad eosdem, *filioli secundum eloquia scripturarum Patrum gradior viam: iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cœlestia, sed vos, ô viscera mea admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis. Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini, & cœptæ voluntatis fortitudo succrescat.* Et Sanctus GREGORIVS libro 22. moralium. *Humana mens*, ait, *dum igne amoris excoquitur, semper in se seruat claritatem pulchritudinis quotidiana innouatione feruoris: nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per deside-* Ath. in eius vita. G. c. 20.

rium semper inchoare. Hinc nempe per Paulum dicitur. Renouamini spiritu
Eph. 4. 23. mentis vestræ. Hinc Psalmista, qui ad perfectionis culmen iam peruenerat,
Psal. 76. 11. quasi inchoans dicebat. Ego dixi, nunc cœpi: quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, vt inchoare nos quotidie credamus.

VIDE V. *Abnegatio. Cogitatio diuinæ præsentiæ. Cognitio sui & Dei. Conscientiæ examen. Deuotio. Familiaritas cum Deo. Gaudium spirituale. Humilitas. Oratio. Perfectio Christiana. Sapientia. Virtus.* Et in PANARIO. *Procrastinatio. Tepiditas spiritualis.*



PRVDENTIA.

CAPVT I.

Quid sit Prudentia, & quotuplex.

PRVDENTIÆ vocabulum, vel à prouidendo, vt habet Cicero de Legibus, vel à porro vel proculvidendo, teste
A. in psal. 73. Augustino in psalmos, deductum est. Ambrosius in primo
Amb. c. 25. de Officiis eam sitam esse vult *in inuestigatione veritatis.* Basilius in principium Prouerbiorum rectius definit *rerum a-*
A. c. 13. *gendarum, omittendarumue cognitionem.* Augustinus libro de libero arbi-
Id. q. 31. trio, *esse appetendarum, vitandarumue rerum scientiam.* Et libro 83. quæstionum, *esse rerum bonarum & malarum, & neutrarum scientiam.* Vtramque sumpsit ex M. Tullio libro primo de Officiis, libro altero de inuentione.

Ib. q. 31. PARTES eius teste Augustino loco citato, sunt tres, *memoria, intelligentia, prouidentia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia per quam ea perspicit quæ sunt. Prouidentia per quā futurum aliquid videtur, antequam factum est.* His S. Thomas adiicit *docilita-*
Th. 22. q. 49. *tem, solertiam, rationem, circumspectionem, & cautionem. Docilitas* est, qua vel audiendo prudentum consilia, vel legendo eorum libros, vel experientia discimus quid agendum sit. *Solertia* est bona & celeris con-
Ar. 9. Eth. c. 9. iectatio, vt docet Aristoteles. *Ratio* est cognitio vnius ex alio per argumentationem *Circumspectio* est accurata consideratio circumstantiarum.

rum. *Cautio* est prouisio aduersus mala contraria, quæ obstare bonis consiliis possint. Vnde Apostolus ad Ephesios scripsit. *Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes.* Eph.5.15.

ACTIONES quoq; eiusdem tres sunt, Philosopho teste. Prima est *consilium:* constituto enim fine, ad quem obtinendum tendimus, voluntas mouet intellectum, vt inuestiget media ad illum assequendum idonea. II. *est Iudicium,* quo iudicat homo, quod medium magis sit opportunum. III. est *Imperium,* quo imperat ratio voluntati, vt exequatur quod iudicatum est. Ar.6.Eth.c.9. & 10.

AD has autem actiones facile, accurateq; præstandas, tres assignantur habitus. Eubulia, Synesis, & Gnome. *Eubulia* seruit ad media accommodata facile inuenienda. *Synesis,* ad bene iudicandum de iis, quæ lege aliqua definita sunt. *Gnome* verò, ad ferendum iudicium de iis quæ non sunt lege aliqua decreta, & tamen in praxin veniunt. Ib.

CAPVT II.

De dignitate Virtutis Prudentiæ.

DIGNITATEM huius virtutis ostendit in Verbo diuino Spiritus sanctus, cum eam tanquam præcipuam optimamq; nobis commendat. Nam per Salomonis os ait. *Beatus vir qui inuenit sapientiam, & affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione argenti & auri primi, & purissimi fructus eius.* Et rursus. *Posside sapientiam, posside prudentiam: ne dimittas eam, & custodiet te; dilige eam & conseruabit te.* Et per Sapientem. *Sobrietatem & prudentiam docet* (sapientia) & *iustitiam & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.* Et per Ecclesiasticum. *Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit viuens in æternum.* Christus quoque Dominus Apostolis suis hanc imprimis virtutem commendauit, dicens. *Estote prudentes, sicut serpentes.* Et S. Paulus ad Romanos. *Prudentia,* ait, *carnis mors est. Prudentia autem spiritus vita & pax.* Et in priore ad Corinthios *discretionem spirituum* numerat inter dona Spiritus sancti. Prou.3.14. Sap.8.7. Eccli.37.29. Matt.10.16. Rom.8.6. 1.Cor.12.10.

OSTENDVNT & S Patres. Basilius in principium Prouerbiorum. *Prudentiam vnam ex virtutibus præclaris existere palam est, qua bonorum, & malorum, & indifferentium nos homines scientes reddimur.* Et paulo post. *Quam si quis rite sectatus fuerit, nunquam ab officio, virtuteq; abscedet, nunquam vitiorum pestem incurret.* Et in oratione de fælicitate. *Profecto diuina quadam res est consilium: est namq; animi coniunctio, chari-* Bas.hom.12. Id.orat.22.

A.c.24. *tatis fructus, mentis demissi demonstratio.* S. Ambrosius primo de officiis, agens de virtutibus cardinalibus quatuor. *Quarum*, ait, *primo loco constituerunt prudentiam quæ in veri inuestigatione versatur, & scientiæ plenioris infundit cupiditatem: secundo iustitiam*, &c. Et infra. *Primus igitur officii fons prudentia est. Quid enim tam plenum officii, quam deferre auctori studium atq; reuerentiam?* Putauit Ambrosius hoc primum veræ prudentiæ munus esse, credere in verum Deum, vt Abraham credidit. Vnde subiicit. *Neque iterum prudentia sine iustitia est: pietas enim in Deum, initium intellectus.* Chrysost. in Matthæum operis imperfecti, in verba. *Quis enim fidelis seruus & prudens? Rem quidem*, inquit, *laudabilem proponit, rarissimam autem, vt quis fidelis inueniatur & prudens. Ecce si quæras fideles, id est, Deum timentes, & ipsos quidem non multos inuenies, tamen adhuc facile inuenis. Item si prudentes quæras, inuenies multos, fidelis autem & prudens difficile inuenitur. Quanto ergo rarior inuenitur, tanto qui inuentus fuerit beatior est. Prudentem autem dico non scientem & doctum, sed sensatum & mente acutũ, qui potest rerum ponderare naturas, & secundum quod potest rationabiliter omnia agere.* S. Augustinus libro 19. de ciuitate Dei. *Quid illa virtus, quæ prudentia dicitur, nonne tota vigilantia sua bona discernit à malis, vt in illis appetendis, istisq; vitandis nullus error obrepat? At per hoc & ipsa in nos malis, vel mala in nobis esse testatur. Ipsa enim docet malum esse ad peccandum consentire, bonumq; esse, ad peccandum non consentire libidini.* S. Prosper libro 2. de vita contemplatiua agens de 4 virtutibus cardinalibus generatim. *Hoc*, ait *imprimis nosse & tenere debemus, quod istæ quatuor virtutes, vel omnes quæ ex illis existunt, dona sint Dei, & quod nullus eas habet, habuit, aut habebit, nisi cui Deus, qui est omnium virtutum proprietas & origo contulerit quoniam quicunq; quocunq; tempore in quacunq; gente in Deum credentes ex fide vixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, iusti ac fortes fieri vtiq; potuerunt. Qui autem nescientes Deum, vel etiam blasphemãtes sine fide vixerunt, nihil earum virtutum à Deo accipere, vel habere potuisse credendi sunt.* Ioa Cassianus collatione 2. *Est discretio, non mediocris quædam virtus, nec quæ humana passim valeat industria comprehendi, nisi diuina fuerit largitate collata.* Et rursus. *Omnium virtutum generatrix, custos, moderatrixq; discretio est.* S. Bernardus in Cantica. *Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem etiam & perpetuitatem, &c. Est ergo discretio non tam virtus, quam quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit,*

Marginal notes: Id.c.27. — Ibid. — Matt.24. C.Hom.51. — A.c.4. — P.c.16. — C.c.1. — Id.c.4. — B.serm.49.

CAPVT III.

De necessitate & vtilitate eiusdem.

NECESSITAS Prudentiæ liquet primo ex iis Scripturæ testimoniis, quibus arguuntur imprudentes, & qui sine consilio res suas gesserunt, vt in Deuteronomio. *Gens*, inquit, *absque consilio & sine prudentia: vtinam saperent & intelligerent ac nouissima prouiderent* Et in Prouerbiis Salomonis Deus. *Despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis.* 2. Vbi iubemur nihil sine consilio facere, vt in Ecclesiastico. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Et iterum. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile*, 3. vbi iubemur à Deo petere consilium, ipse enim de se dicit. *Meum est consilium & æquitas mea est prudentia.* Sic Tobias ad filium: *Pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Sic S. Iudith orabat *In corde meo Domine consilium corrobora, vt domus tua in sanctificatione permaneat.* 4. vbi petere ab hominibus. *Consilium semper*, ait idem Tobias, *à sapiente perquire.* Et Ecclesiasticus. *Cum sapientibus & prudentibus tracta.*

Deut. 32. 8. Prou. 1. 25. Eccli 32. 24. Eccli 37. 20. Prou. 8. 14. Tob. 4. 20. Iud. 9. 18. Tob. 4. 18. Eccli 9. 21.

VTILITAS verò prudentiæ inde constat, quia teste mortalium prudentissimo, *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem, vbi multa consilia* Cuius & hæc sunt dicta. *Custodi legem atque consilium, & erit vita animæ tuæ.* Et. *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium, vbi verò sunt plures consiliarii, confirmantur.* Et. *Vnguento & odoribus variis delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur.*

Prou. 11. 14. Prou. 3. 22. Pro. 15. 22. Pro. 27. 9.

EANDEM vtilitatem, necessitatemque confirmant S. Patres. S. Basilius in Isaiam. *Planè*, inquit, *non exigui momenti beneficium est, quod à prudente & beneuolo consiliario emanat consilium, quippe qui suo aduentu supplet, quod desit prudentiæ consilium de re quapiam captantibus. Proinde quantum emolumenti obueniat ex accepto consilio declarat vel maxime Moses, qui omni sapientia Ægyptiorum eruditus qui familiari colloquio cum Deo congrediebatur. Hic tantus consilium sibi redditum à Iothor socero suo accepit, vt tribunos millenarios constitueret, &c. Vtque in genere dicam, sacra quædam res est consilium, voluntatum vnio, fructus dilectionis, humilitatis insigne.* Et in oratione de fælicitate. *Magnam mehercle hominibus affert vtilitatem consilium, eo quod nemo sibi sufficiat ad electionem rerum honestarum, vtiliumue, sed pluribus sane sociis, iisque solertibus opus habet.*

I. 31 c. 1. Gen. 18. Id. orat. 21.

habet. Vnde haud absurdè homo consilij expers, similis censetur nauigio rectore carente, quodq; ventorum impetu huc illucq; impellitur. Et de Constitutionibus monasticis. *In omni quæ suscipitur actione antecedere prudentia debet. Nam prudentia remota nihil cuiusuis generis est quod licet bonum videatur, non in vitium recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat. Ratio verò & prudentia, vbi rebus bonis idoneum tempus ac modum definiunt, mirabile est, quantus ex earum vsu, cum in dantes, tum in accipientes fructus redundet.* S. Ambrosius libro primo de officiis. *Primus officii fons est prudentia: qui tamen fons & in virtutes deriuatur cæteras. Neq; enim potest iustitia sine prudentia esse: cum examinare, quid iustum, quidue iniustum sit, non mediocris prudentiæ sit.* Et libro de paradiso c. 2. *non angusta quadam sed diues vtilitatum prudentia est quæ pluribus prosit.* S. Prosper de vita contemplatiua. *Cognitio rerum, quæ de prudentiæ fonte confertur, spiritales omnes à carnalibus vitijs defæcatos illustrat, & ab omni noxiæ curiositatis delectatione auersos desiderio contemplandæ virtutis inflammat, vt humanarum rerum diuinarumq; scientiam consecuti prudentes ac sapientes veraciter fiant, prospiciant imminentia mala, simul & caueant, nec putent vlla esse mala; nisi ea quæ malos efficiant, inter fallentia & solida bona discernant, nec ipsi aliis noceant, nec sibi nocere permittant. Tales Dominus in Euangelio fieri præcepit. Estote prudentes, sicut serpentes: simplices sicut columbæ, quia nec simplices circumvenire aliquos possunt, nec prudentes se circumueniri permittunt.* S. Augustinus libro primo de moribus Ecclesiæ ait, si desit prudentia nullum esse cæterarum virtutum vsum, & addit. *Huius autem excubiæ, atq; diligentissima vigilantia est, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur.* Io. Cassianus collatione secunda. *Hæc est*, ait, *quæ oculus & lucerna corporis in Euangelio nuncupatur secundum illam sententiam Saluatoris: Lucerna corporis tui est oculus tuus, &c. eo quod ipsas cogitationes hominis vniuersas, actusq; discernens cuncta quæ agenda sunt peruideat, atq; perlustret.* Et iterum. *Tam B. Antonii, quam vniuersorum sententia definitum est, discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum hominem perducat ad Deum, prædictasq; virtutes iugiter conseruet illæsas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi.* Idem docuit S. Bernardus, ita vt in Cantica scribat. *Tolle discretionem, & virtus vitium erit, ipsaq; affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur exterminiumq; naturæ.*

[Margin: Il. c. 15. — A. c. 27. — P. lib 3. c. 29. — Matt. 10. 16. — A. c. 24. — C. c. 2. — Luc 11. 34. — Id. c 4. — B. serm. 49.]

VERVM & gentiles Philosophi hanc necessitatem, vtilitatemq; prudentiæ agnouerunt. Aristoteles enim in sexto de moribus. *Constat*, ait, *neq; propriè bonum esse sine prudentia, neq; prudentem sine morali virtute quempiam esse*, Et M. Tullius in prima Tusculana. *Prudentia nihil dulcius, quam vt cetera auferat, adfert certe senectus.* Et in secunda. *Sine pru-*

[Margin: Ar. c. 13]

Sine prudentia ne intelligi quidem vlla virtus poteſt. Et Seneca. *Sine prudentia nullum initur conſilium.* Et rurſus. *Prudentia ad beatam vitam ſatis eſt.* Et IVVENALIS. S.ep.68.& 85. I.Sat.10.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia.

CAPVT IV.

De proprietatibus quibuſdam prudentiæ.

PRIMA Proprietas eſt, vt cum fide & charitate ſit coniuncta. Vnde S. Ambroſius de officiis. *Fuit in S. Abraham primo loco prudentia, de quo dicit Scriptura. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Nemo enim prudens, qui Deum neſcit. Denique inſipiens dixit, quia non eſt Deus.* Et libro 2. de Abraham. *Prudentia ſine iuſtitia nocet.* Iuſtitiam vocat, *quæ virtutes omnes complectitur.* S. Baſilius. *Ipſa prudentia ædificanti domum fundamentum ſupra petram locare, hoc eſt in Chriſti fide fundare largitur.* De virtute morali idem agnouit Socrates apud Ariſtotelem, & Cicero in ſecundo de officiis. *Prudentia,* inquit, *nihil valet ſine iuſtitia ad faciendam fidem. quo enim quis verſutior & callidior eſt, hoc inuiſior & ſuſpectior, detracta opinione probitatis.* A.lib.1.c.25. Gen.15.6. Rom.4.3. Pſal 13.2. Id c.10. B.hom.12. A.6. Eth. c.13.

II. Proprietas eſt, vt iuncta ſit ſimplicitati, à fuco & dolo aliena, vti iunxit eam Chriſtus dicens *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Vnde S. Hieron. libro 2. commentariorum in Oſee. *Præcepit Dominus in Euangelio, vt ſimus ſimplices quaſi columbæ, & aſtuti quaſi ſerpentes, vt imitantes ſimplicitatem columbarum, & ſerpentis aſtutiam, nec aliis nocere poſſimus, nec ab aliis patiamur inſidias, ſed ſimplicitate & prudentia exhibeamus hominem temperatum, quia prudentia abſq; bonitate malitia eſt, & ſimplicitas abſq; ratione ſtultitia nominatur.* Idem habet B. Proſper loco ſupra citato, & addit: *Ceterum, ſi in contractu quolibet, ſiue in colloquio, vel in alia quaq; re ſe decipi quiſq; non ſinit, & alium tamen ipſe decipiat, iſte non habet prudentiam, quæ ſalutis magis, quam perditionis eſt cauſa, ſed ſimulat. Quoniam quidem hæc virtus à vitio diſtat, quod illud corrumpat ſana, hæc ſanat vitii acceſſione corrupta, ac ſic aut omnibus quibus poteſt prodeſſe feſtinat veraciter prudens, vt eius meritis omnium, qui per eum Deo acquirantur fructus augeſcat, aut ſi cogitat de perditione cuiuſpiam, vel de caſu pereuntis exultat, neceſſe eſt, vt prius pereat ipſe, quam alium perdat, & ab ipſo ea perditio, qua perire alium cupit, incipiat.* Matt.10.16. H.in c.7.

III. vt post sufficiens consilium, iudiciumq; de re agenda, fugiendaue habitum, celeriter & impigrè voluntati imperet executionem. Vnde S. Petrus prudentiæ vigilantiam coniunxit, dicens. *Estote*
1.Pet.4.7. *prudentes, & vigilate in orationibus.* & S. Paulus ad Romanos. *Solicitudine*
Rom.12.11. *non pigri.* *Vult enim & non vult piger*, teste Salomone, *anima autem ope-*
Prou.13.4. *rantium impinguabitur.* Nec secus S. Augustinus epistola ad Hierony-
A.ep.29. mum de Stoicis. *Certe hinc persuadent, qui vnam virtutem habuerit, habere omnes, & omnes deesse, cui vna defuerit, quod prudentia nec ignaua, nec iniusta, nec intemperans potest esse.* Et de moribus Ecclesiæ. *Huius,* (nempe
Id.c.24. prudentiæ inquit) *excubiæ, atq; diligentissima vigilantia est, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur. Vnde sæpe Dominus, Vigilate, clamat: & Ambulate, dum lucem habetis.* Consentit & Philosophus in sexto de mo-
A.c.9. ribus asserens *cito agenda esse, quæ consultaueris.*

IV. est prospicere in futurum, hoc est, in futuram vitam, ac proinde anteferre cœlestia terrenis, spiritualia carnalibus, æterna caducis. *Prudentia enim carnis*, teste Apostolo, *mors est, prudentia autem spiritus*
Rom.8.6. *vita & pax.* Nos autem hic *non secundum carnem ambulamus*, inquit idē,
Id.v.4. *sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui verò secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt.* Quibus dicitur. Igitur *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Chri-*
Col.3.1. *stus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Vnde S. Augustinus in verba Psalmographi. *Simul imprudens & insipiens*
A.in ps.48. *peribunt.* Quis *est imprudens? qui non sibi prospicit in futurum. Quis est insipiens? Qui non intelligit, in quo malo sit. Tu verò intellige, in quo malo sis modo. & prospice vt in bonis sis in posterum. Intelligendo in quo malo sis, non eris insipiens: prospiciendo tibi in futurum, non eris imprudens.* Et paulo post. *Esto prudens, & prospice tibi in posterum in cœlo. Esto ergo prudens, & imitare for-*
Prou.30.25. *micam, sicut dicit Scriptura; reconde æstate, ne esurias in hyeme. Hyems est dies nouissimus, dies tribulationis.* Et S. Ambrosius in Lucam, tractans
A.in c.6. verba. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. *Habes*, ait, *prudentiam, cuius est flere occidua, & ea quæ æterna sunt quærere, lugere secularia, quæ seipsa compugnent: Deum pacis inquirere, qui stulta mundi elegit, vt confundat sapientes.*

V. est, quottidie per examen conscientiæ discutere cogitationes & actus suos, iuxta Psalmistæ dictum. *Beati qui custodiunt iudicium,*
Psal.105.3. *& faciunt iustitiam in omni tempore. Debet enim vniuscuiusq; mens,* vt docet S. Gregorius libro 25. moralium, *& causas suas apud Dominum, & causas*
G.c.6. *Domini contra se solicita inquisitione discutere: debet cautè pensare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruersè viuendo responderit.*

Quod

Quod electi quidem quotidie facere omninò non cessant. Vnde bene Salomon Prou.12.5.
ait. Cogitationes iustorum iudicia. Accedunt enim ad secretarium iudicis intra sinum cordis: considerant quàm districtè quandoq; feriat, qui diu patienter expectat, metuunt in his quæ se egisse meminerunt, & puniunt flendo, quod perpetrasse se intelligunt, &c. Ibi aduersum se, quicquid se impugnat enumerant, ibi ante oculos suos omne quod defleant, coaceruant, ibi quicquid per iram districti iudicis decerni possit intuentur, ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent, nec deest in hoc iudicio mente concepto omne ministerium, quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod iudicium eo certius punit, quo interius sæuit, quia videlicet ab exterioribus non accedit.

VI. Proprietas est, quod Prudentia magis conueniat Superioribus aliorumq; magistris, quam subditis & discipulis. Ar.3.Eth.c.3. *Prudentia*, inquit Aristoteles, *propria virtus est præsidentis. Nam ceteræ quidem virtutes videntur communes tàm eorum qui præsunt, quàm eorum, qui subsunt, at prudentia non est virtus eius qui subsit.* Quod intelligendum est de subditis, qua subditi sunt, & de discipulis, qua discipuli, & de prudentia, non qua consulendi & iudicandi, sed tantum qua præcipiendi munere fungitur; si enim subditis ceteræ virtutes competunt, quomodo potest abesse virtus prudentiæ? omnes siquidem virtutes sunt inter se connexæ. Quod autem subditorum sit, dum superior aliquid imperat, obtemperare, & non per propriam prudentiam discutere Superioris mandatum, tradit S. Basilius in Constitutionibus monasticis. B.c.20.&21. *Monachi*, inquit, *libentissimè obtemperent suo Præposito, nec ab eo eorum, quæ sibi imponuntur, rationem reposcant, nihil omnino ipsorum iussa curiosius perscrutando.* Et S. Hieron. epistola ad Rusticum monachum. H.ep.4. *Credas tibi salutare, quicquid monasterii Præpositus præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officii est obedire & implere quæ iussa sunt dicente Moyse. Audi Israhel & tace.* Deut.6.3. Sed plura de hac re in Panario V. inobedientia, post VI. REMEDIVM.

CAPVT V.

De mediis ad comparandam prudentiam idoneis.

PRIMVM medium est diligens inquisitio & meditatio corū de quibus consiliū capitur, maximè si ardua sint. Nam rex sapientissimus Psal.1.1. Dauid, cum in psalm. foribus dixisset beatū, q non abiisset in consiliū

Ps. 118.47. impiorum, mox subiecit: *Sed in lege Domini meditatur die ac nocte.* Et ali-
Ib. v.77. bi. *Meditabar in mandatis tuis.* Et *Lex tua meditatio mea est.* Et Salomon,
quamuis asserat iustum virum non nisi quæ placeant Deo cogitare, ea
Prou.10.32. tamen ipsa pronunciat ab eodem considerari, cum ait. *Labia iusti consi-*
A.c.10. *derant placita.* Hinc S. Ambrosius primo de officiis. *Sapiens, vt loquatur,*
multa prius considerat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. Est
G.lib 2.ep.6. *ergo & tacendi & loquendi modus.* Et S. Gregorii ad Paulum Episcopum
monitum est. *Summis in rebus citum non oportet esse consilium.* Aristotelis
Arist. c.9. quoq; in sexto Ethico sententia est, vulgato prouerbio, Senecæ attri-
buto, consentiens. *Deliberandum esse diu, quod statuendum est semel.*

II. Medium est, aliorum doctiorum, prudentiorum, seniorumq;
consiliis uti. Qua de re multa sunt dicta Spiritussancti *Ne innitaris,* ait
Prou. 3.5. *Sapiens, prudentiæ tuæ.* Et. *Qui sapiens est, audit consilia.* Et. *Fili, sine consilio*
Prou.12.15. Eccli 32 24. *nihil facias.* Et Apostolus. *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Et Eccle-
Rom.12.16. Eccli.8.11. siasticus. *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à Patribus*
suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare respon-
H in c.3. *sum.* Vnde S. Hieron: in Isaiam, *Græci poetæ laudabilis illa & admiranda*
sententia est, primum esse beatum, qui per se sapiat: secundum qui sapientem
audiat: qui autem vtroq; careat, hunc inutilem esse tam sibi quam omnibus.
Vnde & illud in nostris libris legimus. Amici tibi sint plurimi, consiliarius au-
Eccli.6.6. B.hom.12. *tem vnus de mille.* Et S. Basilius in Prouerbia. *Superbia magna habetur, ex-*
istimare se nullius egere consilio, ac sibi ipsi penitus acquiescere, quasi vel solus
sapiat, vel quam optima in medium consulere valeat. Magnam profectò affert
hominibus vtilitatem consilium, eo quod nemo sibi sufficiat ad electionem re-
rum vtilium, honestarumue, sed pluribus sane sociis, iisq; solertibus opus habet:
Ch.hom. 9. Et S. Chrysostomus de laudibus Pauli. *Consiliariis omnes opus habent, et-*
iamsi Mosi conferri possint. Multa enim sunt quæ magni & admirabiles viri
ignorant, quæ tamen parui abiectiq; scire solent. Nam postquam Moses ex
Ægypto exiit, & in solitudinem venit, præfuit sexcentorum millium populo,
& solus omnium contendentium lites diiudicauit, quod vt vidit socer eius le-
Gen. 18. *thro homo alioqui barbarus & insipiens (nihil enim gentilibus est insipientius)*
eum correxit, non curans quod sapiens esset Dei amicus, ille verò sapiens, ille tot
myriadum dux omni mansuetudine eum dicentem audiuit & consilio acquie-
uit. Non enim admiramur hodie Iethro quod Mosen correxerit, quam admira-
mur Mosen, qui non erubuit tot præsentibus corrigi, & factum hoc memoriæ
commendare.

A. de temp. ser. 68. III. Medium est implorare diuinam opem, *vt vbi humanum de-*
fecit auxilium, vt loquitur in quodam sermone S. Augustinus, *illic inter-*
Ps.118.35. *cedat diuinum adiutorium.* Exemplum habemus regii psaltis in hæc
verba.

verba orantis. *Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Et. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Cuius medii necessitatem indicauit S. GREGORIVS libro secundo moralium, dum ait. *Aliquando, dum cuncta nos agere consilii grauitate gaudemus, pulsante causæ emergentis articulo, præcipitatione subita rapimur, & qui nos semper dispositè vixisse credidimus, repente intima confusione vastamur: sed tamen eiusdem confusionis eruditione discimus, ne nostris viribus consilia nostra tribuamus, & tanto maturius ad grauitatem restringimur, quanto ad hanc quasi amissam redimus.* Psal 142.10. Greg.c.36.

IV. Medium est imitari in serpente, quem Christus nos cum Apostolis imitari voluit, quod imitatione dignum est. Vnum notauit S. BASILIVS in regulis breuioribus. *Vt videlicet quemadmodum in paradiso serpens, & blandiore aspectu callidè ad primos parentes accessit, & verborum probabilitate eos auertit à Deo, ac peccato subiunxit, ita nos quoque & personæ, & loci & idonei ad agendum temporis rationem habeamus, & omnibus modis sermones in iudicio disponamus, vt à peccato homines auertamus, & ad Deum reducamus, & in tentationibus patientiam vsque in finem teneamus, sicut scriptum est.* Exemplum huius rei illustre exstat apud Chrysostomum in homiliis ad populum de prudenti colloquio B. Pauli cum Festo. ALTERVM notauit S. Hieronymus in Matthæum. *Serpentis,* inquit, *astutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, vt illud in quo vita est, protegat: ita nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus, id est, fidem integram & incorruptam.* Eadem explanatio est S. Hilarii can. 10. in Matthæum, & Epiphanii hæresi 37. B. quæst. 245. Ch. hom. 16. Act. 26. 29. H. in c. 10.

VIDE V. *Cognitio sui. Contemplatio. Intentio. Sapientia. Virtus. Et in* PANARIO V. *Indiscretio.*

PVDICITIA.

VIDE V. *Castitas.*



R

RELIGIO.

CAPUT I.

De nomine & definitione Religionis.

NOMEN religionis, non pro statu Religioso, sed pro virtute Religionis, vel pietatis erga Deum hic vsurpamus. Quod si origo eius spectetur S. August. li. de ciuitate Dei decimo existimat à religendo appellatum. *Hunc, inquiens, (fontem beatitudinis Deum) eligentes vel potius religentes, amiseramus n. negligentes: hunc ergo religentes, vnde & religio dicta phibetur, ad eum dilectione tendimus, vt perueniendo quiescamus, ideo beati, qa illo fine perfecti.* Lactan. vero li. diuinarum instit. quarto, existimat à religando dictum. *Hac ait, conditione gignimur, vt generanti nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solum nouerimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo religati sumus, vnde ipsa religio nomen accepit, non vt Cicero interpretatus est à relegendo* Et intra. *Diximus nomen religionis à vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi Deus religauerit & pietate constrinxerit: quia seruire nos ei, vt Domino, & obsequi vt patri necesse est. Melius ergo id nomen Lucretius interpretatus est: quia ait, religionum se nodos exoluere.* Lactantio subscribit S. Hieronymus in commentariis prophetæ Amos. & ipse Augustinus capite extremo libri de vera Religione. immò primo libro Retractationum ait hanc sibi originem magis placuisse, quam alteram ab re eligendo. Idem libro 83. Quæstionum ita eandem definit ex M. Tullio. *Religio est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, ceremoniamque affert.* Rectius & breuius cum Lactantio, ipsoque Augustino, dicimus Religionem nil aliud esse quam cultum veri Dei, quam græci θρησκειαν, λατρειαν vel θεοσεβειαν appellarunt. *Quæ λατρεια græcè nuncupatur* inquit S. Augustinus libro citato de ciuitate Dei, *& latine interpretatur seruitus sed ea qua colimus Deum: vel quæ θρησκεία græcè, latine autem religio dicitur, sed ea quæ nobis est erga Deum vel quam illi θεοσβειάν, nos vero non verbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare:*

L.c.18. Cic.2. de natura. Deorum. H. in c.3. Amos. A.c.14. A.q.31. Cic.2. de inu. A.l.10.c.1.

appellare: hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus est DEVS, facitque suos cultores Deos.

PIETATIS vox etsi aliquando significet cultum parentibus debitum, & consanguineis, vt apud Ciceronem loco citato, & misericordiæ opera, tamen proprie apud sacros scriptores accipitur pro cultu Dei, & religioni synonyma est. *PIETAS*, inquit Lactantius libro tertio, *nihil aliud est, quam Dei parentis agnitio.* Et li. 5. *pietas nihil aliud est quam Dei notio, sicut Trismegistus verissimè definiuit, cuius cognitionis hæc summa est, vt eum colas.* Et Sanctus Augustinus. *Pietas quoque propriè Dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen & erga parentes officiosè haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur.*

G.2.de inuent. — L.c.9. — Id.c.14. — A.lib.10.de Ciuit.c.1.

CAPVT II.

De Variis Actionibus virtutis Religionis.

ETSI variæ sint virtutis Religionis actiones, omnes tamen ad duo capita reuocari queunt, vt aliæ sint proximæ, quas scholæ Theologi vocant *elicitas*, aliæ remotæ, quas vocant *imperatas.* PROXIMAE sunt quæ continent seruitutem vel subiectionem hominis erga Deum, quia *seruire nos ei*, vt loquebatur Lactantius, *vt Domino, & obsequi vt Patri necesse est*, ex qua statim oritur maiestatis diuinæ notio, & consequenter cultus & glorificatio, cuiusmodi actiones sunt, *adoratio, oratio, deuotio, sacrificium, votum.* L.4.c.28.

CVM ergo munus virtutis religionis sit eam subiectionem suam erga Deum, vt est Dominus & conditor & pater omnium protestari, ex diuersitate eorum quæ Deo subiiciuntur sumi debet actionum varietas. Triplex autem bonum per religionẽ homo potest subiicere Deo. PRIMVM est bonum mentis spirituale & hoc maxime subiicitur Deo, per actus *adorationis, deuotionis, orationis*, atq; etiam *voti, iurisiurandi, & sacramentorum. Voti* quidem, cum homo protestatur se velle Deo seruire tanquam seruum in statu monastico. *Iurisiurandi* verò, quatenus per Deum iurat, tanquam *maiorem sui*, vt loquitur Apostolus. *Sacramenti* autẽ, quatenus per vsum eius protestamur Deum esse gratiæ auctorẽ, quę in illo confertur. Secundum bonũ est externũ corporis, quod subiicimus Deo p̃ exteriorẽ, adorationẽ, genuflexionẽ, prostrationem, aliosuè gestus corporis. Tertium est quoduis bonum exter- Heb.6.16.

externum, cuius homo sit Dominus, quod subiici ab homine potest Deo trifariam. 1. vt offeratur ipsi Deo immediate, & soli, & non cedat in hominis vsum, vti sunt *sacrificia*. 2. vt mediatè, videlicet dando illud Dei ministro, quatenus locum Dei tenet, vti erant in veteri testamento *oblationes & primitiæ*. 3. vt offeratur Deo adhuc magis mediatè, vt cum aliquid offertur Dei ministris, non proxime respiciendo Dei gloriam, sed vt satisfiat obligationi alendi ministros. ex quo etiam redundat ad Deum gloria. sic subiiciuntur Deo bona externa per *Decimarum solutionem*. Atq; hæ omnes actiones pertinent ad virtutem Religionis proximè vel elicitiuè.

REMOTE verò vel imperatiuè, omnes aliarum virtutum actiones possunt ad religionem pertinere, quia omnes ad Dei gloriam possunt referri, Quo sensu dixit S. Iacobus. *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est: visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Et S. Augustinus *Aduersus dæmonum nequitiam, quæ nobis Dominus arma ostendit debemus vtique retinere. Hoc, ait, genus non eiicitur nisi in oratione & ieiunio. Hæc cum plena fide exercentur pietas est. Pietas autem ad omnia vtilis est professionem habens vitæ præsentis & futuræ.* Visitare siquidem pupillos, actus proximus & elicitus est virtutis misericordiæ: & ieiunium actus temperantiæ.

Iac. 1. 27.

A. serm. 230. de tem.

CAPVT III.

De excellentia virtutis Religionis.

EXCELLENTIA splendorq; huius virtutis nemini obscurus esse potest, cum circa eum occupetur, *ad cuius*, vt loquitur Tertullianus libro de Trinitate *cogitandam, & eloquendam maiestatem, & eloquentia omnis merito muta est, & mens omnis exigua. Quid enim*, inquit, *cōdignè de eo dicas, qui est sublimitate omni sublimior, & altitudine omni altior, & profundo omni profundior, & omni luce lucidior, & omni claritate clarior, omni splendore splendidior, omni robore robustior, omni virtute virilior, omni pulchritudine pulchrior, veritate omni verior, & fortitudine omni fortior, & maiestate omni maior, & omni potentia potentior, & omnibus diuitiis ditior, omni prudentia prudentior, & omni benignitate benignior, omni bonitate melior, omni iustitia iustior. omni clementia clementior? Minora enim sint necesse est omnium genera virtutum eo ipso, qui virtutum omnium & Deus & parens est.* Deinde Dominus Deus cultum & honorem sibi

sibi debitum nulli alii rei creatæ vult communicari. *Dominum Deum* Deu.6,13.
tuum timebis, ait in Deuteronomio *& illi soli seruies.* Et Paulus in prio-
re ad Timotheum. *Regi autem seculorum immortali, inuisibili soli Deo ho-* 1. Tim.1.17.
nor & gloria in secula seculorum. Et Deus apud Isaiam. *Ego Dominus, hoc* Isa.42.8.
est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptili-
bus. Adhæc continenter colere & glorficare Deum proprium est an-
gelorum, & beatorum in cœlo, *clamantium Sanctus, Sanctus Sanctus* Isa.6.3.
Dominus Deus exercituum, vt est in eodem Isaia & Apocalypsi, Vnde Apoc.4.8. L.c.25.
Lactantius in fine libri sexti institutionum ita scribit. *Summus colendi* Id.li.3.c.27.
Dei ritus est ex ore iusti hominis ad Deum directa laudatio. Eiusdem hæc pro
religione sunt Encomia. *Quisquis aut Deum colendum esse intelligit, aut*
immortalitatis spem sibi propositam habet, mens eius in cœlo est. Qui autem Id.l.de ira Dei
religionem non suscipiunt, terreni sunt, quia religio de cœlo est. Et. *Si ratio sol-* c.7.
ius hominis hoc præcellit, & superat cæteras animantes, quod solus notitiam
Dei cœpit, apparet religionem nullo modo posse dissolui.

PATRVM verò ceterorum hæc sunt elogia. Sanctus AM- A.c.27.
BROSIVS primo de officiis. *Pietas in Deum initium intellectus.*
Quo aduertimus illud ab huius seculi translatum magis, quam inuentum
sapientibus, quia pietas fundamentum est omnium virtutum. Et epistola
ad Demetriadem agens de contemptoribus mundi: *ad ipsum in-* Id ep.87.
quit, omnium visibilium & inuisiblium ambiunt creatorem cui appropin-
quare clarescere est, quem timere gaudere est, cui seruire negare est. CLE-
MENS Alexandrinus in parænesi ad gentes. *Dicimus eum solum, qui*
pius ac religiosus est esse Christianum, & diuitem & temperantem, & gene-
rosum, & ea ratione Dei imaginem, cum similitudine & dicere, & crede-
dere iustum est & sanctum, vt qui à Christo Iesu factus sit cum prudentia,
atque adeo iam quoque Deo similis. Non celat itaque propheta gratiam dicens. Psal.81.6.
Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Et multo ante. *Pietas quæ*
Deo hominem, quoad eius fieri potest assimilat, conuenientem sibi magi-
strum adscribit, nempe Deum, qui vel solus potest pro dignitate homi-
nem Deo assimilare. Hanc Doctrinam Apostolus cum sciret verè esse diui-
nam. Tu autem ô inquit Timothee, ab infantia sacras litteras nosti, quæ 2.Tim.3.15.
te possunt instituere ad salutem per fidem in Christum. Sunt enim verè sa-
cræ litteræ, quæ sacros faciunt & Deificant. Sanctus Gregorius Nazian-
zenus in sermone de hominis vtilitate ait *pios viros angelos potius di-*
cendos quam homines. Et in epistola ad Hellenium eosdem appellat *cla-*
rissima sidera, præstantissima Christi membra, immortalis Dei sigilla, & astra
carne conuestita. Sanctus Hieronymus veram pietatem multis bonis H.ep.27.

operibus testatam comparat martyrio: ita enim scribit ad Eustochium Virginem in epitaphio Paulæ matris. *Secura esto Eustochium magna hæreditate ditata es. Pars tua Dominus, & quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed deuota quoque mentis seruitus immaculata quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de lilijs.* Et li.
H. in c. 57. Isa. 16. in Isaiam. *Pietas & vera religio via regia est. Cognita vna via regia videamus, quæ dextra via sint & sinistra, per quas prohibemur incedere. Via regia temperata est, nec plus in se habens, nec minus. Declinat ad dextram pie-*
Eccli. 7. 17. *tatis, qui superstitiosus est & meretur audire. Ne sis multum iustus. Ad sinistram, qui negligit cultum Dei, & inter hædos, hircosque numeratur.* San-
A. c. 2. ctus Augustinus in Enchiridio. *Sicut nemo à seipso esse potest, ita nemo à*
Eccli. 1. 1. *seipso sapiens esse potest, sed ab illo illustrante de quo scriptum est. Omnis sapientia à Deo est. Hominis autem sapientia pietas est. Habes hoc in libro Sancti Iob:*
Iob. 28. 28. iuxta 70. *Nam ibi legitur, quod ipsa sapientia dixerit homini: Ecce pietas est sapientia. Si autem quæras, quam dixerit eo loco pietatem, distinctius in græco reperies θεοσεβείαν qui est Dei cultus.* Denique S. Thomas aliique scholæ Theologi
S. Tho. 22. q. 81. huic virtuti, inter omnes morales virtutes tribuunt principatum, eo quod propinquius, quam aliæ respiciat Deum, qui est omnium virtutum extremus finis.

Capvt IV.

De necessitate, vtilitateque Religionis.

NECESSITAS religionis, vel obligatio colendi, omnique veneratione afficiendi veri Dei non solum lege diuina imperata est, sed etiam cum natura ipsa homini insita & impressa. Legem di-
Deu. 6. 13. Matt. 4. 10. uinam habemus in Deuteronomio, & in Euangelio, vbi Christus dixit spiritui peruerso. *Vade Satana, scriptum est enim, Dominum DEVM adorabis & illi soli seruies.* De qua autem seruitute locutus sit exponit
A. c. 1. Sanctus Augustinus in decimo li. de ciuitate Dei. Quæ λατρεία inquit, *græce nuncupatur, & latine interpretatur, seruitus, sed ea qua colimus Deum, hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus est Deus, facitque suos cultores*
Deu. 6. 5. Matt. 22. 37. A. c. 3. *Deos.* Deinde in vtraque lege veteri & noua habemus mandatum Dei de diligendo Deo & proximo, quod autem caritate colatur Deus docet idem Augustinus in Enchiridio. Cum enim dixisset pietatem non esse aliud quam θεοσεβειάν, id est, Dei cultum. *An hoc ipsum, ait, tibi*

for-

fortasse desideras breuiter aperiri, atque in sermonem colligi breuem, quonam modo sit colendus DEVS. Hic si respondero, fide, spe, charitate colendum, profecto dicturus es breuius hoc dictum esse quam velis. Et libro 12. de Trinitate. *Pietatem hoc loco posuit Dei cultum, quæ græcè dicitur θεοσέβεια. Et quis cultus eius, nisi amor eius, quo nunc desideramus eum videre, credimusque & speramus eum nos esse visuros?* Id. c. 14.

QVOD autem cum natura rationis compote homini insita sit notio cupiditasque Dei colendi probat ex Cicerone Lactantius libro diuinarum institutionum tertio. *Hoc,* ait, *eximium facit hominem, quod soli datum est intelligere diuina. Qua de re Ciceronis vera est sententia. Ex tot, inquit, generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam mansueta, neque tam fera, quæ non etiamsi ignoret, qualem Deum haberi deceat, tamen habendum sciat.* Et paulo post. *Quid est, cur ijdem ipsi, (Philosophi) disputent eo dirigendam esse mentem, quo vultus erectus est? Si enim nobis in cœlum spectandum est, ad nihil aliud vtique, quam ob religionē. Si religio tollitur, nulla nobis ratio cum cœlo est. Itaque aut eo est spectandum, aut procumbēdum in terram.* Et libro de ira Dei. *Homo ideo solus præter cæteras animantes rectus corpore ac statu factus est, vt ad contemplationem parentis sui excitatus esse videatur: ideo sermonem solus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, vt enarrare maiestatem Domini sui possit. Postremo iccirco ei cuncta subiecta sunt, vt factori artifici Deo esset ipse subiectus. Si ergo Deus hominem voluit suum esse cultorem, ideoque illi tantum honoris atribuit, vt rerum omnium dominaretur, vtique iustissimum est & Deum colere, qui tanta præstiterit.* S Gregorius Nazianzenus in Carmine Virginitatis. L. c. 1. Id. c. 13.

Quin si vera cupis cognoscere, quisquis honesti
Corripitur studio, rectique tenetur amore,
Talis ab æterno formatur pneumate, talis
Vi verbi efficitur: pietatis namque sepulta
In nobis scintilla latet, velut igneus ardor
Inclusus saxis: vt porrò sæpe terendo
De rigido tandem ferro silice excutit ignem.
Haud aliter pietas latitans sermone salutis
Attrita in medium prodit, clareque refulget.

S. AMBROSIVS de Officiis. *Iustitiæ pietas est primum in Deum. Secunda in patriam, tertia in parentes, item in omnes, quæ & ipsa secundum naturæ est magisterium. Siquidem ab ineunte ætate, vbi primum sensus infundi cœperit, vitam amamus tanquam DEI munus.* A. l. 1. c. 27.

IAM verò VTILITATEM huius virtutis luculenter prædicat Apostolus ad Timotheum scribens. (1.Tim.4.8.) *Exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Vnde Clemens Alexandrinus in parænesi ad gentes. *Dominus Iesus cum sit benignus adhortatur omnes homines ad agnitionem veritatis, qui mittit paracletum. Quænam est ergo agnitio? pietas ac Dei cultus. Est autem pietas ad omnia vtilis ex Pauli sententia habens promissionem vitæ præsentis & futuræ. Quanti ò homines profiteremini vos esse empturos, si salus æterna venderetur? ne si Pactolũ quidem qui totus aureo, vt est in fabulis, fluit fluento quis dederit, pro salute iustum pretium numerauerit. Hoc pretium Deus lubenter accepit. Sperauimus enim in Deo viuo, qui est seruator omnium hominum, maximè autem* (A.ser.18.) *fidelium.* Et S. Ambrosius in 118. psalmum. *Pietas*, inquit, *virtutum omnium fundamentum est iuxta humanarum rerum & cœlestium disciplinam. Pietas amica Deo, parentibus grata, dominum conciliat, necessitudines fouet, Dei cultura est, merces parentum, filiorum stipendium. Pietas, inquam, iustorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffugium, indulgentia peccatorum.* Et (A.ep.52.) S. Augustinus epistola ad Macedonium, in fine. *Pietas, id est, verus veri Dei cultus ad omnia prodest, & quæ molestias huius vitæ auertat, aut leniat, & quæ ad illam vitam, salutemq́ perducat; vbi nec aliquid iam mali patiamur, & bono summo sempiternoq́ fruamur.*

CAPVT V.

De Proprietatibus eiusdem Virtutis.

PRIMA proprietas est, quod cultus ille, qui ratione virtutis religionis debetur soli Deo, propriè vocetur λατρεία. 1. quia Scriptores sacri vocem illam nunquam vsurpant, nisi pro cultu solius Dei, vt liquet ex toto nouo testamento. 2. quia nec Patres tribuunt nisi Deo, qui tamen & Sanctos volunt esse religiosè colendos. vt S. Augustinus libro 10. de ciuitate Dei. cap. 1. & libro 20. contra Faustum cap. 21. S. Damascenus oratione 2. & 3. de imaginibus. BEDA in c. 4. Lucæ, & Patres Synodi Nicenæ secundæ. 3. quia idcirco omnes veteres cultum falsorum Deorum vocauerunt idololatriam. 4. quia in Ecclesia, & schola Theologorum ille vsus iampridem obtinuit. Vnde Concilii Tridentini Patres sessione 13. definierunt canone sexto Christum in Eucharistia cultu latriæ etiam externo adorandum.

II. Pro-

II. Proprietas est, quod cultus, qui ratione eiusdem virtutis, licet inferior diuino, debetur sanctis, vt angelis, & hominibus iam cum Christo in cælo regnantibus, vocetur δουλεία. 1. quia is vsus in schola Theologorum iam à Magistri sententiarum temporibus ita obtinuit, vt liquet ex 3. Sententiarum distinctione 9. 2. quia ita vocat. V. BEDA in cap 4. Lucæ, & insinuat S. Augustinus libro de ciuitate Dei 10. cap. 1. Dicit enim cultum debitum creaturæ ab Apostolo in capite 6. ad Ephesios non vocari latriam, sed alio nomine. Apostolus autem vtitur voce δουλείας. Quoniam vero Beatissima Virgo MARIA, vt mater filii Dei, sic omnibus sanctis antecellit, vt possit dici *Domina & Regina nostra*, eam Thelogi dicunt colendam & venerandam ὑπερδουλεία id est, excellentissimo aliquo cultu, qui competere possit creaturæ. Cuiq; enim is honor debetur, quem dignitas eius postulat.

III. est. Deus cultu latriæ colendus est gratis & propter se. Ita S. Augustinus in psalmum 52. *Deus*, inquit, *gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est, castè amari, non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Qui ergo inuocat Deum vt diues fiat, Deum non inuocat: hoc enim inuocat, quod ad se vult venire. Quid enim est inuocare, nisi vocare in se. Nam cum dicitur. Deus da mihi diuitias, non vis vt ipse Deus ad te veniat; sed vis, vt diuitiæ veniant ad te. Si autem Deum inuocares, ipse ad te veniret, ipse esset diuitiæ tuæ. Nunc autem vis habere arcam plenam & inanem conscientiam. Deus non implet arcam, sed pectus. Ergo isti qui propter secularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præsentem & terrenam felicitatem inuocant Deum, non inuocant Deum.* Consentit B. Prosper exponens verba illa Psalmi Dauidici. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Orat*, ait, *vt in ipsa voluntate proficiat, & cor non in auaritiam, sed in testimonia Dei habeat inclinatum: quæ testimonia hoc insinuant, hoc docent, vt Deus gratis colatur. Quia si cor non in auaritiam sit declinatum, Deum non colimus nisi propter Deum, vt Dei cultus ipse sit merces. Nam qui Deum ideò colit, vt aliquid aliud promereatur quam ipsum, non quem colit diligit, quia non ipsum sed aliud concupiscit.* Et in libro Epigrammaton.

P. in psal. 118.

Id. n. 20.

Hac desiderii Deus est pietate colendus,
Iustitiæ vt merces tota sit ipse Deus.
Nam sperans alio se munere posse beari,
Non, quod poscit, amat; sed quod habere cupit.

IV. Colendus est, non vt ipsi vlla re prosimus, sed vt hoc officio, protestemur eum esse Dominum & redemptorem nostrum; pro beneficiis acceptis aliquam grati animi significationem demus; nam

cum psalte regio quotidie oramus. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Vnde Lactantius libro sexto diuinarum institutionum Ethnicos irridet his verbis. *Quicquid aspectu rarum, quicquid opere aut odore pretiosum est, id gratum esse dijs suis, non ex aliqua diuinitatis ratione, quam nesciunt, sed ex suis cupiditatibus iudicant: nec intelligunt terrenis opibus Deum non indigere.* Et S. Augustinus libro 10. de Ciuitate Dei. *Quis ita desipiat, vt existimet aliquibus vsibus Dei esse necessaria quæ in sacrificiis offeruntur? Quod cum multis locis diuina Scriptura testetur, ne longum faciamus, breue illud de psalmo commemorare suffecerit. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum non eges. Non solum igitur pecore, vel alia qualibet re corruptibili atque terrena, sed ne ipsa quidem iustitia hominis Deum egere credendum est, totumque quod recte colitur Deus homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit, aut luci, si viderit.* Quod autem cultus Dei, nobis potius prosit, quam Deo, eleganter ab eodem sancto declaratur in psalmum 145. his verbis. *Possessio Dei eris, & possessio tua erit Deus. Tu eris possessio eius, vt colaris ab eo, & ipse erit possessio tua, vt colas eum. Nam & tu colis Deum, & coleris à Deo. Recte dicitur colo Deum. quomodo autem color à Deo? Inuenimus apud Apostolum. Dei, inquit, agricultura estis, Dei ædificatio estis. Et Dominus. Ego sum, inquit, vitis, vos estis sarmenta, & Pater meus agricola. Colit te ergo Deus, vt sis fructuosus, & colis Deum, vt sis fructuosus. Tibi bonum est, quod te colit Deus, bonum est tibi, quod colis Deum. Cultor Deus, si recedat ab homine, desertus fit ipse homo: cultor homo si recedat à Deo, desertus fit ipse homo. Nec crescit Deus accedente te, nec decrescit discedente te. Ergo erit possessio nostra vt nos pascat, & erimus possessio eius, vt nos regat.*

Psal. 15. 1.
L. c. 1.
A. c. 5.
Psal. 15. 1.
1. Cor. 3. 9.
Ioa. 15. 5.

V. Proprietas. Colendus Deus est, & inuocandus, non frigidè, sed feruenter. *Etenim Deus noster*, inquit Apostolus ex Deuteronomio, *ignis consumens est.* Deus apud Lucam ait. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* S. Ioannes Baptista de venturo Deo homine dixit. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Quod factum est die Pentecostes, *cum apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis seditque supra singulos eorum*, id est, Apostolorum, vt est in Actis. Hoc igne flagrare cupiebat Vir Dei, qui dicebat. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Et. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Et Ieremias, dum ait. *Dixi, non recordabor sermonis Domini, neque loquar vltra in nomine illius, & factus est in corde meo sicut ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens.* Hoc igne ardebant duo discipuli euntes in Emaus, dicentes. *Nonne cor nostrum ardens erat, dum* (Chri-

Heb. 12. 29.
Deu. 4. 24.
Luc. 12. 49.
Matt. 3. 11.
Act. 2. 3.
Psal. 38. 3.
Psal. 140. 2.
Ierem. 20. 9.
Luc. 24. 32.

Christus) *loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Ardebant Apostoli Petrus & Ioannes cum Concilio Iudæorum responderent. Act. 4. 20.
Non possumus quæ audiuimus & vidimus non loqui. Ardebat Paulus scribens. 2. Cor. 13.
Non possumus aliquid aduersus veritatem sed pro veritate. Ardebat martyr Ignatius, cum teste S. Hieronymo ante martyrium scripsit ad Romanos. H. de script. Eccles.
Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar.

VI. Proprietas. Colendus est Deus non coactè, sed voluntariè & libenter. Vnde Psalmista. *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.* Et. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* hoc est, inquit ibi AVGVSTINVS, *placeant tibi, noli reprobare, sed approbare. Bene autem intelliguntur oris voluntaria sacrificia laudis, confessione charitatis & non timore necessitatis oblata.* Vnde Tertullianus ad Scapulam. *Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi: cum & hostiæ ab animo libenti expostulentur.* Et Lactantius libro quinto. *Dei cultus, quoniam militiæ cælestis est, deuotionem maximam, fidemq; desiderat. Quomodo enim Deus, aut amabit colentem, si ipse non ametur ab eo, aut quomodo præstabit precanti, quicquid orauerit, cum ad precandum neq; ex animo, neq; obseruanter accedat?*

Psal. 53. 8. Ps. 118. 108. Exo. 35. 5. Leu. 22. 23. L. c. 19.

VII. & postrema proprietas est, quod sine Religionis virtute, vel vero Dei cultu nulla possit esse iustitia, nulla salus, quia, teste Apostolo in epistola ad Romanos, non alia de causa græci vel Ethnici salute exciderunt, quam, *quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* Vnde S. Ambrosius, vel potius Prosper libro primo de Vocatione gentium. *Sine cultu veri Dei, ait, etiam quod virtus videtur esse peccatum est, nec placere vllus Deo sine Deo potest. Qui verò Deo non placet, cui nisi sibi & diabolo placet?* Et S. Augustinus de ciuitate Dei. *Veræ,* inquit, *virtutes nisi in eis, quibus vera inest pietas, esse non possunt.* Et Lactantius de ira Dei. *Religionis est propria iustitia, quam nullum aliud animal attingit: iustitia autem cultus Dei adscribitur, quem qui non susciptt, hic à natura alienus vitam pecudum sub humana specie viuet.*

Rom. 1. 21. A. c. 3. A. lib. 19. c. 4. L. c. 7.

CAP.

CAPVT VI.

De mediis quibus hæc virtus paretur.

PRIMVM medium ad religionem vel pietatem veram comparandam est timor Domini. Vnde crebrius Sacræ litteræ astruunt *initi-
Psal. 110. 10. *um sapientiæ esse timorem Domini.* quid verò aliud est sapientia, quam
Prou.1.7. Eccl.1.16. pietas? 2. iungunt timorem cum Dei cultu. *Timete Deum,* dixit Iosue
Iof.24.14. iam morti proximus ad populum, & *seruite ei perfecto corde atq; verissi-*
Psal.2.11. *mo.* Et rex Dauid. *Seruite Domino in timore.* Imò Deus ipse in Deutero-
Deu.6.13. Apoc.14.7. nomio. *Dominum Deum tuum timebis & illi soli serujes.* Et in Apocaly-
Ac.17. psi. *Timete Dominum & date illi honorem.* Hoc mediũ tradidit S. Augustinus libro de vera religione. *Nunc verò,* inquit, *quoniam pietas timore inchoatur, charitate perficitur, populus timore constrictus tempore seruitutis in veteri lege multis sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus vtile erat ad desiderandam gratiam Dei, quæ per prophetas ventura canebatur.*

II. Medium est Fuga peccati. *Per timorem enim Domini,* inquit
Prou.15.27. Sapiens, *declinat omnis à malo.* Vnde psalmographus psalterium verę pietatis ita inchoauit. *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in*
Psal.36.27. *via peccatorum non stetit.* Et rursus. *Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in seculum seculi* Hoc medium profert S. Basilius homilia in psalmum primum. *Nos verò, ait, & illud dicimus, quod principium ad bonorum apprehensionem seu emendationem vitæ est à malis abscessio. Declina à malo, inquit, & fac bonum. Sapienter itaq; & solerti consilio ad nos virtutem introducere cupiens fugam vitiorum (in exordio psalterii) initium fecit bonorum. Si enim statim ea quæ sunt perfecta tibi proposuisset, ad ea forte obeunda fuisses*
Gen.28.12. *cunctantior Ego quippe pietatis exercitationem scalæ à Iacob visæ rectè comparauerim, cuius pars terram attingebat, pars altera ipsi supereminens in cælum vsq; porrigebatur. Ex quo eos admonere opus est, qui ad virtutem instituuntur, primum vt primis gradibus admoueant vestigium, & inde paulatim ascendendo, progrediendoq;, ad comprehensibilem humanæ naturæ altitudinem sensim promouentes perueniant. Vt ergo in gradu scalari prima est ascensio ab humo recessus, sic in exercitatione diuinæ conuersationis principium profectus est discessus à malo. Omnino autem facilius longe est otiari, ac quiescere, quàm qualecunq; opus facere, facilius non mæchari non furari, quam diligere proximum sicut seipsum, vel vendere omnia & dare pauperibus.*

III. est Studium proficiendi in virtute, quod S. Hieron. & S. Bernardus in eadem visione patriarchæ Iacob denotari piè obseruarunt. Ille enim ad Furiam ita scribit. *Non quaruntur in Christianis initia, sed finis Paulus malè cæpit, sed bene finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Ista est scala Iacob, per quā angeli conscendunt & descendunt: cui Dominus innititur, lassis porrigens manum, & fessos ascendentium gradus sui contemplatione sustentans. Sed sicut non vult mortem peccatoris tantum, quantum vt conuertatur & viuat; ita tepidos odit, & cito ei nauseam faciunt. Cui plus dimittitur, plus diligit.* Bernardus verò ad Guarinum sic loquitur *Vidit scalam Iacob, & in scala angelos, vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere vel descendere videbantur vniuersi, quatenus palam daretur intelligi inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inueniri, sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè aut crescere constat, aut decrescere, sic necesse sit & spiritum aut proficere semper aut deficere.* Quod autem hoc studium sit medium ad cultum verum Deo præstandum liquet præsenti exemplo, simulatque enim S. Iacob hac visione fruitus est, votum vouit Domino se decimas omnium bonorum suorum oblaturum Deo, proximum autem religionis actum esse Votum, & oblationem, supra diximus. Deinde quis finis est studii proficiendi, nisi vt perueniatur ad perfectionem? at perfectio non modo pietas est, sed pietatis fastigium, immò, vt loco citato asserit S. Bernardus, *indefessum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.*

H. ep. 10.

B. ep. 253. Genes. 28. 12.

IV. Amor rituum piorum & cerimoniarum Ecclesiæ, vt Festorum tam Domini, quam Sanctorum angelorum & hominum, cantus Ecclesiastici, tam nocturni quam diurni, quotidiani sacrificii Missæ, supplicationum publicarum, deportationis Sanctissimi sacramenti, Votorum priuatorum & sollemnium, peregrinationum ad loca sacra, venerationis sanctorum, templorum, imaginum Christi, Mariæ Virginis aliorumq; beatorum, consignationis S. crucis, genuflexionis, apertionis capitis, sublationis oculorum in cælum, tunsionis pectoris, & similium in Ecclesia Catholica receptorum, sine quibus affirmat. S. Augustinus libro 19. contra Faustum Manichæum religionem sartam tectam teneri & conseruari non posse. Quod enim sal præstat carnibus, vagina gladio, cortex arbori, & folia fructibus hoc externæ cerimoniæ religioni veræ; non enim solum eam declarant & distinguunt ab hæreticorum sectis, quæ cane peius & angue eas oderunt, sed etiam fouent, nutriunt, augent, & confirmant. Certe

A. c. 11.

M. Tullius licet Ethnicus libro de Diuinatione secundo censuit *sapientis esse maiorum instituta tueri sacris, cerimoniisq; retinendis.*

VIDE V. *Catechesis Christiana. Charitas Dei & proximi. Cognitio Dei. Contemplatio. Familiaritas cum Deo. Fides. Laudatio Dei. Oblatio sui Deo facta. Perfectio Christiana. Sapientia. Spes vel Fiducia. Timor Dei. Virtus. Et in* PANARIO V. *Hæresis. Superstitio. Veneficia.*

S.

SAPIENTIA.

CAPVT I.

De Nomine & definitione Virtutis Sapientiæ.



A.cap.2. B.ser.85. SAPIENTIA, teste S. Augustino libro XII. de ciuitate Dei, & S. Bernardo in Cantica, ab eo quod est sapere, nomenclaturam accepit. Definiunt autem eam ferè Patres omnes vt M. Tullius libro altero de Officiis. *Sapientia est*, inquit, *(vt à veteribus Philosophis definitum est) rerum diuinarum & humanarum, causarumq; quibus hæ res continentur, scientia.* Ita Clemens Alexandrinus 1. & 6. stromatum. Basilius in principium Prouerbiorum, & in cap. 5. Isaiæ. Greg. Nazianzenus in plagam grandinis, & apologetico primo pro fuga. & S. August. libro primo contra Academicos, cap. 8. Eodem vergit Lactantius libro diuinarum institutionum tertio, definiens eam esse *virtutem cum scientia coniunctam.* L.c.8.

H. ad c.5. & in c.1. ad Ephes. QVOMODO autem differat à prudentia tradidit S. Hieronymus libro 2. commentariorum in Isaiam. *Inter sapientiam, ait, & prudentiam hoc dicunt interesse Stoici, quod sapientia sit rerum diuinarum humanarumq; notitia, prudentia autem tantum mortalium.* Clemens Alexandrinus de hoc discrimine ita scribit. Cl.2 strom. *Xenocrates*, inquit, *in libro de Prudentia, sapientiam dicit esse scientiam primarum causarum & essentiæ, quæ percipitur intelligentia, existimans esse duplicem prudentiam: vnam quidem, quæ versatur in agendo, alteram quæ in contemplando, quam quidem esse dicit huma-*

nam sapientiam. Quocirca sapientia quidem est prudentia, sed non quauis prudentia est sapientia. De eodem ita loquitur Cicero. *Princeps omnium virtutum est illa Sapientia, quam σοφίαν Græci vocant: prudentiam enim, quam Græci φρόνησιν dicunt, aliam quandam intelligimus quæ est rerum expetendarum fugiendarumq; scientia: illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est diuinarum atq; humanarum scientia.* Cic.1.offic.

ETSI verò à dictis auctoribus Sapientia appelletur scientia, esse tamen aliquod discrimen inter sapientiam & scientiam statuendum ex diuinis litteris euincit S. Augustinus libro de Trinitate duodecimo, his verbis. *Quamuis & illa quæ sapientia est, possit scientia nuncupari, sicut & Apostolus loquitur, vbi dicit, Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum, quam scientiam profectò contemplationis Dei vult intelligi, quod Sanctorum erit præmium summum. tamen, vbi dicit: Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, hæc duo vtique sine dubitatione distinguit, licet ibi non explicet, quid intersit, & vnde possit vtrumq; dignosci Verum Scripturarum sanctarum multiplicem copiam scrutatus inueni scriptum esse in libro Iob, eodem sancto viro loquente: Ecce pietas est sapientia, abstinere autem à malis est scientia. In hac differentia intelligendum est ad contemplationem sapientiam, ad actionem scientiam pertinere Pietatem quippe hoc loco posuit Dei cultum, quæ græcè dicitur θεοσέβεια. Et quid est in æternis excellentius quam Deus? & quis cultus eius, nisi amor eius, quo nunc desideramus eum videre? De his sermo ipse mihi videtur esse sermo sapientiæ. Abstinere autem à malis, quam Iob scientiam dixit esse, rerum procul dubio temporalium est, quoniam secundum tempus in malis sumus, &c.* Et iterum libro 13. de Trinitate. *Ego quoque, ait in libro superiore vtrarumque rerum cognitionem, id est, diuinarum atque humanarum & sapientiam & scientiam dici posse non tacui. Verum secundum hanc distinctionem, qua dixit Apostolus. Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ ista definitio diuidenda est, vt rerum diuinarum scientia propriè sapientia nuncupetur, humanarum autem propriè scientiæ nomen obtineat.* A.c.14. 1.Cor 13.12. 1.Cor.12.8. Iob.28.28. A.c.1.

CAPVT II.

De dignitate & præstantia Sapientiæ.

SAPIENTIÆ dignitatem imprimis expressit B. Iob, cum ait. *Sapientia verò vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo* Iob.28.12.

pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo vel sapphiro. Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione eius. Vnde ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? Deus intelligit viam eius, & ipse nouit
Prou.3.13. *locum illius.* Et Salomon in Prouerbiis. *Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia. melior est acquisitio eius negotiatione argenti, & auri primi & purissimi fructus eius. pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. Lignum vitæ est his, qui apprehen-*
Prou.8.11. *derint eam, & qui tenuerit eam beatus.* Et iterum. *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari. Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus. Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Melior est enim fructus meus auro, & lapide pretio-*
Sap.6.13. *so, & genimina mea argento electo.* Et in libro Sapientiæ. *Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & in-*
Ib.7.7. *uenitur ab his qui quærunt illam.* Et iterum. *Venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in con-*
Eccli.1.4. *spectu illius.* Et Ecclesiasticus. *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigauit? Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna. Radix sapientiæ cui reuelata est? & astutias illius, quis agnouit? Vnus est altissimus creator omnipotens, ipse creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinu-*
Eccli.37.27. *merauit, & mensus est.* Et rursus. *Vir sapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum laudabunt. Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit viuens in æternum.*

PATRVM quoque veterum magna exstant encomia pro Sapientiæ virtute. Clemens Alexandrinus primo Stromatum. *Merito,* inquit, *Apostolus variam ac multiplicem dixit Dei sapientiam, vt quæ multis modis, per artem, per scientiam, per fidem, per prophetiam suam ostendat poten-*
Eccli.1.1. *tiam ad nostrum beneficium. Quoniam omnis sapientia à Domino & cum ipso*
Prou.2.5. *est in secula, vt dicit Iesu sapientia. Si enim prudentiam & sensum magna voce inuocaueris, & eam quæsieris, sicut argenti thesauros, prompteque & alacri animo inuestigaris, intelliges Dei cultum, & sensum diuinum inuenies.* Et paulo post. *Est sapientia domina Philosophiæ, sicut illa eius, quæ prius auditur, disciplinæ. Si enim philosophia profitetur continentiam & linguæ, & ventris, & eorum quæ sunt sub ventrem, & est propter se eligenda, multo videbitur venerabilior & præstantior si exerceatur propter Dei honorem & cognitionem.* Et libro 4.

bro 4. Stromatum. *Confide in toto corde tuo & mente tua in Deo. Hoc enim modo fieri potest, vt qui est sapientia vel cognitione præditus iam Deus euaserit. Ego dixi Dij estis, & filii altissimi.* Psal. 81.6. Ioan. 10.35. *Dicit autem Empedocles quoq; Sapientum animas Deos fieri, hoc modo scribens.*

Postremo vates, & qui hymnos carmine cantant,
Et medici in seclis hominum terrestribus insunt
Hinc existunt Dii, sunt quorum maximi honores.

S. Ambrosius ad Simplicianum. *Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur.* A. ep 7. lib. 2. *Vbi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia & fortitudo. Sapiens manet perfectus in Christo, fundatus caritate, radicatus fide. Sapiens ergo defectus rerum ignorat, & varium animum nescit, sed fulgebit sicut Sol iustitiæ qui in regno Patris sui fulget.* Et libro 2. de Abraham. A. c. 10. *Futurorum interpres sapientia est, scit præterita, & de futuris æstimat. Scit versutias sermonum, & solutiones argumentorum. Signa & monstra scit antequam fiant, & euentus temporum & seculorum. Non potest igitur bonus atque perfectus non esse; qui hanc acquisierit; quia & omnem habet virtutem, & imago bonitatis est. Vnde & seculi istius Sophistæ traxerunt definitionem huiusmodi, quod Sapiens vir bonus dicendi peritus sit. Redeamus nunc ad domum Dei, quo nihil plenius. Quid enim melius sapientia?* S. Gregorius Nazianzenus in primo Apologetico. G. c. 30. Iob. 28. *Censesne sapientiam; quæ omnia regit, complexuque suo, quicquid vsquam laudabile est & præclarum, tenet (adeo, vt ipse quoq; Deus, quamuis permultis nominibus vocetur hoc tamen nomine impensius quam vllis alijs delectetur) rem vsque adeo lenem & protritã existimabimus, vt ad sapientis nomen adipiscendum voluntas sola requiratur? Magna hercle stultitia hoc fuerit.* S. Gregorius Romanus libro 18. Moralium, cum exponit illud Iob. *Non conferetur* (sapientia) *tinctis Indiæ coloribus. Tincti,* inquit, *Indiæ colores sunt huius mundi sapientes, qui quamuis per infidelitatem, & plærumque per actionem fœdi sunt, ante humanos tamen oculos superinductæ honestatis colore fucantur. At contra doctrina sapientiæ & prædicatione pulchra est, & pura veritate conspicua, nec aliud se per fallaciam prætendit exterius, & aliud reseruat interius, neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis. Quam fucationem tincturæ bene Paulus despexerat, cum dicebat. Quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus.* 1. Cor. 2.4. *Malebat quippe hanc sapientiam sola puritate veritatis ostendere, non autem eloquij tinctione fucare.* SCRIPTORES quoque huius virtutis præstantiam agnouerê. M. T. Cicero in secundo de

 Officiis

Officiis ita loquitur. *Quid est per Deos optabilius sapientia, quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc qui expetunt igitur, philosophi nominantur; nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis quam studium sapientiæ. Cuius studium qui vituperat haud sane intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet.* Et libro 1. de Legibus. *Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni cælo atque terra ratione diuinius? quæ cum adoleuit atque perfecta est, nominatur rite sapientia.* Et SENECA epistola 117. ad Lucilium. *Sapientia est mens perfecta: vel ad summum optimumque perducta.* Et libro ad Serenum, agens de Sapientia.

Sen. c. 6. *Ergo ita habe Serene, perfectum illum virum humanis diuinisque virtutibus plenum nihil perdere. Bona eius solidis & inexuperabilibus munimentis præcincta sunt. Non Babylonis illi muros contuleris, quos Alexander intrauit. Non Carthaginis, aut Numantiæ mœnia vna manu capta, non Capitolium, arcemuè.* Et paulo post.

Ib c. 8. *Sapiens vicinus, proximusque Dijs consistit excepta mortalitate similis Deo.*

CAPVT III.

De Sapientiæ proprietatibus.

PRIMA Proprietas est, quod Sapientia vera & Christiana sit donum Dei, vt sapientissimus ille mortalium Salomon non semel professus est, vt in Prouerbiis.

Prou. 2. 6. *Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia.* & in Ecclesiastico prima sententia est.

Eccli. 1. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo semper*, *& est ante æuum.* Et Deus *ipse creauit*

Ib. v. 8. *illam in Spiritu sancto, & præbuit illam diligentibus se.* Vnde B. Iacobus

Iac. 1. 5. Apostolus. Si quis *vestrum*, inquit, *indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Lactantius libro secundo.

L. d inst c. 3. *Verum scire*, ait, *diuina est sapientiæ, Homo autem per se ipsum ad hanc scientiam peruenire non potest, nisi doceatur à Deo.* Gregorius Nazianzenus oratione de pauperum amore.

P. c. 24. *Virtus sapientiæ à vera sapientia postulanda est.* Sanctus Prosper libro primo de Vocatione gentium. *Ieremias verò quod à Deo homini sit recta sapientia sic profatur.*

Ier. 10. *Scio Domine quia non sit in homine via eius, nec viri est, vt dirigat iter suum.*

II. Proprietas est, quod non sit nisi in hominibus iustis, vera fide, spe & charitate præditis.

Sap. 1. 4. *Quoniam in maleuolam animam* ait Sapiens, *non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Vnde rursus

ſus LACTANTIVS libro quarto. *Non poteſt nec religio à ſapientia ſeparari, nec ſapientia à religione ſecerni, quia idem Deus eſt qui intelligi debet, quod eſt ſapientiæ, & honorari, quod eſt religionis. Sed ſapientia præcedit, religio ſequitur: quia prius eſt, Deum ſcire: conſequens colere.* Sanctus Ambroſius libro 2. de Officiis cum dixiſſet de ſapientiæ pulchritudine. A.c.13. *Supereſt,* ait, *vt doceamus Scripturæ auctoritate nullum ei contubernium cum vitijs eſſe, ſed indiuiduam ceteris virtutibus coniunctionem. cuius ſpiritus eſt diſertus, ſine iniquinamento, certus, ſanctus, amans bonum, acutus, qui nihil vetet benefacere, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens.* Sanctus Auguſtinus libro 14. de ciuitate Dei. *Fecerunt* A.c.28. *ciuitates duas amores duo: terrenam ſc. amor ſui vſque ad contemptum Dei: cœleſtem verò amor Dei vſque ad contemptum ſui. Denique illa in ſe ipſa, hæc in Domino gloriatur: in illa ſapientes ſecundum hominem viuentes; in hac autem nulla eſt hominis ſapientia, niſi pietas, qua rectè colitur verus Deus.* Si quæras quo modo ſit colendus? reſpondet initio Enchiridii ad Id.c.3.&6. Laurentium, *fide, ſpe & charitate colendum.* Sanctus Bernardus in Cantica. B.ſer.63. Sap.7. *Si anima iuſti, ſedes eſt ſapientiæ, ſicut eſt, profecto is ſapiens, qui iuſtus.*

III. priori affinis, quod exſtet tantum in timentibus Deum. *Sapiens timet,* ait Salomon, *& declinat à malo.* Et Eccleſiaſticus, *Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum.* Et. *Da locum timori altiſſimi, quia omnis ſapientia timor Dei, & in illa timere Deum.* Et. *Conſummatio timoris Dei ſapientia & ſenſus.* Vnde S. Hieronymus in caput 4. Hieremiæ. *Illa eſt vera ſapientia, quæ Dei timore iungitur: alioquin vbi inſidiæ ſunt & tergiuerſatio, non ſapientia, ſed verſutia & calliditas appellanda eſt.* Gregorius Nazianzenus in Maximum. *Vnam hanc ſapientiam ſcio, quæ in Dei timore ſita eſt. Nam & principium ſapientiæ timor Domini, & finis ſermonis. Omnia audi, Deum time Hæc ſapientiſſimi illius Salomonis verba ſunt.* Prou.14.16. Eccli.1.20. Ib.19.18. Ib.21.13. Pſal.110.10. Eccli.vlt.13.

IV. eſt quod facile ſe cõmunicet aliis. *Sapientia* ſiquidem abſconſa ait Eccleſiaſticus, *& theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? Melior eſt, qui celat inſipientiam ſuam, quam homo, qui abſcondit Sapientiam ſuam.* Et iterum. *Ipſe palam faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ, & in lege teſtamenti Domini gloriabitur.* Neque huic contrarium eſt quod in Prouerb. *dicitur. Sapientes abſcondunt ſcientiã.* Et *Homo verſutus celat ſcientiam* Sapientes n. aliquando id quod ſciunt ſubticent, quia non expedit oĩa omnib. & omni tempore vulgare. Vnde Eccle. dicit, *Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus.* Et Prou. *Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur.* Exemplum huius proprietatis habemus in ipſo ſapientiſſimo Salomone q. de ſapientia agens, dixit. *Quam ſine fictione didici. & ſine inuidia communico & honeſtatem* Eccli.20.32. & 41.17. Ib.39.11. Prou. 10. 14. & 12.23. Eccli.20.7. Prou.17.18. Sap.7.13.

ſtatem illius non abſcondo. Eamque Ethnici etiam ſcriptores prodide-
runt. Philoſophorum enim princeps in primo Metaphyſico aſſerit
Ar. e 1. *Sapientis proprium eſſe alios docere.* Et Perſii dictum eſt. *Scire tuum nihil eſt,*
P. ſat. 1. *niſi te ſcire hoc ſciat alter.* Seneca ad Lucilium non dubitat affirmare *Sa-*
Sen ep 89. *pientiam eſſe humani generis pædagogum.* Plinius deplorat eos, qui eorum
Pl. litt. 25. c. 1. quæ norunt ſcientiam aliis inuident. Galenus verò & vnius ſe erudi-
G. Meth. endi cauſa ad dicendum, ſcribendumue paratum offert.

V. eſt, ne nimium ſibi ſapiat. Monet enim Sapiens. *Ne ſis ſapiens*
Prou. 3. 7. *apud temetipſum.* Et. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis ille ſpem*
Ib. 26. 12. *habebit inſipiens.* Exemplum habet in Apoſtolo eorum, qui *dicentes ſe*
Rom 1. 22. *eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Nonne ſtultam,* inquit idem, *fecit Deus ſa-*
1. Cor. 1. 21. *pientiam huius mundi?* S. Gregorius Nazienzenus in oratione de ſeipſo
habita perſtringens Arium. *Neque enim,* ait, *alios doctrina & ſapientia*
quicquam antecello, quantum quidem mihi conſcius ſum: niſi quis hoc ipſum
A in pſal. 126. *mihi ſapientiæ ducat, quod me ſapientem non eſſe, atque à vera & primaria ſa-*
pientia longè remotum eſſe ſcio. Et S. Auguſtinus *Nemo ſibi arroget aliquid.*
nemo habet aliquid boni, niſi ab illo acceperit, qui ſolus bonus eſt. Qui autem
voluerit ſibi arrogare ſapientiam, ſtultus eſt. Sit humilis vt inueniat ſapien-
tiam, & illuminet illud. Si autem antequam veniat in illum ſapientia, putat ſe
eſſe ſapientem ante lucem ſurgit, & ambulat in tenebris.

VI. vt aliena ſit à voluptatibus, & deliciis huius ſeculi. Iob enim
cum rogaſſet. *Sapientia vbi inuenitur?* reſpondet. *Neſcit homo pretium*
Iob. 28. 12. *eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium.* Hæ deliciæ pertinent ad
ſapientiam carnis, de qua Apoſtolus ita loquitur. *Qui ſecundum car-*
Rom. 8. 5. *nem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui verò ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt*
ſpiritus ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt, quoniam ſapientia carnis
inimica eſt Deo. Qui autem in carne ſunt Deo placere non poſſunt. Cur autem
Deo ſapientia carnis placere non poſſit, exponit in epiſtola ad Gala-
Gal 5 19. tas. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudi-*
citia, luxuria, veneficia, ebrietas, comeſſationes, & his ſimilia &c. Qui autem
ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Vnde
Eccli 24. S. Bernardus in ſermone de 7. donis Spiritus ſancti. *Operemur,* inquit,
in ſapientia quæ dicit. Qui operantur in me, non peccabunt. Ager enim eſt mun-
Matt. 13. 38. *dus, ait veritas. Fodiamus in eo, theſaurus abſconditus latet, effodiamus eum:*
ipſa eſt enim ſapientia, quæ trahitur de occultis. Omnes eam quærimus, omnes
concupiſcimus eam. Sed fruſtra quærit, qui in lectulo ſuo quærit: neque in ter-
ra ſuauiter viuentium inuenitur. Lectulus eſt, & ibi gigantem quæris. Tuus
Iſa. 21. 12. *eſt, & tibi ſperas inuenire, qui diuerſoria ſemper ignorat? ſi quæritis, inquit,*
Eccli. 18. 30. *quærite, conuertimini & venite. Quæris vnde à lectulo tuo. Quæris, vnde*
conuertaris? A voluntatibus, inquit tuis auertere.

VII. Vt

VII. Vt sit moderata, & circumspecta. *Dico per gratiam*, inquit Apostolus ad Romanos, *omnibus qui sunt inter vos. Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Et iterum. *Non alta sapientes sed humilibus consẽtientes,* Et paulò ante. *Noli altum sapere, sed time.* Cũ quo conuenit illud Salomonis. *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria.* Et Ecclesiastes. *Quid necesse est homini maiora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua? Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub Sole sit?* Hãc moderationem pulcrè exponit S. Bern. in Cantica exemplo scientiæ rerũ humanarum, dum explanat superiora verba Apost. *Non prohibet,* inquiens, *Apostolus sapere, sed plus sapere quam oportet. Quid autem sapere ad sobrietatem? Vigilantissimè obseruare, quid scire magis priusuè oporteat. Qui se, inquit, putat aliquid scire, nondum scit, quomodo oporteat eum scire. Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit. Quid ergo dicit modum sciendi? Quid nisi vt scias, quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? Quo ordine? vt id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? vt id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, vt sciãtur ipsi, & turpis vanitas est. Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt vt ædificent, & charitas est. Et item, qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est. Horum omnium soli vltimi duo, non inueniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt bene faciant.* Hæc ille.

Rom.12.3. Rom.11.20. Prou.25.27. Eccli.7.1. Bern.ser.36. Rom.12.3. 1.Cor.8.2.

VIII. vt sit fortis, quæ nec aduersis deiiciatur, nec extollatur prosperis. Nam teste Salomone, *Vir sapiens, fortis: & vir doctus robustus & validus.* Vnde S. Ambrosius de Iacob & vita beata. *Manet, inquit, semper inter aduersa & delectabilia perfecta virtus, neque aduersa de perfectione eius quicquam minuunt, neque delectabilia adiungunt perfectioni.* Et paulo post. *Perfecti est enim viri communitatem naturæ sustentare animi virtute, & ad meliora adducere, nec succumbere ijs quæ plerisque terribilia & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire, & quasi prouidum gubernatorem nauem in tempestate regere atque occurrendo insurgentibus fluctibus magis vitare naufragium sulcando vndas, quam declinando.* Senecæ Ethnici dictum est in cõsolatione ad Heluiam. *Nec secunda sapientem euehunt, nec aduersa demittunt.* Et. *Neminem aduersa fortuna comminuit, nisi quem secunda decepit.*

Prou.24.5. A.c.8. S.c.5

* * *

CAPVT IV.

De multiplici fructu sapientiæ.

SOLA Sacra scriptura, vt hactenus proprietates, ita fructus quoq; complures veræ Sapientiæ suppeditat.

1. In Salomonis Prouerbiis. *Custodiet*, inquit, *Sapientia Rectorum sa-*
Prou.2.7. *lutem, & proteget gradientes simpliciter, seruans semitas iustitiæ & vias san-*
ctorum custodiens. Tunc intelliges iustitiam, & iudicium, & æquitatem, &
omnem semitam bonam. Si intrauerit sapientia cor tuũ, consilium custodiet te,
& prudentia seruabit te, vt eruaris à via mala, & ab homine, qui peruersa lo-
quitur. Et rursus. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius, diuitiæ*
Ib.3.16. *& gloria eius viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ* Lignum *vitæ est*
his, qui apprehenderit eam, & q tenuerit eam, beatus. Et. *Arripe illam, & exalta-*
Ib.4.9. *bit te, glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmẽ-*
ta gratiarum, & corona integra proteget te. Et. *Lex sapientis, fons vitæ, vt de-*
Ib.13.14. *clinet à ruina mortis* Et. *Cum inueneris sapientiam, habebis in nouissimis spem,*
Ib.24.14. *& spes tua non peribit.*

2. in libro Ecclesiastæ. *Vtilior est sapientia cum diuitijs, & magis pro-*
Eccl 7.12. *dest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc*
plus habet eruditio & sapientia, quod vitam tribuũt possessori suo. Et rursum.
Sapientia confortauit sapientem super decem principes ciuitatis. Et. *Inuentus*
Ib 9.15. *est* (in ciuitate parua obsessa à rege magno) *vir pauper & sapiens, & libe-*
rauit vrbem per sapientiam suam. Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam
fortitudine. Verba sapientium audiuntur in silentio, plusquam clamor princi-
pis inter stultos. Melior est sapientia, quam arma bellica.

3. in lib. Sapientiæ, *Si delectamini*, ait, *sedibus & sceptris, ô reges populi, di-*
ligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis: diligite lumen sapientiæ omnes
Sap 6.22. *qui præestis populis. Multitudo autem sapientum sanitas est orbis terrarum, &*
Ib.7.11. *Rex sapiens stabilimentum populi est.* Et rursum. *Venerunt autem mihi omnia*
bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum
in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam, quoniam
horum omnium mater est. Infinitus enim thesaurus est hominibus quo qui vsi
sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Et iterum *Si diuitiæ appetuntur in*
Ib 8.5. *vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia, &c. Habeo per hanc im-*
mortalitatem, & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.
Disponam populos, & nationes mihi erunt subditæ. Timebunt me audientes re-
Sap.9.19. *ges horrendi, in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.* Et iterum. *Per*
sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi Domine à principio. Quod
pro-

probat deinceps multis exemplis, & primo ipsius protoplasti Adæ. *Hæc*, inquiens, *illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continẽdi omnia.* &c. Quibus exemplis adiungi potest exemplum Salomonis, qui cum à Deo tantum sapientiam, non opes & gloriam postulauisset, vt est in hist. sacra Regum, non solum Deo mirifice placuit, verum etiam beneficio sapientiæ ad summam huius vitæ felicitatẽ peruenit. Ib.10.1. 3.Reg 3.9.

4. in libro Ecclesiastici. *Sapientia*, inquit, *filijs suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes, & præibit in iustitia, & qui illum diligit, diligit vitam, & qui vigilauerint ad illam, complectentur placorem eius. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt, & quo introibit, benedicit Deus.* Et. *Inuestiga illã & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam; in nouissimis n. inuenies requiẽ in ea & cõuertetur tibi in oblectationẽ. Et erũt tibi cõpedes eius in protectionẽ fortitudinis & bases virtutis, & torques illius in stolã gloriæ: decor n. vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris.* Et. *Scientia sapientis tanquã inundatio abundabit, & consiliũ illius sicut fons vitæ permanet.* Et *Quã speciosa veteranis sapiẽtia, & gloriosis intellectus & consiliũ. Corona senũ multa peritia, & gloria illorũ timor Dei.* Et *Vir sapiẽs implebitur benedictionib., & videntes illũ laudabunt Sapiẽs in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit viuens in æternũ.* Et. *Collaudabũt multi sapientiã eius, & vsq; in seculũ non delebitur, Non recedet memoria eius, & nomẽ eius requiretur à generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enuntiabit Ecclesia.* Eccli.4.12. Eccli.6.28. Ib.21.16. Ib.25.7. Ib.37.27. Ib.39.12.

5. in Epistola S. Iacobi Apost. *Quæ desursum est sapientia*, inquit, *primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans sine simulatione.* Iac 3.17.

Patres quoq; nonullos alios fructus his adiungunt. Primus est Clemen. Alexan. in Pœdagogo, quod beneficio Sapientiæ expugnemus animi perturbationes *Medicina n. vt ait Democritus, medetur morbis corporis, sapientia auttem liberat animam à perturbationibus Bonus autem pædagogus, qui est sapentia: qui Verbum Patris, qui fabricatus est: cœlum vniuersi figmenti curam gerit, eiusque corpori & animæ medetur.* Ita S. August. cum disputat in nono de ciuitate Dei, an perturbationes in animum sapientis cadant, tandem ita loquitur. *Ita mens* (sapientis) *nullas perturbationes, etiamsi accidant inferioribus animi partibus, in se contra rationem præualere permittit, quinimo eis ipsa dominatur, eisque non consentiendo, sed potius resistendo regnum virtutis exercet. Talem etiam describit Virgilius Æneam, vbi ait Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes* Cl.lib.1.c.2. A.c.4. V.4.Æneid.

A.c.2. Gen.13,15. 2. est S. Ambrosii libro 2. de Abraham, Sapientis esse omnia. *Non otiose, inquit Scriptura posuit. Et dixit Deus ad Abraham. Omnem terram, quam tu vides tibi dabo eam. Hic tanquam à fonte hauserunt Stoici philosophi dogmatis sententiam, omnia sapientis esse. Oriens enim & occidens, septentrio & meridies portiones sunt vniuersitatis. His enim totus mundus includitur. Hæc cum promisit Deus daturum se Abrahæ, quid aliud declarat nisi sapienti & fideli præsto omnia, deesse nihil. Vnde & Salomon in Prouerbiis ait,* Prou 17. Iuxta 70. *eius qui fidelis sit totus mundus diuitiarum. Quanto prior Salomon, quam Zenon Stoicorum magister, aut auctor sectæ ipsius? Quis autem fidelis nisi sapiens? Stultus enim sicut luna mutatur, sapiens autem immobilis fide permanet. Sed forte dicas. Quomodo sapientis totus mundus? Quoniam ipsa natura dat illi sortem omnium, etiamsi ipse nihil possideat.*

A. lib. 1. ep. 4. 3. est eiusdem, epistola ad Simplicianum, quod hominem inducat ad agendam de peccatis pœnitentiam. *Nihil,* ait, *peccare, solius est Dei, emendare sapientis est, & corrigere erratum, & pœnitentiam gerere peccati. Id tamen est difficile in hac vita hominum. Quid enim tam rarum quam, vt inuenias virum qui seipsum coarguat, & factum condemnet suum? Rara itaq; confessio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi eius assertio; repugnat enim natura, repugnat verecundia.*

Id. lib. 5. ep. 7. 4. eiusdem ad eundem, quod hominem liberet ab omni iugo seruitutis, qua de re tota epistola copiose agit. Inter paradoxa quoq; Parad. 5. Stoicorum habes apud Ciceronem, *Sapientes omnes esse liberos.* Et Senecæ S. ep. 37. dictum est ad Lucilium. *Sapientia sola libertas est.*

CAPVT V.

De Medijs ad comparandam, seruandam & augendam Sapientiam opportunis.

PRIMVM Medium est. Magnum desiderium Sapientiæ. Nam Prou. 2. 3. Sapiens ait in Prouerbiis. *Fili mi, si inclinaueris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges* Sap. 6. 18. Ib. 8. 2. *timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.* Et in Sapientia. *Initium enim illius, verissima est disciplinæ concupiscentia* Et iterum. *Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator fa-* Eccli. 6. 27. *ctus sum formæ illius.* Et apud Ecclesiasticum. *In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserua vias eius.*

Psal. 110. 10. Prou. 7. 9. II. Medium. Timor Domini. nam psaltes regius ait. *Initium sapientiæ Timor Domini.* Quæ sententia sæpius alibi repetitur.

III. Hu-

III. Humilitas. *Vbi fuerit superbia*, ait Salomon, *ibi erit & contumelia. Vbi autem est humilitas, ibi & sapientia* Vnde S. Augustinus in psalmum 126. *Si volumus custodiri ab illo, qui humiliatus est propter nos, & exaltatus est ad custodiendos nos, humiles simus. Nemo sibi arroget aliquid, nemo habet aliquid boni, nisi ab illo acceperit, qui solus bonus est. Qui autem sibi voluerit arrogare sapientiam stultus est. Sit humilis vt inueniat sapientiam, & illuminet illum. Si autem antequam veniat in illum sapientia putat se esse sapientem, ante lucem surgit & ambulat in tenebris.* Et S. Gregorius libro 34. moralium. *Hoc proprium esse specimen electorũ solet quod de se semper sentiunt infra quam sunt. Hinc namq; ab eodem Dauid dicitur. Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. Hinc Salomon ad sapientiam paruulos vocat dicens. Si quis est paruulus, veniat ad eam. Qui enim necdum semetipsum despicit, humilem Dei sapientiam non apprehendit. Hinc in Euangelio Dominus dicit. Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

Eccli.1.16.25. Prou.11.2. 6.c.15. Psal.130.1. Prou.9.16. Matt.11.25.

IV. Audire libenter sapientiores, eorundemq; sciscitari consilia. Nam, vt est in Prouerbiis Salomonis. *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* Et *Beatus homo qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie.* Et. *Audi consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis.* Et in Ecclesiastico. *Fili, si attenderis mihi, disces, & si accommodaueris animum tuum sapiens eris. Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam, & si dilexeris audire sapiens eris.* Et. *Fili sine consilio nihil facias & post factum non pœnitebis.*

Prou.1.5. Pro.8.34. Pro.19.20. Eccli.6.33. Eccli.32.24.

V. Diligere monitores & reprehensores. *Argue sapientem*, inquit Salomon, *& diliget te. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia.* Et. *Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur.* Et. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.*

Prou.9.8. Pro.15.31. Ib.25.12.

VI. Vti consuetudine sapientum & bonorum. *In multitudine*, ait Ecclesiasticus, *prudentium presbyterorum sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire. Et si videris sensatum, euigila ad illum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.* Et. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbijs eorum conuersare, ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus. Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à patribus suis.* Et. *Cum sapientibus & prudentibus tracta.* Senecæ ad Lucilium simile monitum est. *Nulla res magis animos honesta induit, dubiosq; & in prauum inclinantes reuocat ad rectum, quam bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aspicique frequenter.*

Eccli.6.35. Eccli.8.9. Ib.9.21. S.ep.94.

Occursus mehercle ipse sapientium iuuat: & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias.

VII. non parcere labori ad acquirendam sapientiam. Sic enim
Eccl.1.17. loquitur post partam summam à Deo sapientiam Ecclesiastes. *Dedi cor meum, vt scirem prudentiam atq; doctrinam, erroresque & stultitiam, & agnoui, quod in his quoq; esset labor & afflictio spiritus, eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem.* Et in libro
Sap.6.15. Sapientiæ. *Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit, assidentem enim*
Eccli.39.1. *illam foribus suis inueniet.* Et in Ecclesiastico. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit. Occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur. In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim & mala in hominibus tentabit. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum.* Vnde S. Gregor. Nazianzen. in Apologetico primo pro fuga censet ingentis stultitiæ esse, cum omnes aliæ artes non nisi magnis laboribus sudoribusque ediscantur, arbitrari sapientiam quæ omnia regit, complexuque suo quicquid vsquam laudabile est, tenet, sola voluntate, nullo autem sudore comparari.

Eccli.38.25. VIII. Otium, maximè litterarium. Vnde Ecclesiasticus *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Videmus enim eos qui operibus seruilibus mechanicisq; sunt dediti parum idoneos esse ad capessendam eam sapientiam, qua alios erudire possint. Huic vacuitati vel otio quia plus dedita erat Maria Magdale-
Luc.10.42. na quam Martha, idcirco ei à Domino dictum est. *Maria optimam par-*
B.serm.85. *tem elegit, quæ non auferetur ab ea.* S Bernardus hunc Ecclesiastici locum tractans in Cantica *Sapientiam,* inquit, *scribe in otio, ait Sapiens. Ergo sapientiæ otia, negotia sunt, & quo otiosior sapientia, quo exercitatior in genere suo. E regione virtus exercitata clarior est, eoq; probatior, quo officiosior. Et si quis sapientiam virtutis amorem definierit, non à vero deuiare videbitur. vbi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et forte sapientia à sapore denominatur, quod virtuti accedens quoddam veluti condimentū sapidam reddat, quæ per se insulsa quodammodo & aspera sentiebatur.*

IX. Obseruatio mandatorum diuinorum, vel quod idem est, bo-
Eccli.1.33. na opera, vel bona vita. *Fili concupiscens sapientiam,* ait Sapiens, *conserua*
Ib.3.32. *iustitiam, & Deus præbebit illam tibi.* Et. *Sapiens cor & intelligibile abstinebit*
Ib.6.37. *se à peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit.* Et. *Cogitatum tuum habe*
Ib.43.37. *in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.* Et *Omnia autem Dominus fecit,*
G.orat.1. *piè agentibus dedit sapientiam.* Vnde S. Greg. Nazianzenus in Iulianum. *Fieri non potest, vt sapientiæ sint participes, qui vitam non sapienter instituerint.*

rint. Et S. Augustinus exponens verba illa Dauid is. *A mandatis tuis intellexi. Nescio,* inquit, *quid aliud se significat intellexisse à mădatis Dei, quam quantum mihi videtur faciendo mandata Dei peruenisse se dicit ad earum rerum intelligentiam, quas concupiuerat scire, propter quod scriptum est Concupisti sapientiam serua mandata & Dominus prabet illam tibi; ne quisquă praposterus antequam habeat humilitatem obedientia, velit ad altitudinem sapientia peruenire.* Non omisit hoc Medium Ethnicus Seneca ad Luciliŭ. *Prosunt,* ait, *inter se boni: exercent enim virtutes, & sapientiă in suo statu continent. Peritos luctandi vsus exercet. Opus est & sapienti agitatione virtutum.* A. in psal. 118. Eccli 1. 33. S. ep. 109.

X. Medium est, oratio, vel diuinæ opis imploratio, cuius exemplum nobis præbuit Salomon, qui donum sapientiæ maximum beneficio huius medii à Deo impetrauit. Vnde in Sapientiæ libro ait. *Propter hoc optaui & datus est mihi sensus; & inuocaui, & venit in me spiritus sapientia, & praposui illam regnis.* Et Ecclesiasticus. *Sapiens* ait, *aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentia replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientia sua, & in oratione confitebitur Domino.* Formulam autem orandi pro Sapientiæ dono habes Sapientiæ nono. 3 Reg 3. Sap. 7. 7. Eccli. 39. 7.

XI. MEDIVM est stultescere, quod proponere non dubitauit Apostolus in priore epistola ad Corinthios. *Nemo,* ait, *se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.* Vnde & paulo post se in numero stultorum, cum sui similibus, ponit. *Nos,* inquiens, *stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: vos nobiles, nos autem ignobiles.* In quo autem stultitia illa consistat, non reticuit; consistit nimirum in amore & prædicatione Christi crucifixi, quam gentilium sapientes arbitrabantur stultam. *Nos pradicamus Christum crucifixum, Iudais quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudais atq; gracis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Hinc Tertullianus contra Marcionem, *Quid,* inquit, *indignius Deo, quid magis erubescendum, nasci ac mori? carnem gestare, an crucem? circumcidi, an suffigi? educari, an sepeliri? Sapientior eris, si nec ista credideris. Sed non eris sapiens, nisi stultus seculo fueris, Dei stulta credendo.* 1. Cor. 3. 18. 1. Cor. 4. 10. 1. Cor. 1. 23. T. lib. de carne Christi.

VIDE V. *Abnegatio sui. Charitas in Deum & proximum. Cognitio sui & Dei. Contemplatio. Deuotio. Familiaritas cum Deo. Fides. Gratiarum actio Deo debita. Laudatio Dei.*

SATIS



SATISFACTIO.

CAPVT I.

Quid & quotuplex sit Satisfactio, quæq; opera satisfactoria.



tom.3.c.54. AVCTOR Libri de Ecclesiasticis dogmatibus in S. Augustino in hunc modum definit. *Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus indulgere.* Verum hæc non est propriè dicta definitio, vt nomen ipsum declarat: etiamsi enim salutare sit peccatorum causas, post conuersionem à peccatis & vita peruersa, excidere, nec suggestionibus deinceps mundi, carnis & diaboli indulgere, tamen veræ satisfacit aliquis pro peccatis, si operibus satisfactoriis, pœnam pro iis debitam compenset, etiamsi peccatorum causas non mox excidat.
Ib.c.53. Vnde idem ibidem ita scribit. *Quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cetero voluntatem & communicaturus satisfaciat, lacrymis & orationibus.* Et rursus. *Secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus, sed mutato prius seculari habitu, & confesso religionis studio, per vitæ correctionem, & iugi immò perpetuo luctu.* Luctu autem, lacrymis & orationibus propriè Deo satisfacimus. Rectius ergo definiemus secundum doctrinam in Synodo Tridentina Oecumenica traditam
C. Trid. sess.14. cap.9. his verbis. *Satisfactio est actio, vel punitio criminum à nobis commissorum, vel sponte suscepta, vel sacerdotis arbitrio pro grauitate delicti imposita.*

QVONIAM autem Deo, quem peccatis offendimus satisfaciendum est, necessariò duplex constituenda est Satisfactio. Perfecta & imperfecta. Perfecta est, quæ fit ad absolutam & perfectā æqualitatē, vt cum actio contumeliosa inter duos homines æquales recompensatur per aliam contrariam tantum habentem honoris, quantum alia habuerat contumeliæ. Imperfecta verò est, quæ fit ad æqualitatem imperfectam, vt cum quis qui pertulit iacturam decem millium aureorum, satisfieri patitur sibi cessione omnium bonorum, licet ea bona ad summam tot millium non perueniant. Deo igitur à nobis in hac vita nunquam pro peccatis in eum admissis, & iniuria illi irrogata ex æquo

æquo poteſt fieri ſatisfactio, niſi interueniente gratia, ac proinde nec perfecta, tum quia offenſa eſt infinita, nempe contra Deum infinitæ dignitatis, tum quia quicquid rependimus Deo, eſt Dei, & à Deo accepimus: quod & Ethnici Philoſophi intellexerunt, docentes nunquam Deo poſſe paria reddi. Poteſt autem fieri ſatisfactio imperfecta. Deus enim pro immenſa ſua pietate in nos voluit, & in Verbo ſuo declarauit, ſi contingat nos poſt baptiſmum ſemel ſuſceptum in peccata relabi, pœnitentiam non ſolum agere, ſed etiam fructus dignos pœnitentiæ edere, ad expianda per contritionem & confeſſionem peccata quoad culpam, per ſatisfactionem verò pœnalem, quoad pœnam, quæ remanet ſæpe poſt expiatam culpam, vt poſtea probabitur.

OPERA autem Satisfactoria, quibus pro reatu pœnæ expiando ſatisfacere debemus Deo, à Theologis & à Con. Trident. Patribus numerantur tria. Oratio, ieiunium & eleemoſyna, ad hæc enim omnia alia reuocari poſſunt. Nam tria ſunt genera, bonorum quæ Deo dari à nobis queunt. Prima ſunt animi, quæ damus per Orationem. 2. corporis, quæ per Ieiunium. 3. externa, quæ per eleemoſynam. Deinde omnia vitia reuocari poſſunt ad tria, quæ S. Ioannes in priore epiſtola recenſuit; concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum & ſuperbiam vitæ. Ieiunium ſiquidem coercet concupiſcentiam carnis; eleemoſyna concupiſcentiam oculorum, id eſt, auaritiam: oratio ſuperbiam vitæ. Ad ieiunium autem reuocantur omnia quæ carnem affligunt, vt cilicia, cineres, flagellatio, humicubatio. Ad Eleemoſynam omnia opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia. Ad orationem omnes religionis actiones, vt laudes, gratiarum actiones, dolor de peccatis, confeſſio, & profeſſio fidei, quatenus ſunt opera laborioſa & pœnalia. Vnde docent Theologi etiamſi per contritionem proprie remittatur culpa, tamen qua pænalis eſt ſemper etiam aliquid pœnæ temporalis remitti, & aliquando, ſi magna & vehemens ſit, remitti totam.

C. Trid. ſeſſ. 14. can. 13.

1. Ioa. 2.

CAPVT II.

De neceſſitate & vtilitate Satisfactionis.

SATISFACTIONIS neceſſitatem Spiritusſanctus in diuinis literis oſtendit, cum ita clamat in prophetis. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu & planctu.* Et. *Conuertimini & agite pœniten-*

Ioel. 2. 12.

nitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Deinde, vbi iubet nos *facere iudicium & iustitiam*, vt Isaiæ 56 Ezechiel 18. Ierem 12. Eiusmodi satisfactionem, quia Dauid & Niniuitæ, in ieiunio, sacco & cinere, peregerant, ideo approbati fuisse à
2. Reg 12. Deo leguntur. Ad eandem peccatores hortatus est S. Ioan. Baptista
Psal 34. & 58. dicens apud Lucam *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* sic enim exponit
Ion 3. Luc. 3. 8. S. Greg in Euangelia. *Aliud*, inquiens, *est fructum facere pœnitentiæ, aliud*
Greg. hom. 20. *dignum fructum facere Vt enim de dignis pœnitentiæ fructibus loquamur, sciendum est, quod quisquis illicita non commisit, huic iure conceditur vt licitis vtatur sicq; opera pietatis faciat, vt tamen si voluerit ea quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortassis quod grauius est in adulterium lapsus est, tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit illicita*
Ch. hom. 10. *perpetrasse.* Et Chrysost. in Matth. *Facite*, ait, *fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus? si vtiq; peccatis aduersa faciamus. Verbi gratia, aliena rapuisti? incipe donare iam propria, &c. Delitiis antea & temulentia diffluebas? ieiunio & aquæ potu vtrumq; compensa.*

PATRES quoq; prisci hanc necessitatem perspicuè expresserunt, vt Tertullianus libro de Pœnitentia, *Offendisti*, inquit, *sed reconci-*
Orig. hom. 3. *liari adhuc potes: habes cui satisfacias & quidem volentem.* Origenes in librum Iudicum. *Non in perpetuum tradit delinquentes Dominus, sed quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto nihilominus tempore humiliate Deo, & satisfacito ei confessione pœnitentiæ.* S Cyprianus in sermone de lapsis. *Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus Orare oportet impensius, & rogare diem luctu transigere, vigiliis ac fletibus noctes ducere, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari.* S. Ambrosius ad Virginem lapsam *Grandi plagæ alta & prolixa opus est me-*
A. c. 8. *dicina: grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.* S. August.
A. hom. 15. in homiliis 50. *Non sufficit mores in melius commutare & à factis malis recedere, nisi etiam de iis quæ facta sunt satisfiat Deo, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium cooperantibus eleemosynis* S. Chrysostomus in homilia 41. ad populum. *A nobis vltionem sumamus ita placabimus iudicem.* S. Hieronymus in cap 1. Ioelis. *Qui peccator est, & quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus, & cubet vel dormiat in sacco, vt præteritas delitias, per quas offenderat Deum, vitæ austeritate compenset.*

S. c. 13. SEVERVS Sulpitius libro 2. Dialogorum de miraculis S. Mar-

Martini. *Fornicatio deputatur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur.* Theodoretus in epitome diuinorum decretorum. *Sunt medicabilia etiam quæ post baptismum fiunt vulnera. medicabilia autem, non vt olim per solam fidem data remissione, sed per multas lachrymas, & fletus & luctus, & ieiunium, & orationem & laborem facti peccati contemperatum.* S. Gregorius libro 6 in 1. Regum. *Non solum,* ait, *confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda: quia postquam à delinquentis voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt.* B. Isidorus libro 2. de summo bono. *Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit.* Th. c. de Pœnit. G. c. 15. If. c. 13.

RATIO quoque triplex huic doctrinæ suffragatur. 1 quia cum Christus Dominus passus sit pro peccatis nostris, iustum est vt nos quoq; aliquid pro iisdem patiamur. Vnde S. Petrus. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Et Paulus spondet nos cohæredes fore Christi, *si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Vnde S. Gregorius in caput nonum libri 1. Regum. *Non omnia nostra Christus expleuit. Per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, vt qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profecto residuum viderat, qui dicebat, Si compatimur, & conregnabimus: quasi dicat, quod expleuit Christus, non valet, nisi ei, qui id quod remansit, adimplet.* Hinc Paulus ait, *Adimpleo ea quæ desunt passioni Christi in corpore meo.* 2. RATIO est, quia Deus non solum misericors, sed & iustus est. Vnde dicebat regius psaltes. *Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.* Et. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi.* Et S. Basilius in regulis breuioribus. *Deus pro remissione peccatorum nostrorum demisso vnigenito filio suo, quantum in ipso est, ea ante iam omnibus condonauit. Quoniam autem misericordiam & iudicium sanctus vir canit, & testatur Deum misericordem esse & iustum, necesse est, vt quæ & à prophetis, & ab Apostolis suis locis de pœnitentia dicta sunt, ea à nobis præstentur, vt appareant iudicia iustitiæ Dei, & misericordia eius consummetur ad condonationem peccatorum.* 3. RATIO est, quia ἀξίωμα S. Patrum est. Nullum peccatum relinqui impunitum: itaque si homo illud non puniat in hac vita, puniendum à Deo est in altera, qua de re plura in Panario, at *horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Vnde S. AVGVSTINVS ad Macedonium. *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi vt id quod mali fecerit impunitum esse non sinat: eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor euadit.* Et S. GREGORIVS libro 4. Moralium *Nullum* 1. Pet. 2. Rom. 8. 17. Col. 1. 24. Ps. 102. 6. Ps. 84. 11. B. q. 12. Pan. V. Peccatum. Heb. 10. 31. Aug. ep. 54. G. c. 11.

peccatum Dominus multum relaxat, aut enim nos hoc flendo insequimur, aut ipse iudicando reseruat.

CAPVT II.

De varijs proprietatibus satisfactionis.

PRIMA Proprietas est, quod naturæ sit consentanea. Natura enim docet noxæ omni, maximè si grauis sit, deberi pœnam, & idcirco omnes Respublicæ, siue fidelium siue infidelium, grauiores quasq; noxas castigare solent. Nec vllus est Paterfamilias, nullus bonus ludimagister, nullus superior, qui non delicta subditorum pœnis coerceat. *Quis filius*, inquit Apostolus, *quem non corripit pater?* Et exempla castigatorum pro criminibus exstant apud Homerum de Oreste, Peleo, Antilocho, Adrasto & similibus.

Heb.12.7.

II. Proprietas est, quod vt salutaris sit, debeat fieri ab homine iusto & in Dei gratia constituto. Ratio est, quia homo peccato mortali obnoxius, cum sit inimicus Dei & æterni exitii reus, non potest satisfacere pro culpa mortali, & Deum ex inimico amicum reddere. Vnde consequitur non valere satisfactionem ad expiandam pœnam temporalem.

III. est, quod Satisfactionis necessitas idcirco incumbat etiã iustis & in gratia Dei constitutis, quod non semper cum dolentes de suis peccatis restituuntur gratiæ Dei & liberantur omni culpa ac reatu pœnæ æternæ, simul liberentur omni debita pœnæ temporalis: licet possit aliquando tanta esse eorum contritio, vt omnis etiam pœna expietur, quemadmodum docent Theologi, ac deinde non indigeant satisfactione. Habemus huius doctrinæ exemplũ duplex in rege Dauide, nam in primo Regum eum post impetratam veniam adulterii & homicidii, punitum morte filii, legimus; item post remissam noxam numerati populi ei optionem à Deo datam, vt in pœnam sui lapsus eligat bellum, famem vel pestem. Deinde in populo Israhelitico; nam, vt est in Numeris, cum murmurasset aduersus Deum, & Mosis interuentu Deo esset reconciliatus, tamen in pœnam criminis omnes exclusi sunt, excepto Caleb & Iosua, qui non murmurarant, ingressu terræ promissionis. Deinde B. Paulus in priore epistola ad Corinthios scribit multos indigne communicantes corpori Domini morte punitos. *Ideo*, inquiens, *inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi:* quo ante mortem Deo reconciliatos fuisse idem Apostolus non tacuit:

2.Reg.12. 2.Reg.24. Num.14. 1.Cor.11.30.

nam

nam addit. *A domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Quod autem nos per Christum satisfacere valeamus patienti toleratione flagellorum à Deo immissorum tradunt Concilii Tridentini Patres sessione 14. de Pœnitentiæ Sacramento. Trid c. 9.

IV. est, quod homo propriè satisfaciat Deo operibus laboriosis, vel sponte susceptis, vel etiam à sacerdote iniunctis. De sponte susceptis complura exstant exempla in Scripturis, vt S. Iob ita loquentis *Insipienter locutus sum, idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiã in fauilla & cinere.* Et Regis Achab, qui vt est in tertio Regum sponte sua cilicium ad carnem induit, & dormiuit in sacco, de quo Dominus ad Eliam. *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Adhæc Niniuitarum; nonne n. Rex sponte surrexit de solio, indutus est sacco, & ieiunium toti populo indixit? Vnde Apostolus ad Corinthios. *Si nosipsos diiudicaremus,* hoc est, puniremus, *non vtique iudicaremur,* nempe à Domino. Sic n. exponit Chrysost. *Audi,* inquit, *Paulum dicentem; si nosipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Et quonam modo, dices, rationes à meipso viuendi, & supplicia accipiam? largos effunde lacrymarum imbres, laboribus ac vigilijs te ipsum afflige.* De INIVNCTIS verò habeo testimonium B. GREGORII libro 3. in 1. Regum. *Afflictio,* inquit, *pœnitentiæ ad delenda peccata idonea est, cum sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.* In Conciliis quoq; multi extãt canones pœnitentiales. Hæc autem potestas sacerdotibus omnibus collata est, in S. Petro & Apostolis, quibus dictum est, quorumcunque soluerent vel ligarent peccata in terris, ea quoq; solutum vel ligatum iri in cœlis. Ligant enim peccata, cum ad illa expianda, quoad pœnã temporalẽ iniungunt pœnitentibus aliqua opera laboriosa & satisfactoria, vt exposuit Synodus Tridentina sessione 14. can. 15.

Iob. vlt. 6.
3. Reg. 21.
Ion. 3. 6.
G. in c. 7.

V. Proprietas, Satisfactio plena & integra, hoc est, quæ tollat omnem pœnam temporalem, debet exæquari grauitati delicti, iuxta illud Deuteronomii. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Vnde S. Cyprianus. *Deus quantum patris pietate indulgens est, tantum iudicis maiestate metuendus est: Alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit: orare oportet impensius, diem luctu transire, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis occupare lamentationibus.* S. Basilius in verba Attende tibi. *Attende* inquit, *tibi, vt pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & graue peccatum? multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiuulso & con-*

A.c.6. *tinenti* ieiunio. S. Ambrosius ad virginem lapsam. *Lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula digna castigatione punienda, Amputentur crines, qui per vanã gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lacrymas, qui masculum simpliciter non aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Sic conuersus magnus ille Dauid iustificatus est, sic Niniue peccatrix illa ciuitas incũbentẽ sibi euasit interitum. Peccator ergo si sibipsi nõ pepercit à Deo* C. post. princip. *illi parcitur.* S. Chrys. lib. 2. de Sacerdotio. *Non temere*, ait, *ad delictorũ modum oportet & mulctam ipsam adhibere: sed tanquam ex coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus* Quæres, an quilibet peccator teneatur plenam satisfactionem in hac vita subire, & sacerdos in confessione teneatur iniungere. Respondeo peccatorem non teneri nisi ad aliquam satisfactionem vel sponte faciendam, vel explendam, quæ à sacerdote iniungitur, quæ si non sufficit ad totam pœnam temporalem expiandam, expianda erit in Purgatorio, vt B. Petrus Damianus scribit in 2. sermone de S. Andrea. Sacerdos item non tenetur plenam satif. cuique imponere, sed tamen aliquam grauiorem grauius lapsis.

VI. Proprietas. Leuiora & quotidiana peccata leuiori satisfactione possunt expiari, vt oratione Dominica, tunsione pectoris, gemitu, ardenti amoris actu, pia aspersione aquæ benedictæ & similibus. Vnde A.c.7a S. August. in Enchiridio. *De quotidianis autem breuibus, leuibusq; peccatis, sine quib. hæc vita non ducitur quotidiana oratio fidelium satisfacit.*

VII. Proprietas, satisfactio à sacerdote iniuncta ordinarie sequitur contritionem & confessionem: Conuenit enim quo ordine Deum offendimus, nempe corde, ore ac opere, eodem Deo reconciliemur, corde quidem per contritionem, ore per confessionem, ac opere per satisfactionem. Vnde Chry. ser. de Pœnitentia. *Perfecta pœnitentia cogit peccatorẽ omnia libenter ferre: in corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas.* Dixi, *ordinariè* q̃a in veteri Ecclesia nemo ad absolutionẽ admittebatur, nisi post dignam satisfactionem ante peractã, sic enim In.c.5. scribit S. Inno. 1. Papa, ep. prima. *De pondere delictorũ æstimando Sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis & ad fletus atq; lacrymas corrigentis, ac tum debere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* Id tamen non erat ita necessarium, quin etiam contrarium aliquando C. Ni. can. 12. Carth. 4. c. 76. Mog. can. 29. fieret. nam multis in Conciliis decretum est, vt existentibus in articulo mortis, non negetur absolutio vel communio, licet satisfactionem non perfecerint, modo admoneantur, vt eam perficiant, si reualuerint.

CAP.

CAPVT IV.

De multiplici fructu satisfactionis.

PRIMVS fructus est, quod ea imprimis placemus Deum, & iram impendentem auertamus, vti innumera ostendũt exempla in solis scripturis eorum, qui pœnitentia acta, in cilicio, cinere, ieiunio, precibus & lacrymis diuinum numen sibi reconciliarunt, vt rex Da- 1. Par c. 21.
uid cum suis in primo paralipomenon. Achab in tertio Regum. Ni- 3. Reg. 21.
niuitæ apud Ionam. Iudith cum filiis Israhel in historia Iudith. Idem a- Ion 3. Iud. 4 7. 8.
pud Iere miam & Ezechielem. Matathias cum filiis in Machabæorũ Ierem. 4. 25.
libris. Vnde S. Cyp. de lapsis. *Dominus*, inquit, *orandus est, Dominus nostra* Ezech 7.
satisfactione placandus est. S. Aug ad Maced. *Quosdã à societate remouemus* 1. Mach. 23. A. ep 54.
altaris, vt pœnitendo placare possint, quem peccando contemserant. S. Grego- G. lib 3. c. 4.
rius in primum regum. *Niniuitæ dum veluti pro difficili reconciliatione graui pœnitentia se deyciunt, omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt.*

II. Fructus quod redimat nos à pœnis temporalibus, tum huius vitæ, vt liquet ex exẽplis iam iam allatis, tam vitæ futuræ in Purgatorio luendis. Ita enim Tertul lib. de Pœnitentia loquitur, de satisfactione. *Hoc n. pretio Dominus veniam addicere instituit: has pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* Et S. Cyp. ep. 2. li. 4. *Aliud est pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata oĩa purgasse.* S. Hil. in Matthæum. *Quia charitas plurimum peccatorum* H. can. 4.
tegit, & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est, nouissimum pœnæ quadrantem soluemus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimamur. Eo autẽ plures redimimꝰ pœnas debitas, quo maior est satisfactio. *In quantum,* ait S. Pacianus in parænesi ad pœnitentiam extrema, *pœnæ vestræ non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet.*

III. quia dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, (qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est)
conformes efficimur, certissimam quoq; inde arrham habentes, quod Rom. 8. 17.
Si compatimur & conglorificabimur. Ita C. Trid. Patres sessione 14 de Sa- Trid c. 8.
cramento Pœnitentiæ. Eadẽ quoq; ratione testamur nos Christi crucem libẽter amplecti, abnegare nos ipsos, mortificare corpora nostra quæ sunt super terrã, veteris hõinis odio permotos ad perfectiora conniti, quo pertinẽt oẽs Christi Dom. & Apost. Pau adhortationes. Luc. 9. Matt. 16.

IV, quia timor satisfactionis cum labore peragendæ, deterret nos à peccando. Vnde Greg. Nazian. in funere patris sui. *Deus*, inquit, *vltio*- G. orat. 14.
num est Dominus, qui licet ob clementiam à seruitute ad remissionem inclinare consueuerit, non tamen in omnibus parcit peccatoribus, ne illi bonitate sua fiant deteriores.

V. ad-

V. admonet, quanta sit peccati grauitas, & eo modo animam erudit & illustrat; ex eo vero lumine ingens odium aduersus peccatum nascitur, vt iam non timore, pœnæ sed amore iustitiæ, & odio peccati in bonis actionibus perseueretur. Conducitque quoque ad habitus vitiorum eradicandos, & virtutum inserendos. Ita patres citati Concilii.

Ios. 7. VI. quia sæpe ob peccatum vnius non punitum, vt oportebat in totum populum Dei furor accenditur, cuius rei testis est Iosue, qui scribit populum Israhel coram hostibus tamdiu terga vertisse, donec peccatum Achan detectum & punitum non fuit. Accedit, quod ex vnius pœna sæpe corriguntur multi.

2. Cor. 7. 7. VII. quia sæpe peccatores sua satisfactione promptè suscepta magnum gaudium afferunt Ecclesiæ, sicut attulit Apostolo satisfactio fornicarii in 2 epistola ad Corinthios. Vnde S. Cyprianus sermone de lapsis, *Is qui Deo pro peccatis suis satisfacere, vt par est, laborat, non solum veniam apud Deum impetrat, sed etiam, quam contristauerat nuper lætam facit Ecclesiam.*

De Mediis nihil opus est scribere, cum sufficiant ea quæ titulo Pœnitentiæ, Operũ bonorum, ieiunii, & alibi cõmemorata sunt.

Vide. V *Castitas. Ieiunium. Martyrium. Oratio. Pœnitentia. Profectus spiritualis. Virtus.* Et in Panario *Immortificatio passionum.*

SEPVLTVRA defunctorum,

Capvt I.

Quid diuinæ litteræ de sepultura tradant?

Divinae Litteræ iubent corpora fidelium vita defunctorum terræ mandari vel sepeliri. Ecclesiastici verba sunt. *Mortuo*
Eccli. 7. 37. *non prohibeas gratiam*, hoc est beneficium sepulturæ, & alia similia. Et rursum. *Secundum iudicium* (ius quod ei debetur)
Eccli. 38. 16. *contege corpus illius* (mortui,) *& non despicias sepulturam illius*, Alii verterunt. *iuxta morem funebrem contege.* Sic Iacob patriarcha in
Genes. 49. 29. Genesi præcepit filiis congregatis, vt se sepeliant cum Patrib. suis. Et
Deut. 21. 23. in Deuteronomio lex talis lata est de suspenso in patibulo. *Non perma-*
Tob. 4. 3. *nebit cadauer eius in ligno, sed eadem die sepelietur.* Tobias quoque ad

filium. *Cum acceperit Deus animam meam corpus meum ſepeli, & honorem habeas matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Cum autem & ipſa compleuerit tempus vitæ ſuæ ſepelias eam circa me.* Tob.4.3.

DEINDE eædem varia commemorant exempla honorificè tumulatorum, vt Saræ vxoris in ſpelunca duplici agri à filiis Heth, de quo in Geneſi, ab Abraham coempti. Deinde Abrahæ, Iſaac, Rebeccæ & Liæ in eadem. Iacob item, cuius corpus à Ioſeph & fratribus eius magno comitatu Ægyptiorum ex Ægypto honorificè in terram Chanaan delatum eſt, vt ibi humaretur. Sic, vt habet Regum hiſtoria, Samuel, Saul & Ionathas, propheta à leone occiſus, rex Ioſias & alii honorificè ſepulti leguntur. Sic Tobias officium ſepulturæ ſæpius corporib. fidelium à tyranno trucidatorum benigne exhibuit. Legimus & apud Matthæum Ioanne Baptiſta ab Herode occiſo diſcipulos eius corpus eius tuliſſe & ſepeliiſſe. Ioſeph quoque Arimathæum corpus Chriſti à Pilato petiiſſe, & in monimento ſuo nouo, quod exciderat in petra, condidiſſe. Gen.23.19. Gen.25.& 49. Gen.50.1. 1.Regum.25.1. Ib.31.11. 3.Reg.13.30. 2.Par.35.25. Tob.1.20. Tob.2.4. Matt.14.12. Matt.27.57.

DENIQVE & collaudant hoc opus velut pium & meritorium. Nam, vt eſt in altero libro Regum, cum viri Iabes Galaad ſepeliſſent corpus Saulis occiſi, per nuncios rex Dauid in hæc verba eos allocutꝰ eſt. *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam & veritatem, ſed & ego reddam gratiam, eo quod feciſtis verbum iſtud.* Angelus quoque Raphael laudauit eam ob rem Tobiam. *Quando*, inquiens, *orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Et Chriſtus Dominus Mariam Magdalenam, cum in Bethania effudit *alabaſtrum vnguenti pretioſi ſuper ca ut ipſius recumbentis. Mittens enim hæc* inquit, *vnguentum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit.* Immò addit *toto mundo prædicandum, quod hæc fecerit in memoriam eius.* Dices, ſi res tanta laude digna eſt, ſepelire mortuos, cur Chriſtus alibi cuidam non permiſerit ſepelire patrem ſuum, ſed dixerit, *dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Reſpondeo Chriſtum rem maximè mirabilem hoc reſponſo indicaſſe, nempe cum ab eo vocamur, ne vnius quidẽ diei aut horæ moram etiã pietatis erga parentes præſtandæ cauſa interponendam, quo minus è veſtigio vocantem ſequamur. Nullam maiorem eſſe poſſe pietatem, quam ipſum ſequi, cum ne patrem quidem niſi propter ipſum ſepelire debeamus. *Dimitte autem mortuos*, id eſt, vel infideles, vt exponit Chryſoſtomus in Matthæum, vel peccatores, vt Auguſtinus de ciuitate Dei, qui non de Chriſto, ſed de huius mundi rebus cogitant. *Sepe-* 2.Reg.2.5. Tob.12.12. Matt.26.13. Matt.8.22. Maldonatus in Matth. C.hom.28. A.20.c.6.

Gen 23.4. *lire mortuos*, hoc est, verè vita defunctos, *suos*, id est suum quemque, patrem, filium, vxorem, vt loquitur Abraham in Genesi *Date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum.*

CAPVT II.

Quid prisci Patres pro sepultura scripserint.

L c 12. LACTANTIVS Firmianus sexto institutionum libro. *Vltimum*, inquit *illud & maximum pietatis officium est peregrinorum & pauperum sepultura, quod illi virtutis iustitiaque doctores* (Ethnici) *prorsus non attigerunt. Nec enim poterant id videre, qui vtilitate omnia officia metiebantur.* Et paulo post. *Non quærimus nunc, vtrumne tota sepeliendi ratio sit vtilis, nec ne? Sed hæc etiamsi sit inanis (vt illi existimant) tamen facienda est, vel ob hoc solum, quod apud homines bene & humanè fieri videtur, Animus enim quæritur, & propositum ponderatur. Non enim patiemur figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam iacere, sed reddamus id terræ, vnde ortum est, & quamuis in homine ignoto necessariorum munus implebimus, in quorum locum, quia desunt, succedat humanitas, & vbicunque homo desiderabitur ibi exigi officium nostrum putabimus.* Prudentii versus sunt hymno 10.

Sancti sator ille Tobiæ
Sacer ac venerabilis heros
Dapibus iam rite paratis.
Ius prætulit exequiarum.
Iam stantibus ille ministris,
Scyphos et fercula liquit,
Studioque accinctus humandi
Fletu dedit ossa sepulchro.

S. GREGORIVS Nazianzenus in laudem Heronis scribens, de Heliodoro presbytero in mari vna cum naui cremato. *Nec verò*, inquit, *tantum apud barbaros homines sacerdotii dignitas impetrare quiuit, vt minus inhonesto saltem mortis genere interiret, aut si hoc nimium*
Am c.1. *erat, at certè sepultura, quæ non impiis quidem & facinorosis hominibus nega-*

negari debet, conderetur. Sanctus AMBROSIVS libro de Tobia Tobias, inquit, *vir iustus, misericors, hospitalis dum conuiua accersitur, nunciatis insepulti corporis reliquijs, deserebat, nec putabat pium, vt ipse cibum sumeret, cum in publico corpus iaceret examine. Hoc est quotidianum opus & magnum quidem. Nam si viuentes operire nudos lex præcipit, quanto magis debemus operire defunctos? Si viantes ad longiora deducere solemus, quanto magis in illam æternam domum profectos, vnde iam non reuertentur? Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi iam non possit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestijs consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, homines denegabunt?* Sanctus HIERONYMVS in vita Pauli eremitæ primi, de feris narrat. Cum enim Sancto Antonio sarculum deesset quo sepulcrum effoderet pro Sancti Pauli corpore humando. *Ecce,* inquit, *duo leones ex interioris eremi parte currentes volantibus per colla iubis ferebantur, quibus aspectis primo exhorruit, rursusque ad Deum referens mentem, quasi columbas videret mansit intrepidus. Et illi quidem directo cursu ad cadauer beati senis substiterunt, adulantibusque caudis circa eius pedes accubuere, fremitu ingenti rugientes, prorsus vt intelligeret eos plangere quo modo poterant: deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere, arenamque certatim egerentes vnius hominis capacem locum foderunt, ac statim quasi mercedem pro opere postulantes cum motu aurium ceruice deiecta ad Antonium perrexerant, manus eius pedesque lingentes: at ille animaduertit benedictionem eos à se precari. Nec mora in laudationem Christi effusus, quod muta quoque animalia Deum esse sentirent, ait. Domine, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec vnus passerum ad terram cadit, da illis, sicut tu scis. Et manu annuens eis vt abirent, imperauit, cumque illi recessissent, sancti corporis oneri seniles curuauit humeros, & deposito eo in fossam, desuper humum congregans, tumulum ex more composuit.* A.c.13. Sanctus AVGVSTINVS libro 1. de ciuitate Dei. *Nec ideo tamen,* inquit, *contemnenda sit abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque iustorum & fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est spiritus. enim si paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vbique multo familiarius atque coniunctius, quam quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, exequiæ celebratæ & sepultura prouisa: ipsique dum viuerent, de sepeliendis, vel etiam trans-*

Tob.12. *transferendis suis corporibus filijs mandauerũt. Et Tobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Ipse quoq; Dominus die tertio*
Matt 26. *resurrecturus religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumq; commendat, quod vnguentum pretiosum super membra eius effuderit, atq; hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum diligenter atq; honorificè tegendum sepeliendumque curarunt. Verum ista auctoritates non hoc admonent, quod insit vllus cadaueribus sensus, sed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoq; mortuorum pertinere significant propter fidem resurrectionis astruendam.*

CAPVT III.

De Proprietatibus vel Ritibus sepulturæ Christianæ annexis.

T.c.42. RITVS primus erat, quod lauarentur defunctorum corpora. Cuius ritus meminit Tertullianus in Apologetico. Epiphanius in oratione de sepultura Christi. Exempla habes, primo in Actis Aposto-
Act.9 37. licis de Tabitha post mortem lota. Deinde plura in Patribus, vt in epi-
E lib.7.c 17. stola Dionysii Alexandrini apud Eusebium de Christianis qui etiam peste extinctorum corpora accurate lauerant. De Tharsilla virgine
G hom.38.in Euang. apud Gregorium Magnum, in cuius lotione reperta sunt genua cum cubitis callo camelinæ pellis instar, ob precandi studium, obducta.
G.T.c.7.42. 104. De aliis apud Gregorium Turonicum libro de gloria confessorum. Bedam in vita S. Guthberti. Eginardo in vita Caroli Magni. Surium in vita S. Vincentii Ferrerii, cuius abluti aqua etiam valuit ad sanandos ægros. Fertur Balduinum Hierosolymorum Regem ad Flandros suos misisse pretiosissimam aquam, qua cruentum Christi corpus fuerat ablutum ante sepulturam.

T.c.13. G.c.1. II. RITVS erat, quod lota vngerentur, de quo Tertullianus loco citato. Prudentius in Cathemerinum, hymno ad exequias defunctorum. S. Gregorius in Cantica. Exemplum habemus de Christo
Ioan.19.39. variis aromatibus condito apud Euangelistas. Nicodemus enim mixtura myrrhæ & aloes illum condiit. mulieres quoq; vngendi causa ve-
Gen.50. nerant ad monumentum. In Genesi quoq; legimus Iacobi patriarchæ corpus, iussu filii Ioseph, conditum & Asæ regis Iuda in secundo para-
2.Par.16.14. lipomenon. Vterque mos lauandi & vngendi receptus fuit & apud gen-

gentiles, tam Græcos quam Romanos. De Romanis celebratur ENNII versus.

Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit. V.Æneid.6.

De funere Miseni Traiani MARO.

Corpusq; lauant frigentis & vngunt.

HOMERVS item vtrumq; ritum ponit in funere Patrocli & Achillis. Lege nostrum Franciscum Bentium oratione 22. *de ratione funeris apud Romanos.* Qua de causa autem hos ritus vsurparint Ethnici, non est necesse indagare. Christiani certe vsurpant, tum declarandi amoris sui in defunctos causa, tum vt indicent corporibus eorum hunc cultum deberi, siue quia fuerint templa Spiritus sancti, vt Apostolus ea vocat, dum viuerent, siue quia credunt ea aliquando resurrectura in vitam æternam. Iliad.6.& 18. S.Aug 1.de ciuit.c.13. 1.Cor.3.& 6.

III. RITVS quod linteo funebri inuoluerentur. Corpus Christi apud Matthæum *inuoluit Ioseph in sindone munda.* Quæ nunc seruatur Taurini: sicut *Sudarium quod fuerat*, vt scribit S.Ioannes, *super caput eius*, quotannis ostenditur Moguntiæ. De corporibus pestiferorum linteo opertis habes apud Eusebium loco nuper allegato. De corpore S.Pauli eremitæ pallio S. Athanasii obuoluto à S.Antonio, habes in Pauli vita à S.Hieronymo descripta. S.Athanasius in vita S.Antonii ait morem fuisse Ægyptiis nobilium & præcipue S. Martyrum corpora linteamine obuoluere. PRVDENTIVS in hymno ad exequias. Ioan.20.7. E.lib.7.c.17.

Candore nitentia claro,
Prætendere lintea mos est.

S.HIERONYMVS de muliere septies icta. *Clerici*, inquit, *quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluerunt.* Plutarchus in problematis Romanis testatur apud suos gentiles albis vestibus contecta fuisse cadauera. In nobilibus personis aureum velamentum super feretrum defuncti apponi consuetū indicat S.Hieronymus ad Paulam super obitu Blesillæ. *Ex more*, inquiens, *parantur exequiæ, & nobilium ordine praeunte aureum feretro velamen obtenditur.* H.ep.40. Pl.q.26. H.ep.25.

IV. RITVS, quod funus efferretur, magno hominum comitatu. Exemplum habemus in Genesi de Iacob Patriarcha, & apud Lucam, de vidua cuius vnicum filium elatum magna turba comitabatur. Hieron. ad Eustochium de obitu Paulæ Romanæ. *Tota*, ait, *ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit.* Et ad Oceanum de funere Fabiolæ. *Iam fama volat tanti prænuncia luctus totius vrbis populum* Gen.50. Luc.7.

ad exequias congregabat. De eodem ritu lege Gregorium Nazianzenum oratione 2. in Iulianum, & Seuerum Sulpitium in vita S. Martini.

E.c.66. V. Ritvs, quod cum cereis & facibus accensis. Nam Eusebius libro 4. de vita Constantini testatur in funere Constantini arsisse lumina in aureis candelabris. Nazianzenus oratione citata, ait, cum cereorum ignibus delatum fuisse corpus Constantii Cæsaris, eo quod Christiani putarint pium eius discessum è vita his officiis ornandum. Ch.hom.4. S. Chrysost. in ep. ad Hebræos. *Dic mihi*, ait, *quid sibi volunt lampades istæ tam splendidæ? nonne sicut athletas mortuos comitamur? quid etiam hymni, nonne vt Deum glorificemus?* Theodoretus historiæ Ecclesiasticæ libro Th.c.26. 5. scribit in translatione corporis S. Chrysostomi Bosphori ostium ad Propontidem prorsus luminaribus fuisse completum. Gregorius Nyssenus ad Olympium de morte sororis suæ Macrinæ. *Amplius clerici ordine progredientes, accensos cereos gestantes manibus funus deducebant.* Hieron. ad Eustochium de obitu Paulæ. *Cum alij Pontifices lampades; cereosq́ præferrent.* Et in Epitaphio Paulæ. *Sacerdotes lampades, cereosq́ prætulerunt funeri.* Recte autem hunc ritum ad traditionem D.c.7. Christianam referimus, quia eius meminit Dionysius Areopa- N.c.22. gita libro de Ecclesiastica hierarchia. Et Nicephorus libro 2. historiæ Ecclesiasticæ. ait Beatissimæ Virginis Mariæ corpus cereis ardentibus, floribusq́; sparsis ab Apostolis ex Sion in Gethsemani elatum. Accendimus autem cereos, vt indicemus animas viuere, & defunctos fuisse filios lucis, aliquando ad æternam lucem resurrecturos.

VI. Ritvs, quod cum Canticis, hymnisq́; spiritalibus. Ita Cl.c.29. enim iubent Apostoli apud Clementem Romanum Constitutionum Apostolicarum libro 6. Greg. Nyssenus ad olympium, indicat sacer- Naz.or.10. dotes in funere maxime psalmos concinuisse. Et Nazianzenus oratione in laudem Cæsarii fratris, ait psalmodiis luctum sedantibus sepultum. S. Hieron. in vita S. Pauli eremitæ. à S. Antonio Pauli corpus foras prolatum, cum hymnorum psalmorumq́; cantu ex traditione Christiana. Idem habet ad Eustochium de obitu Paulæ, & ad Oceanum Ch.hom.70. de funere Fabiolæ. Seuerus in vita S. Martini Chrysostomus ad populum *Quanam de causa*, inquit, *quæso presbyteros vocas & psallentes? nonnè vt te consolentur, nonne vt defunctum* honorent? S. Augustinus A.c.12. quoq; de funere matris agens, libro Confessionum nono. *Psalterium*, ait, *Euodius aperuit, & cantare cæpit psalmum, cui respondebamus. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Eiusdem ritus meminit S. Dio- D.c.7. nysius Areopagita de Ecclesiastica Hierarchia. Eodem pertinet pul-

ſus campanarum, quo populum ſolere conuocari ad funerum deductionem docet Beda libro 4. de Tintinnabulis. Apparet quoq; ex Matthæo apud Iudæos in funere adhibitos tibicines. Ambroſius ſiquidem ſcribit in Lucam morem fuiſſe gentilium, vt ad omne funus lamentatrices & tibicines adhiberentur, qui lachrymas audientibus cantatis næniis elicerent, eamq; conſuetudinem ad Iudæos quoq; permanaſſe. Vnde OVIDIVS quarto Faſtorum. B c 23. Matt. 9. 23. A. in c. 8.

Cantabat mæſtis tibia funeribus.

VII. quod in locis ſacris humarentur. Qua de cauſa olim Iacob & Ioſeph Patriarchæ in terra Ægypti mortui in terra promiſſionis ſepeliri voluerunt, vnde Chriſtus erat naſciturus, & vbi templum Domini erat futurum. Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtica hierarchia. *His peractis*, inquit, *Pontifex condit in loco digniſſimo corpus, cum alijs ſui ordinis corporibus ſacris.* Et Clemens Romanus libro 6. Conſtitutionum Apoſtolicarum *Conuenite*, ait *in cameteria, ſacros libros in iis legentes & pſallentes pro his qui dormierunt.* Ea autem conſecrari ſolere à ſacerdotibus docet Gregorius Turonicus de gloria Confeſſorum. Et Iuo Carnotenſis epiſtola 229. Vocantur autem κοιμητήρια quaſi dormitoria, eo quod fideles in Scripturis poſt mortem dicantur dormire, extrem o die iudicii reſuſcitandi, teſte Auguſtino epiſtola 122. S. Cyprianus libro primo epiſtolarum arguit Martialem quendam quod filios ſuos exterarum gentium more *apud profana ſepulchra depoſuerit.* quo ipſo indicat iam tum ſacra ſepulcra fuiſſe pro Chriſtianis. In templis autem ſæpe ſepultos fuiſſe fideles teſtatur Ambroſius libro primo de Abraham. Hieronymus in vita Paulæ & Fabiolæ. Auguſtinus libro de cura pro mortuis agenda: & Gregorius libro tertio dialogorum. Gen. 49 & 50. D. c. 7. C. c. 30. G. c. 106. Ioan. 11. 1. Theſ. 4. C. ep. 4. A. c. 9. Au. c. 1. G. c. 13.

IIX. Quod pro liberanda anima ex pœnis Purgatorii ſacrificium Miſſæ offerretur, & aliæ orationes inſtituerentur. Nam in 2. libro Machabæorum (qui teſte Auguſtino ab Eccleſia pro canonico habetur) narratur Iudam Machabæum miſiſſe Hieroſolymam 1200. drachmarum argenti in ſacrificia pro mortuis expendenda, ac deinde ſubiicitur. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Idem docuere omnes veteres Patres græci atq; latini à noſtro Illuſtriſſ. Cardinale Bellarmino libro primo de Purgatorio cap. 6. accurate citati. S. Epiphanius certe in fine Panarii, & Auguſtinus libro de hæreſibus Aerium faciunt Hæreticum, quod negauerit orandum eſſe pro mortuis. CALVINVS ad hæc reſpondet omnes Patres ante mille & trecentos annos in errorem abreptos fuiſſe, quod non eſt aliud, quam ſummam ſuam teſtari 2. Mach. 12. A. 18. de ciuit. c. 36. A. c. 53. C. 3. inſt. c. 5. n. 10.

im-

impudentiam & Aerii (quem tamen nobiscum inter hæreticos numerat) se discipulum profiteri

IX. Quod idem sacrificium, eædemque preces pro eadem anima certis diebus repetantur, vt *tertia* ab obitu die, *septima, tricesima, & anniuersaria.* De tribus prioribus testatur Sanctus Ambrosius initio orationis de obitu Theodosii. De anniuersaria Tertullianus de Monogamia & Greg. Nazian. oratione in Cæsarium fratrem.

Ch. hom. 32. X. Quod eleemosynæ in eundem finem erogarentur in paupe-
Iob. 4. res. de quo ritu S. Chrysost. in Matthæum. quo pertinet illud Iob. *Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue, & noli ex ea manducare & bibere cum peccatoribus.* hoc est, instrue conuiuium, & voca fideles pauperes, vt ipsi post acceptam eleemosynam orent pro anima defuncti. Cur, inquit loco citato Chrysostomus, *post mortem tuorum pauperes conuocas? cur presbyteros, vt pro eis velint orare, obsecras?*

XI. Quod laudes defunctorum in funere celebrarentur. Extat Eusebii Cæsariensis oratio in funere Constantini Magni dicta. Nazianzeni in funere Basilii & Cæsarii. Nysseni in Meletii. Ambrosii in exequiis Valentiniani Imperatoris & Satyri fratris, & aliæ innumeræ.

XII. Quod tumulus defuncti floribus respergeretur. Vnde S. Ambrosius in oratione funebri Valentiniani. *Non ergo,* inquit, *floribus tumulum eius aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam.* Et S. Hieronymus ad Pammachium de obitu vxoris Paulinæ. *Ceteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresq; purpureos.* Nicepho-
N. c. 22. rus libro 2. Ecclesiasticæ historiæ meminit de floribus sparsis in funere gloriosiss. Virginis MARIÆ.

XIII. Quod tituli & Epitaphia in memoriam defuncti erigeren-
Gen 35. 19. tur iuxta sepulchra. Exemplum peruetustum habemus in Genesi, vbi sic legimus, *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est : erexitq; Iacob titulum super sepulchrum eius. Hic est titulus monumenti Rachel vsque in præsentem diem.* Et in primo Machabæorum de monumento magnifico à Simo-
1. Mac. 13. 30. ne erecto super sepulchrum patris sui & fratrum. S. Hieronymus
H. ep. 17. scribit se ad Mausolęum Dauidis Regis precari solitum in epistola ad Marcellam. De quo videtur loqui S. Petrus in Actis, cum ait. *Et sepul-*
Act. 2. 29. *chrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.* Prudentius in passione Hyppoliti ita canit.

Innumeros cineres Sanctorum Romula in vrbe
Vidimus, ô Christi Valeriane sacer.

Inci-

Incisos tumulos, titulos, & singula quæuis
Nomina, difficile est vt replicare queam.
Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur,
Martyris aut nomen, aut Epigramma aliquod.

CAPVT. IV.

De vtilitate Sepulturæ, eiusq́ Rituum.

DVPLEX est tum Sepulturæ Ecclesiasticæ, tum cærimoniarum eius vtilitas, altera ad vita defunctos, ad viuos à quibus humantur se porrigens. Quod ad priorem attinet, Primum ideo prodest vita defunctis eiusmodi Sepultura, quia voto & desiderio, quod dum viuerent habuerunt, potiuntur. Cum enim homo propensione & lege naturali diligat seipsum, Apostolusq; ad Ephesios testetur, neminem esse, qui carnem suam odio prosequatur; optat quoq; corpus suum honestè post mortem tractari. Vnde & mortui quidam, inquit S. AVGVSTINVS in libro de cura pro mortuis gerenda, *feruntur vel in somnis, vel alio quocunq́ modo apparuisse viuentibus, atq́ vbi eorum corpora iacerent inhumata nescientibus, locisq́ monstratis admonuisse, vt sibi sepultura quæ defuerat, præberetur.* Deinde verisimile est animam ipsam, quæ post mortem retinet naturalem suam inclinationem ad corpus, quod extremo iudicii die est receptura, idem optare, quocum tanquam fido comite & adiutore diuino cultui vacauit. 2. Prodest, quod & honori ipsorum apud posteros quibuscum vixerunt consulatur. Nam præterquam quod experientia doceat, eos infames haberi, quibus ius sepulturæ negatum est, vt suspendiosis, vel in rogum actis: Scriptura ipsa pro ignominia reputat destitui sepultura: Ecclesiastæ verba sunt. *Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, sepulturaq́ careat, de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortiuus. Et in regnorum libris,* inquit Augustinus libro citato, inuenitur *Deum per Prophetam minari alteri prophetæ, qui eius transgressus est verbum, quod non inferretur cadauer eius in sepulcrum patrum eius.* Et Ieremias. *Hæc dicit Dominus ad Ioacim regem Iuda. Non plangent eum. Væ Domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* 3. Prosunt animabus eorum, sacrificia, quæ offeruntur, orationes & eleemosynæ, vt docent omnes S. Patres. S. Augustinus de Verbis Apostoli. *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum Spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia. Non omninò ambigendum est ista prodesse*

Marginal notes: Matt. 22. / Ephes. 5. / A. c. 10. / Eccl. 6. 3. / A. c. 7. / 3. Reg. 13. / Ier. 22. 18. / Bellarm. l. supra cit. / A. serm 34.

 defunctis,

defunctis, sed talibus qui ita vixerint ante mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem. Accedit, quod si in templis Martyrum, aliorúmue Sanctorum humentur, sæpe homines memoria loci excitati eorum quoq; patrocinium pro defunctis implorent, vt notauit S. Augustinus. *Cum* inquit libro de cura pro mortuis, *recolit animus vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit* A. c. 4. *locus nomine Martyris venerabilis eidem martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis aspectus. Qui cum defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.*

Qvod ad posteriorem Vtilitatem attinet in Viuos redundantem. Prima est, quod pompa funebris luctum temperet eorum qui funus ex officio curarunt, mœstisq; solatium afferat. Ita idem Augustinus de verbis A. c. 34. apostoli. 1. Thess. 4. *Monuit Apostolus, non vt non contristemur, sed non sicut ceteri, qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur: inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc sanat diuina promissio. Proinde pompa funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, viuorum sunt qualiacunq; solatia, non adiutoria mortuorum.* Et infra. *Sit pro viribus cura sepeliendi, & sepulchra construendi, quia & hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt: Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sui humanæ lenimenta mæroris. Verum illa quæ adiuuent Spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes multò pro eis obseruantius, instantius, abundantius impendant, qui suos carne non Spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritaliter amant.*

II. Vtilitas est, quod hæc pompa sit quasi speculum omnium mundi vanitatum, quæ omnes morte quasi sepeliuntur & in terram retruduntur: deinde μνημόσυνον nouissimorum, Vnde Sapiens consuluit. *Melius esse ire ad domum luctus quam ad domum conuiuii.* Etiam causam addidit *in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.* Eccl. 7. 3. Ecclesiasten autem loqui de funebri luctu, domumq; luctus esse exequias funeris tradit hic Hieronymus & Olympiodorus.

III. Est, quod opere hoc homo profiteatur palam fidem suam, quã habet de animæ immortalitate, & futura resurrectione. Quid enim aliud significant varia lumina prælata & crucis effigies nisi lumen fidei? Deinde quod profiteatur quoq; contra hæreticos huius æui fidem Catholicam Romanam, nam crucem, lumina, hymnum & preces mortuorum, eleemosynas, aquam benedictam, Missæ Sacrificium, aliasq; funebres cærimonias Ecclesiasticas Nouatores omnes detestantur.

IV. Et postrema vtilitas, quod homo Christianus in gratia existens hoc officio charitatis vere promereatur vitam æternam. quod liquet primo

ex exemplo Tobiæ supra ab angelo Raphaele mirifice collaudato: deinde Magdalenæ, quod tanti fecit Christus, vt dixerit, toto orbe commemoratum iri; quod & factum est, atque etiamnum fit, vbi Christi Euangelium prædicatur. Hinc S. Augustinus paulo ante monuit vt pro viribus curam sepeliendi & sepulcra construendi suscipiamus, *quia* inquit, *& hæc in Scripturis Sanctis inter bona opera deputata sunt*, & Lactantius in diuinarum institutionum epitome ita scripsit. *Redimere ab hoste captiuos magnum misericordiæ opus est, item ægros pauperes visitare atque fouere: inopes aut pauperes si obierint, non patiamur insepultos iacere. Hæc sunt opera, hæc officia misericordiæ: quæ si quis perfecerit, verum & acceptum Deo sacrificium immolabit. Hæc litabilior victima est apud Deum, qui non pecudum sanguine, sed hominis pietate placatur: quem Deus, quia iustus est, sua & ipsum lege sua & conditione prosequitur: miseretur ei, quem viderit misericordem: inexorabilis est ei, quem precantibus cernit immitem. Ergo vt hæc omnia, quæ Deo placent facere possimus contemnenda est pecunia, & ad cælestes transferenda thesauros, vbi fur non effodiet, nec rubigo consumet, nec tyrannus eripiet, sed nobis ad æternam opulentiam Deo custode seruabitur.*

Tob. 12. 12.
Matt. 26. 13.
A. de v. Apostoli.

VIDE V. Eleemosyna, Hospitalitas. Opera bona.



SIMPLICITAS.

CAPVT I.

Quid nomine Virtutis Simplicitatis intelligatur.

SIMPLICITAS in sacris litteris fere significat synceritatem, vel candorem animi ab omni dolo, simulatione vel fuco alieni, qualis est in infantibus & pueris, vt notauit libro primo Pædagogi Clemens Alexandrinus, Vnde S. Ambrosius laudans fratrem Satyrum ab hac virtute, definit eam esse *quandam morum temperantiam, mentisque sobrietatem.* illum verò tanta ait simplicitate fuisse, *vt conuersus, in puerum simplicitate illius ætatis innoxiæ, perfectæ virtutis effigie, & quodam innocentium morum Speculo reluceret.* B. Ioann. Climacus, scribit Simplicitatem *esse habitum animæ varietate carentem, totiusque*

Clem. c. 5.
A. orat. de eius obitu.
Clim. grad. 24.

peruersæ intentionis ignarum, & qui nulla mala cogitatione moueatur. Eodem spectat illa B. Gregorii in octauo moralium descriptio. *Sapientia,* inquit,
Greg. c. 38. *iustorum est, nihil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera vti sunt, diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc iustorum Simplicitas deridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur.*

AB hac virtute DEVS collaudauit B. IOB, cum dixit ad Satan. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex &*
Iob. 1: 3. *rectus?* Et CHRISTVS Dominus Nathanaelem, cum ait. *Ecce verè*
Ioan. 1. 47. *Israhelita in quo dolus non est.* Hanc idem commendauit Apostolis, cum
Matt. 10. 10. apud Matthæum eos commonefaceret, vt simplicitate imitarentur colum-
Matt. 18. 3. bas, deinde & paruulos dicens. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabi-*
Rom. 16. 19. *tis in regnum cælorum.* Hanc inculcat & Paulus Romanis. *Volo,* inquiens,
1. Cor. 14. 20. *vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Et Corinthiis. *Malitia paruuli*
Phil. 1. 10. *estote.* Et Philippensibus. *Hoc oro, vt sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi.*
1. Pet. 2. 1. S. Petrus quoque eandem commendat electis aduenis. *Deponentes,* inquiens, *omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes,* &c. *sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite.* Deinde in ea Christum imitandum proponit; nam ait. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt*
Ib. v. 21. *sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem*
S. Th. 22. q. 109. a. 2. ad 4. Ar. 2. & 3. Eth. *iudicanti se iniustè.* S. Thomas Aquinas subiicit simplicitatem virtuti Veritatis, quam Aristoteles in Ethicis inter virtutes morales numerauit.

CAPVT II.

De Simplicitatis proprietatibus.

PRIMA proprietas est, vt cum ratione & prudentia iuncta sit. quod Christus indicauit, cum ad Apostolos dixit. *Estote prudentes sicut ser-*
Matt. 10. 10. *pentes & simplices sicut columbæ.* Vnde Tertullianus scribens in Valentinianos. *Ideo,* inquit, *simplices notamur apud illos, vt hoc tantum, non etiam sapientes: quasi statim deficere cogatur à simplicitate Sapientia, Domino vtramque iungente: Estote prudentes, vt serpentes; & simplices vt columbæ.* Et S. Ambro-
A. lib. 7. in c. 9. sius in Lucam. *Quia plerisque non virtus, sed infirmitas videtur sine ratione simplicitas, vt tu veram suscipias admoneris, id est, vt exequaris industria munus naturæ.*
H. ep. 13. S. Hieron. ad Paulinum, de institutione monachi. *Habeto simplicitatē columbæ ne cuiquam machineris dolos, & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis.*

Non

Non multum distat in vitio, vel decipere posse vel decipi Christianum. Augustinus ad fratres in eremo. *Estote fratres mei prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Duo enim sunt, quæ annexa ad inuicem sunt, vt vnum sine altero, aut parum aut nihil omnino proficiat. Simplicitas enim sine astutia stultitia reputatur; astutia sine simplicitate superbia approbatur.* Et Gregorius libro 4. regesti. *In scriptura sacra, cum in bona intelligentia ponitur simplicitas, sæpe prudentiæ, aut rectitudini sociatur. Vnde etiam de beato Iob scriptum est. Erat vir simplex & rectus; & beatus Apostolus Paulus admonet dicens. Estote simplices in malo, & prudentes in bono. Et per semetipsam veritas admonet dicens. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: esse valde inutile iudicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit, quatenus & serpentis astutia columbæ simplicitatem acueret, & columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret.* Idem habet libro 1. moralium cap. 2. A. serm. 4. G. ep. 31. Iob 1.1. Rom. 16 19. Matth. 10. 10.

II. Proprietas iniuriæ obliuisci, hoc enim apud Apostolum est, *simplices esse in malo, & malitia paruulum esse.* Vnde S. Hieronymus in Matth. exponens verba Christi. Quicunque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. *Sicut iste,* inquit, *paruulus, cuius vobis exemplum tribuo non perseuerat in iracundia, non meminit læsus: non videns pulchram mulierem delectatur: non aliud cogitat & aliud loquitur, sic & vos nisi talem habueritis innocentiam & animi puritatem, non poteritis regna cœlorum intrare.* Et S. Ambrosius primo de officiis. *Nolite hos condemnere pueros, de quibus Dominus ait. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Itaque & ipse Dominus, hoc est, Dei virtus, sicut puer, cum malediceretur, non remaledixit: cum percuteretur, non repercussit. Ita ergo te compara, vt quasi puer iniuriam non teneas, malitiam non exerceas, omnia à te innocenter proficiscantur. Non consideres quid ab aliis in te referatur. Locum tuum serua, simplicitatem & puritatem tui pectoris custodi.* Et S. Basilius in regulis breuioribus, quæstione posita, quis dicatur simplex vt columba, respondet. *Simplex vt columba est, qui ne simpliciter quidem de vlciscendo eo, qui sibi aduersarius sit, cogitat, potiusque in instituto suo bene de illo merendi perseuerat ex præcepto Apostoli sic dicentis. Vos autē nolite deficere bene facientes.* Et S. Chrysostomus in Matthæum, *Nos quoque si cœlorum hæredes constitui volumus, paruulorum virtutem consequi studeamus. Ab omnibus enim passionibus anima paruulorum munda est, hi qui dolorem intulerunt nullas vltionis vices reseruant: & quasi nihil actum esset, veluti ad amicos accedunt. Quanto magis à matre vapulant, tanto magis eam quæritant, atque cæteris omnibus eam anteponunt.* Et infra subiicit exemplum regis Dauidis. *Nemo,* inquiens *quam Saul versutior vnquam fuit, nemo simplicior atque integrior quam Dauid. Nonne, bis, illum in manibus habuit Dauid, & cum interficere posset, pepercit? nonne irretitum, & quasi carcere circumuallatum tenebat, & dimisit? Et quamuis in Dauid ille commiserit crimina, & quamuis à multis in necem illius Dauid incitaretur, intactum tamen abire voluit.* Rom. 16. 9. 1. Cor. 14 20. H. in c. 18. A. c. 21. Matth. 18. 3. 1. Pet. 2 23. B. q 245. 2. Thess. 3. 13. Chr. hom 63.

III. Proprietas, non nosse obtrectare, non inuidere, non suspicari

malum de altero, & suis rebus esse contentum. Hanc tradit S. Ambrosius
in exhortatione ad Virgines, *Bonæ*, ait, *diuitiæ sunt innocentiæ atque simplicita-
tis, quibus peccatum non imputatur, quia nulla in iis doli fraudisque versutia est. O-
mnis enim simplex obtrectare non nouit, nescit inuidere, suo contentus est, aliena non quæ-
rit. Et si egeat, sibi diues videtur, si suppetat, quod alimento est satis. Pulcrè Apost. Pau-*
2.Cor.8. *lus Et profunda, inquit, paupertas eorum abūdauit in diuitias simplicitatis eorum.* Et in
A.c.10. tertio de officiis eandem confirmat exemplo Iosue nihil mali suspicantis
Iosue 9.14. de Gabaonitis, *Adeo*, inquiens, *sancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos
posse non crederetur. Quis hoc reprehendat in sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant?
& quia ipsis amica est veritas mentiri nemiuem putant fallere quid sit ignorant, liben-
ter credunt quod ipsi sunt, nec possunt suspectum habere, quod non sunt. Hinc Salomon.*
Prou. 14.15. *Innocens credit omni verbo, non vituperanda facilitas sed laudanda bonitas.* Chrysost.
Ch.hom.7. in Act. vero confirmat exemplo Ioseph, his verbis. *Iosephus nonne citra fucum agebat
cum fratribus? nonne propter hoc probatus fuit, eo quod ipse quidem omnia absque su-
spicione loquebatur, illi autem malitiosè insidiabantur? Somnia sua simul atque
iterum incautè eis prodidit: itidem pari securitate ad illos profectus est cibos allatu-
rus totum committens Deo: illi erga ipsum tanquam hostem affecti erant: ipse vicissim
erga illos vt fratres. Et poterat DEVS illum non permittere re incidere in illos, sed per-
misit, vt ostenderetur miraculum, quod licet illi quod poterant, conarentur, ille tamen
vicit.*

IV. Proprietas, non erubescere publicum. Quam tradit Tertul-
Matth.10.16. lianus libro contra Valentinianos, alludens ad dictum Christi. *Estote
prudentes sicut serpentes*, &c. *Abscondat*, inquit, *se serpens quantum potest, totam-
que prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur.
Nostræ columbæ domus simplex, etiam in editis semper, & apertis, & ad lucem: amat
figuram Spiritus sancti, Orientem Christi figuram. Nihil veritas erubescit, nisi
solummodo abscondi: quia nec pudebit vllum aures ei dedere, eum Deum recognoscere,
quem iam illi natura commisit, quem quotidie in operibus omnibus sentit.*

V. Proprietas, Quod simplex est & syncerum, solidum est, con-
stans & diuturnum, quod verò duplex, vel fictum & simulatum, facile
Iac.1.8. dissipatur & soluitur iuxta illud B. Iacobi. *Vir duplex animo inconstans est in
A.c.22. omnibus viis suis.* Hanc annotauit S. Ambrosius in altero de officiis cum
ait. *Nihil simulatum & fictum veræ virtutis esse certum est, quinetiam diuturnum
esse non solet. In principio vernat, in processu tanquam flosculus dissipatur & solui-
tur: quod autem verum ac sincerum, alta radice fundatur.* Deinde postquam
subiecit exemplum Absolonis, qui per simulatam ambitionem anhela-
2.Reg.15. uit frustra ad regnum. *Liquet igitur*, inquit, *ea esse perpetua ac solida quæ*

vera sunt

vera sunt, & quæ sincere potius, quam dolo congregantur: ea vero, quæ simulatione atque assentatione parata sunt, non posse diu perseuerare.

Capvt III.

De dignitate & vtilitate huius Virtutis.

Dignitati, vtilitatique simplicitatis satis amplum testimonium præbet Spiritus sanctus in suo verbo. Nam in Prouerbiis ait Salomon.
Abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius. Et. Prou. 3. 32.
Abominabile Domino cor prauum, & voluntas eius in iis, qui simpliciter ambu- Prou. 11. 19.
lant. Vnde S. Gregorius in tertia parte pastoralis. *Audiant impu-* G. admon. 12.
ri quod sapientis esse dicitur, spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Audiant Sap. 1. 5.
quod scriptura rursum testatur. Cum simplicibus sermocinatio eius. DEO enim sermocinari est per illustrationem suæ præsentiæ humanis mentibus arcana reuelare. Cum simplicibus igitur sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum men-
tes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla vmbra duplicitatis obscurat, Et rur- Prou. 3. 32.
sus in 4. Psal Pœnitentialem. *Vnde & scriptum est. Sentite de Domino in bonitate,* Sap. 1. 1.
& in simplicitate cordis quærite illũ. Cordis enim simplicitas dies est, quam fraus non obnubilat non obtenebrat mendacium, non obscurat inuidia, non obfuscat dolus, quam lux veritatis illuminat, præsentiæ diuinæ claritas illustrat. Scriptum est enim. Cum simplicibus sermocinatio eius. DEO autem sermocinari est per suæ præsentiæ illuminatio-
nem &c. vt supra. *Quo contra*, addit, *de non simplicibus dicitur. Virum sangui-* Psal. 5. 7.
num & dolosum abominabitur Dominus. Et Salomon ait. *Spiritus sanctus disci-* Sap. 1. 5.
plinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Constat ergo, quia illos inhabitando illuminat; illos recedendo excæcat.

Cvm hoc Salomonis dicto ita exposito, conuenit illa Christi Do-
mini confessio, dum ait apud Matthæum. *Confiteor tibi pater Domine cœli* Matth. 11. 25.
& terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruu- Ioan. 15. 15.
lis. Et apud Ioannem. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Vnde Hieronymvs scribens in Prouer-
bia Salomonis. *Sermocinatio,* inquit, *Domini cum simplicibus est, quia illos cæle-* Prou. 3. 32.
stis sapientia secretis illustrat quos terreni fastus ac duplicitatis nihil habere considerat. Hinc etenim dicit. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et Chrysostomus in Matthæum. *Non dixit Christus stultis reuelasti, sed paruulis, quasi non formatis adhuc, sed simplicibus. Ita ostendit non indigné scribas*

*& pharisæos, sed iure his rebus fuisse priuatos; ac per omnia nos docet statum superbiæ
omnino esse fugiendum, ac simplicitatem admirandam. Quod Paulus amplioribus ver-*
1.Cor 3.18. *bis scribit, dicens. Si quis in vobis videtur in hoc seculo sapiens esse, is fiat stultus, vt sa-
piens efficiatur, sic enim gratia Dei monstratur.*

EXEMPLA quoque cum hac confessione Christi conspirant mul-
torum sanctorum, qui ob simplicitatis virtutem maximorum mysterio-
Act.2.46. Chr.hom.7. rum effecti sunt conscii. Chrysostomus certè expendens verba illa B. Lucæ
de primis Christianis. *Quotidie quoque perseuerantes vnanimiter in templo, & fran-
gentes circa domos panem sumebant cibum, cum exultatione, & simplicitate cordis,* ita
loquitur. *Per simplicitatem omnem virtutem declarauit, quæ maior est ipso ieiunio,
diuitiarum erogatione, ac perseuerantia in oratione. Quis enim non obstupesceret, quis
non admiretur hominem moribus simplicem, vel quis non se iungeret ei, qui subdolus non
est? aut quorum aliorum est salus, quorum præter hos eximia illa felicitas? Nonne pa-
storibus initio Euangelium prædicatum est? nonne Ioseph simplex homo erat, adeo vt
nec per adulterii suspicionem perterreretur, quo peccato perpetrando consentiret? Nonne
agrestes fuci expertes elegit? anima enim benedicta, inquit, omnis simplex. Via quædam
est ad philosophiam simplicitas.* Hæc ille. Idem supra ostendit, ad quantam Io-
seph patriarcha, & rex Dauid, diuinorum mysteriorum notitiam, statusque
que dignitatem euecti sint beneficio simplicitatis.

Iam verò idcirco idem Spiritus sanctus hortatur nos, vt in simplici-
tate cordis Deum quæramus eique vota nostra offeramus. Ait enim Sa-
Sap.1.1. piens. *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum*, id est,
A. c. 9. syncere & ex animo. *Caret enim,* inquit, S. Ambrosius libro 3. de officiis, *me-*
1. Par. 29. 17. *rito simplicitatis omne arte elicitum, & fraude compositum.* Exemplum huius de-
dit religiosissimus rex Dauid cum ita in Paralipomenis Deum alloquitur.
*Scio Deus meus, quod probes corda, & simplicitatem diligas; vnde ego & in simplici-
tate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc & populum tuum.* Deinde insinuat vt
cum magna fiducia in ea ad Deum accedamus. *Qui enim ambulat simpliciter*
Prou. 10. 10. ait Salomon, *ambulat confidenter.* ita vt dicat. *Dominus protector vitæ meæ, à quo*
Ps. 26. 1. *trepidabo? Si enim cor nostrum*, inquit B. Ioannes, *non reprehenderit nos, fiduciam*
1. Ioan. 3. 21. *habemus apud Deum,* Vnde S. Gregorius in Pastorali loco citato. *Audiant* in-
quit, *impuri, quod scriptum est, Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Fidu-
cia quippe magnæ securitatis est simplicitas actionis.*

VIA quoque perbreuis & directa nobis patet per simplicitatem ad
Iob. 8. 20. salutem & vitam æternam, secundum illud B. Iob. *Deus non proiiciet simpli-*
Prou. 28. 18. *cem, nec porriget manum malignis.* & Sapientis. *Qui ambulat simpliciter, saluus erit.*
Chr.hom.7.in Acta. *Quorum aliorum,* supra inquit Chrysostomus, *est salus quam simplicium? quo-*
Id.hom. 63. *rum præter hos eximia illa felicitas?* In Matthæum vero probat nullis contin-
Matth.18.3. gere salutem, nisi simplicibus, ex illo dicto Christi. *Nisi efficiamini sicut par-
uuli, non intrabitis in regnum cælorum. Imitemur igitur,* inquit, *etiam nos paruulos*

& eorum

& eorum mores in omni fastu & malitia contemnenda complectamur. Non enim est, non est inquam aliter possibile cœlos attingere, sed necesse omnino est in gehennam detrudi malitiosos omnes, atque simulatores, immo vero antequam tempus gehennæ venerit, non paruis hic suppliciis cruciantur. Certe in 14. Psalmo regio, cuius initium est? *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo.* huius nostri simplicis mores describi videntur. *Qui,* inquit, *ingreditur sine macula: qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua. Nec fecit proximo suo malum, Qui iurat proximo suo, & non decipit. Qui facit hæc, non mouebitur in æternum,* id est, *perueniet ad maiora,* ait Augustinus, *in quibus est inconcussa stabilitas.* Qua de causa forte iam pridem vsu receptum, vt cum sedis Apostolicæ autoritate aliquis solemni ritu referendus est in Catalogum Sanctorum, cum de aliis virtutibus, tum imprimis de eius simplicitate & humilitate inquisitio instituatur, vt ex Innocentio, Hostiense, & aliis Ecclesiastici iuris Doctoribus in sua summa, verbo, *Canonizatio sanctorum,* probat Syluester Prieras.

Aug. in ps. 14.

Extra. de præsumpt. ex studiis.

CAPVT IV.

Quibus mediis obtineri queat simplicitatis Virtus.

PRIMVM medium est, studium imitandi mores paruulorum, quod Dominus ipse præscripsit apud Matthæum, & Apostolus vterque Beatus Petrus & Paulus, vt supra monuimus. Vnde Tertullianus in Valentinianos. *Repuerascere nos,* inquit, *& Apostolus iubet secundum Deum, vt malitia infantes per simplicitatem ita demum sapientes sensibus simus, diuinæ sapientiæ ordinem de simplicitate amando.* Et Chrysostomus in Matthæum. *Nos quoque si cœlorum hæredes constitui volumus, hanc paruulorum virtutem consequi studeamus. Hoc enim supremum Philosophiæ culmen est, vt cum prudens sis, nihil ficti, nihil simulati asciscas, id Angelorum vita est. Nam etiamsi Regina cum diademate atque purpura paruulis offeratur, non præponunt eam matri licet pannosæ. Quod enim suum aut alterum est, non inopia & copia rerum, sed quasi Philosophia discernunt, nec vltra necessitatem aliquid quæritant, sed cum lacte repleti fuerint, statim relinquunt mammillam: non dolent pecuniarum, aliarumque rerum huiusmodi iacturam, sicuti grandiores: non venustas formas admirantur. Ideo dicebat. Talium est regnum cœlorum, vt ea nos volentes faciamus, quæ ingenita paruulis atque insita duce natura facit. Nam quoniam omnia Pharisæi malitia & arrogantia faciebant, idcirco vbique discipulos ad simplicitatem hortatur, illos occulte malignos esse significans, & hoc apertius erudiens.*

Matth. 18.

C. hom. 63.

II. Medium est, imitari mores primorum Christianorum, ab
Apostolis conuersorum, quos in Actis Apostolorum accuratè describit
Act.2. B. Lucas. Illi enim tam cupide excipiebant Apostolorum conciones, vt
vna die tria, altera quatuor millia hominum se Christo adiungerent, quo-
tidie in templum orationis & sacræ cõmunionis causa confluebant, tanto
flagrabant amore fidei in Christũ, vt præ eo parẽtes, vxores, fratres, cogna-
Act.4.32. tos odissent; tanto in fratres, vt omniũ esset cor vnũ & anima vna, vt omnia
etiam temporalia bona haberent cõmunia, nihil proprium possiderent, vt
Act.5.1. exitiale & peremptoriũ censeretur, si quis aliquid retinendo fraudasset, vt
Eph.6.6. patuit in exemplo Ananiæ & Saphiræ. Vt si qui serui forent, Dominis licet
Col.3.12. Ethnicis, in simplicitate cordis parerẽt, quod Paulus eos docuit, sicut Chri-
2.Cor.8.3. 2.Cor.9.11. sto. Vt pauperibus suas facultates etiam supra virtutem voluntariè & hi-
Matth.5.39. Heb.10.14. lariter communicarent in simplicitate. Vt inimicos diligerent, iisque be-
Matth.5.40. nefacerent & alapa ab iis accepta etiam alteram maxillam præbere para-
Act 5.41. ti essent: vt rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinerent, vt contu-
2.Cor.12.8. Gal 6.14. meliam verberaque passi gauderent & exultarent, quod digni habiti essent
Luc.14. pro nomine Iesu contumeliã pati. Vt in carceribus, vinculis, plagis, aliis-
Ch.hom.7. que cruciatibus gloriarentur, vt non putarent se Christianos, vel Christi di-
scipulos, nisi crucem cum Christo baiularent, Quod obseruans Chryso-
stomus in Acta. *Illic*, inquit, (apud primos Christianos) *tria millia & quin-
que millia statim virtutem arripuerunt, & mox à deo Philosophi facti sunt, nunc autem
vix vnus inuenitur. Quid hoc, quod illos tam agiles & excitatos reddebat? quid il-
los repente accendit? Quoniam cum multa accedebant deuotione, quoniam honores non
erant sicut nunc, quoniam ad futura suam mentem conuerterant, & nihil præsentium
expectabant. Hoc est ignitæ animæ, in periculis versari: hoc putabant illi Christianismũ
esse, sed non nos. nunc in meris dissolutionibus viuitur. Propter hoc, neque quando oportet
hæc assequemur. Quid faciemus? interrogabant illi, condemnantes seipsos, & agnoscen-
tes, quantum donum acceperant. Quomodo autem vos eritis tales, per omnia diuersum
quod illi, facientes? Illi simul audierunt & baptizati sunt, neque moras nectebant,
quamuis non omnes audissent iustificationes.*

III. Medium est considerare fœditatem vitiorum cum simplicitate
Psal.5.7. pugnantium, vt duplicitatis, dolositatis, hypocriseos, simulationis. Dauid
Prou.3.32. ait. *Virum sanguinũ & dolosum abominabitur Dominus*. Et Salomon, *Abominatio
Mal.1.14. Domini est omnis illusor*. Et Malachias. *Maledictus dolosus*. Christus certè apud
Matth.23. Ch.hom.45. Matth. octo maledictiones fulminat in hypocritas. *Sicut sepulcrum*, inquit,
Chrysost. in Matth. *quamdiu clausum est, spulchrum videtur foris: si verò fuerit a-
pertum, horribile est, sic & simulatores bonorum, quamdiu non cognoscuntur laudabiles
sunt: cum autem cogniti fuerint, inueniuntur abominabiles*. Et S. August. in psalmos.
A.In Ps.63. *Simulata innocentia non est innocentia: simulata æquitas non est æquitas, quia &
iniquitas est, simulatio*. Et libro. 83. quæstionum. *Sicut prope summa & di-
uina*

uina virtus est neminem decipere. sic vltimum vitium est, quemlibet decipere. Sed plura de hac re in Panario. Concludo cum graphica descriptione duplicitatis allata à S. Gregorio libro 10. Moralium in verba Iob. *Deridetur enim iusti simplicitas. Huius mundi,* ait, *sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt vera ostendere: quæ vera sunt falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia vsu à iuuenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt cæteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subiecti & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem duplicitas iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis peruersitas vrbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmine quærere: adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere: irrogata ab aliis mala multiplicius reddere: cum vires suppetunt nullis resistentibus cedere: cum virtutis possibilitas deest quicquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.* Hæc ille. A.q.53. V. Hypocrisis. G.c.27. Iob.12.4.

VIDE V. *Abnegatio sui Cognitio sui. Diffidentia sui. Humilitas. Timor Domini. Verecundia. Veritas. Et in* PANARIO *V. Curiositas. Hypocrisis.*



SPES VEL FIDVCIA.

CAPVT I.

De natura virtutis SPEI, vel Fiduciæ.



SPEI nomen non pro appetitus sensitiui passione cum brutis communi, sed pro virtute Theologica, qua in DEVM speramus, accipimus; nec aliter differt secundum Theologos à Fiducia quã quod Fiducia propriè significet spem perfectã & roboratam. Quod discrimen quoq; indicauit Seneca, cum ad Luciliũ scripsit, *De te spem habeo, nondum fiduciam.* Spes ergo vel Fiducia est virtus Theologica diuinitus infusa, qua futura bona oculis minimè nunc subiecta expectamus. Virtutem Theologicam voco, quia æquè ac fides & charitas immediatè circa Deũ versatur. De quibus Apostolus in epistola priore ad Corinthios. *Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas, tria hæc maior autem horum est Charitas.* Et S. AVGVSTIN. in Enchiridio. *Hic,* inquit, S.Tho. 22.q. 129.art.6. Sen.ep.16. 1. Cor.13. 13. A.c.3.

ſi reſpondero (ad quæſtionem videlicet quomodo ſit colendus Deus) fide, ſpe, charitate colendum Deum, profectò dicturus es, breuius hoc dictum eſſe quam velis.

DIVINITVS autem infuſa eſt, quia donum Dei eſt æquè ac fides,
Proſ.c.6. & charitas. Vnde Beatus Proſper libro contra Collatorem. DEVS
hominem peccatorem, *ex inuito volentem facit, & quibuſlibet modis infidelita-*
tem reſiſtentis inclinat, vt cor audientis obediendi in ſe delectatione generata, ibi ſur-
gat, vbi premebatur: ibi diſcat, vbi ignorabat; inde fidat, vnde diffidebat: inde ve-
lit, vnde nolebat. Et in Pſalmum 130. *Fiducia ſperantium miſericordia DEI eſt;*
B.ſerm.9. Et S. Bernardus in Pſalmum 90. *Nec alius ex ſententia dicere poteſt, Quoniam*
Pſal.54.23. *tu es Domine ſpes mea, niſi cui intus perſuaſum ſit à ſpiritu, vt quemadmodum monet*
1.Pet.5.7. *propheta, iactet cogitatum ſuum in Domino, ſciens quod enutriendus ſit ab eo iuxta*
illud quoque Petri Apoſtoli. Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, ipſi e-
nim eſt cura de vobis.

QVOD autem ſit futurorum bonorum, eorumque inuiſibilium
Rom.8.23. expectatio habemus ex Apoſtolo in epiſtola ad Romanos ita ratiocinan-
te. *Et ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corpo-*
ris noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes: nam quod
videt quis quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus per patientiam ex-
pectamus. Vnde priſci Patres, Clemens Alexandrinus in altero Stromatum.
Spes, inquit, *conſiſtit ex fide. Spes autem eſt boni acquirendi expectatio: fidelem autem*
neceſſe eſt expectationem eſſe. Fidelem appellat, quæ fidei traditionique Apo-
A.lib.5.ep.22. ſtolicæ conſentanea ſit. Et S. Ambroſius ad Horontianum. *Spes autem quid*
eſt niſi futurorum expectatio? Non enim quæ videntur, ſed quæ non videntur, æter-
na ſunt. Nam quod quis videt, quid ſperat? Videmur enim tenere ea quæ vide-
mus; Quomodo ergo quæ tenemus ſperamus? Nihil igitur eorum, quæ ſperantur
1.Cor.2.9. *videtur. Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit DEVS dili-*
gentibus eum. Ergo ſi ſperari non poteſt quod videtur, non bene habent aliqui: & ideo
Pſal.39.2. *quamuis abeſſe videatur à nobis, expectamus illud per patientiam. Expectans enim ex-*
pectaui Dominum, & reſpexit me. Ideo ergo expectamus patienter, quia bonus eſt Domi-
Rom.8.25. *nus ſuſtinentibus eum, Pulcrè autem dicunt. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes, de po-*
teſtatibus iſtius ſeculi, de dignitatibus, de diuitiis. Video neſcio quem faſcibus præminen-
tem & curribus, nihil habet ſpei in curribus, qui videntur. Nec Chaldæus in ſtellis ſpem
habet, quas obſeruat, nec diues in poſſeſſionibus, nec auarus in vſuris, ſed ille ſpem ha-
bet, qui in eum ſpem ſuam ponit, quem non videt, id eſt, in Domino Ieſu, qui medius
noſtrum ſtat & non videtur. Et Chryſoſt. in ſermone de fide, ſpe & charitate.
Spes, inquit, *eſt futuræ pollicitationis religioſus aſſenſus, promiſſæ gloriæ deuota inten-*
tio, ſanctorum deſtinata ſublimitas, bonorum expectatio futurorum. Spes eſt inquam co-
A.c.8. *gnitio fidei, credulitatis propinquitas, deſtinatum præmiorum tempus, futura expectatio*
meritorum. Et S. Aug. in Enchiridio. *Eſt fides, & malarum rerũ, & bonarum, quia*

& bona

& bona creduntur, & mala. Est etiam fides & præteritarum rerum, & præsentium, & futurarum. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum. Propter has causas distinguenda erit fides à spe, sicut vocabulo, ita & rationabili differentia.

CAPVT II.

De conditionibus virtuti Spei annexis.

PRIMA conditio est. Vt spes sit salutaris, debet esse semper connexa fidei & charitati. Fidei quidem, quia *sine fide*, teste Apostolo, *impossibile est placere DEO*. Charitati, quia sine ea nihil prosunt excellentissima opera teste eodem. *Qui non diligit*, ait B. Ioannes, *manet in morte*. Quod autem ad ordinem & originē harum trium virtutum attinet. Spes oritur ex fide. *Fides enim est*, teste Paulo, *sperandarum substantia rerum* id est, fundamentum. Docet siquidem Christum venisse, vt peccatores saluos faceret, vnde spes nobis orta salutis. Charitas vero oritur ex spe, vt docet S. Augustinus in Ioannem: licet alio quodam modo etiam spes oriatur ex charitate: *non enim speratur, quod non amatur* teste eodem Augustino in Enchiridio. Vnde S. Ambrosius in c. 17. Lucæ. *Ex fide*, ait *charitas, ex charitate spes, & rursus in se sancto quodam circuitu reuoluuntur.*

Heb. 11. 6. 1. Cor. 13. 1. 1. Ioan. 3. 14. Heb. 11. 1. A. tract. 83. A. c. 117.

II. Conditio. Debet esse certissima & firmissima, quia fide Catholica nititur, qua nihil certius. Vnde Apostolus agens de fide & fiducia Abrahæ. *In quo*, inquit, *abundantius volens DEVS ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam & incedentem vsq; ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.* Ex quibus verbis quatuor vel quinq; alia argumenta suppetunt, cur spes nostra in Deum esse debeat certissima. 1. quia nititur promissioni diuinæ, quæ infallibilis est. 2. quia iureiurando DEI. 3. quia vocat anchoram animæ, tutam & firmam, vt declaret spem nostram esse inexpugnabilem & omnibus huius seculi fluctibus & tempestatibus fortiorem: anchoris enim naues maximæ alligantur, ne vi tempestatum disiiciantur. 4. quia addit eam, non bonis corporalibus vel Spiritalibus huius seculi contentam, ad interiora velaminis progredi, id est, ad felicitatem æternam iam nobis velatam, ad Dei visionem & Deum ipsum. 5. quia indicat nos spei beneficio iam cœli possessionem adiisse in Christo capite nostro. *Vbi præcursor inquit, pro nobis introiit IESVS.* præcursorem autem vocat, vt indicet nos, inquit Theophylactus, secuturos,

Heb. 6. 15.

ros. Deniq; ibi Christum ipsum, non semel in anno interpellare pro populo, vt faciebat veteris legis Pontifex, sed in æternum. *Vnde & saluare,*
Heb.7.25. ait cap. 7. *in perpetuum potest accedens per semet ipsum ad Deum semper viuens ad in-*
Iob.13.15. *terpellandum pro nobis.* Hac spe fretus dicebat Iob. *Etiamsi occiderit me, in i-*
Psal.26.3. *pso sperabo.* Et Dauid. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: Si*
Rom.8.38. *exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Et Paulus. *Certus sum, quia neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, &c. neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo IESV.*

III. Conditio. Non est tamen tam absoluta certitudo Spei, vt excludat omnem timorem, quia potest fieri vt ex parte nostra vel dispositio-
Phil.2.12. nis nostræ accidat defectus. Vnde Apostolus monet, vt cum timore & tremore salutem nostram operemur. Quamuis enim charitas spei aduemiens minuat paulatim timorem, seruilem, non tamen eo vsq; minuit in hac vita, vt inducat securitatem. De qua re agens S. Bernardus in Canti-
B.serm. 51. Psal. 4. 10. ca, dum exponit versum Psalmistæ. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Donec,* inquit, *quis premitur à Spiritu seruitutis, parumq; habet de spe, de timore plurimum, non est ei pax neq; requies fluctuante nimirum conscientia inter spem & timorem, maximeq; quod à superexcellente timore abundantius crucietur: nam timor pœnam habet. Et ideo non est illi dicere. In pace in idipsum dormiam & requiescam, quando nec dum se singulariter in spe constitutum dicere potest. Cæterum si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, & proficere spes, cum demum ad hoc ventum fuerit, vt totis viribus exurgens charitas in adiutorium spei foras mittat timorem, nonne eiusmodi anima singulariter in spe constituta, videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire iam & requiescere? Si dormiatis, inquit, inter medios cleros*
Psal.67.14. *pennæ columbæ deargentatæ? Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem & securitatem, tanquam inter læuam & dexteram, media videlicet spes, in qua mens & conscientia molli nimirum supposito charitatis stratu suauissimè requiescit.*

IIII. Conditio. Immò Timor Dei ab ea diuelli nequit. *In timore enim Domini,* inquit Salomon, *fiducia fortitudinis, & filiis eius erit spes; gloria & diui-*
Prou.14.26. *tiæ in domo eius.* Et Ecclesiasticus. *Qui timetis Dominum sperate in illum.* Et.
Eccl. 2. 9. Ib. 16. *Oculi Domini ad timentes eum.* Et D. Virgo Maria. *Misericordia eius à progenie in*
Luc.1.50. *progenies timentibus eum.* Vnde Augustinus sermone 15. ad fratres in eremo. *O spes,* inquit, *tu omnia portare facis dulciter & suauiter. Eia ergo fratres hanc amate, hanc tenete, non tamen sine timore, quia qui sperat, & non timet negligens est, qui autem timet & non sperat, depressus est, & descendit in profundum quasi lapis.* Et S.
B.serm.7. Bernardus in Cantica, agens de osculo duorum pedum Domini, *Pulchre,*
Psal. 84. 16. ait, *omnino, quoniam quidem incarnata Dei Sapientia, misericordia & veritas obuia-*
Psal.24.10. *uerunt sibi, deniq; vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Felix mens, cui semel dominus IESVS vtrumq; infixerit pedem. A duobus signis cognoscite ea, quæ huius-*

modi

modi est, quæ secum necesse est referat diuinis impressa vestigiis. Ipsa sunt timor &
spes, ille iudicii, ista misericordiæ repræsentans imaginem. Merito beneplacitum est Deo
super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, cum sapientiæ timor Psal. 46. 11.
initium sit, spes profectus: nam consummationem sibi charitas vendicat. Quæ cum ita
sint, non paruus fructus est in primo hoc osculo quod ad pedes accipitur, tantum curato,
vt neutro frauderis illorum. Alioquin alterum sine altero osculari non expedit, quia
& recordatio solius iudicii in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fal-
lax assentatio pessimam generat securitatem.

V. Conditio est patientia in tribulationibus, nam cum Apostolus
in epistola ad Romanos dixisset. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei,* addi- Rom. 5. 2.
dit. *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio*
patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Hanc tra-
dit S. Cyprianus de bono Patientiæ his verbis. *Tolerandum & perseueran-*
dum est fratres dilectissimi, vt ad spem veritatis & libertatis admissi, ad veritatem &
libertatem ipsam peruenire possimus, quia hoc ipsum, quod Christiani sumus, fidei & spei
res est; vt autem spes & fides ad fructum sui possint peruenire, patientia opus est. Non
enim præsentem gloriam sequimur, sed futuram, quod Paulus Apostolus monet dicens. Rom. 8. 23.
Spe saluati sumus. Spes autem quæ videtur non est spes: quod enim videt quis, quid
sperat? Si autem, quod non videmus speramus, per patientiam expectamus, propterea
expectatio & patientia necessaria est: vt id quod esse cæpimus, impleamus, & quod credi-
mus & speramus Deo præstante capiamus. Et S. Bernardus in psalmum, Qui B. serm. 17. in
habitat. *Prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in spe gloriæ magni DEI. Non so-* ps. 90.
lum autem sed vt dicam expreßius, gloriemur in tribulatione: in ea siquidem spes gloriæ
est. Vide si non hoc ipsum docere voluit Apostolus, cum subiunxit. Quoniam tribula-
tio patientiam operatur, &c. Manifesté aduertere est in his verbis, cum præmisisset
Apostolus, gloriari in spe, non aliud aliquid, sed amplius eum addidisse dicendo. Non so-
lum autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Non enim altera gloriatio commen-
datur, sed additur, vbi spes gloriæ, vbi ipsa spes gloriatio requiratur. Siquidem in tribu-
latione spes gloriæ, imò & ipsa in tribulatione gloria continetur. sicut spes fructus in
semine, sic & ipse fructus in semine est.

VI. Conditio, vt spes vel fiducia in solo Deo figatur: dicit enim
Dominus ipse apud Osee prophetam. *Perditio tua Israhel, tantummodo in me*
auxilium tuum. Vnde rex Dauid. *Dominus firmamentum meum, & refugium* Ose. 13. 9.
meum, & liberator meus. Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eum. Et. *In te confi-* Psal. 7. 3.
dit anima mea. Et. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.* Et rex Psal. 56. 2.
Salomon. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Et Ecclesiasticus. *Con-* Psal. 117. 8.
fide in Deo, & mane in loco tuo. Et Ieremias. *Benedictus vir qui confidit in Domino.* Prou. 3. 5.
Et Paulus in altera ad Corinthios. *Ipsi in nobisipsis responsum mortis habuimus, vt* Eccl. 11. 22. Ier. 17. 7. 2. Cor. 1. 9.

non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos. Et ad Colossenses.
Col 1. 28. *Christus in nobis spes gloriæ, quem nos annunciamus.* Deinde S. Patres. S. Basilius
B. orat. 7. in oratione de Virtute & vitio. *Beatus*, inquit, *qui omni spe rerum huius mundi*
seipsum orbauit, ac in solo Deo omnem spem fixit atq; locauit suam, sicut enim execran-
dus est ille homo, qui spem suam positam habet in homine, ita omni laude dignus, qui ex
Deo totus pendet. Et in oratione de principatu. *Sicut nulli alii nos præterquam*
Id. orat. 20. *soli Deo cultum tribuere par est, sic etiam neq; ulla in alia re spem nostram constituere de-*
bemus quam in Deo omnium rerum Domino. Qui enim in homine spem suam collocat,
aut qui ob aliud quiddam ex rebus humanis se iactat, veluti ob potestatem, aut pecuni-
as, aut aliquid eorum, quæ vulgò splendida existimantur, is non potest dicere. Domine
Cl. 2. strom. *Deus meus, in te spem defixi meam.* Et ante eum Clemens Alexandrinus. *In*
solo Deo fiduciam habuimus, quem scimus non transgressurum ea, quæ sunt ab ipso pul-
chrè nobis promissa. Hieron. libro tertio aduersus Pelagianos. *Salomon loqui-*
Prou. 3. 5. *tur. Esto confidens in Dominum in toto corde tuo: in tua autem sapientia ne exalteris: in*
omnibus viis tuis cognosce eum, vt rectas faciat vias tuas. Intellige quid loquitur. Nec
in sapientia nostra, nec in vllis virtutibus confidendum, sed in solo Domino, à quo gressus
H. lib. 4. c. 14. *hominis diriguntur.* Et in Ezechielem. *Quod si in aliquo fiducia est, in solo Domi-*
Ierem. 17. 5. *no confidamus. Maledictus enim omnis homo qui spem habet in homine, quamuis sancti*
Psal. 145. 2. *sint, quamuis prophetæ. Legimus, nolite confidere in hominibus. Et iterum. Bonum est*
Psal. 117. 9. *confidere in Domino, quam confidere in principibus. Non in principibus tantum seculi,*
sed & in principibus Ecclesiarum, qui suas tantum animas, si iusti fuerint, liberabunt.
B. serm. 9. Cur autem in solo Deo meritò fidendum sit, tractat S. Bernardus in psal-
mum 90. vltra medium.

VII. Conditio, vt à Deo speretur non solum vita æterna, verum et-
iam illa, sine quibus obtineri nequit, cuiusmodi sunt, *Dei gratia & amicitia,*
remissio peccatorum, virtutes & dona omnia sine quibus Christiani hominis sta-
tus non perficitur, & ab Apostolo nomine Sanctificationis continentur;
Rom. 6. 22. vt eum ait ad Romanos. *Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, ha-*
betis fructum vestrum in Sanctificatione, finem verò vitam æternam. Causa autem
huius spei est Christus dominus mediator noster, qui factus nobis à Deo
iustitia, sanctificatio & redemptio sanguine suo meruit, vt illa speraremus.
Rom. 5. 2. *Per quem*, ait idem *& habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, &*
gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI. Atq; hæc causa est, cur ab Apostolo Chri-
stus non solum mediator nominetur, sed & spes nostra. SECVNDO spe-
randa sunt à Deo quæcunq; mortalibus in hac vita sunt conducibilia, siue
æterna siue temporalia, & in oratione Dominica à Christo præscripta con-
tinentur. Vnde S. Augustinus in Enchiridio. *De iis omnibus quæ fideliter sunt*
A. c. 114. *credenda, ea tantum ad spem pertinent quæ in oratione Dominica continentur.* Et rur-
Id. c. 115. sus. *Apud Euangelistam Matthæum septem petitiones continere Dominica videtur*

oratio,

oratio, quarum in tribus æterna poscuntur, in reliquis quatuor temporaria, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria.

CAPVT III.

De dignitate, necessitate & fructu eiusdem Virtutis.

DIGNITAS, vel excellentia Virtutis SPEI primo inde liquet & lucet, quod sit vna ex tribus virtutibus Theologicis; deinde, quod circa nobilissimum obiectum versetur, nempe vitam æternam; tam nobilem & sublimem, vt teste Apostolo qui in tertium cælum ascenderat, tale 1.Cor.2.9.
quid *nec oculus viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis ascenderit.* Consistit siquidem vita æterna in contemplatione ipsius Dei, quo nihil est excellentius. Quod agnoscentes Sancti ipsum Deum vel Christum vocarunt spem nostram, vt Psaltes regius. *Deduxisti me, quia factus es spes mea.* Et *Domine* Psal.60.4.
spes mea à iuuentute mea. Et. *Quoniam tu es Domine spes mea.* Et Ieremias. *Spes* Psal.70.5.
mea tu in die afflictionis. Et S. Paulus ad Timotheum. *Paulus Apostolus* Psal.90.9.
secundum imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ. Vnde S. Bern- Ier.17.17.
ardus in Psalmum 90. *Quod dicit. Tu es Domine Spes mea, forte amplius ali-* B.serm.9.
quid sonat & sublimius, quod videlicet non modo in eo speret, sed eum. Conuenientius siquidem spes nostra dicitur, quod speramus, quam in quo speramus. Sunt autem forte nonnulli, qui à Domino obtinere temporalia seu spiritualia quælibet concupiscunt, sed perfecta charitas solum sitit, quod summum est, tota desiderii vehementia clamans. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Et S. Augustinus exponens verba illa. *Deduxisti me,* Psal.72.25.
quia factus es Spes mea. Ille, inquit, *si nostra spes factus non esset, non nos deduceret.* Psal.60.4.
Deducit tanquam dux, & in se ducit tanquam via, & ad se perducit tanquam patria. Deducit ergo nos. Vnde? quia factus est spes nostra. Vnde factus est spes nostra? Ecce sic quomodo nunc audistis, quia tentatus est, quia passus est, quia resurrexit, factus est spes nostra. Quid enim nobis dicimus, quando hæc legimus? Non enim perdet nos Deus propter quos filium suum misit tentari, crucifigi, mori, resurgere. Non enim verè nos despicit DEVS, propter quos filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Sic ergo factus est spes nostra. In illo vides & laborem tuum, & mercedem tuam, laborem in passione, mercedem in resurrectione. Sic ergo factus est spes nostra. Quo sensu & Tertullianus in libro de Carne Christi dixit vnicam spem totius orbis esse Christi passionem. Sed sit satis de dignitate.

NECESSITAS sequitur sperandi in Deum & fiduciam in eo col-

A c 3 locandi, quæ eadem est cum necessitate Deum colendi, quia teste S. Augustino in Enchiridio, fide, spe & charitate Deum colimus. Scriptura verò Sacra, duo pro hac necessitate suppeditat argumenta. Alterum, quod in ea reprehendantur, qui in aliis rebus, Deo excluso, spes suas defigunt. vti sunt, de quibus psalmista. *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diui-*
Psal.48.7. *tiarum suarum gloriantur. Nolite confidere in principibus,* ait idem, *neq; in filiis ho-*
Psal.145.2. Prou.11. & 28. *minum in quibus non est salus.* Et Salomon. *Qui confidit in diuitiis suis corruet.*
Isa.31.1. Et. *Qui confidit in corde suo stultus est.* Et Isaias. *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equiti-*
Ier.17.5. *bus, quia præualidi nimis, & Dominum non requisierunt.* Et Ieremias. *Maledictus*
1.Tim.6.17. *homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Et Paulus. *Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo vi-uo.* Alterum est, quod in ea iubeamur spem omnem defigere in Deo. vt
Prou 3.5. in Prouerbiis. *Habe fiduciam in Domino DEO tuo.* Et in psalmis. *Sperate in eo*
Psal.61.9. *omnis congregatio populi.* Et apud Ecclesiasticum. *Confide in Deo, & mane in lo-*
Eccl.11.22. *co tuo.* Et. *Crede Deo, & Spera in illum.* Vnde. S. Augustinus in sermone de
Eccl.2.6. A. serm.53. de temp. 1.Cor.13.13. fide, spe & caritate. *Tria,* inquit, *quædam proposuit animæ nostræ necessaria beatus & egregius gentium doctor, dicens: Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas. Primum ergo fides catholica Christiano necessaria est,* &c. *Post hanc fidem spem firmam habere discite.*

FRVCTVS deniq; virtutis spei multiplex est. quod non confundat
Rom.5.5. sperantem. *Spes autem,* inquit Apostolus, *non confundit, quia charitas Dei diffu-*
Psal.30.1. *sa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et Dauid. *In te*
Eccl.2.11. *Domine speraui, non confundar in æternum.* Et Ecclesiasticus. *Scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est.* Vnde S. Augustinus in psalmum 36. *Quis est, qui confunditur? Qui dicit, quod sperabam non inueni. Non immerito. Sperabas enim de te, aut sperabas de homine amico. Maledictus autem, qui spem suam ponit in hominem. Confunderis quia fefellit te spes, fefellit spes posita in mendacio: omnis enim homo mendax. Si autem ponas spem tuam in Deo tuo, non confunderis, quia ille in quo spem posuisti falli non potest. Vnde & ille, quem paulo ante commemoraui, iustus confirmatus positus in tempore malo, in die tribulationis, quia non confundebatur, quid ait? Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Vnde spes non confunditur? quia in DEO posita est: ideo sequitur. Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Iam datus est nobis Spiritus Sanctus; quomodo nos fallit, cuius tale pignus tenemus?*

II. Fructus est, quod nos saluet, & beatos reddat in hac vita. *Spe salui*
Rom.8.24. *facti sumus,* ait idem Apostolus. Et Psaltes. *Beatus vir cuius est nomen Do-*
Psal.39.5. *mini spes eius.* Et Salomon. *Qui sperat in Domino beatus est.* Et. *Qui sperat in Do-*
Prou.16.20. Isa.30.18. *mino saluabitur.* Et Isaias. *Beati omnes, qui expectant Dominum.* Duplici autem sensu

ſenſu ſecundum S. Auguſtinum ſpei beneficio dicimur hic ſalui & beati. Semel, quia vt habet in pſalmum 133. *Spes noſtra tam certa eſt, quaſi iam res perfecta ſit. Neq; enim timemus promittente veritate. Veritas enim nec falli poteſt, nec fallere.* Iterum, quia vt habet libro vndecimo contra Fauſtum Manichæum, A. c. 7. *ſpes nobis in Chriſto eſt, in quo iam completum eſt, quod nobis promiſſum ſperamus. Ille quippe iam reſurrexit, & mors ei vltra non dominabitur*: Vnde alio loco dicit. *Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum quærite: nondum vtiq; reſurreximus ſicut Chriſtus, ſed tantum ſecundum ſpem.*

III. Fructus eſt, ingens lætitia & conſolatio. Vnde idem Apoſtolus ad Romanos. *Spe*, inquit, *gaudentes.* Et ad Hebræos. Rom. 12. 12. *Fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.* Heb. 6. 18. Et rex Dauid. *Lætentur*, inquit, *omnes qui ſperant in te Domine.* Et Eccleſiaſticus. *Sperate in illum, & in* Eccl. 2. 9. *oblectationem veniet vobis miſericordia*: Vnde Auguſtinus in pſalmum 127. quæſtione poſita cur Dauid dicat. *Labores manuum tuarum, quia manducabis.* Quis enim, ait, labores manducat, & non potius fructus laborum? reſpondet. *Modo labores habemus, fructus poſtea erit. Sed quia & ipſi labores non ſunt ſine gaudio propter ſpem, de qua paulo ante diximus, Spe gaudentes, in tribulatione patientes, modo nos ipſi labores iucundant, & lætos faciunt de ſpe. Si ergo labor noſter potuit manducari, & potuit iucundare, manducatus fructus ipſius laboris, qualis erit? Manducabant labores ſuos, qui euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. Quanto iucundius manducabunt fructus laborum, qui venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos?*

IV. Fructus eſt inuictum robur animi in aduerſis, quale apparuit in Martyribus, qui ſola ſpe remunerationis æternæ fulti acerbiſſima tormenta ſuſtinuerunt. Vnde Pſalmiſta. *In Domino ſperans non infirmabor.* Et. *Qui* Pſal. 25. 1. *confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem.* Et Iſaias. *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra: beati omnes, qui expectant dominum.* Pſal. 124. 1. Et. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument* Iſa 30. 15. *pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Iſa. 40. 31. S. Ambroſius in 118. pſalmum ſcribens, de hoc fructu Spei ita loquitur. A. ſerm. 15. *Eſto ſint aliqui duri ad labores, firmi ad iniurias perferendas, ſi ſpem auferas, non poteſt perpetua eſſe patientia. Ipſa patientia non probatur, ſi fides deſit, cuius radix ſpes eſt. Quæ enim poteſt probatio eſſe, niſi pro Chriſti nomine, vel incommoda, vel pericula vniuerſa ſuſtineas. Ideo ſpes eſt ſola, quæ noſtrum non confundit affectum. Vbi eſt ſpes, Apoſtolicum illud, foris pugnæ, intus timores, nocere non poſſunt.* Deniq; ſpem vnicum eſſe & præſens afflictis & calamitoſis remedium, ſæpius notauit Grego. Nazianzenus vt oratione prima de pace, & oratione de pauperum amore. Et Greg. G. lib. 2. hom. 17. Romanus in Ezechielem. *Spes cœleſtium mentem ſolidat, ne concutiatur fluctibus tumultuum terrenorum; De qua & per Paulum dicitur. Quam ſicut anchoram* Heb. 6. 19.

habemus

Id.c.16. *habemus animæ tutam ac firmam.* Et Sexto moralium. *Spes in æternitatem animus erigit, & idcirco nulla mala exterius quæ tolerat sentit.*

V. Fructus est, immunitas à peccatis. Ait enim Psalmographus.

Psal.31.23. *Et non delinquent omnes qui sperant in eo.* Hanc obseruauit Ioann. Cassianus

Cass. coll. 11. c. 6. ex sententia Abbatis Chæremonis, dum ait. *Tria sunt quæ faciunt homines à vitiis temperare, id est, aut metus gehennæ, siue præsentium legum, aut spes atq; desiderium regni cælorum, aut affectus boni ipsius, amorq; virtutum. Nam timor ita mali contagium legitur execrari. Timor Domini odit malitiam. Spes etiam viciorum omnium excludit incursum. Non enim delinquent omnes qui sperant in eum.*

CAPVT. IV.

De Mediis ad alendam, augendamuè Spem accommodatis.

1.Ioan.3.21. PRIMVM Medium est Conscientia bona. *quoniam si cor nostrum* inquit, B. Ioannes, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo.* Quia autem conscientia bona nascitur ex bona vita, bonisq; operibus, mox subiicit. *quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.* Similiter B. Paulus bonæ conscientiæ bonam

2.Cor.1.12. vitam consociat in altera epistola ad Corinthios dicens. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate & sinceritate DEI, & non in Sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.* Vnde S. Augustinus in præfatione psalmi 31. ita scribit. *Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. Et erunt tria hæc de quibus dixit*

1.Cor.13. *Apostolus, Fides, spes, charitas. Et alio loco ipsa tria, sed pro spe bonam conscientiam posuit. Finis, inquit, præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta: Pro spe conscientiam posuit. Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quem verò pungit mala conscientia retrahit se à spe, & non sibi sperat nisi damnationem. Vt ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam: & vt habeat bonam conscientiã, credat & operetur: quia quod credit fidei est, quod operatur charitatis est.* Hoc medio vel antidoto spem suam communiuit apud Danielem Susanna

Dan.13.35. cum à senibus impudicis falso de adulterii crimine accusaretur. *Flens enim,* vt habet historia, *suspexit in cœlum, erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Quatenus autem fiducia in bonis operibus locari queat, supra di-

Cap.2.&6. ximus in Verbo, Opera Bona.

II. Medium est Patientia afflictionum pro Christi nomine, vel volun-

Rom.8.17. taria earundē susceptio. *Si enim compatimur,* ait Apostolus *& conglorificabimur.*

Vnde

Vnde idem cum in epiſtola ad Hebræos primos fideles gentis ſuæ egregie collaudaſſet, quod vinctis compaſſi eſſent, & rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcepiſſent. *Nolite*, inquit, *amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.* Heb. 10.35. Eodem ſpectat quod idem Apoſtolus in epiſtola ad Romanos cum dixiſſet, ſe gloriari in tribulationibus, Rom. 5.5. cauſam addit hanc, *ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem.* Quo quis enim plura patiatur, hoc copioſiorem mercedem ſibi parat iuxta promiſſionem Chriſti, in cœlis: Matth. 5. 12. augeſcente verò mercede, augeſcit & ſpes eiuſdem.

III. Eſt fortitudo animi, in præſtandis diuinis mandatis, & ſuperandis omnibus obſtaculis, quæ ſolent curſum virtutis remorari. Vnde propheta clamat. Pſal. 26. 14. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Et. *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in* Pſal. 30.25. *Domino.* Exemplum habemus Hierichuntini cæci, qui cum ſpe recuperan- Luc. 18.39. di viſus imploraret auxilium Chriſti, & circumſtantes eum ob rem illam, velut importunum, increparent, ipſe, inquit S. Lucas *multo magis clamabat Fili Dauid miſerere mei.* Et quod ſperauit, impetrauit. illa enim natura eſt hominis in fide & charitate feruentis, vt quo plus tacere iubetur, hoc clarius ſe per confeſſionem exerat. C. hom. 26. ep 10. imperf. *Virtus fidei*, ait Chryſoſtomus in Matthæum, *in periculis ſecura eſt, & in ſecuritate periclitatur. Quid enim aliud ſic vigorem fidei in hominibus laxat ac longa tranquillitas?* Cyp. ſerm. de lapſis. Et S. Cyprianus. *Traditam nobis diuinitus diſciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem, & pœnè dixerim, dormientem cenſura* H. lib. 7. *cœleſtis* (id eſt perſecutio) *erexit.* Et S. Hilarius de Trinitate. *Proprium hoc Eccleſiæ eſt, vt tum vincat, cum læditur: tum intelligat, cum arguitur, tum obtineat, cum* A. lib. 7. *deſeritur.* Et S. Ambroſius in Lucam. *Vt vinea dum ligatur erigitur & reciſa non minuitur, ſed augetur: ita ſancta plebs dum ligatur erigitur, dum humiliatur attollitur: dum reciditur, coronatur.*

IV. Diuinæ opis imploratio per preces ad Deum directas. Eſt enim oratio Chriſtiana non modo ſpei ſoboles, ſed etiam tota nititur fiducia ad id obtinendũ à Deo, quod poſtulat. *Si quis* inquit S. Iacobus, Iab. 1. 5. *indiget ſapientia, poſtulet à Deo: poſtulet autem in fide, nihil hæſitans.* 1 Ioan. 5. 14. Et S. Ioannes. *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos.* Eandem fiduciam, & quidem conſtantem declarauit Luc. 11. 5. ſaluator parabola eius, qui ab amico media nocte importunè petiit ſibi commodari tres panes, & ob importunitatem, vel in petendo perſeuerantiam impetrauit, nam mox ſubdit. *Et ego dico vobis. Petite & dabitur vobis. Omnis enim qui petit accipit. Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut ſi petierit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionem?* Quæ verba tractans S. Auguſtinus epiſtola ad Probam, de orando Deum, per panem A. ep. 121. c. 7.

 charita-

charitatẽ, per piscem fidẽ, & per ouum intelligit spẽ, quia *vita pulli nondum est, sed futura est: nec iã videtur, sed adhuc speratur. Spes enim quæ videtur, non est spes.*

V. Inuocatio D. Virginis MARIAE, aliorumque sanctorum, siue angelorum, siue hominum: in quorum precibus spem & fiduciam collocamus, sed longè inferiori modo, quam in Deo. In illis enim eo sensu spem nostram collocamus, quod speremus eos nos suis precibus adiuturos apud Deum, hoc est, non Dei, sed nostrum officium subituros. Sic Paulus implorabat preces aliorum fidelium pro felici prædicationis Euangelicæ cursu. Sic filii Israel preces prophetæ Samuelis, sic Deus amicos Iob, remittit ad Iob, vt eius in precando auxilium requirant. Sanctorum enim hominum preces longe sunt gratiores Deo, & vt est in Apocalypsi, *sicut fumus aromatum ascendunt ante Deum.* Quare cum inter omnes sanctos gloriosissima Dei mater Virgo MARIA in hoc genere merito emineat, vt præsto sit omnibus eius patrocinium apud filium poscentibus, iure ab Ecclesia in antiphona SALVE regina vocatur *Spes nostra*, vt eam quoque appellauit B. Ephræm in oratione de laudibus sanctissimæ Dei matris. B. Aug. serm. 18. de sanctis & alii Patres, idq; sine vlla Dei vel Christi iniuria, haud secus, quã Apostolus sine vlla Christi iniuria vocauit Thessalonicenses Christianos *spem suam, gaudiũ & coronam gloriæ*, sperans suã gloriã eorum, quos conuerterat, sancta vita & conuersatione adauctum iri.

Iob. 42. 8.

Apoc. 5. & 8.

1. Thes. 2. 19.

VI. Medium; sæpe mente recolere, quã immensa ac prorsus incõparabilis felicitas nobis promissa & præparata sit in cœlo, si in fide per charitatẽ operante vsq; ad finẽ vitæ persistamus, vt quantam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderit, cũ qua si non solũ laboris nostri pro Christo suscepti, sed etiã passiones nostræ comparentur, nullo modo eius dignitatẽ, vt loquitur Apostolus, exęquare queãt. Meminisse itẽ illud, nec Calicẽ aquæ frigidæ, pauperi porrectũ nomine Christi, vel aliud bonum opus præstitũ sua remuneratione ibi cariturũ. Id vero quod *in præsenti* contigerit *momentaneum vel leue tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitate æternũ gloriæ pondus operaturũ, non contemplantibus nobis quæ videntur*, vt loquitur idẽ Apostolus *sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* Qua cogitatione perculsus B. August. librum de libero arbitrio tertiũ his verbis conclusit. *Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis atq; sapientiæ, vt si non liceret amplius in ea manere, quã vnius diei mora, ꝓpter hoc solũ innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis, & circũfluentia temporaliũ bonorum rectè meritoq; contẽnerentur. Non n. falso aut paruo affectu dictũ est. Quoniã melior est dies vnus in atriis tuis sup millia.*

Rom. 8. 18.

2. Cor. 4. 17.

Psal. 83. 11.

VII. Expendere exempla Patrum veteris & noui testamẽti, qui fiducia in Deum excelluerunt, cuiusmodi complura collegit in variis Dominicis Promptuarii sui Stapletonus.

TEM-



T

TEMPERANTIA.

CAPUT I.

Quid sit Temperantia, quæque eius partes.



TEMPERANTIAM, quam latinæ linguæ princeps moderationem, modestiam, nonnunquam etiam frugalitatem appellat, B. Ambrosius libro primo de S. Iacob. & vita beata, agens de vorandi libidine, & effusione luxuriæ, ita describit. *Temperantia est virtus quæ maximè istarum passionum restinguit ardorem, quæ primum sobrietate atque moderatione animum temperat, mentem informat; deinde etiam delitiarum abstinentia restinguit habenas corporalis ferocitatis.* Breuius B. August. libro primo de libero arbitrio. *Temperantia est animæ affectio coercens & cohibens appetitum ab iis rebus, quæ turpiter appetuntur.* Et lib. 83. quæstionum. *Temperantia est rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio.* Quæ definitio sumpta est ex Cicerone libro 2. de Inuentione. Clarius & plenius cum B. Thoma in summa Theologica & Philosopho definiemus esse virtutem moralem earum passionum appetitus concupiscibilis, quæ circa delectabilia corporis, iuxta sensum tactus in vsu cibi & potus & Venereorum versantur, moderatricem.

Cic. 3. Tusc. & 2. de Fin. A. c. 2. A. c. 13. Id. q. 31. S. Tho. 2. 2. q. 141. Arist. 3. eth. c. 10.

PARTES eius, si de integralibus sermo sit, duæ sunt. Honestas & verecundia, de quibus B. Ambrosius primo de officiis, & nos suo loco. Si verò de subiectiuis, quæ sunt q. eius species, numerantur quatuor, abstinentia, sobrietas, castitas vel pudicitia, & virginitas. Abstinentia est virtus moderatrix voluptatum in vsu ciborum, de qua Aug. l. 10. Confessionum Deum alloquens dixit. *Hoc me docuisti, vt quemadmodũ medicamenta, sic alimentũ sumpturus accedã.* Sobrietas est virtus moderatrix voluptatis in vsu potus, de qua apud Ecclesiasticũ. *Æqua vita hominibus vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, eris sobrius.* Pudicitia est moderatrix voluptatũ venerearũ, vel eas repudiãs, vel nõ aliter eis vtẽs, quã per cõiugii leges fas est. Vocatur autẽ pudicitia à pudore q circa vsũ venereorũ existit, sic & B. Aug. l. 1. de ciuitate Dei, quia ipse concubitus cõiugalis, qui secundũ matrimonialiũ pscripta tabula-

A. c. 45. 46. 47. A. c. 31. Eccli. 31. 32. A. c. 15.

tabularum procreandorum fit causa liberorum, quanquam sit licitus & honestus, remotum ab arbitris cubile conquirat. Virginitas est virtus, qua quis firmo animi proposito abstinet ab omni actu Venereo & illibatam seruat corporis integritatem. Vnde B. Ambrosius libro de Virginibus. *Castitas,* inquit, *Virginalis est expers contagionis integritas.* Hæc virginitas si Deo per votum consecretur, pertinet etiam ad religionis virtutem. De qua Augustinus libro de sancta virginitate. *Nec nos hoc in Virginibus prædicamus quod virgines sunt, sed quod Deo dicatæ pia continentia Virgines,* de quibus illud Christi dictum intelligendum est. *Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum,* teste eodem Augustino.

A.c.11.

Matth. 19.12. Ibid.c.23.24.

CAPVT II.

De dignitate huius Virtutis, necessitate & Vtilitate.

DIGNITATEM Virtutis Temperantiæ inde coniicimus, quod non modo à Philosophis, verum etiam à S. Patribus referatur inter quatuor virtutes principales, quas Patres vocant Cardinales, quod sint quasi omnium aliarum virtutum fontes & cardines, & quemadmodum ostium in cardine sic omnis honestæ vitæ ratio contineatur in illis. Vnde S. Ambrosius confert eas cum quatuor beatitudinibus. B. Prosper verò & S. Gregorius quatuor paradisi fluminibus, quatuor Euangeliis, quatuor elementis & quatuor mundi angulis vel partibus, Orienti, Occidenti, Aquiloni & Meridiei. Et apud Sapientem eas coniunctas reperimus, cum ita loquitur, *Sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem* Quem locum tractans S. Augustinus libro primo Retractationum, *His nominibus,* inquit, *latinus interpres quatuor illas virtutes, quæ maxime in ore Philosophorum esse assolent nominauit, sobrietatem appellans temperantiam, fortitudinem verò virtutis vocabulo enuncians.* Deinde numeratur hæc virtus, vt cæteræ tres, inter diuina Dei dona. Ita enim scribit dictus Beatus Prosper loco allegato. *Veruntamen hoc in primis nosse & tenere debemus, quod istæ quatuor virtutes vel omnes, quæ ex illis existunt, dona sint DEI, & quod nullus eas habet, habuit, aut habebit, nisi cui DEVS, qui est omnium virtutum proprietas & origo, contulerit quoniam quicunque quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes ex fide vixerunt, illius dono temperantes ac prudentes iusti ac fortes fieri vtique potuerunt.* Et Clemens Alexandrinus. *Oportet,* inquit, *nos exercere ad ea cauenda quæ sunt obnoxia vitiis: fugiendo, vt ii qui verè sunt Philosophi, eos cibos, qui incitant ad libidinem, &c. Est enim donum Dei maximum temperantia.* Et S. Bernardus in Cantica *prorsus contendit temperantiam in scripturis vocari sanctificationem. Audi,* inquit, *ipsum præcipuè Apostolum, quam familiare habeat, vel vti, vel vsurpare sanctificationem*

Am. in 6. Luc. Prof. 3 de vita cont. cap. 18. Greg. 2. moral. c. 36.

Sap. 8. 7. August. cap. 7.

Clem. 2 strom.

Bern. serm. 22.

cationem in hoc sensu. Hæc est, inquit, voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt sci- 1.Thess.4.3.
at vnusquisq; vestrum suum vas possidere in sanctificatione, & non in passione
desiderij. Item. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctifi-
cationem. Liquet quod sanctificationem pro temperantia ponit. Et paulo
post. *Incassum quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas*
putet quam à Domino virtutum, cuius doctrina seminarium prudentiæ, cuius
misericordia opus iustitiæ, cuius vita speculum temperantiæ, cuius mors insigne
est fortitudinis.

NECESSITAS verò huius virtutis inde comprobatur. PRI- Eccli.31.19.
MO quod eam nobis commendarit mandaritq; Spiritus sanctus in sa-
cris litteris. vt apud Ecclesiasticum. *Vtere quasi homo frugi his, quæ tibi*
apponuntur vt non cum manducas multum odio habearis. Cessa prior, causa
disciplinæ, & noli nimius esse, ne forte offendas. Quam sufficiens est homini
erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties
dolorem. Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum.
Æqua vita hominibus vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, eris
sobrius. Sanitas est animæ & corpori sobrius potus. Et iterum. *Noli auidus esse* Eccli.37.32.
in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam: in multis enim es-
cis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsq; ad choleram. Et apud Ec- Eccl.10.17.
clesiasten. *Beata terra, cuius rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur tem-*
pore suo ad reficiendum & non ad luxuriam. S. Petrus in epistola priore. *So-* 1.Pet.5.8.
brij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens
circuit quærens quem deuoret. Et S. Paulus ad Thessalonicenses. *Non dor-* 1.Thess.5.6.
miamus sicut & ceteri, sed vigilemus & sobrij simus. Et. Nos qui diei sumus, so- Ib.8.
brij simus induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis. Et in pri- 1.Tim.3.2.
ma ad Timotheum. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris*
virum, sobrium, &c. *Diaconos similiter pudicos, non multo vino deditos. Mu-* Ib.8.&11.
lieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias. Et ad Titum. *Tu autem lo-* Tit.2.1.
quere, quæ decent sanam doctrinam; Senes vt sobrii sint, pudici. Anus simili-
ter in habitu sancto, non multo vino seruientes, sobrias, &c. Iuuenes similiter
hortare, vt sobrii sint. Secundo, quia omne genus intemperantiæ Scri-
ptura vetat & damnant. S. Patres item, & Ethnicorum Sapientes, vt
copiose probauimus in PANARIO V. *Ebrietas. Gula. Luxuria. Vo-*
luptas carnis.

VTILITAS deniq; temperantiæ quotidiana est experientia
nota, eoq; luculentius, quo gulæ, ebrietatis, comessationum, omni-
um cupiditatum carnalium fœdissimi fructus magis in vulgus inno-
tuerunt. *Exultatio animæ & cordis,* inquit Sapiens, *vinum moderate pota* Eccli.31.36.
tum Sanitas est animæ & corpori sobrius potus. Et rursus. *Propter crapulam* Eccli.37.34.
multi obierunt, qui autem abstinens est adiiciet vitam. Et S. Paulus in priore

1.Cor.9.25. ad Corinthios, *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam* Et ad
Tit.2.12. Titum. *Abnegantes impietatem & secularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.* D. Ambrosius ad Vercellensem Ec-
A.ep.82. clesiam. *Quid pulchrius abstinentia, quæ facit etiam iuuentutis annos senescere, vt fiat morum senectus? Namq; vt redundantia ciborum ac temulentia etiam maturior ætas calescit, ita mitigatur iuuentutis ferocitas epularum parsimonia, irriguoq; fontis. Quid quod naturæ conueniens temperantia est, atque illi diuinæ legi, quæ in ipso rerum ortu omnes fontes potui fructus arborum esui dedit. Vinum post diluuium iustus ad tentationem sui reperit. Vtamur ergo temperantiæ naturali cibo vtinamq; possimus. Sed quia non omnes fortes,*
1.Tim.5.23. *ideo Apostolus ait. Vino modico vtere propter frequentes tuas infirmitates. Non ergo propter voluptatem bibendum est, sed propter infirmitatem. Pro remedio igitur parcius, non pro delicijs redundantius.* Subiicit deinde exempla Sanctorum, qui hac virtute eminuerunt, vt Danielis cum Hebræ-
P.c.19. is pueris, Iudith, Hester, Eliæ, Elisæi, Ioannis Baptistæ. S. Prosper libro 2. de Vita contemplatiua. *Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Hæc virtus si in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit.*

CAPVT III.

De quibusdam Temperantiæ proprietatibus.

PRIMA proprietas est, quod Temperantia veræ virtutis nomen retinere non queat, nisi reliquas tres virtutes Cardinales sibi habeat annexas. Ita tradit Ambrosius primo libro de officiis, cap. 27. cuius inscriptio est. *Quod virtutes quatuor ita perplexæ sint, vt ab inuicem separari nequeant.* Et in caput sextum Lucæ, vbi cum has 4. virtutes quatuor beatitudinibus Christi comparasset *Connexa igitur* inquit *sibi sunt, concatenatæq; virtutes, vt qui vnam habet, plures habere videatur. Beati igitur pauperes spiritu. Habes temperantiam, quæ à peccato abstinet, seculum calcat,*
A.ep.19. *illecebrosa non quærit.* S. Augustinus vero in epistola ad Hieronymum

appro-

approbat sententiam communem philosophorum, non solum has quatuor, sed etiam omnes virtutes esse inter se connexas, ac ideo necesse esse vt tẽperantia sit *prudens, fortis & iusta*. Idem S. Greg. in Ezech. G.hom.22.
Ecce, inquit, *ipsæ virtutes, quas habere bonos ac fideles diximus ita in quadro sunt, vt vna aliam non excedat. Magna quippe est prudentia, sed si minus est à voluptatibus temperans, minus in periculis fortis, minus in operationibus iusta, profectò minus est prudens. Magna est temperantia, sed si minus intelligit, vnde se temperat, si aduersa sustinere per fortitudinem minus valet; si per præceptionem suam aliquando ad iniustitiæ opera prorumpit, minus est temperans.*

II. Proprietas est, Temperantiam tum demum esse moderatricem voluptatum vel delectationum corporis, hoc est, obtinere nomẽ virtutis, cum illa moderatio est consentanea rectæ rationi, ita vt fiat, quando, quantum, quomodo & vbi oportet, vt docet Aristoteles in libro 3. de moribus: nam quod pusioni satis est, vel nimium in sumptione cibi vel potus, giganti parum est. Regula autem, qua iudicetur an materia sit talis, qualem recta ratio præscribit, continetur in ipsa rerũ necessitate aut vtilitate ad vitam humanã; quæ necessitas vel vtilitas honestati non repugnet. Vnde idem Philosophus loco citato ait *temperantem ea tantum appetere iucunda, quæ vel ad sanitatem, vel ad bonã habitudinem faciunt.* Quod idem docuit S. Hier. in Ezechielem, tractans verba illa. *Inducitis filios alienos incircumcisos corde & incircumcisos carne. Ergo*, ait, *& caro similiter circũciditur, vt nequaq̃ faciamus terrena opera, quæ pro necessitate corporis facere compellimur, cibum capere & potum, &c. quæ tunc circumcidimus, si non ad delicias & ad luxuriam, & ad inertiam, sed ad necessitatem naturæ & corporis istius substentaculum cuncta faciamus.* Et S. Augu\st. libro de moribus Ecclesiæ. *Habet vir temperans in rebus huius vitæ regulam vtroq; testamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ huius, atq; officiorum necessitatem, quantum satis est, vsurpet, vtentis modestia, non amantis affectu.* Quoniam autem necessitati cibi sumendi vel potus semper coniuncta est voluptas; quatenus peam peccetur vel nõ, vide in PANARIO in IV. Antidoto V. Gula.

III. Proprietas est, quod inter Virtutes Cardinales, (licet non eodem ordine semper numerentur à Patribus,) postremum obtineat locum. Teste enim Philosopho libro primo Rhetoricorum eę virtutes ceteris antecellunt, quarum vtilitas latius patet. patent a. latius quæ in commune multitudinis bonum vergunt. *Multitudinis siquidem bonũ*, auctore eodem in 1. Ethico, *diuinius est proprio* vel priuato. Quare cum iustitia & fortitudo, maximè quæ est in bello, Reipub. bonũ promoueant, tẽperantia verò tantum bonũ priuatũ cuiusq; spectet, merito tempantię pręferuntur. Prudẽtia verò idcirco omnib⁹ trib⁹ pręstat,

A.1. offic.c.27. ſtat, quia omnes imperio ſuo dirigit. *Primus officii fons*, inquit S. Ambroſius, *prudentia eſt*.

IV. Proprietas eſt. Si largius nomen Temperantiæ accipiamus, vt fere accipiunt S. Patres, hoc eſt, vt in moderatione qualibet conſiſtat, multo plura illi attribui poſſunt, vt quæ attribuit S. Ambroſius;
A.1.off.43. ait enim. In temperantia *maximè tranquillitas animi, ſtudium manſuetudinis, moderationis gratia, honeſti cura, decoris conſideratio ſpectatur & quæritur.* Et S. Auguſtinus libro de moribus Eccleſiæ. *Curioſi*, inquit, *eſſe*
A.c.21. *prohibemur, quod magnum temperantiæ munus eſt.* Et B. Proſper libro 3. de
P.c.19. Vita contemplatiua. *Temperantiæ eſt, quod ſenioribus reuerentiam exhibemus, æquales germanitus honoramus, iunioribus gratiam paternæ dilectionis impendimus, quod præſtamus loquenti ſeniori ſilentium, quod ipſius ad loquendum præſtolamur imperium, quod non attollimus immoderatum in collocutionibus ſonum, quod riſui prorumpere non permittimus in cachinnum, quod nulli detrahimus, nec detrahentes æquanimiter ſuſtinemus, ſcientes, quod tam illi qui detrahunt, quàm qui detrahentibus acquieſcunt, vanitatis morbo corrupti ſunt.*

DE MEDIIS nihil attinet hic præſcribere, quia REMEDIA omnia in Panario allata, pro EBRIETATE, GVLA, LVXVRIA & VOLVPTATE, ſeruiunt etiam Temperantiæ.

TIMOR DOMINI.

CAPVT I.

Quot ſint timoris ſpecies.



QVO rectius intelligatur, de quo timore hic agatur, Timorem poſſumus diſtinguere in quinq; ſpecies, naturalem, mundanum, ſeruilem, caſtum vel filialem, & initialem. Naturalis eſt paſſio quædam appetitus ſenſitiui, à natura inſita non hominibus modo, ſed etiam brutis, quæ cum in poteſtate noſtra non ſit, nec bona, nec mala dici poteſt moraliter. Bona autem eſt naturaliter, quia ad multa commoda à Deo nobis eſt ingenita teſte S.
Vide Panar. V. Timor. Baſilio in oratione contra iraſcentes. MVNDANVS eſt, quo quis ita reformidat aliquod huius vitæ incommodum vel pœnam, vt ad illud depellendum non dubitet offendere Deum mortaliter, quo timore per-

perculsus fuit Petrus, cum Christum negauit. Atq; hic verè malus est & noxius, quem Christus vetuit apud Matthæum dicens. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et S. Petrus. *Timorem eorum ne timueritis.* A quo liberari petebat Dauid cum sic precaretur. *A timore inimici eripe animam meam.* vti exponit in psalmum 33. S. Basilius, vbi vocat timorem hostilem. SERVILIS est, quo quis timet pœnas à Deo constitutas peccatoribus, & quo proinde mouetur ad rectè agendum, vt illas pœnas effugiat. Oritur autem hic timor propriè non ex amore Dei, sed ex amore sui, quo quisq; scilicet amat incolumitatem suã, suaq; commoda. Atq; ideo appellatur seruilis. Mos enim seruorum est obsequi Dominis, non ex amore ipsorum, sed ex amore sui, ne si non obsequãtur, vapulent ab iis. Vnde S. August. in psalmum 118. *Timor,* ait, *iste, quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, seruilis est.* Filialis est, quo quis timet offendere Deum, & ideo non audet aliquod præceptum præuaricari, ne gratia eius excidat. Dicitur autem filialis, quod nascatur ex amore Dei, sicut timor, quo filii reformidant offensam parentum, nascitur ex filiali amore, quo parentes suos complectuntur. Hic timor appellatur quoq; Castus à S. Augustino in psalmi 118. verba illa. *Confige timore tuo carnes meas.* INITIALIS deniq; est, quo quis ita Dei timet offensionem, vt simul etiam timeat pœnam, & ideo est timor filialis imperfectus, vel timor mixtus ex filiali & seruili. Quem qua parte seruilis est, pellit timor filialis perfectus, vtpote manans ex caritate perfecta, de qua S. Ioannes epistola priore dicit, *perfecta charitas foras mittit timorem.* Cuius rationem reddit S. Augustinus in commentario eiusdem epistolæ. *Quid,* inquit, *dicimus de illo, qui cæpit timere diem iudicii? Si perfecta in illo esset charitas, non timeret. Perfecta enim charitas perfectam faceret iustitiam, & non haberet, quare timeret: immò haberet, quare desideraret, vt transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergo timor non est in charitate, sed in qua charitate? non in inchoata. in qua ergo? Perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem.* Nos hic tantum agimus de tribus postremis speciebus Timoris, quibus etiam nomenclatura Timoris Domini verè competit, vt ostendemus.

Matt. 10. 28. 1. Pet 3. 14. Bas. hom. 5. Aug. conc. 25. A. ser. 25. 1. Ioa. 4. 18. A. tract. 8.

CAPVT II.

Timorem seruilem esse bonum & salutarem.

ETSI verò timor seruilis ex amore sui originem trahat, tamen non ideo malus & noxius est, sed bonus & salutaris, vt liquet ex sacra-

rum litterarum testimoniis. Primo n. illæ docent timorem initium [Ps. 110. Pro. 1. 7. Eccli. 1. 16.] esse sapientiæ & dilectionis, expellereq; peccatũ: at timor antecedens dilectionem & expellens peccatũ non est filialis, sed seruilis, filialis n. est effectus dilectionis. Deinde S. Io. Bapt. apud Matt. hunc timorem [Matt. 3. 7.] suasit, vt moueret homines ad pœnitentiam. *Progenies*, inquiens, *viperarum, qs demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Imò & Dominus ipse. [Matt. 10. 28.] *Timete eũ* inquit, *q potest & animã & corpus perdere in gehennam.* Et alibi persæpe minatur ignẽ gehennæ, stridorem dentium, tenebras exteriores, vermem non morientem & flammas inextinguibiles. Si ergo [Matt. 13. Matt. 24. 25. Mar. 9. Luc. 12.] Christus, sancti alii & passim Spiritus sanctus in Scripturis terrorem iniiciat peccatorib. vt resipiscant, dubitandum nõ est timorem seruilem non solũ esse bonũ, sed ẽt esse à Deo, ac recte dici timorẽ Domini.

Nec aliud docuerunt S. Patres. Clemens Alexandrinus 2. Stromatum. *Fides*, ait, *est prima ad salutem inclinatio, post quam timor & spes & pœnitentia.* Et infra. *Qui timorem damnant, ij legem etiam insectantur: quod si legem, clarum est, quod & eum qui legem dedit.* B. Antonius [Ath. in vita.] apud Athanasium. *Formido iudicij & pœnarum timor horridus, simul & lubricæ carnis incentiua dissoluit, & ruentem animam quasi ex aliqua rupe sustentat.* S. Basilius in psalmum 32. *Necessario velut introductorius ad* [B. hom. 8.] *pietatem timor assumitur: dilectio verò deinceps succedens à timore scientifico adaptatos perficit.* Et in psalmum 33. *Timor salutaris, & timor sancti-* [Id. hom. 9.] *ficationem faciens, qualis sit, vis exponam? Cum ad peccatum aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud & non ferendum Christi iudicium,* &c. *Hæc time, & hoc timore eruditus animam à concupiscentia ad hæc mala velut fræno quodam relide.* S. Chrysostomus ad populum Antiochenum di- [Ch. hom. 15.] cit metum gehennæ etiam in anima hominis iusti esse militem fortẽ & armatum, qui fures & latrones omnesque hostes longe arceat à do- [A. ser. 21.] mo. S. Ambrosius in psalmum 118, scribit. B. Martyres in agone martyrii constitutos, timore gehennæ ante oculos mentis propositæ vincere solitos earum pœnarum timorem, qui à carnificibus ingerebatur. B. Hieronymus in epistola ad Eustochium de seruanda Virginitate, ait se metu gehennæ solitudinem, & durissimũ vitæ genus e- [Hier. ep. 22.] legisse. B. Augustinus libro de gratia & libero arbitrio ait, sanctis viris [A. c. 18. Matt. 10. 28.] timorem illum à Deo donari, de quo Dominus ait. *Timete eum qui po-* [A. tract. 9.] *test animam & corpus perdere in gehennam.* Et in epistolam primam Ioan. *Si nullus*, inquit, *timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur. Seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primò occupat mentem, non autem ibi rema-* [Cas. c. 8.] *net timor, quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem*, nempe perfectam. Ioannes Cassianus collatione 11. *Est gradus cuiusdam profectus, vt, dum vel pœnarum metu, vel præmiorum spe incipimus vitia declinare, ad charita-*

tis

tis gradum transire possimus. S. Gregorius in Euangelia. *Praua mens si non* G.hom 34.
prius per timorem euertitur, ab assuetis vitiis non emundatur. Et rursus alibi Id.hom.26.
omnes hortatur, vt futurum iudicium timeant, antequam veniat.

SENTENTIAE tot Patrum accedit ratio naturalis. Quid enim tam
naturæ & rationi consentaneum est, quam pertimescere grande ali-
quod malum, & maxime malum gehennæ, quo nullum atrocius? *Quis* Isa.33.14.
habitare poterit de vobis, ait Isaias, *cum igne deuorante? quis habitabit ex vo-*
bis cum ardoribus sempiternis? Deinde amor sui, ex quo hic timor seruilis
est exortus est bonus, cum habeat bonum obiectum, nempe propri-
am incolumitatem; quare & bonus timor est, ex eo ortus: quo scili-
cet metuit pœnas illi bono proprio contrarios, non vt summum ma-
lum sed vt malum quoddam formidandum. Deniq; optimi sunt hui[9]
timoris fructus, nempe retrahere hominem à peccato, viam parare ad
iustitiam & caritatem, iustos deterrere à lapsu; *non potest autem arbor* Matt.7.18.
mala bonos fructus facere.

CAPVT III.

De Dignitate Timoris Domini.

DIGNITAS vel præstantia Timoris Domini primum liquet ex iis
Spiritus sancti oraculis, quæ quosuis timentes Deum pronunci-
ant beatos *Beatus vir,* inquit Psaltes regius, *qui timet Dominum, in man-* Psal.111.1.
datis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum bene-
dicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi.
Et Sal. *Beatus homo q semper est pauidus.* Et Eccle. *Beatus homo cui donatum* Prou.28.14.
est habere timorem Dei, qui tenet illum, cui assimilabitur? Et. *Timentis Dominũ,* Eccli.25.15.
beata est anima eius. Ad quem respicit, & quis est fortitudo eius? *Oculi Domini* Id.34.17.
super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis tegimen ardoris
& vmbraculum meridiani. Deinde ex iis, quæ timorem Dei anteferunt
aliis donis, vt apud Sapientem. *Non est maior illo qui timet Deum.* Et. *Ni-* Eccli.10.27. Eccli.23.37.
hil melius est, quam timor Dei, & nihil dulcius, quam respicere in mandatis
Domini. Et. *Quam magnus qui inuenit sapientiam, & scientiam, sed non*
est super timentem Dominum. Timor Dei super omnia se superposuit. Et. *Non* Ib.25.13.
est in timore Domini minoratio (defectus). *Timor Domini sicut paradisus*
benedictionis & super omnem gloriam operuerunt illum. ADHAEC ex iis Ib.40.27.
quæ in eo initiũ, progressum & perfectionem Sapientiæ, qua nihil no- Prou.1.7.
bilius, constituunt. Nã Salo. ait. *Timor Domini principiũ sapientiæ.* Et. Iob. Iob.28.28.
Ecce

Ecce timor Domini ipsa est sapientia. Et Ecclesiasticus. *Plenitudo sapientiæ*
Eccli 1.20. *est timere Deum, & plenitudo à fructib illius. Corona sapientiæ timor Domini.*
Eccli.12.13. Et Ecclesiastes. *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time & man-*
H in Eccles. *data eius obserua, hoc est enim omnis homo.* In quæ verba S. Hieronymus.
Psal.33.10. *Hoc de consummato in virtutibus metu dici puto, secundum illud. Nihil deest*
Isa.11.2 *timentib. eum.* Denique apud Isaiam Timor Domini inter septem Spiritus sancti dona, quæ super Christum conquierunt, numeratur *Et requiescet*, inquit, *super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini,* Timorem autem seruilem etiam pertinere ad illa dona spiritus sancti clarè docuit S. Augustiuus, & B. Gregorius. Ille n.
A.c.18. in libro de gratia & libero arbitrio fatetur spiritum timoris Domini,
Matt.10.28. de quo agit Isaias, esse illum de quo Dominus ait. *Timete eum, qui po-*
G.hom.19. *test corpus & animam perdere in gehennam.* & S. Greg. in Ezech. fatetur Isaiam loqui de timore pœnæ, qui minuitur crescente charitate In Christo autem etsi non fuerit timor seruilis, fuit tamen filialis vel reuerentialis erga Patrem cœlestem.

IAM & prisci Patres hanc Timoris Domini nobilitatem non obscure deprædicarunt. Tertullianus certe initio libri de cultu femina-
C.c.20. rum, *Timor*, inquit, *fundamentum salutis est.* S. Cyprianus libro 3. ad Quirinum. *Fundamentum & firmamentum spei & fidei esse timorem, in psalmo 110. Initium sapientiæ timor Domini. De hoc ipso in sapientia Salomo-*
Ch.h.69. *nis. Initium sapientiæ metuere Deum.* S. Chrysostomus in homilia ad populum Antiochenum. *Si Dei timorem habeamus, nihil nobis est o: us: si verò hunc non habeamus, etsi regnum ipsum possideamus, sumus omnium pauperrimi. Nihil æquale Deum timenti. Timor n. Domini omnia superat. Hunc possi-*
Id.hom 15. *deamus itaq., omnia propter hunc faciamus, vt hunc assequamur timorem.* Et iterum. *Nisi bonum esset timor, non multos impendisset Christus sermones & longos de pœna & supplicio loquens. Timor nil aliud est, quam murus & munimentum, & turris inexpugnabilis: etenim multa nobis munitione opus est, quia*
Psal. 127. *multæ sunt vndiq. insidiæ.* Et in psalmum 62. *Si dixeris mihi ex psalmis illud. Beatus qui timet Dominum, & potueris scire quidnam sit id quod dicis, non diuitem, non principem, non formosum, non eum qui valet viribus, non eum qui ædes possidet magnificas, non eum qui gerit magistratus, non eum qui regnũ obtinet, nullum deniq. alium, nisi eum, qui est pius ac religiosus, qui studio sapientiæ tenetur, qui Deum timet, beatum dices, non solum propter futura, sed etiam*
A.c.9. *propter præsentia. Nam etiam in hac vita hic quoq. est illo potentior.* S. Amb. vel Prosper lib. de Vocatione gentium, vt probet Timorẽ esse donũ
Eccli.1.22. Dei. *De timore*, inquit, *Dei & sapientia in Ecclesiastico legitur. Corona sa-*
pientiæ

pientiæ timor Domni, vtraq; autem sunt dona Dei. Item de eodem. Timor domini
oĩa se superposuit. Beatus cui donatum est habere timorem Domini. S. August.
& Gregorius in eo præstantiam eius indicant, quod 7. dona Spiritus
sancti non semel conferant cum 7. beatitudinibus à Christo traditis, ac
donũ quidem timoris cum prima beatitudine, *Beati pauperes spiritu. Ti-*
mor Dei inquit Augustinus libro primo de sermone Domini In mon- A.c.9.
te, *congruit humilibus, de quibus hic dicitur. Beati pauperes spiritu, id est, non*
inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit. Noli altum sapere, sed time, id Rom.11.21.
est, noli extolli. Sanctus Bernardus in tractatu de donis Spiritus san B.c.1.
cti. *Prima gratia est timor Domini. Qui hanc habet gratiam omnem odit*
iniquitatem iuxta illud psalmistæ. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. Psal. 118.
Et alio loco. Omnem viam iniquitatis odio habui. Scriptum namque est. Ti- Prou.8.
mor Domini odit malum. Et iterum. Time Deum & recede à malo. Et de Iob Prou.3.
dicitur. Vir timens Deum, & recedens à malo. Sine hac gratia prima gratia- Iob.1.
rum, quæ totius religionis exordium est nullum bonum pullulare vel manare
potest. Ioannnes Cassianus collatione 11. agens de timore filiali. *Cuius* C.c.12.
timoris, inquit, *magnificentiam Isaias vnus prophetarum eleganter expressit.* Isa. 33.
Diuitiæ, inquiens, salutis sapientia & scientia timor Domini ipse thesaurus e-
ius. Non potuit timoris istius dignitatem ac meritum magis euidenter expri-
mere, quam vt diuitias salutis nostræ, quæ in vera sapientia Dei scientiaq; con-
sistunt, diceret nisi à timore Domini posse seruari.

CAPVT IV.

De necessitate Timoris Domini.

NECESSITATEM quoque huius Virtutis percrebris monitis,
mandatisq; vtrumq; Testamentum indubitatam reddidit. Vetus
quidem dum in Deuter. Moyses præcepit. *Dominum Deum tuum timebis,* D.6.13.
& illi soli seruies. Et infra. *Præcepitq; nobis Dominus vt timeamus Dominum*
Deum nostrum, vt bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ. Et iterum. *Et nunc*
Israhel. quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tu- Deu.10.12.
um, & ambules in viis eius? Moysen secutus Iosue. *Nunc ergo*, inquit, *ti-* Ios.24.14.
mete Dominum, & seruite ei perfecto corde, atque verissimo. Et rex Dauid.
Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Et. *Timete Dominum* Psal.2.11.
omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum. Et rex Salomon. Ps.33.10.
Time Deum & recede à malo. Et. *Time Dominum fili mi, & regem.* Et. *Deum* Prou.3.7.
time & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Et Ecclesiasticus. Prou.24.21. Eccli.12.13.

Eccli. 7. 31. *In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica.* Et propheta
Ier. 32. 39. Ieremias. *Et ego,* dicit Dominus, *dabo eis cor vnum & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus.* Et Malachias. *Si Pater ego sum.* ait Dominus,
Mal. 1. 4. *vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* In nouo vero
Matt. 10. 28. testamento. Christus apud Matthæum. *Nolite,* ait ad Apostolos, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus mittere in gehennam.* Et S. Petrus
1. Pet. 2. 17. in epistola priore. *Deum timete, regem honorificate.* Et S. Ioannes in Apo-
Apoc. 14. 7. calypsi *Timete Dominum* ait angelus, *& date illi honorem.* Neque mirum est in nouo testamento rarius nobis cōmendari timorem Dei, quā in veteri, sæpius autem amorem quia Lex vetus amoris est, noua verò amoris. *Non enim accepistis,* inquit Apostolus ad Romanos, *Spiritum ser-*
Rom. 8. 15. *uitutis iterum in timore* (sicut in veteri lege) *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater).* Eandem necessitatem corroborant ea Scripturæ testimonia, quæ negant timore Domini destitutis aditum ad gratiam & salutem. *Timor Domini,* inquit Syracides,
Eccli. 1. 28. *expellit peccatū: nā q sine timore est non poterit iustificari.* Illa quoq;, quæ pas-
Deut. 15. 28. sim arguunt improbos metus diuini expertes, vt in Deuteronomio,
Iob 6. 14. Iob. Psalmis, Ecclesiastico, Malachia, & aliis prophetis.
Psal. 13. 2.
Ps. 35. 2. S. Patrvm perpauca subiiciam testimonia S. Cyprianus de la-
Eccli. 13. 27.
Malach. 3. 5. psis. *Deus quantum Patris pietate indulgens semper & bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus est.* Supra quoq; cum magistro suo Tertulliano professus est timorem esse *fundamentum fidei & spei,* ac proinde maximè ad fidem & salutem necessarium. S. Bas. in psalmum 32. exponens
Bas. hom. 7. verba illa, *Timeat Dominum omnis terra. Terræ vniuersæ timorem præcipit hic sermo. Nam quando timor Domini initium est sapientiæ, qui terrena sapiunt, per timorem erudiantur. Timor enim quasi introductorius necessario ad pietatem condiscendam assumitur. Charitas verò à timore instructiuo exercitatos suscipiens perficere solet.* S. Hieronymus in c. 3. Malachiæ agens de vari-
H. in coment. is Iudæorum sceleribus ait, *suffecisse eis solum crimen ad pœnam, quod non timuerint Dominū.* S. August. ser. de annunciatione Dominica. *Quis po-*
A. ser. 17. de sanctis. *test, nisi Deum timeat, seruare iustitiam? Dicit enim (Scriptura) alio loco. Nam qui sine timore est, non poterit iustificari, recurritur ad illam sententiam, Initium sapientiæ timor Domini.* S. Bernardus tractatu de donis Spiritus san-
B. c. 1. cti. *Prima gratia est timor Domini. sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare, vel manare potest. Sicut enim securitas vel desidia, causa est & mater omnium delictorum: Sic timor Domini radix est & custos omnium bonorum. Vnde scriptum est. Si non in timore Domi-*
Eccl. 27. *ni tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua. Omne namq; virtutum ædificium ilico vergit in præcipitium, si huius gratiæ amiserit præsidium.*

CAP.

Capvt V.

De multiplici fructu Timoris Domini.

TANTAM Spiritualium fructuum copiam ſuppeditat nobis diuina Scriptura ex pœnu Timoris Domini, vt alieno præſidio non admodum egeamus.

1. ſit odium mali. *Timor Domini*, ait Salomon, *odit malum.* Prou.8.13.

2. Depulſio peccati. Eccleſiaſticus. *Timor Domini expellit peccatum.* Eccli.1.27.
Vnde Clemens Alexand. *Abſtinentiam à malis operatur, qui timet.* Et C.7 ſtrom. A.1.Hex.c.4.
Amb. *Qui timet Dominum declinat errorem, & ad virtutis ſemitam vias ſuas dirigit. Niſi enim quis timuerit Deum non poteſt renunciare peccato.*

3. *Studium placendi Deo.* Eccliſiaſticus. *Qui timent Dominum inquirent, quæ beneplacita ſunt ei.* Eccli.2 19.

4. Conuerſio ad vitam meliorem. *Qui timet Deum, conuertetur ad cor ſuum.* ait ſapiens. Et Iſaias. *A timore tuo concepimus & peperimus ſpiritum ſalutis.* Auguſtinus de catechizandis rudibus *Rariſſimè accidit, imò vero nunquam, vt quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.* Caſſianus inſtitutionum libro quarto. *Per timorem Dei, & initium conuerſionis, & vitiorum purgatio, & virtutum cuſtodia his, qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur.* Eccli 7. Iſa.26.iuxta 70. A.c.5. C.c.39.

5. initium ſapientiæ & pietatis. Ita Iob, Dauid, Salomon & Eccleſiaſticus. Vnde Amb. in pſalmum 118 ſermone 5. *Baſis quædam verbi eſt timor ſanctus. Sicut enim ſimulacrum aliquod in Baſi ſtatuitur, & tunc maiorem habet gratiam, cum in baſi ſtatua fuerit collocata, ſtandiq́ accipit firmitatem: ita verbum Dei, vel rationabile Dei in timore ſancto melius ſtatuitur, fortius radicatur, hoc eſt in pectore timentis Dominum, ne labatur verbum de corde viri, ne veniant volucres, & auferant illud de incurioſi & diſſimulantis affectu.* Iob 27. Pſal.110. Prou.1. Eccli.1.25.

6. Initum fidei & charitatis. *Timor Dei*, ait Sapiens, *initium dilectionis eius, fidei autem initium agglutinandum eſt ei.* Eccli.25.16.

7. Cauſa obſeruationis mandatorum Dei, & bonorum operum. Eccli.2.21.
Qui timent Dominum, ait idem, *cuſtodiũt mandata illius*. Et. *Qui timet Deũ*, Eccli.15.1.
faciet bona. Vnde S. Auguſtinus in ſententiis. *Ad omne opus bonum amor ducit & timor Dei. Ad omne peccatum ducit amor & timor mundi.* L.c.17. A.2.48.

8. Conſtantiæ in tentationibus radix. Salomon. *In timore* ait, *fiducia fortitudinis.* Et *Qui timet Dominum nihil trepidabit & nõ pauebit, quoniam ipſe eſt ſpes eius.* Lactantius libro 6. de vero cultu *Nemo dubitat,* Prou.1.462.

 inquit,

inquit, *quin timidi & imbecilli sit animi, aut dolorem metuere, aut egestatem aut exilium, aut carcerem, aut mortem. quæ omnia quisquis non exhorruerit fortissimus iudicatur. Qui autem Deum metuit, illa vniuersa non metuit.* Quod probat exemplo Christianorum Martyrum qui solo metu Dei
C.lib.2.c.16. atrocissima passi sunt supplicia. B.Cyrillus in Isaiam. *Tenendum,* inquit, *est animam Dei timore velut muro obsep'am, fortem esse & quodammodo inuictam, & vires eorum, qui manus cum ea conserunt, expugnare.*

Ps.10.2.17. 9. Fauor & misericordia Dei erga timentes Deum, ipsorumq;
Ps.117.4. posteros. *Misericordia Domini ab æterno,* ait Dauid, *& vsq; in æternum super timentes eum.* B. MARIA apud Lucam. *Et misericordia eius à*
Luc.1.50.
Eccl.10.23. *progenie in progenies timentibus eum* Et Sapiens. *Semen hominum hono-*
Tob.4.23. *rabitur hoc, quod timet Deum.* Et Tobias. *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum.*

Ps.33.10. 10. Affluentia bonorum temporalium. *Timete Dominum omnes sancti eius,* ait Psaltes regius, *quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Et. *Beatus vir qui timet Dominum. Potens in terra erit semen*
Ps.111.1.
Prov.10.27. *eius. Gloria & diuitiæ in domo eius.* Et Salomon. *Timor Domini appo-*
Eccl.1.40.27. *net dies, spes autem impiorum peribit.* Et Syraeides. *Non est in timore Domini minoratio, & non est in eo inquirere adiutorium. Timor Domini, sicut*
C.hom.69. *paradisus benedictionis.* Vnde S.Chrysostomus ad populum. *Omnium,*
Ps.22.1. *inquit* Dauid, *regem eis reddam propitium, & nihil eis amplius deerit. Dominus enim pascit me, & nihil mihi deerit. Hæ magnæ sunt opes, thesaurus magnus. Si Dei timorem habeamus nihil nobis est opus: si verò non habeamus, etsi regnum ipsum possideamus, sumus omnium pauperrimi. Nihil æquale Deum timenti. Timor enim Domini omnia superat.*

Eccl.1.11. 11. Verum cordis gaudium. *Timor Domini,* ait Ecclesiasticus, *gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.* Hinc Chry-
C.hom.18. sostomus rursus ad populum. *Dei timor stabilis est immotusq; & tantam emittit lætitiam, vt nullus nos aliorum sensus malorum capiat. Deum enim, sicut oportet, timens, & in ipso confidens voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in mare decidens immensum scintilla exigua facile extinguitur, sic quantacunq; Deum timenti illidantur, velut in vastũ lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur & perduntur.* Et S.Augusti-
Ps.85. nus in verba Dauidis. *Iucundetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Ergo,* inquit, *timor in iucunditate est. Et quo iucunditas, si timor? nonne timor amarus solet esse? Erit ergo aliquando iucunditas sine timore, modo iucunditas cum timore. Nondum est enim plena securitas, nec perfecta iucunditas.*

Si

Si nulla iucunditas, deficimus. Si plena securitas, malè exultamus. Ergo & iucunditatem aspergat, & timorem incutiat, vt de dulcedine iucunditatis perducat nos ad sedem securitatis. Ideo sic dicit psalmus. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Ps. 2. 11.

12. Fiducia de felici exitu ex hac vita. *In timore Domini esto* ait Sapiens, *tota die, quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur.* Et. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Cæteri fructus sunt tantum ex Patribus. Prou. 23. 17. Eccli. 1. 19.

13. Custodia innocentiæ & castitatis. nam *innocentiæ custodem* timorem Dei appellat S. Cyprianus epistola ad Donatum. Pro castitate ita scribit S. Basilius. *Nisi timor,* ait, *instituendæ vitæ nostræ rudimenta iaciat, impossibile fuerit castitatem, sanctimoniamq. legitime obseruari. Confige, inquit Dauid, timore tuo carnes meas. Nam quemadmodum qui corporis membra habent clauis transfixa ad actionem quamlibet immobilia ea retinent: sic ij, quorum animam occupauit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati & obstreperam occasionem vitant.* Eodem pertinet quod S. Ephræm in sermone de patientia ait *Timor Dei, velut gladius anceps est, omnem concupiscentiam prauam excidens.* Et S. Augustinus in verba psalmi. *Confige timore tuo carnes meas. Tali,* inquiens, *timore carnes crucifiguntur, quando carnales delectationes, quæ legis littera vetantur potius, quam vitantur, spiritualium bonorum delectatione vincuntur, & eadem vsq. ad perfectionem crescente victoria perimuntur.* C. ep. 1. B. in ps. 33. Ps. 118. 120. Psal. 118. 120.

14. Custodia omnium virtutum. S. Hieron. ad Fabiolam. *Timor virtutum custos est, securitas ad lapsum facilis. Vnde & quodam psalmo postquam propheta dixerat, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, iungit timorem, qui custos est beatitudinis, & infert. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt, & est sensus. Dum tormenta formido, seruaui gratiam, quam acceperam.* Idem supra dixit Cassianus & S. Bernardus. H. epist. 117. Psal. 22. 4.

15. Antidotum ad promerendam gratiam, retinendam & recuperandam. Ita S. Bernardus in Cantica. *In veritate,* inquit, *didici nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo, qui semper est pauidus. Time ergo, cum arriserit gratia: time cum abierit, time cum denuo reuertetur, & hoc est semper pauidum esse. Succedant vicissim sibi in animo tres isti timores, secundum quod gratia vel adesse dignatur, vel offensa recedere, seu iterum placata redire sentietur. Cum adest time, ne non dignè opereris ex ea. Nam hoc monet Apostolus. Videte, inquiens, ne in vacuum* B. serm. 55. Prou. 28. 14. 2. Cor. 6. 1.

1.Tim.4.14. *gratiam Dei recipiatis. Et ad discipulum, Noli, inquit, negligere gratiam, quæ*
1.Cor.15.10. *in te est. Et de semetipso dicebat, quia gratia Dei in me vacua non fuit.*

CAPVT VI.

De quibusdam Proprietatibus eius.

Eccl.7.19. PRIMA proprietas est, nihil negligere. Ait enim Ecclesiastes. *Qui timet Deum, nihil negligit*, earum nempe rerum, quæ ad dilectionem Dei vel proximi pertinent. Vt enim negligentiæ mater securitas, ita
Eccli.7.31.34. timor curæ & diligentiæ. Simile quid habes in Ecclesiastico. *In tota anima tua*, inquit, *time Deum, & de negligentia purga te cum paucis.* Sensus est. Offer sacrificium in Leuitico pro negligentia imperatum: & si non potes id quod ditiores, saltem offer quod solent pauperiores. Munera enim parua, si ex caritate & humilitate offerantur, æquè
Mar.12.42. grata Deo esse possunt, ac magna, sicut duo viduæ Euangelicæ æra.

II. est, Iungi cum fide, spe & dilectione ac pietate vera. Vnde Sa-
Eccli.2.8. piens. *Qui timetis Dominum*, inquit, *credite illi, & non euacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum sperate in illum. Qui timetis Dominum diligite*
C.2.strom. *illum, & illuminabuntur corda vestra.* Et Clemens Alexandrinus. *Fidei nostræ coadiutores sunt timor, & tolerantia.* Et. *Post fidem, timor & spes & pœnitentia ducunt nos ad charitatem.* Deinde probat ex loco Salomonis. *In*
Pro.14.26. *timore est spes fortitudinis*, à timore deduci nos ad pœnitentiam & spem.
Psal.146.11. Et S. Augustinus exponens illud Dauidicum. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Ecce, ait, timuit eum Iudas traditor Christi. sed non sperauit in misericordia ipsius: postea enim pœnituit eum, quod tradiderit Christum. Bene quidem timuisti, sed si sperares in misericordia eius quem timuisti; Ille desperando abiit, & laqueo se suspendit. Ergo sic time Dominum, vt speres in misericordia eius, placabis enim eum si spe-*
Greg.hom.19. *res in misericordia eius.* Et S. Gregorius in Ezechielem. *Qualis est iste timor, si cum eo pietas non est? Qui enim misereri proximo ignorat, qui compati eius tribulationibus dissimulat, huius timor ante omnipotentis Dei oculos nullus est, quia non subleuatur ad pietatem.* Verum quia B. Ioannes, vt supra monuimus, dixit perfectam caritatem foras mittere timorem, subiicienda est hic alia proprietas.

III. ergo proprietas Timoris, maximè seruilis, est introducere in animam charitatem. Nam Scriptura docet non solum esse initium sapi-

ſapientiæ, quæ ſane ſine caritate non eſt, ſed etiam dilectionis, vt ſupra probatum eſt. Et S. Gregorius loco iam citato, cum aliis Patribus docet Iſaiam Prophetam, cum vaticinatur de 7. donis Spiritus ſancti in Chriſtum dilapſis, ideo à ſummo deſcendere ad infimum ſpiritum timoris Domini, vt nos diſcamus à timore Domini ſenſim aſcendere ad ſummum ſapientiæ & caritatis. Quomodo autem timor ſeruilis, inducat caritatem exponit S. Auguſtinus in pſalmum 127. *Alius*, inquit, *non in hac terra pati timet, (timore ſeruili,) ſed gehennam timet. Vnde terruit & Dominus. Audiſtis cum Euangelium legeretur. Vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura ſunt impijs, timent, & continent ſe à peccato. Timent quidem, ſed non amant iuſtitiam. Cum autem per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo iuſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus, & iam incipit homo iuſtè viuere, propterea non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem. Excluſus eſt ergo timor (ſeruilis) à charitate, ſed ſucceſſit timor caſtus. Quis eſt iſte timor caſtus? Secundum quem debemus fratres mei intelligere, quod dictum eſt. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.* Et tractatu 9. in epiſtolam Ioannis. *Timor*, inquit, *quaſi locum præparat charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparauit locum; quantum enim illa creſcit, ille decreſcit, & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, minor timor, minor charitas maior timor. Si autem nullus timor, non eſt qua intret charitas, Sicut videmus per ſetam introduci linum quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit vt introduceret charitatem. Iam facta ſecuritate in animo, quale gaudium nobis eſt, vel in hoc, vel in futuro ſeculo? Et in hoc ſeculo, quis nobis nocebit plenis charitate? Quis nos, inquit, ſeparabit à charitate Chriſti?*

Eccli. 25. 16. VI. Fructus. Iſa. 11. 3. Iſa. 66. 24. Pſ. 127. 1. Rom. 8. 35.

IV. Proprietas eſt filialis vel caſti timoris, vt permaneat in æternum, iuxta illud regii pſaltis. *Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi.* Cuius loci geminam intelligentiam tradit S. Auguſtinus libro 14. de ciuitate Dei. *Timor*, inquiens, *ille caſtus permanens in ſeculum ſeculi, ſi erit & in futuro ſeculo: (nam quo alio modo poteſt intelligi permanere in ſeculum ſeculi) non eſt timor exterrens à malo, quod accidere poteſt, ſed tenens in bono quod amitti non poteſt. Vbi enim boni adepti amor immutabilis eſt, profectò ſi dici poteſt mali cauendi timor ſecurus eſt. Timoris quippe caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit nolle peccare, & non ſolicitudine* infir-

Pſal. 18. 10. A. c. 9.

infirmitatis ne forte peccemus, ſed tranquillitate charitatis cauere peccatum. Aut ſi nullius omnino generis timor eſſe poterit in illa certiſſima ſecuritate
Pſal.9.19. *perpetuorum feliciumq; gaudiorum, ſic dictum eſt, Timor Domini caſtus permanens in ſeculum ſeculi, quemadmodum dictum eſt. Patientia pauperum non peribit in æternum. Neq; enim æterna erit ipſa patientia, quæ neceſſaria non eſt, niſi vbi toleranda ſunt mala: ſed æternum erit, quo per patientiam peruenitur. Ita fortaſſe timor caſtus in ſeculum ſeculi dictus eſt permanere, quia id permanebit, quo timor ipſe perducit.*

VERVM prior commentarius anteferendus eſt poſteriori, vtpote verbis pſalmiſtæ, Patribuſq; & Eccleſiaſtico dogmati magis
Iob.26.11. G.c.15. conſentaneus. Ait ſiquidem Iob. *Columnæ cœli contremiſcunt & pauent ad nutum eius.* In quæ verba B. Gregorius in 17. moralium. *Ipſæ*, inquit, *virtutes cæleſtium, quæ Deum ſine ceſſatione conſpiciunt, in ipſa contemplatione contremiſcunt.* Deinde Apoſtolus in prima ad Corinthios, ait *charita-*
1.Cor.13.8. *tem nunquam excidere*, at timor caſtus oritur ex charitate, eaq; creſcente augetur. Adhæc in Canonis Miſſæ Præfatione ipſæ *angelicæ poteſtates* dicuntur Deum *tremere*. Deniq; S. Bernardus epiſtola 190. inter errores Petri Abailardi numerat, quod ſenſerit, *non futurum timorem in altera vita.* Eſt autem timor caſtus in beatis, non angentis timoris, vt eſt in hac vita, ſed *admirationis*, vt loco citato ait B. Gregorius. cælites enim admirantes diuinam excellentiam & maieſtatem tanto affectu ei adhærent vt etiam reformident non actualem, ſed poſſibilem ſeparationem, qualis abſolutè fieri poſſet, ſpectata ratione naturæ. Lege
C.c.13. Caſſianum collatione 11. pulchrè exponentem quomodo in cælis timor caſtus cum amore conſiſtat.

CAPVT VII.

Quibus medijs ad Timorem Domini perueniatur.

PRIMVM medium eſt Cognitio ſui, quod tradit S. Bernardus in
B.ſerm.36. & 37. Cantica his verbis. *Volo*, inquit, *animam primum ſcire ſeipſam, quod id poſtulet ratio & vtilitatis & ordinis. Et ordinis quia quod nos ſumus primum eſt nobis: vtilitatis verò quia talis ſcientia, non inflat ſed humiliat. Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione ſui, cum ſe perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam, carnalium deſideriorum fæce infectã, cæcam, curuam, implicitam multis erroribus, expoſitam mille periculis, &c. Tali itaque ordine ſalubriter innoteſcit Deus, cum prius ſe homo*

nouerit

nouerit in necessitate positum, & clamabit ad Dominum, & exaudiet eum. Sed iam demum aduerte quomodo vtraque cognitio (Dei, & tui) sit tibi necessaria ad salutem. Nam si ignoras te, non habebis timorem Dei in te, non humilitatem. An vero sine timore Dei, & sine humilitate de salute præsumas, tu videris. Et paulo post. *Ergo teneto memoria, neminē absque sui cognitione saluari, de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipse sicut initium sapientiæ est, ita & salutis. Noueris proinde te vt Deum timeas, noueris ipsum vt æquè ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, in altero & consummaris, quia initium sapientiæ timor Domini est, & plenitudo legis est charitas. Tam ergo vtraque ignorantia cauenda est tibi, quam sine timore Dei salus esse non potest.* Ser. 36.

II. est Meditatio nouissimorum, maximè iudicii, & inferni, quod tradit S. EPHRAEM in sermone de patientia. *Semper mente,* inquit, *timorem Dei sumito, memor semper nouissimi atque tremendi illius diei, quando cœli ardore ignis soluentur, & terra cum omnibus operibus, quæ in ea sunt, comburetur. Quando astra tanquam folia decident, Sol & Luna tenebris obscurabuntur, neque dabunt lumen suum. Quando apparebit filius Dei, & de cœlis in terram descendet, cœlorumque virtutes commouebuntur: quando angelorum discursiones, vocesque tubarum superuenient: ignis in conspectu eius ardens atque comburens totum orbem. In circuitu eius tempestates maximæ, terræque motus horribiles ac fulgura, qualia nunquam euenerunt, vt vel ipsæ virtutes cœlorum tremore magno corripiantur.* Et S. Basilius. *Si quando senseris te ad aliquod cieri peccatum, in mentem reuoca nulli mortalium tolerabile Christi iudicium, in quo quidem præsidet iudex in sublimi throno, astabit porro omnis creatura ad eius aduentum contremiscens. Eo singuli sistentur examinandi de his, quæ gesserint in viuis. Eos autem, qui multa perperam in vita admiserunt, horrendi quidam circumstabunt angeli ignem expirantes, & vultum nocti similem præferentes, pro hominum mœrore atque odio. Deinde conspicient baratrum in imum patens, tenebras inpermeabiles quidem illas, ignemque obscurum, causticas quidē vires habentem, luce verò destitutum. Inde vermes innumerabiles venenosos, & carniuoros, semper esitantes, nunquam saturos & intolerabiles dolores morsu infligentes. Postremo omnium durissimam pœnam, probrum illud & confusionem sempiternam. Hæc tu time, & eiusmodi timore eruditus quasi freno quopiam animam tuam ad vitiosam concupiscentiam procliuem cohibe.* B. in Psal. 33.

III. Operam dare, vt Timor Dei sit secundum scientiam, hoc est discretione & prudentia conditus. *Nisi enim secundum scientiam sit,* ait S. Ambrosius in 118. psalm. *nihil prodest, imo obest plurimum. Siquidem Iudæi habent zelum Dei sed quia non habent secundum scientiam, in ipso Zelo & timore maiorē contrahunt diuinitatis offensam. Quod circumcidunt infantulos suos, quod Sabbatha custodiunt, timorem Dei habent, sed quia nesciunt legem spiritalem esse, circumcidunt corpus, non cor suum. Ignem sabbatho adolere formidant, cum lex sanctificationis die libidinum ignem prohibeat accendi. Et quid de Iudæis dico. Sunt etiam in nobis, qui habent timorem* A. serm. 5.

rē Dei, sed non secundum scientiam statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere: sed inscitia in eo est, quia non comparantur naturæ, non æstimant possibilitatem. Non sit ergo irrationabilis timor. Etenim vera sapientia à timore Dei incipit, nec est sapientia spiritalis sine timore Dei, ita timor Dei sine sapientia esse non debet. Et infra. Lege Isaiam. Vide quantis subiecerit timorem, vt faceret irrepræhensibilem & bonum timorem. Spiritus, inquit, sapientiæ & intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus sancti timoris. Quantis timorem subiecit, vt haberet quod sequi possit? informatur per sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur. Tolle Timori Domini ista, & est irrationabilis & insipiens timor. Nec otiosum est in Prouerbiis. Tunc intelliges timorem Domini, quid est, tunc? cum sapientiam inuocaueris, & prudentiæ dederis vocem tuam, & si quæsieris illam vt pecuniam, & vt thesauros scrutatus fueris eam, tunc intelliges timorem Domini.

Isa. 11. 3. · Prou. 2. 5.

IV. Medium, Deum semper habere præ oculis. Ita consulit Chrys. Homilia octaua in epistolam ad Philippenses, cum tractat verba Apostoli. Cum timore & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis. Talem timorem, ait, habebat Paulus, quapropter & dixit. Metuo, ne quo pacto cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Si enim temporalia sine timore comparari & disponi nequeunt, quanto minus spiritalia. Dic enim mihi, quis litteras absque timore didicit? Quis artes cuiusquam peritus factus est absque timore? Quomodo verò comparabitur iste timor? Si cogitauerimus Deum vbique præsentem esse, omnia audire, omnia videre, non solum quæ opere fiunt, & quæ dicuntur, sed & quæ in corde sunt omnia, & quæ in profundo sunt animi: iudex enim est cogitationum & consiliorum cordis. Si ita nos ipsos disposuerimus, nihil mali faciemus, nihil mali dicemus, nihil mali cogitabimus. Dic mihi, si tibi semper proximè principem standum esset, non cum timore astares? Quando comedis, cogita præsentem esse Deum, adest enim. Quando dormiturus es, quando irasceris, quando rapis, quando deliciaris, & quicquid tandem feceris, cogita adesse Deum, & nunquam in risum incides, nunquam ad iram accenderis. Artifex, etiamsi peritus sit, cum timore tamen & tremore stat metuens ne ab ædificio decidat. Et tu credidisti, multa bona patrasti, in sublime ascendisti, cautè teipsum contine, oculumque vigilantem habe ne inde decidas. Sunt enim multæ nequitiæ spiritales, quæ te deiicere conantur. Seruite Domino, cum timore, & exultate ei cum tremore.

Phil. 2. 12. · 1. Cor. 9. · Psal. 2. 11.

VIDE V. Charitas in Deum. Cogitatio præsentiæ Dei. Diffidentia sui. Humilitas. Pœnitentia. Profectus spiritualis. Sapientia. Virtus. Et in PANARIO V. Conscientia scrupulosa. Mortis metus. Timor humanus.

VERE-

V.

VERECVNDIA.
CAPVT I.

Quid sit Verecundia & quotuplex.

VERECVNDIA proprie virtus non est, teste B. Ioan. Damasceno. B. Thoma Aquinate & Philosopho, sed affectus quidam & passio, eo quod similior sit affectui, quam habitui. Damascenus ita definit libro 2. de fide orthodoxa. *Verecundia est passio timoris de turpi actu*, cum qua conuenit illa Aristotelis. *Est timor dedecoris vel infamiæ, siue veræ, siue existimatæ.* A pudore differt in hoc, auctore Donato, quod verecundia ingenuitatis cuiusdam sit & modestiæ, vnde & in laude ponitur. Pudor vero animi sibi male conscii ob scelus aliquod perpetratum. Nos pro eodem vsurpabimus. S.Th.22.q 144. a.1. Arist.4. Eth.9. Dam.c.15.

TAM laudatus autem affectus est verecundia, vt apud S. Patres nomen virtutis meruerit. *Pulchra igitur virtus verecundia*, inquit B. Ambrosius libro primo de officiis, *& suauis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus.* Et S. Bernardus in Cantica. *Porro verecundiam intellige, tanquam colorem in facie, quod hæc potissimum virtus & venustatem ingerat, & augeat gratiam.* Nec hanc nomenclaturam B. Thomas omnino ei detrahit, nam ait. *Communiter dicitur virtus, omne quod est bonum & laudabile in humanis actibus vel passionibus: & secundum hoc quandoque verecundia dicitur virtus, cum sit quædam laudabilis passio.* Arist.2. Eth. c.7. A.c.18. Bern serm.40. S.Th.1.c.16.

BIPARTITAM autem ipsa S. scriptura facit Verecundiam vel pudorem; honestum & vitiosum: honestum qui est de malo, quo pudet aliquem perpetrati mali, vitiosum vero, qui est de bono, quo quempiam pudet operis boni. *Pro anima tua*, inquit, Ecclesiasticus, *non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Vnde B. Gregorius, in Ezechielem. *Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum sapientiæ est, bonum verò erubescere fatuitatis. Vnde scriptum est. Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam. Qui enim erubescit pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem peruenit. Qui verò erubescit bona facere, à statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit, sicut per redemptorem dicitur* Eccl 4.24. G.hom.10. Luc.9.26.

B.ep.185. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.* Et S. Bernardus in epistola ad Eustachium pseudo episcopum. *O verecundia expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris & honestatis. Hæc plane illa, quam Sapiens loquitur, confusio adducens peccatum. Itane verecundum est*
Ps. 50. 6. *homini vinci à Deo, & probro ducitur humiliari sub potenti manu altissimi? Non ita rex ille gloriosus Dauid. Tibi soli, inquit, peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Summum victoriæ genus diuinæ cedere maiestati, & authoritati matris Ecclesiæ non reluctari; summus honor & gloria. O per-*
Eccl. 4. 24. *uersitas, non pudet inquinari, & ablui pudet? Est Pudor iuxta sapientem adducens gloriam, si videlicet peccare pudeat.* De hoc noxio pudore, plura vide in nostro PANARIO V. *Pudor noxius.*

CAPVT II.

De Verecundiæ laudatæ proprietatibus.

PRIMA Proprietas est, quod deceat maximè iuuenilem ætatem. *Vt enim*, inquit S. Ambrosius, *in senibus grauitas, in iuuenibus alacritas, ita in ado-*
A. 1. off. c. 17. Ib. c. 19. *lescentibus verecundia velut quadam dote commendatur naturæ.* Et iterum. *Verecundia cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus & locis apta, tamen adolescentes,*
B. serm. 86. *iuueniles que annos maximè decet.* Et B. Bernardus in Cantica. *Hanc verecundiam,* inquit, *libet quasi speciosum florem decerpere, nostrisque apponere adolescentibus: non quia non sit, & in prouectiori ætate omni studio retinenda, quæ est certe omnium ornatus ætatum, sed quod teneræ gratia verecundiæ in teneriori ætate amplius pulchriusque*
A. 4. eth. 9. *eniteat.* Et Philosophus in quarto de moribus. *Non ad quamuis ætatem affectus verecundiæ, sed ad iuuenilem accommodatur. Censemus enim eos, qui huius ætatis sunt verecundos esse oportere: vt cum non sine perturbatione viuant, multumque ob hoc peccent, à verecundia prohibeantur delinquere. Atque laudamus quidem iuuenes verecundos, sed seniores nemo ideo laudat, quia censemus eos nihil eorum agere, vnde vere-*
S. ep. 11. *cundia emergere solet.* Deinde Seneca ad Lucilium. *Locutus est mecum amicus tuus bonæ indolis. Vbi se collegit, verecundiam (bonum in adolescente signum) vix potuit excutere; adeo illi ex alto suffusus est rubor.* Et paulo post. *Inter hæc & ruborem esse scio, qui grauissimis quoque viris, subitus offunditur. Magis quidem in iuuenibus apparet, quibus & plus caloris est, & tenera frons: nihilominus veteranos & senes tangit. Nihil erat mollius ore Pompeii: nunquam non coram pluribus erubuit. Nam vt quidam boni sanguinis sunt, ita quidam incitati & mobilis, & cito in os prodeuntis. Nihil horum vitari potest, non magis quam accersi.*

II. est, quod mulieres quantuuis ætate affectas plus deceat quam viros. Vnde B. Amb. l. 1. de Abrahã, expendens dictũ angeli. *Vbi est Sara vxor tua?*
A. c. 5. Gen. 18. 9. *Qui resp. & dixit. Ecce in tabernaculo est. Nũq̃d ait, ignorabat Domin⁹, q in posteriorib.*

Solo-

Sodomorum futura excidia denunciat, vbi Sara esset? Sed docere nos voluit, quantus
pudor esse debeat fœminarum, ne procaci occursu hospitum in se oculos inflectant, sed sal-
ua verecundia ministerium suum exerceant. Vnde & S. Paulus de coniugatis fe- 1. Tim. 2. 8.
minis Scribens. *Volo,* inquit, *viros orare in omni loco. Similiter & mulieres in ha-*
bitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se. Inter feminas autem dicta
virtus maxime decet Virgines. *Virginitatis enim dos quædam,* ait Ambros. de A. c. 1.
institutione Virginis, *est Verecundia, quæ commendatur silentio.* Refert Stobæus, S. serm. 72.
Demadis celebrari apophtegma verecundiam in muliere pulchritudinis
arcem obtinere.

III. Est, quod natura ipsa sit magistra verecundiæ. *Hæc ipsa natura,* in-
quit idem S. Ambrosius, *nos docet quæ perfecte quidem omnes partes corporis no-* A. 1. off. c. 18.
stri explicauit, vt & necessitati consuleret, & gratiam venustaret. Sed tamen eas, quæ de-
coræ aspectu forent, in quibus formæ apex quasi in arce quadam locatus, & figuræ suaui-
tas, & vultus species emineret, operandiq; vsus esset paratior, obuias atq; apertas reliquit:
eas verò, in quibus esset naturalis obsequium necessitatis, ne deforme sui præberent spe-
ctaculum, partim tanquam in ipso amandauit atq; abscondit corpore, partim docuit &
suasit tegendas. Nonne igitur ipsa natura est magistra verecundiæ? Ergo naturæ opi-
fex sic nostræ studuit verecundiæ, sic decorum illud & honestum in nostro custodiuit cor-
pore, vt velut ductus quosdam aquæ, exitus cuniculorum nostrorum post tergum rele-
garet, atq; ab aspectu nostro auerteret, ne purgatio ventris visum oculorum offenderet.
De quo pulchrè Apostolus ait. Quæ videntur, inquit, membra corporis infirmiora, 1. Cor. 12. 22.
necessaria sunt. Et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis his abundantiorem
honorem circumdamus, & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.
Etenim imitatione naturæ industria auxit gratiam.

IV. Prima Sedes Verecundiæ est in fronte, vnde effrontes, & perfri-
care frontem, dicuntur, qui omnem pudorem deposuerunt. Ita S. Augu- A. serm. 8.
stinus de Verbis Apostoli. *In fronte illam* (crucem) *figat, vbi sedes pudoris est,*
ibi omnino, ibi, in quo membro erubescitur. S. Ambrosius de obitu Valentiniani A. in orat.
Imperatoris ponit eam in genis. *Istæ,* inquit, *genæ sunt, in quibus solet nitere*
verecundia, pulchritudo fulgere, in quibus aut flos iuuentæ, aut perfectæ ætatis insigne
est. In iisdem locat S. Bernardus, exponens verba illa in Canticis Salomo- Cant. 1.
nis. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Atq; è gentilibus Plinius naturalis B. serm. 40. Plal. c. 37.
historiæ libro 11. *Pudoris,* inquiens, *in malis sedes.*

V. Est quoq; seruanda verecundia in voce, in modo loquendi &
canendi. *Verecundia,* inquit Ambrosius, *non solum in factis, sed etiam in ipsis spe-* A. 1. off. c. 17.
ctatur sermonibus, ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet
tuus. Speculum enim mentis plerumq; in verbis refulget. Ipsum vocis sonum libret mo-
destia ne cuiusquam offendat aurem vox fortior. Deniq; in ipso canendi genere prima
disciplina verecundia est, imò etiam in omni vsu loquendi, vt sensim quis aut psallere,
aut canere, aut postremo loqui incipiat, vt verecunda principia commendent processum.

Silentium quoq. ipsum, in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est. Deniq. si aut infantiæ putatur, aut superbiæ, probro datur: si verecundiæ
Ib. c. 19. laudi ducitur. Et infra. Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans, qualem multi grauitatis specie simulare consueuerunt, sed formam quandam & regulam ac succum virilem reseruans. Hoc est enim pulchritudinem viuendi tenere, conuenientia cuiq. sexui & personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Sed vt molliculum & infractum, aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo, ita neq. agrestem ac rusticum. Naturam imitemur. Eius effigies, formula disciplinæ, forma honestatis est.

A. ib. c. 18 VI. Est & in oculis verecundia, ait idem, vt nec videre viros femina nec videri velit. Hic (pudor) in ipso cognitionis ingressu Domini matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur, astruit, quod in cubiculo, quod sola quod salutata ab angelo tacet, & mota est introitu eius, quod ad viri-
Luc. 1. 28 lis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis. Itaq. quamuis esset humilis, præ verecundia tamen non salutauit, nec vllum responsum retulit, nisi vbi de suscipienda Domini generatione cognouit. vt qualitatem effectus disceret, non vt sermonem refelleret.

Ibid. VII. In ipsa quoq. oratione, pergit AVCTOR, nostra multum verecundia
Luc. 18. 14. placet, multum conciliat gratiæ apud Deum nostrum. Nonne hæc prætulit publicanum, & commendauit eum, qui nec oculos audebat ad cœlum leuare? Ideò iustificatur magis Domini iudicio, quam ille pharisæus, quem deformauit præsumptio. Ideoq. oremus in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples vt ait Petrus. Diues
1. Pet. 3. 4. est modestia, quia portio DEI est. Paulus quoq. orationem deferri præcepit cum vere-
1. Tim. 2. 9. cundia & sobrietate. Primam hanc & quasi præuiam vult esse orationis futuræ, vt non glorietur peccatoris oratio, sed quasi colore pudoris obducta, quo plus defert verecundiæ de recordatione delicti, eò vberiorem mereatur gratiam.

VIII. Est etiam, ait idem Pater sanctus, in ipso motu gestu, incessu tenenda
Ibid. verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut leuior, aut iactantior aut turbidior, aut contrà grauior & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaq. vox quædam animi est corporis motus. Meministis filii quendam amicum, cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum à me non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret. Alterum quoq. cum in clero reperissem, iussisse me, ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idq. dixi, cum redderetur post offensam muneri; Hoc solum excepi. Nec fefellit sententia. Vterq. enim ab Ecclesia recessit. vt qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namq. alter Arianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio, ne iudicium subiret, Sacerdotem se nostrum negauit. Lucebat in illorum incessu imago leuitatis, species quædam scurrarum

percur-

ercursantium. Motum natura informet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet: vt ars desit, non desit correctio.

IX. *Cauendum est*, addit idem, *multò magis ne quid turpe ore exeat: hoc enim grauiter coinquinat hominem. Non enim cibus inquinat hominem, sed iniusta obtrectatio, sed verborum obscænitas. Hæc etiam vulgo pudori sunt. In nostro verò officio, nullum verbum quod inhoneste cadat, non incutiat verecundiam. Et non solum nihil ipsi indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus huiusmodi præbere dictis; sicut Ioseph ne incongrua suæ audiret verecundiæ, veste fugit relicta; quoniam quem delectat audire, alterum loqui prouocat. Intelligere quoq; quod turpe sit, pudori maximo est. Spectare verò, si quid huiusmodi fortuito accidat, quanti horroris est? Quod ergo in aliis displicet nunquid potest in seipso placere?* Ibid. Gen. 39. 12.

X. Proprietas est, vt verecundus sit vestitus, de quo noster morum magister non tacuit. *Vt artifex in materia commodiore*, inquit, *melius operari solet, sic verecundia in ipso quoq; corporis decore plus eminet: ita tamen vt etiam ipse non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quam expetitus, non pretiosis & albentibus adiutus vestimentis, sed communibus, vt honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori.* Ib. c. 19.

XI. est Amare secretum, vt notauit S. Bernardus in Cantica sermone extremo ante mortem in Cantica conscripto. Exponens enim verba illa. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. Verecundia tibi*, ait, *si aduertis, & loco signatur & tempore. Quid tam amicum verecundo animo, quàm Secretum? Porrò secretum & nox & lectulus habet. Deniq; orare volentes iubemur intrare cubiculum, vtiq; Secreti gratia. Id quidem ad cautelam, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum.* Sed *doceris nihilominus*, addit, *verecundiam sententia hac. Quid tam proprium verecundiæ, quàm proprias vitare laudes, vitare iactantiam?* Eodem collineant, quæ sermone 40. de Sponsa verecunda solitudinem cum turture amante conscribit. *O sancta anima*, inquit, *Sola esto, vt Soli omnium serues teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. An nescis verecundum te habere Sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris?* B. ser. 86. Cant. 3. 1.

XII. Et postrema sit primo loco verecundari seipsum. Quam multi Sapientum apud Ethnicos tradiderunt, imprimis Pythagoras his verbis.

Πρήξεις δ' αἰσχρόν ποτε, μήτε, μήτ' ἄλλου
Μήτ' ἰδίῃ πάντων δὲ μάλις' αἰσχύνεο σαυτόν.

Facies autem turpe vnquam nihil, neq; cum alio,
Neq; solus: omnium autem maximè verecundare teipsum.

LAER-

L.c.4. LAERTIVS quoq; libro 5. de Philosophorum vitis scribit Demetrium Phaleræum solitum monere adolescentes, vt domi parentes, in via obuios, in solitudine seipsos subsisterentur, sic enim fore vt facile à peccato

S.ser.2.& 71. deterreantur. Stobæus in sermonibus suis Democrito præclaram hanc tribuit gnomen. *Malum, etiamsi solus fueris, neq; dixeris, neq; feceris. Disce autem teipsum multo magis, quam alios reuereri.* Et Theophrasto. *Reuerere teipsum, & non erubesces coram aliis.* Et Musonio. *Verecundia apud omnes dignus habeberis, si primum teipsum vereri inceperis.* Patres prisci hanc proprietatem maximè exigunt à Virginibus. *Vera & tota & pura Virginitas*, ait Tertullian. in libro de velandis Virginibus, *nihil magis timet, quam semetipsam.* Et S. Basil. de vera virginitate. *Virgo sola quoq; nullo hominum teste, nihil, quod Sponso suo indignum sit, agere vlla ratione patietur. Etsi enim adsit nemo, ipsa tamen sibi Virgo adest, debetq; præ omnibus seipsam reuereri, suamq; conscientiam.*

CAPVT III.

De præstantia & effectis Verecundiæ.

Eccl. 4. 24. PRÆSTANTIAM, Salutaremq; Verecundiæ fructum Sapiens imprimis in superiori gemini pudoris discrimine patefecit, cum dixit vitiosum parare viam ad peccatum, laudatum verò ad gratiam & gloriam, *Est*, inquiebat, *confusio adducens gratiam & gloriam*, qualem gloriam consecuti

Heb. 12. 3. sunt omnes Martyres, eorumq; Princeps Christus, de quo Apostolus ad Hebræos scripsit, quod *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta,*

Phil. 2. 9. *atq; in dextra sedis Dei sedet.* Et ad Philippenses, cũ dixisset eum *humiliasse se vsq; ad mortem crucis*, qua nihil ad pudefaciendum & confundendum excogitari potuit ignominiosius, mox subiecit de gloria ex confusione secuta. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omnem no-*

Luc. 9. 26. *men.* Deinde ipse Christus Dominus apud B. Lucam ait. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris & Sanctorum angelorum.* Vnde à contrario sensu sequitur. Qui verò meos sermones non erubuerit, sed sermones Tyrannorum cogentium ad idolatriam, hunc filius hominis non pudore, sed honore & gloria afficiet, cum venerit in maiestate sua, & Patris & Sanctorum angelorum.

A. c. 18. EASDEM verecundiæ laudes prosecuti sunt & S. Patres. S. Ambrosius libro primo de Officiis. *Est, inquit, verecundia pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim regendæ castitatis pudor est comes, qui si se prætendat ad ea quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. Magna*

modestia, quæ cum sit etiam sui iuris remissior, nihil sibi vsurpans, nihil vindicans, & quodammodo intra vires suas contractior, diues est apud Deum, apud quem nemo diues. Diues est modestia, quia portio DEI est. Et infra. *Ordo quidam vitæ nobis tenendus est, vt à verecundia prima quædam fundamenta ducantur, quæ socia ac familiaris est mentis placiditati, proteruiæ fugitans, ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fouet, decorum illud requirit.* Et libro 2. de Cain & Abel. *Cain dicitur. Peccasti? quiesce. Omnia docet Deus: primum ne pecces, vt in Adam monuit: Secundo, si peccaueris, quiescas, vt in Cain docens. Erubescere enim debemus, & condemnare peccatum, non defendere: quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur. Sit saltem verecundia, vbi non est absolutio. Inde illud. Iustus in exordio sermonis accusator est sui. Et iterum ab ipso Domino alibi dictum est. Dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Quanta pudoris gratia, vt iustitiam teneat verecundia, quam culpa reatus abstulerit.* Deinde S. Bernardus in Cantica: *Quid amabilius verecundo adolescente? quam pulchra hæc, & quam splendida gemma morum in vita & vultu adolescentis, quam vera & minimè dubia bonæ nuncia spei, bonæ indolis index? Virga disciplinæ est illi, qui pudendis aspectibus imminens lubricæ ætatis motus, actusq; leues coerceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloquii, & omnis deinceps turpitudinis fugitans? soror continentiæ est. Nullum æquè manifestum indicium columbinæ simplicitatis, & ideo etiam testis innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis iugiter lucens, vt nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa ilicò prodat. Ita expunctrix malorum, & propugnatrix puritatis innatæ specialis gloria conscientiæ, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem forte inuexerit pudor, quantum gratiæ & decoris suffusio afferre vultui solet? Vsq; adeo genuinum animi bonum verecundia est, vt & qui male agere non verentur videri tamen verecundentur, dicente Domino. Omnis qui malè agit, odit lucem.*

Ib. c. 43. Id. c. 7. Pro. 18. 17. Isa 43. 26. iuxta 70. B. serm. 86. Ioan. 3. 20.

Eodem pertinet quod S. Gregorius Nazianzenus in oratione aduersus mulieres, DEVM inducit loquentem, *cum tanta inter homines ut fama fert, esset perturbatio, vt optimi à sceleratissimis nullo modo internosci possent. Haudquaquam,* inquit *DEVS, æquum est bonos ac malos eadem gloria frui, sic enim vitium in dies augeretur. Quocirca præclarum signum ipsis imponam, quo perspicuè cognosci queat, quis bonus, quis malus sit. Hac oratione habita,* ait Nazianzenus, *bonorum quidem genas rubore tinxit, suffuso scilicet pelli sanguine, quoties turpitudo aliqua animum adoriri pararet. Quem etiam ipsum mulieribus, quia & rara cute, & molli pectore sunt, vberius infudit. At verò malis sanguinem condensauit, immotumq; intus tenuit: eoq; efficitur, vt ad nullam turpitudinem erubescant.* Idem in oratione de moderatione in disputatione seruanda, ait, *nullum maius adiumentum ad virtutem excogitari posse verecundiæ lege.*

NON absimilia sunt quæ celebres apud Ethnicos Philosophi, de verecundia prodiderunt. SOCRATES teste Maximo, hortabatur iuuenes, vt tria haberent. *In animo prudentiam, in lingua silentium, in vultu verecundiam.* M. Serm. 47.

L. in vitis. *cundiam.* Diogenes, auctore Laertio, videns adolescentulum inhonesto dicto erubescentem. *Confide,* inquit, *fili, hicce virtutis color est.* Pythias Ari- P. in apopht. stotelis F. interrogata, quis color esset pulcherrimus? teste Stobæo, respondit, *qui per verecundiam ingenuis oboritur.* M. Cato, vt refert Plutarchus, aiebat *sibi magis placere iuuenes qui erubescerent, quam qui pallescerent,* quod ru- C. 1. offic. bor arguat probam indolem, pallor non item. M. Tullius scribit de Officiis, sine verecundia *nihil rectum, nihil honestum esse posse.* Et in Partitionibus Oratoriis, Verecundiam esse *virtutum omnium custodem, dedecus fugientem & laudem maximam consequentem.* Et 2. de Finibus *cupiditatis moderatorem esse pu-* S. ep. 25. *dorem.* Seneca quoque ad Lucilium, monet *nutriendum adolescentis pudorem, qui quamdiu in animo eius durauerit, aliquis,* inquit, *erit bonæ spei locus.*

CAPVT IV.

Media ad complectendam fouendamque Verecundiam.

Gen. 9. 22. PRIMVM Medium esto. Considerare exempla eorum, qui hac virtute excelluerunt, cuiusmodi multa exstant in solis diuinis Scripturis. 1. sit Sem & Iaphet, qui vt cognouerunt parentem in tabernaculo iacere nudatum, vultu auerso post terga nuditatem eius contexerunt, vnde & magnæ benedictionis beneficium promeruerunt. Quod exemplum per- A. c. 31. pendés S. Ambrosius in libro de Noe & arca. *Littera,* inquit, *euidentem pietatis expressit aspectum, quod nudatum amictu patrem boni filii videre cauerunt, ne paterna reuerentia, vel ipso minueretur aspectu. Siquidem etiam tacito vultu pietas frequenter offenditur. Vnde etiam Romæ vetus fuisse vsus dicitur, ne filii cum parenti-* Id. c. 18. *bus, & maxime puberes intrarent lauacrum.* Addit in libro de Officiis primo. *Licet plerique se & in lauacro, quantum possunt, tegant, ne vel illis, vbi nudum totum est* Exo. 28. 42. *corpus, huiusmodi intecta sit portio. Sacerdotes quoque veteri more, sicut in Exodo legimus, braccas accipiebant. sicut ad Mosen dictum est à Domino. Et facies illis braccas lineas, vt tegatur turpitudo pudoris. à lumbis vsque ad femora erunt, & habebit eas Aaron & filii eius, cum intrabunt in tabernaculum testimonii, & cum accedent sacrificare ad aram sancti, & non inducent super se peccatum, ne moriantur.*

2. Est Moysis, de quo S. Paulus ad Hebræos, ait, quod maiores diuitias æstimarit thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Quod con- Heb. 11. 24. A. serm. 8. siderans idem Ambrosius in psalmum 118. *Moyses,* ait, *noluit rex esse, cum posset, sed opprobrium Christi thesauris Ægypti arbitratus est præferendum, sed fugiendo potentiam potentior factus est. Factus est enim in Deum regi Pharaoni, hoc est, regi terribilis, quem rex timeret. Et tu si vis, tanquam Deus peccatoribus esse terrori, Regibus,*

Regibus reuerentia, &c. contemne quæ seculi sunt, & Dominicæ passionis opprobrium contende omnibus præferre diuitiis. Opprobrium dico, quod illis videatur opprobrium, hoc est, Iudæis scandalum, Gentibus stultitia, nobis autem virtus DEI atq; Sapientia.

3. Est Iosephi patriarchæ, de quo in Genesi. *Ioseph quoq;,* inquit idem Pater primo de Officiis, *cum somniasset, quod Sol & Luna & stellæ adorarent eum,* Gen 39.12.
sedulum tamen obsequium deferebat Patri: castus ita vt ne sermonem quidem audire velllet nisi pudicum: humilis vsq; ad seruitutem, verecundus vsq; ad fugam, patiens vsq; ad carcerem, remissor iniuriæ vsq; ad remunerationem. Cuius tanta verecundia fuit, vt comprehensus à muliere, vestem in manibus eius fugiens mallet relinquere, quam verecundiam deponere. Moyses quoq; & Ieremias electi à Domino, vt oracula Dei prædicarent populo, quod poterant per gratiam, excusabant per verecundiam. A. c. 17.

4. Susannæ apud Danielem. *Tacebat,* inquit idem, *in periculis Susanna, & grauius verecundiæ, quam vitæ damnum esse putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam Salutem. Deo soli loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui, refugiebat ora intueri virorum. Est enim & in oculis verecundia, vt nec videre viros femina, nec videri velit.* Ib c. 18. Dan. 13.35.

5. Elizabeth. S. Ioannis Baptistæ matris. De qua idem in Lucam ita scribit. *Magna sanctis cura est verecundiæ, vt plerumq; in ipsis pudor voto sit, sicut hoc loco aduertimus Sanctam Elizabeth, quæ vtiq; filios habere cupiebat, occultantem se mensibus quinq;. Quæ causa occultationis nisi pudoris? Est enim vnicuiq; officio præscripta ætas, & quod tempore decet, tempore non decet, æuiq; mutatio facti vniuscuiusq; mutat sæpe naturam. Sunt etiam ipsi quædam tempora præscripta coniugio, quando dare operam liberis sit decorum, dum anni vigent, dum suscipiendorum liberorum spes est.* Et infra. *Merito Sancta Elizabeth, erubescebat gratiam, etsi non cognosceret culpam. Nam etsi concepit de viro, tamen partus sui erubescebat ætatem: & rursus caruisse sese gaudebat opprobrio. Hoc igitur opprobrium consolatur sui pudore sublatum eo pudore, vt dixi, quod pudebat eam propter ætatem.* De Verecundia S. Mariæ Virginis supra diximus. Luc. 1. A. in Lucam c. 1. Cap. 3.

ALTERVM Medium est intemperantium hominum vitare consortia. Est eiusdem sæpe dicti S. Ambrosii. *Habet sane,* ait, *suos scopulos verecundia, non quos ipsa inuehit, sed quos sæpe incurrit, si intemperantium incidamus consortia qui sub specie iucunditatis venenum infundunt bonis. Hi si assidui sint & maximè in conuiuio, ludo ac ioco, eneruant grauitatem illam virilem. Caueamus itaq; ne dum relaxare animum volumus soluamus omnem harmoniam quasi concentum quendam bonorum operum. Vsus enim cito inflectit naturam. Vnde quam prudenter factis conuenire Ecclesiasticis, & maximè ministrorum officiis arbitror, declinare extraneorum conuiuia, vel vt ipsi hospitales sitis* A. 1. offic. c. 20.

peregrinantibus, vel vt ea cautione nullus sit opprobrio locus. Conuiuia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt etiam fabulæ frequenter de Seculo, ac voluptatibus, claudere aures non potes, prohibere putatur superbiæ. Surrepunt etiam præter voluntatem pocula. Melius est tuæ domui semel excuses, quam alienæ frequenter: & vt ipse sobrius surgas, tamen ex aliena insolentia condemnari non debet præsentia tua. Simile medium præscribit feminis Gregorius Nazianzenus in parænetico carmine ad Olympiadem. *Quod ad vitæ occupationes attinet, radio & lanæ operam da, atq; in oraculorum sacrorum meditatione versare. Externa negotia viro committe. Noli pedem tuum limine crebro efferre, nec ad publicos ludos, turbamq; inconditam proficisci. Id enim pudorem verecundis etiam excutit, oculosq; oculis iungit. Pudoris autem iactura flagitiorum omnium certissima est parens. Ad honestos autem & laudabiles cœtus cum prudentibus feminis te conferas iubeo: vt egregium aliquem sermonem in animo tuo insculpas, quo vel vitia tua deleas, vel virtutes arctius amplectaris. Domus tibi vrbis ac nemorum instar sit. Ne aspectus tui copiam aliis facias, quam propinquis tuis, iisq; grauibus & honestis, & Sacerdoti, ac senectute iuuentuti præstantiori. Sed & illud te admonitam velim, vt nec ad nuptiale, nec ad natalitium conuiuium properes, vbi & perpotatur, & saltatur, & ridetur, ac denique infacetis facetiis indulgetur. Hæc enim eiusmodi sunt, vt vel pudicum pectus delinire ac demulcere queant non secus ac Solis radius ceram quam citissimé penetrans. Cura præterea, vt virgineus pudor egregium sub palpebris tuis ruborem marito fundat, vtq; etiam ad hominum aspectum erubescas, oculos cæcos, superciliumq; humi depressum habens.* Hæc ille, aliaq; plura.

PLVRA media vel remedia offendes in PANARIO. V. *Immodestia, & Pudor noxius.*

VERI-

VERITAS.

De definitione Veritatis.

VERITATIS vocem bifariam vsurpare possumus. Vno
modo, quatenus ea aliquid appellatur verum. Quo signifi- Ioan. 16. 13.
catu non est virtus, sed obiectum potius vel finis virtutis.
Ita apud S. Ioannem Christus dicit spiritum sanctum nos
docturum *omnem veritatem*, hoc est, omnem veram doctrinam, & nos dici-
mur profiteri veritatem fidei Catholicæ, Altero modo, quatenus aliquis
verum eloquitur & non mentitur. Et hoc sensu est virtus, quia verum lo-
qui est bona & laudabilis actio. Ita Apostolus ad Ephesios scripsit. *Deponē-*
tes mendacium loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Et Dauid in Eph. 4. 25. Psal 14. 2.
psalmis. *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Nos
vtroque significatu, propter affinitatem quam inter se habent, vsurpabi-
mus: nam, vt alicubi S. Thomas commonefecit, *quia moralia in quantum* Tho. 22 q. 109. a. 9. ad 3.
sunt à nobis cognita circa nos sunt, & ad nos pertinent, secundum hoc veritas doctrinæ po-
test ad hanc virtutem pertinere, & quæcunque alia veritas, qua quis manifestat verbo
vel facto, quod cognoscit. Idem vero S. Doctor Veritatem, qua virtus est, con- Ibid.
uenienter doctrinæ Philosophi in lib. quarto de moribus, ita definit. Ve- Arist. c. 7.
ritas est virtus, *qua aliquis & vita & sermone demonstrat qualis est, & non alia,*
quàm circa ipsa sint, nec maiora, nec minora. Cum quo consentit quod S. Augu-
stinus scripsit in psalmum quintum, ad verba. *Perdes omnes qui loquuntur*
mendacium. Si hoc dicitur, inquit, *quod est, verum dicitur; si autem hoc dicitur, quod*
non est, mendacium est. Et libro 2. Soliloquiorum post longam disquisitonem A. c. 5.
de natura veri. *Ergo illud dico,* inquit, *& sic definio, nec vereor, ne definitio mea ob hoc*
improbetur, quod nimis breuis est. Nam verum mihi videtur esse id quod est. Imo con- Matth. 5. 37.
sentit formula loquendi Christi Domini apud Matthæū. *Sit sermo autem* 2. Cor. 1. 17.
vester, est, est, non non. Atque etiam B. Pauli in altera epistola ad Corinth. *Aut*
quæ cogito, ait, *secundum carnem cogito, vt sit apud me EST & NON. Fidelis autem*
Deus quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo EST & NON.

CAPVT II.

De excellentia & dignitate Veritatis.

EXCELLENTIAM Veritatis, siue virtutem, siue veram doctrinam
vitæ congruentem ea intelligamus, inde elicere possumus, quod Deus
in psal. dicatur. *Deus veritatis.* & spiritus sanctus apud B. Ioann. *Spiritus ve-*
ritatis. Et Christus ipse hoc nomine se cōpellarit dicens. *Ego sum via, veritas* Psal 30. 6.
& vita, atque etiam coram præside Pilato palam contestatus sit se veritatis Ioan. 14. 6.
docendæ & diuulgandæ causa in hunc mundum venisse. *Ego,* inquiens,

in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Ioa.18.37. Quod dictum admiratus Pilatus dixit, *Quid est veritas?* Hinc postea S. Ioannes scripsit *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Præclarum quoque Ioan.1.17. Psal.116.2. illud præconium est Regis Dauidis in psalmis, quod *Veritas Domini maneat* 3.Esd.4.41. *in æternum.* Et trium iuuenum corporis regii Darii custodum certamen in quo vicit eousque tertii sententia omnibus præferentis veritatem, vt omnes populi acclamarint & dixerint. *Magna est veritas & præualet.* Rex autem dixerit victori. *Pete, si quid vis amplius, quam quæ scripta sunt, & dabo, secundum quod es inuentus sapientior proximis, & proximus mihi sedebis, & cognatus meus vocaberis.*

EANDEM excellentiam agnouerunt vetusti Patres. Clemens Alexandrinus C.6. Strom. de Græcæ philosophiæ veritate ita scribit. *Cum sit singularis veritas quæ in græca apparet Philosophia, quæ verè quidem est veritas, quomodo sol illuminans colores & album & nigrum, ostendit qualis sit vnusquisque eorum: sic ipsa quoq; refellit omnem sermonis probabilitatẽ. Merito ergò à Græcis quoq; acclamatum est. Principium magnæ virtutis est Regina veritas.* Tertullianus de virginibus velan- T.initio. dis. *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum.* Et paulo post. *Si semper Christus & prior omnibus, æquè veritas sempiterna & antiqua res.* Et libro de anima. *Cui veritas cõperta sine Deo, cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine spiritu sancto, cui spiritus sanctus accommodatus sine fidei sacramento?* Hinc liquet veritatem esse donum Dei quod etiam Lactantius libro septimo diuinarum institutionum agnouit, cum ait. L.c.7. *Non nisi eius est scire veritatem, qui sit doctus à Deo. Neq; enim potest aliter repudiare quæ falsa sunt; eligere ac probare quæ vera, sed si vel casu id efficeret, certissimè Philosopharetur. & quamuis non posset diuinis testimoniis illa defendere, tamen se ipsa veritas illustraret suo lumine.* Cum quo conuenit, quod libro pri- Id.c.5. mo scripsit in hæc verba. *Veritatis ipsius tanta vis est, vt nemo possit esse tam cæcus, qui non videat ingerentem se oculis diuinam claritatem.* S. Gregorius Nazian- G.orat.2. 3.Esd.3. zenus in oratione de Pace. *Omnium rerum fortissima est veritas, vt cum Esdra* Id.ad Constan. *censeo.* Et in oratione de seipso, cum falso eius fama à quibusdam traduceretur. *Quid verò mea,* inquit, *interest, qui rei veritatem magis curo, immò solum curo? hoc enim vel me condemnauerit, vel absoluerit, hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium.* S. Am- A.serm.20. brosius in psal. 118. exponẽs verba illa: *Principium verborum tuorum veritas. Cum principium, ait, verborum Dei veritas sit, veritas vtique fidei fundamentum est. Primum enim oportet vt credamus vera esse Dei summi, quæ in diuinis scripturis legi-* H. in apol. *mus oracula. secundum est, virtutem eorum pleniore cognitione discamus.* S. Hieron. Id.ep.128. aduersus Ruffinum inter Pythagoræ sententias refert hanc. *Post Deum veritatem colendam, quæ sola homines Deo proximos faciat.* Et ad Fabiolam, de veste sacerdotali. *Quod additur in ipso Rationali δήλωσις esset & ἀλήθεια id est manifestat.*

festatio, atque doctrina vel veritas hoc ipsum significat, quod nunquam in Dei ratione mendacium sit: sed & ipsa veritas multis signis & argumentis monstretur hominibus, vsq; ad mortales veniat. Et in prœmio commentariorum li.5. in Ierem. *Veritas claudi & ligari potest, vinci non potest, quæ & suorum paucitate contenta est, & multitudine hostium non terretur.* B. Aug. de vera religione. *Quid admirabilius, quid speciosius ipsa veritate, ad quam omnis spectator peruenire se cupere confitetur, cum vehementer, ne fallatur, inuigilat, & inde se iactat, si quid acutius cæteris & viuacius in spectando cognoscat & iudicet?* Et in Psal. 108, *Deus verax,* inquit, *omnis autem homo mendax, quia non est homo verax, nisi in quo loquitur Deus.* Et l. 2. de libero arbitrio. *Promiseram me tibi demonstraturum esse aliquid, quod sit mente nostra atq; ratione sublimius. Ecce tibi est ipsa veritas. Amplectere illam, si potes & fruere illa & delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Quid enim petis amplius, quam vt beatus sis? Et quid beatius eo, qui fruitur inconcussa & incommutabili, & excellentissima veritate?* &c. multa. B. Prosper de vocatione gentium. *Dubitandum non est ad ipsam cognitionem veritatis & perceptionem salutis non suis quenquam meritis, sed ope atque opere diuinæ gratiæ peruenire.* Et de vita contemplatiua. Veritas, vndecunq; claruit, non est ingenio humano deputanda sed Deo. Cyr. Alexandrinus l. 5. thesauri *Vt Esdras,* inquit, *scribit, omnis terra veritatem vocat, & cœlum ipsam adorat, & omnes creaturæ ipsam tremiscunt, Filius verò de seipso ait. Ego sum veritas.*

H. 6. 24. A. c. 43. Id. c. 13. P. lib. 2. c. 1. Id. li. 2. in præf. Cyr c. 1. 3. Esd. 4. Ioan 14. 6.

CAPVT, III.

De Proprietatibus Veritatis.

PRIMA Proprietas est, Homo natura propensus est ad indagandam veritaté. Ita B. Ambr. l. 1. de officiis. *Omnibus,* inquit, *hominibus inest secundum naturam humanam verum inuestigare, quod ad studium cognitionis & scientiæ trahit, & inquirendi infundit cupiditatem. In quo excellere vniuersis pulchrum videtur* Et B. Aug. in Quæstionibus testamenti. *Nescire bonum aut malum simplicitas quædam est naturalis, quæ neque ad bonũ, neque ad malum erudita est, hoc est, ignorantia sine malitia, Sine sensu enim nescimus sed nostra natura capax est ediscere veritatem.* Et. Cicer. primo de officiis. *Imprimis hominis est propria veri inquisitio atque inuestigatio.* Et. *Quod verum, simplex, sincerumque sit, id est naturæ hominis aptissimum.*

II. Proprietas. veritas natura sua simpliciter est & nuda, alienissima à mendacio, fraude, simulatione & fuco. Vnde Christus de Nathanael loquens ait. *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* Quæ verba expendens B. Aug. *Dolus,* inquit, *fraus est, simulatio est, quando aliquis aliud in corde tegit & aliud loquitur dolus est, & tanquam duo corda habet. Vnum quasi sinum cordis habet, vbi videt veritatem & alterũ sinũ vbi concipit mendaciũ, & vt noueritis hunc esse dolum,*

A. c. 26. A. q. 80. & 41. Ioan. 1. 47. A. tract. 7. in Io.

dictum

dictum est in psalmis, labia dolosa, sequitur. in corde & corde locuti sunt mala. Quid est, in corde & corde nisi duplici corde? Et hoc nomine etiam vocatur in scripturis, scilicet, duplici corde & duplex animo. Nec vacat mysterio, quod vir minimè dolosus dicatur verè Israelita ab Israele, qui & Iacob. namque Iacob scriptum est, Iacob autem vir simplex.

Gen.25.27. Ioan.1.

Hinc B. Hieronymus in cap. 12. Osee. Quamuis conentur hæretici veritati miscere mendacium, oleum aquis & cæteris humentibus & liquentibus rebus non potest copulari. Semper veritas supra est, deorsumque mendacium. Omnes aliæ species, id est hæreses, quæ non habent oleum veritatis, possunt sibi misceri, & de pluribus vnum effici corpus. Sed harum oleum detestatur Propheta, dicens. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Tertullianus de spectaculis. Non amat falsum auctor veritatis, adulterium est apud illum omne quod fingitur.

Ps.140.5.

III. Non eget præsidio eloquentiæ, etiamsi per eam illustrari possit. Ita Lactantius initio libri primi de falsa religione. Veritas licet possit sine eloquentia, inquit, defendi, vt est à multis sæpe defensa, tamen charitate ac nitore sermonis illustranda & quodammodo differenda est, vt potentius in animos influat, & vi sua, & instructa religione, & luce orationis ornata. Et S. Basilius de martyre Mamante. Ne pudeat nos veritatis: ne fabulatores illos extraneos imitemur, ne veritatem verborum ornatu obuelemus. Nuda est veritas, absque patricinio ipsa seipsam declarans. Et B. Augustinus libro 4. de doctrina Christiana. Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea si hoc potest, quando nihil quærimus nisi patere, quod clausum est?

L.c.1. B. hom. 26. A.c.11.

IV. Communis est omnibus, omnibusque publicanda. Tertulianus contra Valentinianos Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi, quia nec pudebit vllum aures ei dedere, eum Deum recognoscere, quē iam illi natura commisit, quem quotidie in omnibus operibus sentit. B. Hieronymus exponens verba Apostoli ad Ephesios. Deponentes mendacium loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. docet per proximū, non amicū vel propinquū, sed omnē hominē intelligi, sicut in parabola Hierichūtini Samaritani apud Luc. Itaq; omnibus hominibus veritatem enunciandam. Et B. Augustinus libro secundo de libero arbitrio. Veritatis pulchritudo nec multitudine audientium constipata secludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur, nec vmbra intercluditur, nec sensibus corporis subiacet. De toto mundo ad se conuersis qui diligunt eam omnibus proxima est, omnibus sempiterna. Nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet cernentes, se commutat omnes in melius, à nullo in deterius commutatur: nullus de illa iudicat, sine illa iudicat bene. Et in Psalmum trigesimum. Veritas nec quadra est, nec rotunda, nec longa: vbique præsens est, si cordis oculus ad eam pateat. Et libro primo contra Cresconium Grammaticum fusè probat veritatem semper omnibus opportunè importunè vt monuit Timotheum Apostolus, prædicandā. Quando autem fructuosè occultetur veritas docet l. de bono perseuerantiæ c. 10. & in psalm. quintum.

H. in c. 4. Luc. 10. 37. A.c.14. Id. con 1. A cc.6.7.8. 2.Tim.4.

V. Non eſt mutationi obnoxia, ſed conſtans. Tertullianus libro de ſpectaculis. *Hæc eſt veritatis integritas, & quæ ei debetur diſciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obſequii non immutare ſententiam, nec variare iudicium. Non poteſt aliud eſſe, quod verè quidem eſt bonum ſeu malum.* Eiuſmodi veritas eſt omnium, quæ diuinis litteris, vel traditione Apoſtolica continentur.

VI. Veritatis notitia ardua eſt, amara, & obſcura. Vnde Clemens Alexandrinus. *Clarum eſt, quod cum veritas ſit ardua & difficilis, propterea certe ſunt quæſtiones, ex quibus natæ ſunt hæreſes.* Et S. Baſil. in prœmio libri de Spiritu ſancto. *Quoniam difficilis eſt inuentu veritas, vndiq; nobis eſt veſtiganda* Hieron. libro 2. in Iouinianum. *Amara eſt veritas, & qui eam prædicant replentur amaritudine. In azymis enim veritatis & ſinceritatis Domini Paſcha celebratur, & cum amaritudinibus comeditur* Et libro 1. contra Pelagianos. *Veritas amara eſt, rugoſæ frontis ac triſtis, offenditq; correptos. Vnde & Apoſtolus loquitur. Inimicus vobis factus ſum, veritatem dicens vobis? Et Comicus. obſequium amicos, Veritas odium parit.* Et Lactantius libro primo *Quoniam*, inquit, *pauci vtuntur hoc beneficio* (doctrinæ Chriſti) *quod obuoluta in obſcuro veritas latet, eaq; vel contemptui doctis eſt, quia idoneis aſſertoribus eget: vel odio indoctis ob inſitam ſibi auſteritatem (nam quia virtutibus amaritudo permiſta eſt, vitia vero voluptate condita ſunt, illa offenſi, hac deliniti feruntur in præceps) ſuccurrendum eſſe his erroribus credidi.* In tertio verò libro declarat, quid veteres Philoſophi de veritate ſenſerint. *Anaxagoras*, ait, *pronuntiat circumfuſa eſſe tenebris omnia. Empedocles anguſtas eſſe ſenſuum ſemitas queritur, tanquam illi ad cogitandum rheda & quadrigis opus eſſet. Democritus quaſi in puteo quodam ſic alto, vt fundus ſit nullus, veritatem iacere demerſam: nimirum ſtultè, vt cetera. Ex hac deſperatione confeſſio illa Socratis nata eſt, qua ſe nihil ſcire dixit, niſi hoc vnum, quod nihil ſciat. Hinc Academiæ diſciplina manauit, ſi tamen diſciplina dici poteſt, in qua ignoratio & diſcitur & docetur.* Quomodo autem hæc veritatis vel obſcuritas, vel auſteritas vel difficultas tollatur paucis verbis diſcuſſit S. Bernardus in Cantica, *Amara*, inquiens, *eſt veritas ſine condimento gratiæ, ſicut abſq; veritatis freno, leuis & neſciens modum plerumq; & inſolens eſt ipſa deuotio,*

Cl 7. ſtrom.

Cic. l. 2. Acad. quæſt.

B. ſerm. 74.

VII. Veritas odium parit, vt ait Terentius: Hoc expertus S. Paulus ad Galatas ait. *Inimicus vobis factus ſum verum dicens vobis?* Greg. Nazianzenus in Apologetici primi initio auctor eſt, *duobus imprimis affectibus, odio nempe & beneuolentia veritatem labefactari.* Cuius cauſam reddit S. Auguſtinus in libris Confeſſionum. *Cur veritas parit odium*, inquit, *& inimicus eis factus eſt homo tuus verum prædicans, cum ametur beata*

T. in Andria.
Gal. 4, 16.
A. 10. conf. c. 23.

vita, quæ non est nisi gaudium de veritate: nisi quia sic amatur veritas, vt quicunque aliud amant, hoc quod amant velint esse veritatem: & quia falli nollent, nolunt conuinci, quod falsi sint. Itaq; propter eam rem oderunt falsitatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt, & fallere volunt, amant eam cum seipsam indicat, & oderunt eam cum eos ipsos indicat. Inde retribuit eis, vt qui se ab ea manifestari nolunt, vt eos nolentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta. Sic sic etiam, sic animus humanus etiam, sic cæcus & languidus, turpis atq; indecens latere vult, se autem, vt lateat aliquid, non vult. Contra illi redditur, vt ipse non lateat veritatem, ipsum autem veritas lateat. Tamen etiam sic, dum miser est, veris mauult gaudere quam falsis. Beatus ergo erit, si nulla interpellante molestia, de ipsa, per quam vera sunt omnia sola veritate gaudebit. M. Tullius in Lælio. *Nescio quo modo verum est quod in Andria familiaris meus Terentius dixit. Obsequium amicos, veritas odium parit. molesta veritas est si quidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiæ.*

Æ.c.30.31. Ep.28. VIII. Veritas à quocunq; dicta recipienda. Est S. Augustini libro 13. Confessionum. Cuius rationem reddit in epistola ad Hieronymum. *A quocunq;* inquit, *verum dicitur illo donante dicitur, qui est ipsa Veritas.* Idem docet B Prosper in præfatione libri 2. de vita contemplatiua. Et in psalmum 140. vbi agens de gentium philosophis. *Etsi,* ait, *aliquid recti verique dixerint, non cuiusquam hominis, sed est ipsius veritatis.*

Caput IV.

De necessitate & vtilitate Veritatis.

NECESSITAS huius virtutis inde euincitur, quod Spiritussanctus passim in Verbo suo scripto, vetat, arguit, & damnat omnia, quæ repugnant Veritati, vt mendacia, dolos, hypocrisin, errores & fucos, de quibus in PANARIO. Verbo. *Hypocrisis, Mendacium,* &c. *Non contradicas,* ait Ecclesiasticus, *verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.* Et S. Paulus ad Corinthios. *Non possumus aliquid aduersus veritatem* Et ad Galatas. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit, non obedire veritati?* Deinde quia iubet vt Veritatem in omnibus quæramus, loquamur & doceamus. *Veritatem,* inquit psalmista, *requirit Dominus.* Et. *Ecce veritatem dilexisti.* Et Zacharias propheta. *Veritatem tantum & pacem diligite.* Et Apostolus ad Ephesios. *Veritatem*

Eccli.4.30. 2.Cor.13.8. Gal.3.1. Ps.30.24. Ps.50.8. Ep.4.15.

tatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia. Et Christus apud Ioannem. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Et. *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Præterea Christus ipse est Veritas, quia dixit. *Ego sum via, Veritas & vita,* at sine cognitione Christi & fide in eum præclusus nobis est omnis aditus ad gratiam & salutem. *Gratia enim,* teste S. Ioanne, *& veritas per Iesum Christum facta est.* Et S. Petrus repletus Spiritu sancto in Actis Apostolicis dixit. *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Ioan.4.23. Ioa.8.32. Ioa.14.6. Ioan.1.17. Act.4.12.

VTILITAS. QVOD si cognoscere & audire teneamur Veritatem, non potest non ex ea auditione magnus promanare in nos fructus. *Audire siquidem,* teste S. Augustino, *nihil est, si non auditionem fructus sequatur.* Primus est, quod iis maximè felicitas æterna adiudicetur, qui veritatem amant & ab omni dolo & fuco sunt alieni. nam rex Dauid, cum ita precatus esset. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondet Dominus. *Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua. Nec fecit proximo suo malum,* &c. Vnde Clemens in parænesi ad gentes. *Consuetudo voluptatum in barathrum deturbat, in cælum autem deducit veritas.* A in ps. 66. in fine. Ps.14.1.

II. Fructus est, vera libertas. Christus enim ad Iudæos credentes dixit. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Et iterum. *Si ergò vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Quæ verba exponens S. Augustinus in Ioannem. *Hoc verbum,* ait, *Dominus ad libertatem posuit. Liberabit vos. Nihil enim est aliud propriè, liberat, nisi liberum facit: quomodo saluat, nihil est aliud, quam saluum facit: quomodo sanat nihil est aliud, quam sanum facit: ditat nihil est aliud, quam diuitem facit. Hoc in græco verbo planius est.* Et quia Iudæi arbitrabantur eum loqui de seruitute legali, Christus respondet se loqui de seruitute peccati. *Omnis* inquiens, *qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem, non manet in domo in æternum. Quæ ergo nobis est spes?* pergit Augustinus, *qui non sumus sine peccato? Audi spem tuam. Filius manet in æternum. Si ergo filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Hæc spes nostra est fratres, vt à libero liberemur, & liberando seruos nos faciat, Serui enim eramus cupiditatis, liberati serui efficimur charitatis. Hoc & Apostolus dicit. Vos autem fratres in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem seruite inuicem.* Ioan.8.32. A.tract.41. Gal.5.13.

III. Fructus, bonus odor prædicatæ veritatis, de quo ita Apostolus

2.Cor.2.14. lus in posteriore epistola ad Corinthios. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt.* Vnde Augustinus apud Prosperum in sententiis. *Bonus Christi odor* Sent.351. *est prædicatio Veritatis, quo odore vitam capit, qui Euangelio bonis operibus seruit & congruit. Mortem autem incurrit, cuius ab his quæ bene loquitur vita dissentit. Quæ conditio etiam auditores obstringit, cum recta prædicatio ab* 1.Cor.13. *aliis per incredulitatem auditur in mortem: ab aliis per fidem suscipitur in salutem.*

IV. Fructus est, quod nihil ea iucundius possit excogitari. Et ideo iuxta Apostolum, charitas forte *congaudet veritati. Solemus* inquit A c.13. S. Augustinus libro 2. de libero arbitrio, *audire voces clamantium se beatos, si iaceant in rosis aliisq; floribus, vel etiam vnguentis odoratissimis perfruantur. Quid fragrantius, quid iucundius inspiratione veritatis? Et dubitamus nos, cum ab illa inspiramur, dicere beatos? Multi beatam vitam in cantu vocum, & neruorum, & tibiarum sibi constituunt, & cum ea sibi desunt, se miseros iudicant: cum autem adsunt efferuntur lætitia, & nos cum mentibus nostris sine vllo strepitu vt ita dicam canorum, & facundum quoddam silentium veritatis illabitur, aliam vitam beatam quærimus, & tam certa & præsente non fruimur? Luce auri & argenti, luce gemmarum & aliorum colorum siue ipsius lucis, quæ ad hos oculos pertinet, siue in ignibus terrenis siue in stellis & Luna vel Sole claritate & iucunditate delectati homines, cum ab ista lætitia nullis molestiis, nulla indigentia reuocantur, beati sibi videntur, & propter hæc semper volunt viuere: & nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus? Immò verò, quoniam in veritate cognoscitur & tenetur summum bonum, eaq; Veritas sapientia est, cernamus in ea, teneamusq; summum bonum, eoq; perfruamur.* Et paulo post. *Quicquid enim iucundum est in ceteris veris, ipsa vtiq; veritate iucundum est. Hæc est libertas nostra, cum isti subdimur veritati. Et ipse est Deus noster, qui nos liberat à morte, id est, à conditione peccati. Nulla enim re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate. Nemo autem securus est in iis bonis, quæ potest inuitus amittere. Veritatem atq; sapientiam nemo amittit inuitus. Non enim locis separari ab ea quisquam potest, sed ea quæ dicitur à veritate atq; sapientia separatio, peruersa voluntas est, qua inferiora diliguntur. Nemo autem vult aliquid nolens.*

Eph.6.14. V. Fructus est Mortificatio carnis, nam ad Ephesios ita loqui-
Nahum.2. tur Apostolus. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate.* Vnde S. Hieronymus exponens verba Nahum prophetæ. *Conforta lumbos, robora virtutem valdè. Dicitur Iudæ, vt teneat lumbum,* inquit, *id est, vt post electionem verè mortificet corpus suum, & seruituti subiiciat, ne quasi rex & magister*

aliis prædicans, ipse reprobus inueniatur. Longum est nunc dicere, quod virtus diaboli maximè sit in lumbis, Et quod Ioannes zona pellicea cingitur. Et quod à Saluatore discipulis imperatur. Sint lumbi vestri præcincti. Et Apostolus ad Ephesios. State ergo accincti lumbos vestros in veritate. Licet enim ἄσκησις *plurimum præstet, & vita continentia super mortificatione lumborum: tamen nihil eos ita mortificat, vt cognitio veritatis. Vnde dicitur, accingite lumbos vestros in veritate. Si enim veritas est Christus: qui tota mente in Christo credidit, lumbos suos mortificauit in Christo.* Matt. 3. 4. Luc. 12. 35. Eph. 6. 14.

VI. Fructus est Expugnatio hæresum omniumq; errorum. *Veritatis cuneo*, ait Tertullianus contra Marcionem, *omnis extruditur hæresis*. Et de velandis Virginibus initio. *Hæreseis non tam nouitas, quàm veritas reuincit.* T. lib. 1.

CAPVT V.

De Medijs ad cognoscendam, tuendamq; Veritatem idoneis.

QVONIAM teste M. Tullio in primo de Officiis libro *hominis inprimis propria est veri inquisitio, atq; inuestigatio*, necesse est hoc loco adiumenta quædam ad illud inquirendum, & inueniendum subiicere.

I. MEDIVM est, vt animus à vitiis sit alienus, & à rerum terrenarum cupiditate abstractus. *In maleuolam enim animam*, ait Sapiens, *non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Vnde S. Augustinus de agone Christiano. *Cum*, inquit, *cognitio & actio sint dona Dei, & beatum hominem faciant, sicut in cognitione cauendus est, error, sic in actione cauenda est nequitia. Errat autem quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter viuat. Nequitia autem est, mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur & transeunt pro magno habere, & ea concupiscere, & pro his laborare vt acquirantur: & lætari cum abundauerint, & timere ne pereant, & contristari cum pereunt. Talis vita non potest puram illam, & sinceram & incommutabilem videre veritatem, & inhærere illi.* Sap. 1. 4. A. c. 13.

II. Medium, vt alienus ab omni fastu & arrogantia, sed verè humilis *Vbi enim humilitas*, inquit Salomon, *ibi & sapientia*. Et summus veritatis magister, hanc imprimis virtutem à discipulis suis exegit dicens. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* cum gratias egisset Deo, quod Deus sua mysteria, hoc est, veritatem ipsam reuelasset paruulis & humilibus. Vnde S. Cyprianus natiuitatem Christi describens. *Electa,* Prou. 11. 2. Matt. 11. 25. Cyp. de natiuit.

cta, ait, *humilium personarum simplicitas, vt poneretur regula, & indissolubilis daretur forma, quod non nisi pauperibus spiritu Christi pateret humanitas,*
A.lib.10.c.29. *nec superbos ad intuitum sui posset admittere Vnitas.* Et S. August. in li. de Ciuitate Dei disputans contra Platonicos ostẽdit nihil illis aliud obstare, quo minus fiant Christiani, quam superbiam. *Quid est*, inquiens, *quod vt beati simus omne corpus fugiendum esse opinamini, nisi quia illud, quod iterum dico, Christus est humilis, vos superbi. An forte corrigi pudet? Et hoc vitium non nisi superborum est. Pudet videlicet doctos homines ex discipulis Platonis fieri discipulos Christi, qui piscatorem suo spiritu docuit sapere ac dicere*
Ioan. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*, &c. Idem hoc
A.ep.56. vnum antidotum Dioscoro pagano prolixè inculcauit ad perspiciendam veritatem dogmatis Christiani. *Non aliam*, ait, *tibi ad capessendam & obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, &c.*

III. Medium, vt summo studio & vigilantia indagetur veritas. Ita Clemens Alexandrinus. 6. Stromatum. *Est*, inquit, *ipsa veritas ma-*
B.ep 79. *gna cura & studio indaganda, non quærendo scire nomina.* S. Basilius Eustochio Sebastiæ Episcopo. *Multa cura & solicitudine opus est, multarumq́; noctium perferendæ vigiliæ, ac multis lachrymis quoque à Deo quærẽda ve-*
A.c. 26. *ritas.* Et S. Ambrosius primo libro officiali. *In veri inuestigatione tenendum illud decorum, vt summo studio requiratur quid verum sit, non falsa pro veris ducere, non obscuris vera inuoluere, non superfluis vel implexis atque ambiguis occupare animum.* Et paulo post. *Quanto excelsior virtus est sapientia, tanto magis enitendum esse arbitror nobis vt assequi eam possimus.* Plato quoq; in tertio de Republica, teste S. Hieronymo in Apologia aduersus Ruffinum, docuit, *Veritatem magnopere sectandam.*

IV. Medium, veritati semel perspectæ & exploratæ statim obse-
C.ep. 73. qui, & in ea constanter persistere, vt præclare monet S. Cyprianus in epistola ad Iubaianum. *Sapientibus*, inquiens, *& Deum timentibus congruit patefactæ & perspectæ veritati libenter atque incunctanter obsequi.* Et S. Basilius in homilia de Virginitate. *Viam veritatis ignorasse præstat, quam ab ea semel arrepta per inconstantiam deficere.* Ad quam rem opus est non paruo robore animi, cum potius debeamus sanguinem profundere, quam veritatem semel agnitam deserere, vnde Christus ipse monuit suos. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius homi-*
Luc.9. 26. *nis erubescet cum venerit in maiestate sua.* Hinc Clemens in 7. Strom. *Opus, est autem*, ait, *vt opinor, amatori veritatis robore animi: necesse est n. labi etiam in maximis eos qui res maximas aggrediuntur, nisi regulam Veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint.* Quæ autẽ illa Regula sit subiiciemus.

V. Medium. Diligens lectio diuinarum Scripturarum. Quod
Christus ipse Iudæis apud B. Ioannem proposuit, vt probaret se esse Ioan.5.39.
Messiam & veritatem. *Scrutamini*, inquiens, *Scripturas, quia vos putatis
in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, &
non vultis venire ad me, vt vitam habeatis* Et in historia Apostolica scri-
bit Sanctus Lucas Beroenses, cum verbum Dei omni auiditate susce- Act.17.11
pissent, quotidie scrutatos Scripturas, *si hæc ita in se haberent*, quæ sc.
Paulus & Silas eos docuerant. Deinde Diuus Paulus verbis commo-
nefacit Episcopum Timotheum. *Tu verò permane in iis quæ didicisti, &* 2.Tim.3.14.
*credita sunt tibi, sciens à quo didiceris & quia ab infantia sacras litteras nosti,
quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo IESV. Omnis
Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corri-
gendum, ad erudiendum in iustitia.* Vnde Sanctus Augustinus libro 6. A.c.5.
Confessionum, de initiis suæ conuersionis agens. *Cum essemus*, ait, *infir-
mi ad inueniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset aucto-
ritate Sanctarum litterarum, iam credere cœperam nullo modo te* (Domine
Deus) *fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes iam terras
auctoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.* Et
tractatu 2. in epistolam B. Ioannis, agens de discipulis quibus post re-
surrectionem Christus aperuit Scripturas. *Maximè*, ait, *debetis animad-
uertere, & memoriæ vestræ mandare, quia contra insidiosos errores Deus vo-
luit ponere firmamentum in Scripturis, contra quas nullus audet loqui, qui
quoquo modo se vult videri Christianum. Cum se palpandum præbuisset non
ille suffecit, nisi de Scripturis confirmaret cor credentium prospiciebat enim nos
futuros. In quo palpemus, nos non habemus, & quod legamus habemus. Si e-
nim illi propterea crediderunt, quia tenuerunt & palpauerunt, nos quid faci-
mus? Iam Christus ascendit in cœlum, non est venturus nisi in fine, vt iudicet
de viuis & mortuis. Vnde credituri sumus, nisi vnde & ipsos palpantes voluit* Luc.24.
confirmare? Aperuit n. illis Scripturas, & ostendit eis q̃a oportebat pati Christũ.

VI. Medium, inquirere, vbi nam sit vera Ecclesia. nam Scriptura
ipsa docet per os Apost. Pau. *Ecclesiam Dei viui esse columnã & firmamen-
tum veritatis.* Vnde S. Augustinus libro primo contra Cresconium 1.Tim.3.16.
Quoniam, inquit, *Sancta scriptura fallere non potest quisquis falli metuit
huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vl-
la ambiguitate sancta Scriptura demõstrat.* Quæres vbi Scriptura sine am-
biguitate demonstret Ecclesiam? Resp. loco iam allegato, & Matt. 18. Matt.18.17.
& alibi. Sed & sine ambiguitate demonstrat certam Ecclesiam nempe Matt.16.18.
Romanam, nam Christus apud Matth. Apostolorum Principi, primo
Ecclesiæ Romanæ Pontifici dixit. *Tu es Petrus, & super hanc petrã ædifica-
bo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Vnde

S. August.

A.ep.165. S. Augustinus epistola ad Generosum, enumeratis omnibus Pontificibus Romanis vsque ad Anastasium suo tempore sedentem, Et in ps. contra partem Donati. *Numerate*, inquit *Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superba inferorum porta.* Et contra epistolam fundamenti. *Tenet me in Ecclesia ab sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.*

Id.c.4.

VII. Medium est, sæpe numero de dogmatibus vel certis vel ambiguis, obiectis in contrarium argumentis disceptare, vt veritas conflictu illo magis elucescat. Ita Clemens Alexandrinus initio Stromatum suadet. *Ipsorum*, inquit, *dogmatum conflictus, dum inter se conferuntur veritatem conciliat. vnde consequitur cognitio, non quod per principalem rationem ingressa Philosophia, sed quod per eũ fructum, qui capitur ex cognitione vera comprehensionis firmã ac stabilem suscipimus persuasionem. Quemadmodum ergo qui studio tenetur venationis postquam quæsyt, indagauit, inuestigauit, canes qui cursu persequerentur emisit, feram capit; ita etiam apparet verum dulcedine quæsitum & labore paratum.* Et iterum *Vt ferri silicisque concussione ignis, ita hominum doctissimorum conflictu disputationeque veritas elicitur.* Et S. Augustinus in verba psalmi 118. *In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. Quod Græcus*, inquit *habet ἀδολεσχήσω. Latini quidam interpertes, garriam, quidam, exercebor, interpretati sunt, quæ duo inter se videntur esse diuersa: sed si exercitatio intelligatur ingenÿ cum quadam delectatione disputationis, vtrumque coniungitur, & quasi ex vtroque vnum aliquid temperatur, vt non sit aliena ab huiusmodi exercitatione garrulitas. Solent enim garruli vocari loquaces. Si autem in Dei mandatis se exercet Ecclesia aduersus omnes inimicos fidei Christianæ atque Catholicæ copiosis doctorum disputationibus est garrula, quæ tunc fructuosæ sunt disputantibus, si non ibi considerentur nisi viæ Domini. Vniuersæ autem viæ Domini, sicut scriptum est, misericordia & veritas, quorum duorum plenitudo inuenitur in Christo.*

Cl.1.strom.

A.conc. 6.

Psal.24.11.

VIDE V. *Catechesis. Cognitio Dei Fides Catholica. Religio Sapientia Simplicitas. Virtus.* Et in PANARIO. V. Hæresis. *Iudicium temerarium. Mendacium. Superstitio.*

VIR-

VIRTVS.

CAPVT I.

De definitione partitioneque Virtutis.

VIRTVS, si nomen spectes, auctore Tullio, in Tusculanis quæstionibus, *à viro appelata est:* si significatum, id simplex nō est in sacris litteris. Nam annotauit in Isa. *S.* Hier. *Virtutes in ijs sæpe ponuntur pro signis & miraculis, vt ibi, Gloriam meam alteri non dabo, nec virtutes meas sculptilibus. Et alibi. Virtutes eius in insulis nunciabunt, vel gentibus totius mundi, vel Ecclesiis, quæ firma mole fundatæ sunt, & feriuntur potius, quam subuertuntur. Interdum virtus nequaquā pro fortitudine accipitur atque miraculis, sed pro conuersatione bona, vt illud est Apostoli Petri. Ministrate, in scientia vestra virtutem. & Pauli, si qua virtus, & si qua laus. Iuxta quod & alio loco dicitur. Melior est sterilitas cum virtute.* Nos autem vsurpamus pro perfectione, animi, sicut vsurpauit regius Psaltes in psalmo 83. cum cecinit. *Ibunt de virtute in virtutem & videbitur Deus Deorum in Sion.*

Cic. 2. Tusq. — H li. 17. c. 61. — Isa. 42. 8. — 2. Pet. 1. 5. — Phil. 4. 8 — Sap. 1. 4. iuxta 70 — Psal. 83. 8.

HANC non vno modo definierunt Patres veteres Clem. Alexand. in pœdagogo, *Virtus,* inquit, *est concinna & congrua animi affectio, quæ per totam vitam rationi subiicitur.* Lactan. li. 6. institutionum. *Virtus est cupiditas recta & honesta faciendi. S.* Basilius in regulis fusius disputatis. *Virtus est rectus, præceptisque Domini conueniens earum facultatum vsus, quæ boni causa nobis à Deo sunt datæ.* Et in Isaiam. *Virtus est quædam inter excessum & defectum mediocritas.* S. Augustinus in libro 83. quæstionum. *Virtus* inquit, *est habitus bonus, modo & ratione naturæ consentaneus.* Aristoteles in 2. Ethicorum. *Virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens.* Denique Cicero in paradoxis. *Virtus est consentiens & cum ratione perpetua constantia.*

C. 1 pœd. c. 13. — L c. 5. — B. quæst. 2. — Id. in c. 5. — Arist c. 6. — Cic par. 3.

Virtutis Partitio quoque varia est. 1. sit. Virtutis vel est acquisita, vel infusa. Acquisita, quam nostro studio vel actibus efficimus. Infusa, quam Deus in nobis efficit, de qua loqui videtur S. Augustinus cum in altero de libero arbitrio, asserit *virtutem esse bonam qualitatem mentis, qua nemo male vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* 2. Virtus acquisita pro diuersitate causæ materialis, id est subiecti diuiditur in *Intellectualem,* quæ est in parte apprehensiua, & *Moralem* quæ est in parte appe-

A. c. 18. & 19.

titiua. III. Virtus infusa, pro diuersitate obiecti diuiditur in virtutem *Theologicam*, quæ versatur immediate circa Deum, vt est fides, spes & charitas, & in *Moralem* infusam, quæ versatur circa medium deducens ad Deum.

CAPVT II.

De dignitate & præstantia Virtutis.

QVAMVIS singularum virtutum encomia toto libri decursu hactenus descripta non obscurè dignitatem & præstantiam Virtutis generatim sumptæ declarent, tamen hoc loco aliquot veterum Patrum libuit pro generali virtute subiicere testimonii. Primusque sit Clemens Alexandrinus ita in Pœdagogo scribens. *Non satis animaduertimus, quis sit is solus diues, qui quæ sunt longè pretiosissima possidet. Magni autem pretij sunt, non gemmæ, non argentum, non vestis, non corporis pulchritudo, sed virtus. Accipite, inquit, disciplinam, & non argentum, & cognitionem super aurum probatum: melior est enim sapientia lapidib. pretiosis. Quicquid est autem pretiosum, nequaquam est ea dignum Et rursus. Colligite me super aurum & lapidem pretiosum, & argentum. Germina n. mea meliora sunt argento electo.* Et iterum. *In sola anima apparet pulcritudo, & ideò is solus qui est virtute præditus, verè est pulcher, bonus & honestus, & solum quod pulchrum est & honestum bonum esse statuitur. Sola autem virtus, vel per pulchrum corpus apparet, & in carne efflorescit, moderationis speciem amabilē ostendens, quandò mores tanquam lux quædam in formæ resplenduerint. Vniuscuiusque enim plantæ & animalis pulchritudinem, vniuscuiusq; virtute esse euenit.* Lactantius libro 3. institutionum. *Negari non potest, quin virtus & bonum sit, & summum certe bonum. Nihil virtute pulchrius, nihil sapientia dignius inueniri potest.* Et infra. *SENECA quoque imprudens incidit, vt fateretur nullum esse aliud virtutis præmium, quam immortalitatem. Laudans enim virtutem in eo libro, quem de immatura morte conscripsit. Vna, inquit, res est virtus, quæ immortalitate nos donare possit. & pares Dijs facere. Sed & Stoici, quos secutus est, negāt sine virtute effici quenquam beatum posse* B. Bas. de legendis libris gentilium. *Vt ego quidem, inquit, ex viro grauiq; maximè Poetarum sensus tenebat, audiui, oīs Homeri poesis, virtutis est laus, & eius oīa ad hūc finem referuntur, vt nihil ab re aut parergum sit positū Maximè autem vbi ducem Cephalensium nudum è naufragio seruatum scripsit. Primū quidem reginā apparentem solum veritum esse, tanti modestiā ac nuditatis verecundiam existimasse. Vndè loco vestis virtutis ornatum sumpsit, Phæacibus omnib. tanti postea fuit, vt relictis illi delicijs, quibus magnopere dediti fuerāt,* eius

C. lib. c. 3. 6.
Prou. 8. 10.
Ibid.
Id. lib. c. 12.
L. c. 12.
d. c. 12.
B. hom. 24.

eius imitarentur exemplum, & se nihil potius optarent, quam esse Vlyssem, quanquam nudum & è naufragio seruatum. Quo sane exemplo enarrator mentis Poetæ nihil aliud Homerum intendere, & tantum non clamare voluisse affirmat, quam: O viri, curanda nobis ante omnia virtus est, quæ naufraganti præsto adest & connatat, & in terra nudum existentem honoratiorem Phæacibus delicatis ac felicibus reddit. Et profectò, sic res habet. Nam alia quidem omnia non magis possidentium, quam quorumlibet sunt, velut in talorum ludo huc illuc transposita. Virtus autem sola possessio immortalis atque immobilis, & viuenti & morienti permanens. Vnde Solon mihi videtur iure illud ad diuites dicere. Nos nequaquam commutabimus cum virtute diuitias, quod virtus firma sit, diuitias verò alius alias ac aliter, interdum habet. S. A.c.5.
Ambrosius de dignitate humanæ conditionis. Homo creatus est, vt charitatẽ haberet, vt bonus esset & iustus, vt patiens atq; mitis, mũdus & misericors foret. Quas virtutes, quanto quisq; plus in seipso habet, tanto propius est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem. Qui verò maior honor potuit ho- Psal.92.a.
mini esse, quam vt ad similitudinem sui factoris conderetur, & eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus conditor⁹ de quo legitur. Dominus regnauit, decorem indutus est, id est, omnium virtutum splendore, & totius bonitatis decore ornatus. S. Greg Nazian. de Machab. Horum fortitudinem, inquit, cum vniuersa Iudæa admirata est, perindeque ac si ipsa victricem coronam accepisset, exultabat. eam ipse quoq; Antiochus admiratus est, conuersis nimirum in admirationẽ minis. Nam egregiorũ hominũ virtus hostib quoq; ipsis admirationẽ excitare solet cum sedata ira facinus in seipso perpenditur. S. Chrysostomus ad Philippenses Virtus vbiq; lucet & inexpugnabilis est, nihil eã Ch hom.12.
impedire potest. nõ diuitiæ, nõ paupertas, non principatus, non subiectio, non rerum præsidentia & administratio, non morbi, non ignominia, sed his omnibus in terra relictis ad cœlum ipsa pertingit. Duntaxat sit animus generosus, & nihil poterit strenuum ac solidum impedire. An non per omnia ista efficaciter operati sunt Apostoli? Per gloriam & ignorantiam, per infamiam, & bonam famam? Istud demum est athletæ ad omnia accomodum esse, Etenim talis quoque est virtutis natura. Et oratione prima de prouidentia. Quid si scirent, inquit improbi, in hoc vitæ cursu nihil bonum nisi virtutem solam, nõ pecunias, non sanitatem, non potentiam, non aliud quippiam, nihilq; malum in hac vita nisi improbitatem & malitiam animi, non paupertatem, ægritudinem contumelias, quæ honorabilia esse putantur, non ita animum abijcerent, non ita de rebus humanis statuerent. Et in psal. 48. Nihil facit nomen adeò immortale, vt natura virtutis. Id ostendunt martyres, ostendunt Apostolorum reliquiæ, ostendit memoria eorum, qui rectè ex virtute vixerunt. Et in ps. 134. Extremus virtutis finis est, & quod facit vel ad summum bonorum fastigium

A.c.10. *pertingere, Dei esse similes quantum nobis conceditur.* S. Augustinus libro 4.
de ciuitate Dei. *Virtutem quoq;,* ait, Romani, *Deam fecerunt, quæ quidem
si Dea esset, multis fuerat præferenda. Et nunc quia Dea non est, sed donum Dei,*
Id.c.21. *ipsa ab illo impetretur, à quo solo dari potest.* Et infra. *Virtutes veri Dei munera
sunt, non ipsæ sunt Deæ. Veruntamen vbi est virtus & felicitas, quid aliud quæ-
ritur? Quid ei sufficit, cui virtus, felicitasq; non sufficit? omnia quippe agenda
complectitur virtus, omnia obtinenda felicitas. Quid doctrinæ vel à Mercu-
rio, vel à Minerua petendum esset, cum virtus omnia secum haberet? Ars quip-
pe ipsa bene recteq; viuendi à veteribus definita est. Vnde ab eo quod græcè ἀρετὴ
dicitur virtus, nomen artis latinos traduxisse putarunt.* Cassianus collatio-
C.c.3. ne sexta. *Nihil in rebus duntaxat humanis principale bonum esse credendum
est, nisi virtus animi sola, quæ fide sincera nos ad diuina perducens illi immuta-
bili bono facit iugiter inhærere. Et è contrario nihil malum esse dicendum est,*
P.c.16. *nisi peccatum solum.* S. Prosper de Vita contemplatiua libro 3. *Omnis san-
cta virtus res est diuina incorporea prorsus atq; mundissima, quam mentes in-
quinatæ non inquirant, sed ipsa inquinatas emaculat, cuius participatione for-
mantur infirmia, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur praua,
reconciliantur auersa. Hanc non habet nisi Deus, & is cui dederit Deus. Quæ in
animo habitat, sed animum corpusq; sanctificat, ad quam nullus accedit inui-*
B.ser.1 Psal.88.18. *tus, quam nullus amittit nisi propria voluntate deceptus.* S. Bernardus in
natali S. Victoris. Psalmista ait, *Quoniam gloria virtutis eorum tu es. Pul-
chrè, non eorum, sed virtutis eorum gloria commendatur. Quæ enim sine vir-
tute est gloria? profecto indebita venit, præproperè affectatur, periculosè capta-
tur. Virtus, gradus ad gloriam, virtus mater gloriæ est. Fallax gloria, & vana
pulchritudo, quam illa non parturiuit. Sola est, cui gloria iure debetur, & secu-
rè impenditur.* Subiiciam & Philosophorum gentilium elogia. Socra-
tes, auctore Laertio, rogatus à Gorgia, regem Persarum putaretne
fælicem? respondit. Nescio Hercule, quantum virtutis & disciplinæ
habeat. Plato, vt est in Menexemo, omnes opes, omnem rerum copi-
A.c.2. am virtuti concedere dicebat. Aristoteles libro primo magnorum
Moralium. Virtus, inquit, est honorabile bonum, à quo qui studiosus
C.par.6. euaserit, eum virtutis habitum induisse certum est. M. Tullius in Pa-
radoxis. *Quis dubitet, quin in virtute diuitiæ positæ sint, quoniam nulla pos-
sessio, nulla vis auri & argenti pluris, quam virtus æstimanda est.* Et Acade-
micarum quæstionum libro primo. *Quod in philosophia absolutum est, id
est virtus, quasi perfectio naturæ, omniumq; rerum, quas in animis ponunt,
vna res optima.* Et libro 5. Tusculanarum quæstionum. *Nos virtutem
semper liberam volumus, semper inuictam, quæ nisi sunt, sublata virtus est.*
Plautus in Amphitruone.

Virtus præmium est optimum,
Virtus omnibus rebus anteit profecto
Libertas, salus, vita, res, parentes,
Patria & prognati tutantur, seruantur.
Virtus omnia in se habet, omnia assunt bona
Quem penes est virtus.

SENECA ad Lucilium. *Virtus extollit hominem, & supra cara mortalibus collocat: nec ea quæ bona, nec ea quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expauescit.* Et libro primo de Ira. Sola sublimis & *excelsa virtus est.* S.ep.87. Id.in fine.

CAPVT III.

De Proprietatibus Virtutis.

PRIMA proprietas est, quod homo natura sit procliuis ad virtutem; nam psaltes regius canit, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine,* quod enim illud lumen nisi veri cognoscendi, bonique expetendi? Vnde Seneca 4. de Beneficiis c. 17. *maximum habemus hoc naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum præmittit. etiam qui non sequuntur illam, vident.* Et Apostolus ad Romanos scribit, *gentes naturaliter ea quæ legis sunt facere.* Clemens Alexandrinus in sexto Stromateo. *Illud quoq;*, ait, *illos scire oportebat, quod natura quidem apti nati sumus ad virtutem, sed non quod eam habeamus ab ortu, sed simus apti ad eam acquirendam.* Et paulo post. *Aptitudo autem est quidem inclinatio ad virtutem, non autem virtus. Atq; omnes quidem apti sunt natura ad acquirendam virtutem, sed alius quidem magis, alius vero minus accedit ad disciplinam & exercitationem.* Et Cyrillus Alexandrinus libro 3. in Iulianum, ex sententia Alexandri Philosophi. *Nam* inquit, *si natura virtutes habere possemus, nullus certè vitio locus relictus esset. Quoniam autem hoc impossibile, natura solum procedit vsq; ad hoc, quod virtutum capaces nos simus. Necessario enim omne quod alicuius capax est, cui est contrarium, id & contrarii capax est.* Etiamsi verò natura nostra capax sit contrarii, hoc est vitii, vt dicit Cyrillus, tamen homo potius natura procliuis est ad virtutem, tanquam ad perfectionem suam. (Virtus enim teste M. Tullio naturæ perfectio est) quam ad vitium, cum vitium sit contra naturam, vt docent S. Patres. Nam S. Augustinus in libro vndecimo de ci- Psal. 4. 7. Rom. 2. 14. Cic. 1 Acad. quæst. A. c. 17.

uitate Dei ita scribit. *Vitium ita contra naturam est, vt non possit nisi nocere naturæ. Non itaq; esset vitium recedere à Deo, nisi naturæ, cuius id vitium est, potius competeret esse cum Deo.* Idem habet libro 3. de libero arbitrio cap. 13. Et S. Chrysost. homilia 2. in epistolam Pauli ad Ephesios. *Age scrutemur num ex necessitate peccata committantur. Non occides, inquit (Dominus) Quæ est hic necessitas, quæ coactio? Quis enim nostrum gladium velit in guttur proximi sui immergere, cruentamq; facere dexteram? Nemo. Indidit quippe magis naturæ nostræ Deus hunc amorem, vt alius alium vicissim diligamus. Omne siquidem animal, inquit, quod sibi simile est, diligit, & homo proximum suum. Vides quod ab ipsa natura habeamus indita ad virtutem seminaria. Quæ verò malitiæ sunt, præter naturam sunt.* Et rursum paulo post probat vitium magis repugnare naturæ quam virtuté, eo quod vitium maiore labore perpetretur. *Quid enim dic oro,* inquit, *difficilius, quid molestius, noctu peruigilem circuire, parietes perfodere, ad cædem instructum tremere, timoreq; emortuum esse, animam in manibus habere: an quotidianis laboribus intentum & securitate frui & libertate? Postremum hoc facile est, & quoniam facile est, plures hoc faciunt, quam istud. Vides quod iuxta naturam sit virtus, præter verò naturam malitia?*

C. serm. 2.

Eccli. 13. 19.

II. Proprietas, quod sit bonum animi, non corporis, vt probat contra quosdam veteres Philosophos Lactantius libro diuinarum institutionum primo. Deinde *bonum rationi consentaneum. Virtus,* inquit Cicero de natura Deorum *sine ratione constare nequit.* Et Philosophus in secundo de Moribus, docet eam *in mediocritate consistere ratione definita, & vt definierit ipse prudens,* Vnde S. Ambrosius primo libro de Officiis. *Primus officii fons est prudentia.* Tertio *bonum voluntarium.* Vnde S. Basilius in homilia, quod Deus non sit auctor malorum. *Deo eum puta fore amicum, non qui coactus, sed qui sponte sua, virtuteq; illi obtemperat. Virtus verò ex voluntate perficitur, non necessitate. Voluntas autem ab illis pendet quæ in nobis sunt sita. Quod verò in nobis situm est, voluntarium & spontaneum est.* Et Chrysostomus homilia 54. in Genesin initio. *In voluntate nostra comite superna gratia sitæ sunt virtutes & vitia.* Et B. Prosper libro 2. de Vocatione gentium. *Siue initia, siue profectus fidelium, siue vsq; in finem perseuerantium cogitemus genus, nulla species cuiusquam virtutis occurrit, quæ vel sine dono diuinæ gratiæ, vel sine consensu voluntatis nostræ habeatur. Nam virtus nolentium nulla est, nec potest asseri vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse quorum ab his bonis consensus alienus est.*

L. c. 18.
C. lib. 1.
A. c. 6.
A. c. 27.
B. hom. 9.
P. c. 9.

III. Quod sit in medio, vel mediocritate constituta. Non enim raro indicat diuina Scriptura viam virtutis esse quasi mediam inter vitio-

vitiosa extrema. Vnde in Deuteronomio sic monet Deus. *Non decli-* Deu. 5.32.
nabitis neq; ad dexterā, neq; ad sinistram. Et Salomon. *Ne declines ad dexte-* Prou 4.27.
ram, neq; ad sinistram. Vias enim quæ à dextris sunt nouit Dominus, peruersæ
verò sunt quæ à sinistris sunt. Et S. Paulus ad Romanos. *Dico autem omni-* Rom. 12.3.
bus, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, id est, non
plus nec minus quam oportet. Et S. Patres. Greg. Nazianzenus in ora-
tione de seipso. *Da operam vt sagittam ita semper manu teneas, vt ad desti-* G.N.h.8.
natum scopum tendat: sic quidem, vt neque vltra Christi mandatum, nec ci-
tra eiusdem præcepta eam mittas. Neutro enim modo virtutis album feries.
Et Nyssenus in Cantica *Virtus media est inter duo vitia, nempe inter defe-*
ctum honesti & exuperationem. Et S. Hieron. in Isaiam. *Neq; enim vitia* H.lib.14.c.52.
& perturbationes inuicem se sequuntur, quod de virtutibus dicitur, in quibus
nec ὑπερβάσεις *sunt, nec* ἐλλείψεις, *id est, nec plus, nec minus, sed omnia tem-*
perata. Plutarchus de liberis educandis. *Mediam,* inquit, *in cunctis se-*
care viam, summæ artis & consonantiæ est. Et Horatius. H.ep.19.

Virtus est medium vitiorum, vtrinque reductum.

Et

Est modus in rebus, sunt certi denique fines: H.sat.1.lib.1.
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

IV. Quod quælibet, vt perfecta sit, omnes alias habeat conne-
xas. Ita S. Ambrosius in Lucam *Connexæ,* inquit, *sibi sunt, concatenatæq;* A.lib.5.
virtutes. S. Hieron. ad Fabiolam de 40. mansionibus. *Hærent sibi, & in-* H.38.mans.
ter se ita connexæ sunt, vt qui vna caruerit omnibus careat. S. Augustinus
libro 6. de Trinitate. *Virtutes quæ sunt in animo humano nullo modo sepa-* A.c.4.
rantur ab inuicem. Et Epistola 28 ait *omnibus Philosophis placuisse dogma de*
inseparabilitate virtutum. S. Gregorius primo moralium. *Neq; enim,* ait, G.c.39.
vnaquæq; virtus verè virtus est, si mixta alijs virtutibus non est. Et 22. Mo- Id.c.1.
ralium. *Vna virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta.* Idem do-
cuit Plato libro de regno. & Aristoteles in 6. de moribus. & Cicero in Ar.c.12.13.
altero de Officiis, vbi ait *inter omnes Philosophos constare, qui vnā haberet*
omnes habere virtutes. Dices, si q vnam habet omnes habeat, inde sequi
omnes esse æquè sanctos & perfectos. Respondet Atticus apud Hier.
dialogo 1. aduersus Pelagianos, qui vnam habuerit, habere omnes *par-*
ticipatione, non proprietate. Necesse est enim, inquit, *vt singulæ excellant in*
quibusdam, vt in Salomone sapientia, in Dauid animi mansuetudo, in Elia &
Phinees zelus, in Abraham fides, in Petro cui dictum est: Simon Ioannis

amas

amas me, perfecta dilectio, in electionis vase studium prædicandi, & in ceteris, vel bina vel terna.

Matt. 7.14. V. Quod difficilis sit & amara, maximè in religione Christiana. *Arcta est enim via,* teste Christo, *quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Et. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et. *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Hinc Clemens Alexandrinus. Merito scribit Simonides. *Fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus, nunc autem celerem castum locum tenere, & quæ nec aspici possit omnium mortalium ciliis, sed ab eo demum ad quem sudor venerit.* Et Tertullianus ad Martyres. *Virtus duritia extruitur, mollitia verò destruitur.* Et Gregor. Nazianzenus Apologetico. 1. *Rara ait, atque ardua est virtutis adeptio, quamlibet etiam multis modis ad eam inuitemur ac trahamur. Quod etiam ipsum à beatissimo Aggæo animaduersum mihi fuisse videtur cum admiranda illa verissimaq; imagine vteretur Percontamini ex lege sacerdotes, num si caro sancta in veste cibum aliquem, aut potionem, aut vas denique aliquod tetigerit, rei admotæ sanctitatem protinus allatura est? Quod cum pernegassent percontamini rursus, inquit, si qua res impuritati eorum propius admota fuerit, nonne impuritatem statim contrahet? tanquam videlicet eam piaculi participem fore, puritatemq; suam contagione amissuram esse haud dubiè affirmaturi sunt. Quibus verbis, mea quidem sententia, hoc significat, virtutem huiusmodi esse, vt eam homines non nisi summo labore adipisci queant, sicut nec humida materia ignem facile excipere solet: contra vero ad vitii perceptionem omnes mortales promptos idoneosq; esse, non secus ac stipula ad scintillam ob naturæ societatem facile accenditur.* Et B. Hieron. in Ezechielem. *Lata & spaciosa est via,* inquit, *quæ ducit ad mortem, & multi ingrediuntur per eam, sicut econtrario dicitur ad Israhel. Vos autem estis pauci inter omnes gentes: semper enim virtus rara est, & arcta & angusta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui ingrediuntur per eam.* Et libro contra Vigilantium. *Rara est virtus, nec à pluribus appetitur.* Lactantius libro primo sub initium. *Quia virtutibus amaritudo permista est, vitia vero voluptate condita sunt, homines illa offensi, hac deliniti feruntur in præceps, ac bonorum specie falsi, mala pro bonis amplectuntur.* Idem docuere Philosophi gentiles. Aristoteles in 2. de moribus ita scribit. *Difficilius est, vt Heraclito placet voluptati repugnare, quàm iræ, at circa difficilius semper ars fit & virtus.* Et Ouidius de Ponto.

Marginal notes: Matt. 7.14. — Matt. 11.12. Luc. 14.27. — C. 4. strom. — Agg. 2.12. — H. lib. 10. c. 32. Matt. 7.13. — Gen. 34.30. Deu. 28.62. Matt. 7.14. L. c. 1. — A c. 3. — O. l. 2. eleg. 2.

Difficile est fateor, sed tendit in ardua virtus.

Et CLAVDIANVS Iliade quædam.

Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq; aditum primum spectantibus offert.

VI. Pro-

VI. Proprietas, quod virtutem non ſecus ſectetur, vt loquitur Hier. vana gloria, atq; vmbra corpus. Vnde S. Baſ. in Conſtitutionib. monaſticis. *Fugiamus,* inquit, *inanem gloriam, dulcem ſpiritualium operum ſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem.* B.c.18. Et S. Hieronymus epiſtola ad Euſtochium *Nec ſatis religioſa velis videri, ne plus humilis, quam neceſſe eſt, ne gloriam fugiendo quæras, plures enim paupertatis, miſericordiæ atque ieiunij arbitros declinantes hoc ipſo cupiunt placere, quod placere contemnunt, & mirum in modũ laus dũ vitatur appetitur. Noui apud te ſuperbiam, per quã diabolus cecidit penitus locum non habere. Sed ne hoc ipſũ tibi iactantiam generet, quod ſeculi iactantiam contempſiſti, ne cogitatio tacita ſubrepat, vt quia in auratis veſtibus placere deſiſtis, placere coneris in ſordidis, & quanto in cõuentum fratrum veneris vel ſororum ſedeas ſcabello te cauſeris indignam.* H.ep.22. Et Sanctus Auguſtinus ad Dioſcorum. *Niſi,* inquit, *humilitas omnia quæcunque bene facimus & præceſſerit, & comitetur & conſecuta fuerit, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu ſuperbia, vitia quippe cetera in peccatis, ſuperbia verò etiam in recte factis timenda eſt, ne illa quæ laudabiliter facta ſunt ipſius laudis cupiditate amittantur,* A.ep 56. Et Caſſianus. *In ſolitudine quoque cunctorum mortalium conſortia gloriæ cauſa fugientem perſequi non deſiſtit: quantoque amplius quis vniuerſum vitauerit mundum, tanto eum acrius inſectatur.* C.lib.11.c.6. Et rurſus. *Omnia vitia ſuperata marceſcunt, & deuicta per ſingulos dies infirmiora redduntur, hoc deiectum acrius conualeſcit.*

VII. Quod non poſſit diu deliteſcere, quod S. Hieronymus egregiè probat S. Hilarionis anachoretæ exemplo, qui quo magis virtutes ſuas cælare conabatur, migrando ex vno loco in alium, hoc magis diuulgabantur, etiam ab ipſis dæmonibus. H.in vita. Hanc proprietatem Virtutis agnouere & Ethnici, vt Seneca ad Lucilium ita ſcribens. *Nulla virtus latet, & latuiſſe non ipſius eſt damnum. veniet qui conditam & ſeculi malignitate compreſſam dies publicet,* S.ep.79. Et paulo ante. *An Æthna tua poſſit ſublabi, & in ſe ruere, neſcio, virtutem non flamma, non ruina inferius adducet Hac vna maieſtas deprimi neſcit.* Et libro de Tranquillitate animi. *Nunquam quamuis obſcura virtus latet, ſed mittit ſui ſigna. Quiſquis dignus fuerit, veſtigiis illam colliget.* Id c.3.

IIX. Quod quidem hac in vita, nõ ſit perpetua, ſit tamen in futura. S.ep.50. Seneca ad Lucilium & Lactantius arbitrati ſunt etiam in hac vita eſſe perpetuam, ſic vt ſemel parta non poſſit amitti ſed hoc bene refellit L.lib.7.c.10. Sanctus Auguſtinus in pſalmum 65. *Si æterna,* inquit; *eſſet virtus noſtra, non lapſi eſſemus, non cecidiſſemus in peccatum, non meruiſſemus mortalita-*

Sſſſ tem

tem pœnalem. Ille voluntate suscepit, quo nos meritum nostrum deiecit. Qui dominatur virtute sua in æternum; eius participes efficiamur, in cuius virtute erimus fortes, ille autem in sua. Nos illuminati, ille lumen illuminans: nos auersi ab illo, contenebramur: ille auerti à se non potest. Quod autem in altera

Ac. 9. vita permansuræ sint virtutes etiam morales, licet aliam rationem agendi sint habituræ docet idem *S.* Augustinus libro 14. de Trinitate. *Deo regenti esse subditum si iustitia est, immortalis est omnino iustitia, nec in illa beatitudine esse desinet, sed talis ac tanta erit, vt perfectior & maior esse non possit. Fortassis & aliæ tres virtutes prudentia sine vllo iam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum erunt in illa felicitate: vt prudentiæ sit nullũ bonũ Deo præponere vel æquare, fortitudinis ei firmissimè cohærere, temperantiæ nullo defectu noxio delectari.* Idem habet Sanctus Prosper de vita contemplati-

P. c. 33. ua li. tertio. *Porrò,* inquit, *illæ virtutes quatuor etsi ibi erunt, longe tamen alio modo, quam in hac vita sunt, vbi contra vitia sine intermissione confligunt,* &c. De Theologicis virtutibus, fide, spe & Charitate clara sunt verba Apostoli. *Charitas nunquam excidit. Fides est,* vt est in epistola ad He-

1. Cor. 13. 8. bræos, *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Spes, quoque versatur circa rem nondum obtentam. *Quod enim videt quis,* ait idem, *quid sperat?* At in altera vita omnia apparent & viden-

Rom. 8. 24. tur, quæ hic creduntur & sperantur.

CAPVT IV.

De necessitate atque Vtilitate virtutis.

NECESSITATEM Virtutis demonstrare opus non est, cum sæpe demonstrata sit hactenus ex necessitate obseruationis mandatorum diuinorum; omniumque operum bonorum, atq; etiam particularium quarumq; virtutum, vt fidei, spei, charitatis, iustitiæ, temperantiæ, humilitatis, & ceterarum. De vtilitate, quamuis idem dici posset, aliquot tamen proprias hic subiiciemus ex Patribus.

C. lib. 3. c. 6. PRIMA sit Clem. Alexand. in Pędagogo. *Hæc ex dogmatib.* (Christianarum virtutum) *optimum est perpetuo agendum, quod vir bonus, qui est moderatus & iustus in cœlo recondit thesaurũ pecuniæ. Is qui terrena vendidit & dedit pauperib. inuenit thesaurum, in quem non cadit interitus, vbi nec tinea est, nec latro. Is ergo est verè beatus, etiamsi sit paruus, imbecillus & inglorius, & reuera magnus possideat diuitias.*

B. ep. 42. II. est, BASILII Magni ad Maximum philosophum, cum discipulus

lus Christi factus esset *Reuera*, ait, *amicissimè fili, solum hoc bonum maximoperè expetendum est ac laudabile, quod & perpetuo est duraturum Hoc vero est in pretio & honore esse apud Deum: Ista quippe humana, vmbra sunt obscuriora, & somnijs fallaciora. Etenim iuuenta vernis floribus citius defluit. Et corporis venustas, aut morbo, aut tempore flaccescit, & diuitiæ sunt incertæ. Honoris splendor facilè immutatur: Artium studia & labores vita cum hoc tempore finiuntur. Quin & ipsa eloquentia, cuius studio passim omnes tenentur, gratiam habet, sed solo aurium iudicio, & illici iucũditate. Virtutis autem studium, pretiosa quidem se habenti possessio est: iucundissimum verò spectaculum illis exhibet, quibuscum congreditur familiariter.*

III. eiusdem in oratione de Virtutibus & vitiis. *Virtutes*, ait, *vbi ex industria naturæ cohæserint, nostra bona efficiuntur, neque nos in terra laborantes deserere volunt, nisi ipsi sponte eas repulerimus, alias magis prauas, inducendo, sed ad Deum accelerantes nos præcurrunt, & penes angelos conditoris se collocant, atque ante angelos creatoris perpetuo fulgent, splendescuntque. Diuitiæ vero, dominatio, splendor, deliciæ, ac omnis denique eiusmodi turba, quæ indies nostra dementia increscit, neque vna nobiscum ingressa est in hanc vitam, neque etiam simul discedit, sed illud, quod quondã iustus protulit, in oẽs homines valet. Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, nudus etiã discedã.* Id. orat. 7. Iob. 1. 21.

IV. eiusdem de legendis libris gentilium, quod sit *Viaticum senectutis. Nec Biantis*, inquit, *saluberrimum dictum præteribo, qui ad Ægyptios eunti filio, & percunctanti, quod ei maximè gratum faceret, viaticum, respondit, senectutis possidendo, virtutem scilicet viaticum appellans, ac breui definitione describens, vt humanæ vitæ vtilitatem suppeditantem definiuit. Ego autem etsi Tithoni senectam, & Arganthonij, ac Mathusalem illius, qui mille annos triginta minus vixisse dicitur, denique si tempus omne ab initio, quo cœperunt homines, computes, sane vt pueri sententiam ridebo, ad prolixum illud & nulli senio obnoxium seculum respiciens, cuius nec finem vllum est mente deprehendere, non magis quam immortalis animæ mortem cognoscere: ad cuius possessionem admonemus comparandum esse viaticum, ac omnem lapidem secundum prouerbium mouendum: vnde aliqua nobis vtilitas ad hoc consequendum prouentura sit.* Id. sub finem.

V. CHRYSOSTOMI in sermone de Virtutibus & vitiis, quod etiam in aduersis sit beata. *Quem*, inquit, *bene viuere perspicies, & omnia ad diuinum cultum referre intelliges, hic si innumeris etiam catenis obsitus fuerit, si semper in carcere vixerit, si apud indignos seruitutem tulerit, si pauper sepulcbro reuulsus combustusque fuerit, si tractim perdendum corpus præbuerit, si denique graue quicquid dici potest passus fuerit, hunc beare, hunc felicem dicere, hunc ad sydera tollere memineris. Quod si alium videas per summa flagitia viuere, multis verò honoribus*

fungi, regio ſedentem ſolio, diademate ac purpura inſignem. ſuper eo lachrymas funde, eumq́ miſerabiliorem omnibus hominibus puta.

VI. eiuſdem ibidem, quantum vel vnius iuſti virtus Reipub. proſit. *Vir*, inquit, *quidem vnus rectè viuens diuina ira omnem populum liberare ſufficiet: e contra verò ciuitas omnis corrupta in ſuam pœnam atq́ ſupplicium imminens eum rapere non poterit. Quod quidem ex Noe liquidius pa-*
Gen.8. *tet, pereuntibus ſiquidem omnibus liberatur vnus, & ex Moyſe hoc idem vi-*
Exo.14. *dere licet. potuit ſcilicet vnus tantam reſtituere gentem Quando verò viuos homines, quibus loquendi fiducia ſit nullos prorſus inuenerit, tum verò ad mor-*
Iſa.37.35. *tuos profugiens. Per eos, inquit, peccata remitto, Quomodo enim fatur? Hanc ego, inquit, mea ipſe gratia protego vrbem Dauid ſerui mei cauſa, qui ab hac iampridem vita diſceſſit. Aſpice ſanctorum quanta ſit virtus.*

A.c.16. VII. S. Auguſtini libro de Quantitate animæ, quod vitam humanam reddat æquabilem & tranquillam. *Nunc ergo,* (inquit Auguſtinus ad collocutorem ſuum Adeodatum) *illud attende, vtrum tibi videatur virtus æqualitas quadam eſſe vitæ rationi vndique conſentientis? Nam ſi aliud ab alio in vita diſcrepet, magis ni fallor offendimur, quam ſi aliqua pars circuli maiore minoreue interuallo, quam aliæ partes diſtent à puncto, an tu aliter exiſtimas? ADEODATVS. Imò aſſentior, & hanc quæ abs te deſcripta eſt probo eſſe Virtutem. Nam & ratio non dicenda eſt, aut exiſtimanda niſi vera, & cuius vita per omnia congruit veritati, is eſt profecto vel ſolus, vel certe maximè qui bene atq́ honeſtè viuit, & qui ita ſit affectus ſolus habere virtutem, & ea viuere iudicandus eſt. AVGVST. Probe dicis. Sed certe etiam illud vides, vt opinor ſimiliorem eſſe virtuti circulum, quàm figurarum planarum aliam quamlibet. Hinc eſt enim quod apud Horatium ma-*
H,2.ſer.ſat.2. *gnis laudibus ſolemus extollere illum verſum, quo ait, cum de ſapiente ageret. Foris & in ſeipſo totus teres atq́ rotundus. Et rectè. Nam neq́ in animi bonis quicquam inuenis, quod magis ſibi ex omni parte conſentiat, quam virtutem, neq́ in planis figuris, quam circulum. Quamobrem ſi circulus non magnitudine ſpacii, ſed quadam conformatione ceteris præſtat: quanto magis de virtute exiſtimandum eſt, quod non maioris loci occupatione, ſed diuina quadam congruentia rationum, atq́ concordia, ceteras affectiones animi ſuperat.*

CAP.

CAPVT V.

De medijs idoneis ad Virtutem.

PRIMVM medium suggerit S. Basilius in caput primum Isaiæ, & in primum psalmum Dauidis, Recessionem à vita flagitiosa. *Principium,* inquit, *recuperandorum bonorum, est recessio à malis. Declina, inquit, à malo, & fac bonum. Si enim statim proposuisset tibi perfecta, pigrius ea aggressus fuisses: nunc verò iis quæ facilius comprehenduntur, te assuefacit, quo maiore animo sequentia aggrediaris. Vt enim in scala primus ascensus est à terra discessio, ita in diuina politia principium progressus secessio est à malis.* B. orat 7. de virt. & vitio. Psal. 36. 27.

II. Eiusdem ibidem est, Consideratio duplicis viæ à Pythagora symbolo litteræ Y propositæ. Quamdiu, inquit, quisq; nostrum puer est, iucunditati huius vitæ studens nullam futuri curam habet, sed cum in virum euaserit, ac intelligentiam assecutus fuerit, videt vias sibi duas propositas esse. Vnam, quæ ad virtutem ducit: alteram, quæ ad vitium. In vtramq; itaq; partem frequenter animæ oculum coniiciens confert ea inter se, quæ vtriq; adsunt. Ac peccatorum quidem via omnia ostendit in præsenti seculo iucunda: iustorum verò demonstrat futuri seculi bona. Et via quidem eorum qui seruantur, quãto pulcriora pollicetur futura, tanto magis laboriosa exhibet præsentia: at via voluptaria & incontinens, non quæ in posterum expectanda sit, sed iam præsentem efficit voluptatem. Beatus igitur ille est, qui voluptatis inescatione ad interitum non est conuersus, & qui in vtriusq; viæ electione ad eam, quæ ad deteriora ducit, non deflexit. Idem medium eleganter describit Lactantius diuinarum institutionum libro sexto. L. c. 3. & 4.

III. eiusdem hom. in 61. psalmum est, Mortificatio, vel excidium omnium prauarum cupiditatum, & sollicitudinum huius mundi. *Beatus,* ait, *qui omni spe rerum huius mundi seipsum orbauit, ac in solo Deo omnem spem fixit. Diuina autem gratia vix digni esse possumus, si prius eas perturbationes, quæ prauitate sua animos nostros infecerunt, non exegerimus. Vidi ergo medicos non prius præbentes salutaria medicamenta, quam ante vomitionibus eam materiem quæ morbum gignebat, vacuam fecissent, quam sibi ipsis ex praua victus ratione homines intemperantes aggregarant. Verum & vas si reliquida male olente vnctum fuerit, nec non elutum, recipit vnguenti influxionem. Proinde necessarium est, vt ea quæ prius insunt, effundãtur, vt post possint* B. ib.

ea recipi, quæ inducenda atq; inferenda sunt. Omnibus quidem adest Spiritus
Id. in asceticis. *sanctus, sed solummodo illis, qui à perturbationibus sunt vacui propriam virtutem imprimit suam.* Et alibi de curis. *Fieri non potest, vt id rectè, cui studemus perficiatur, si animus in diuersas curas distractus fuerit, sicut ipse Dominus declarauit dicens. Nemo potest duobus dominis seruire.* Et rursus. *Non*
Matt. 6. 24. *potestis Deo & mammonæ seruire. Neq; enim aliquod mandatum Dei præstare, neq; Deum diligere, neq; proximum possumus, si animus varijs curis distractus sit. Neq; fieri potest vt quis artem aliquam aut scientiam comprehendat, qui ad aliam rem se confert, imò nec vllam artem consequi poterit, si non prius ea, quæ finis sunt, cognorit: necesse est enim, vt actiones fini respondeant. Nam neq; ars ferrariæ finem suum opera figulinæ consequitur, neq; coronæ athleticæ ex studio tibiæ canendi parantur, sed ad vnumquemq; finem consequendum proprius ac congruus labor requiritur.*

Virg. 1. Georg. IV. est, non abhorrere à labore: *labor improbus*, ait Poeta, *omnia*
Matt. 11. 13. *vincit.* & *regnum cælorum vim patitur.* Hoc medium ab omnibus fere
L. c. 12. Patribus annotatum est. Vnde Lactantius libro tertio. *Hoc vno beati esse in hac vita possumus, si fugientes illecebras voluptatum, soliq; virtuti seruientes in omnibus laboribus, miserijsq; viuamus, quæ sunt exercitia & corroboramenta virtutis, si deniq; asperam illam viam difficilemque teneamus, quæ*
A. c. 4. *nobis ad beatitudinem patefacta est.* S. Ambrosius libro primo de Cain & Abel. *Apud ignauos*, inquit, *nulla sunt insignia virtutis, apud sapientes prima habentur: studia enim virtutis quædam instrumenta sunt. Itaq; sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus. Vnde & Dominus in*
Matt. 11. 13. *Euangelio ait. A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum cogitur, & cogentes*
Id. c. 2. *diripiunt illud.* Et libro secundo. *Nulla sine labore virtus, quia labor proces-*
Ch. hom. 54. *sus virtutis est.* S. Chrysost. in Genesin. *Ne spectet quis ad laborem virtutum, sed cælestia lucra cogitantes promptè labores obeamus. Nam si hi qui in terrenis versantur negotijs, & in colligendas opes insaniunt omnia promptè suscipiunt facienda, & videntes ante oculos pericula maris, piratarum insidias & naufragia non deterrentur, nec segniores fiunt, quamuis, quod plus est, de fine nihil certi habeant, qualem nos habituri sumus excusationem, si non omni studio accingamur ad virtutum studia & agones propter æterna illa bona?* S. Hie-
H. ep. 13. ronymus ad Paulinum. *Nihil sine magno labore vita dedit mortalibus.*
C. c. 6. Cassianus collatione 7. *Nulla virtus sine labore perficitur.* S. Bernardus
B. ep. 116. ad Episcopos Aquitaniæ. *Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur,*
S. ep. 94. *approbatur in victoria.* Seneca ad Lucilium. *Pars virtutis disciplina constat pars exercitatione. Et discas oportet, & quod didicisti agendo confirmes.*

V. Medium sit Timor Domini, quod præscribit S. Hieronymus
H. mans. 23. ad Fabiolam, de 24. mansionibus. *Venisti*, inquit, *ad Ecclesiam, ascendisti*
ep. 127.

ad

*ad mortem pulcherrimum, ſtupore & miraculo Chriſti magnitudinem confite-
ris, vides ibi multos virtutis tuæ ſocios, noli altum ſapere, ſed time. Dominus
enim ſuperbis reſiſtit humilibus dat gratiam. Et qui ſe exaltat, videat ne cadat.
Potentes potenter tormenta patientur. Timor virtutum cuſtos eſt: ſecuritas*
ad lapſum facilis. Vnde & in quodam pſalmo, poſtquam propheta dixerat. Do- Pſal. 22.
*minus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit, iungit ti-
morem, qui cuſtos eſt beatitudinis, & infert. Virga tua & baculus tuus, ipſa me* v. 4.
*conſolata ſunt. Et eſt ſenſus, dum tormenta formido, ſeruaui gratiam, quam ac-
ceperam.* Et Io. Caſſianus libro 4. inſtitutionum. *Per timorem Dei & vi-* C. c. 39.
*tiorum purgatio, & virtutum cuſtodia, his qui imbuuntur ad viam perfectio-
nis, acquiritur.* Et S. Bernardus de donis Spiritus ſancti. *Sicut ſecuritas,*
inquit, *vel deſidia cauſa eſt & mater omnium delictorum, ſic timor Domini* B. c. 3.
radix eſt & cuſtos omnium bonorum.

VI. Medium & poſtremum, ob oculos ponere exempla eorum qui virtutibus excelluerunt, nam vt Seneca ſcripſit epiſtola ſexta. *Longum iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla. Idcirco,* inquit Gregorius Nyſſenus in enarratione vitæ Moyſis, *credendum eſt præſtantiſſimorum virorum vitas exquiſitiſſimè deſcriptas, vt vita noſtra imitatione ad virtutem rectius deducatur.* Deinde eorum vti contubernio, à qui-
bus virtutem diſcere poſſimus. *Sequatur,* inquit Ambroſius de Offici- A. lib. 1. c. 43.
is, *conuerſationis electio, vt adiungamur probatiſſimis quibuſque ſenioribus. Namque vt æqualium vſus dulcior ita ſenum tutior eſt, qui magiſterio quodam & ductu vitæ colorat mores adoleſcentium, & velut murice probitatis inficit.* Plura de hac re habes in PANARIO. V. *Exemplum malum.*

VIDE V. *Honeſtas. Intentio. Iuſtitia. Profectus ſpiritualis. Prudentia. Religio. Timor Dei. Et in* PANARIO V. *Peccatum.*

Z.

ZELVS.

CAPVT I.

De nomine & significatione Zeli.



ZELI nomen, quod origine Græcum est, idem est cum æmulatione; & in Scripturis, nunc in malam, nunc in bonam partem vsurpatur. IN malam, cum vel inuidiam & liuorem vel cæcum quendam impetum & furorem significat. vt cum in Actis legitur. (Act.5.17.) *Exurgens autem princeps Sacerdotum, & qui cum illo erant, repleti sunt zelo; & iniecerunt manus in Apostolos.* & in epistola ad Romanos. (Rom.10.2.) *Testimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent sed non secundum scientiam* Et ad Corinthios. (2.Cor.3.3.) Cum enim sit inter vos *zelus & contentio, nonne carnales estis?* Et ad Galatas. (Gal.1.14.) *Proficiebam in Iudaismo abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Et apud S. Iacobum. (Iac.3.14.) *Quodsi zelum amarum habetis & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari. Quod autem in bonam partem accipiatur,* inquit Hieronymus in Nahum, (H.ad c.1.) *Paulus Apostolus ostendit dicens zelamini χαρίσματα maiora. Et in alio loco. Zelo n. vos Dei zelo. Et ipse Dominus in psalmo. zelus domus tuæ comedit me. Et Elias. Zelans inquit, Zelatus sum Domino omnipotenti Deo Israel. Phinees quoq. zelum & Matathiæ legimus. Et Simonem zelotem Apostolū Iesu Christi,* quem Marcus Euangelista Simonem Cananæum vocat. (1.Cor.12.31. 2.Cor.11.1. Psal.68.10. 3.Reg.19. Num.25.7. Act.1.14. Mar 3.19.)

HOC autem secundo modo acceptus zelus Virtus est, qua de in præsentia agimus, geminamq; habet in iisdem sacris litteris significationem. Primo enim designat laudabile studium, quo accendimur ad virtutes alicuius imitandas, vel etiam superandas, sine vllo tamen ipsius odio. Quo sensu Apostolus dixit in altera ad Corinthios (2.Cor.9.2.) *Quoniam & Achaia parata est ab anno præterito,* ad erogandum eleemosynam, *& vest æmulatio prouocauit plurimos* Et ad Galatas. (Gal.4.18.) *Bonum autem æmulamini in bono semper* Secundo designat animi æstum ex indignatione de iis conceptum, quæ indigne fiunt, vel aduersus Deum ipsum, vel aduer-

aduersus homines quos diligimus. qualis erat Christi zelus apud S.
Ioannem, quando eiecit ementes & vendentes è templo, vnde tex-
tus ait. *Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est. zelus domus tuæ* Ioan.2.35.
comedit me. Qualis & Corinthiorum, de quibus Paulus. Referens *no-* Psal.68.10.
bis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ma- 2.Cor.7.7.
gis vt gauderem. Et iterum. *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari* Ib.v.11.
vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignatio-
nem, sed timorem, sed æmulationem, sed vindictam.

VNDE quod ad originem vocis zeli attinet. S. Augustinus su- A.c.158.
spicatur à zelo maritali translatam; nam libro 2. Quæstionum in Exo-
dum ita scribit. *Quod Deus dicitur Zelator, hoc verbo indicat, non impunè*
plebem suam per alienos Deos fornicaturam. Ductum est enim verbum à tro-
po metaphora, à Zelo maritali, quod castitatem custodit vxoris, quod nobis prod-
est, non Deo. Et libro 83. quæstionum. *Quia coniugis castitatem zelando viri* Id.q.52.
custodire consueuerunt, illam Dei prouidentiam per quam præcipitur atq; agi-
tur, ne anima corrumpatur, & Deos alienos sequens quemadmodum meretri-
cetur, Zelum Dei appellauerunt.

CAPVT II.

De dignitate Virtutis Zeli.

DIGNITAS huius virtutis inde elucet, quod fere à duabus maximis
virtutibus, nempe caritate & religione in Deum proficiscatur.
Vnde enim verba illa Pauli, æstum zeli redolentia, *Tristitia mihi magna* Rom.9.2.
est & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Chri-
sto pro fratribus meis, profecta sunt, nisi ex flagrantissimo amore & desi-
derio salutis Iudæorum promouendæ? Et ideò paulo ante exclama-
rat. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Et S. Dionysius Areopagita
capite 4. libri de diuinis nominibus, ait nomen Zelotis idcirco in sa-
cris litteris tribui Deo, quod ingenti amore res à se conditas prose-
quatur. B. Gregorii quoq; in fine libri primi in Ezechielem celebratur C.hom.12.
sententia. *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est Zelus anima-*
rum. Deinde hoc ipsum attestatur dignitati huius virtutis, quod in
Scripturis, eius nomenclatura tum Deo. Opt. Max. tum Christo Sal-
uatori atq; adeo etiam ipsis angelis attribuatur, vt obseruauit S. Am- A.serm.18.
brosius in psalmum 118. *Angeli quoq;,* ait, *sine zelo nihil sunt, & substantiæ*
suæ amittunt prærogatiuam, nisi eam zeli ardore sustentent. Deniq; in Apoca- Apoc.3.15.
lypsi Ioannis Dominus ad angelum Laodiciæ dicit. Scio opera tua, neq; frigidus

es, neq; calidus. Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis quod diues sum & ditatus, & nullius egeo, & nescis, quod tu es miser, & miserabilis & mendicus, & nudus & cæcus. Consulo tibi vt emas à me aurum igne probatum. Hic est Dei Zelus, hic est fidei vapor, deuotionis feruor, qui nos velut suauem cibum in Christo remollit & format. Et paulo post. *Et quid miremur, si angeli eum habent. Ipse Deus pater ait. Zelans zelabo Hierusalem zelo magno. Quia Deus magnus, ideò & zelus eius magnus est, & pro vniuscuiusq; potentiæ qualitate, ita & zelus aut mediocris aut magnus est. Zelo vindicatur Hierusalem, Zelo Ecclesia congregatur, zelo*
Psal. 68.10. *fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur. Dominus quoq; Iesus ait, Zelus domus*
Ioan. 2.15. *tuæ comedit me, increpans Iudæos, quod domum orationis fecerint speluncam latronum, fecerint & domum negotiationis.*

DEINDE eadem virtus in Scripturis maximè tributa est personis in populo Israhel dignissimis, vt sacerdotibus, & summis quibusq; prophetis: Vnde idem Ambrosius loco citato, *Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam seruare studet Ecclesiæ castitatem. Et Phinees sacerdos erat, & nepos sacerdotis & filius sacerdotis. Bonus zelus & vtilis in sacerdote, præcipuè ne negligens, ne remissus sit. Vides quia Zelus Dei gratia est, qui exquirit,*
1. Reg. 19.10. *qui superuenit, qui se iusti fundit pectori. Zelus Dei vita est. Zelum habuit Elias & ideo raptus ad cælum est Zelans, inquit, zelaui Dominum. zelum habuit*
1. Mach. 2.27. *Matathias Butanus, qui aduersus sacrilegia Antiochi excitauit Dei plebem. Quid multa? Apostolus quoq; Domini hoc declaratus est nomine, vt Iudas zelotes diceretur, sicut legimus in Euangelio.* Hæc ille, cui adiice ex nouo testamento Præcursorem Domini, Principem Apostolorum Petrum, & gentium Doctorem Paulum, & Protomartyrem S. Stephanum & alios zeli nomine illustres. Accedit quotquot post Apostolorum tempora doctrina sanctitateq; excelluerunt in Ecclesia Dei, eosdem quoque hac virtute effloruisse, vt Cyprianus, Hilarius, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Romanus, Bernardus.

CAPVT III.

De zeli proprietatibus.

PRIMA Proprietas est, quod sit peculiare donum Dei. Vocatur
Ez 23.25. enim in sacris litteris zelus vel æmulatio Dei, vel à Deo data, nam
Id. 16 42. Deus ad Ezechielem sic loquitur. *Ponam Zelum meum in te.* Et iterum.
1. Mach. 2.57. *Auferetur zelus meus à te.* Et primo Machabæorum de Phinee dicitur. *Phinees pater noster Zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotii æterni.*

Et

Et Apostolus. *Æmulor vos Dei æmulatione.* Vnde S. Augustinus in psalmum 118. *Æmulationem Dei,* inquit, *suo spiritu inspirat fidelibus Deus, amoris enim est, non liuoris.* A.conc.28. Huc pertinet illud S. Bernardi in Cantica. B.ser.49. *Cum duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu vnus, & alter in affectu: vnus in lumine, alter in feruore: vnus in agnitione, alter in deuotione: pius sane affectus, & pectus amore calens, & sanctæ deuotionis infusio, etiam & vehementi spiritus repletus zelo, non planè aliunde quam è cella vinaria reportantur,* Cant.2.4. *& cuicunque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate loqui, introduxit me rex in cellam vinariam.*

II. Proprietas est, quod coniunctus sit cum feruore animi. Vnde sæpe in Scripturis zelo adiungitur verbum ignis. Nam rex Dauid Deum alloquens. Ps.78.5. *Vsquequo,* ait, *accendetur velut ignis zelus tuus?* Et apud Ezechielem. Ez.36.5. *Quoniam in igne zeli mei,* inquit ipse Deus, *locutus sum de* Sop.1.18. *reliquis gentibus.* Et Sophonias. *In igne zeli eius deuorabitur.* Eodem spectare videtur illud Christi dictum apud Lucam. *Ignem veni mittere in* Luc.12.49. *terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Et illud duorum discipulorum euntium in Emmaus. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Luc.24.32. Et *dispertitæ linguæ, quæ tanquam ignis insederunt die Pentecostes,* capitibus Apostolorum, aliorumq́; vt est in Actis Apostolicis. Act.2.3. Et quod ex Deuteronomio allegat S. Paulus. *Etenim Deus noster ignis* Deu.4.24. *consumens est.* Heb.12.29. Hoc zeli igne ardebat cor dicti Pauli, vt annotauit S. Gregorius cum exponit verba illa ex propheta Ezechiele. G.lib.1.hom.12 *Et tu sume sartaginem ferreã, & pones eam murum ferreum inter te & ciuitatem. Quam bene,* inquit, *Paulus sartaginem ferream sumpserat, cum zelo animarum cruciatus dicebat.* 2.Cor.11.29. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror? Ipsum suum cor quod animarum zelo succenderat, quid aliud, quam sartaginem fecerat, in qua amore virtutum contra vitia ardebat? Quod enim vrebatur, sartago erat. Inardescebat enim & coquebat, quia incendebatur amaritudine, sed virtutum alimenta præparabat, ex sua afflicta cogitatione.*

III. quod iunctus cum ingenti animi dolore, vt liquet exemplo eiusdem zelosi Apostoli, dum ex zelo scribit. Rom.9.2. *Tristitia mihi magna est & continuus dolor cordi meo: optabã enim,* &c. Act.20.3[illegible] Et cum Ephesiis valediceret. *Per triennium,* ait, *nocte & die non cessaui, cum lachrymis monens vnumquemque vestrum.* Et ad Philippenses. *Multi ambulant, de quibus dixi, & nunc iterum flens dico, inimici crucis Christi, quorum Deus venter est.* Phil.3.18. Idem liquet & in aliis sanctis. *Flebam,* inquit Iob, *super eo qui afflictus erat.* Iob.30.25. Moyses, teste Apostolo, maluit affligi cum populo Dei, quam Heb.11.25. cum Pharaone lætari. Rex Dauid ex zelo clamat. *Tabescere me* Ps.118.139.

1 Reg.15. *fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Samuel luget
Ier.9.1. Saulem à Deo reprobatum. Ieremias clamat. *Quis dabit capiti meo a-*
Luc.19.41. *quam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Iubetur Ezechiel assumere su-
Exez 27.2. per Tyrum lamentum. Denique & Christus ipse ex eodem zelo *videns ciuitatem Hierusalem,* referente S. Luca, *fleuit super illam.*

IV. quod iunctus cum magna animi fortitudine, vt bene notauit
G hom. 12. in Ezec. loco supra allegato S. Greg. *Sumamus ergo,* ait, *sartaginem ferream & ponamus eam murum ferreum inter nos & ciuitatem, id est, assumamus zelũ fortem, vt inter nos & auditoris nostri animam inueniamus hanc postmodum fortem munitionem. Tunc enim hunc murum ferreum inuenturi sumus, si nunc eum fortiter teneamus, videlicet docendo, custodiendo, suadẽdo, increpando, mulcendo, terrendo aliquando leniter, aliquando verò etiam seuerius a-*
Eccli.7.26. *gendo. De qua seueritate recta subditur.* Et obfirmabis faciẽ tuã ad eam, & erit in obsidionem. *Quid est obfirmare faciem ab Hierusalem in latere descripta, nisi vt ei animæ, cui cœlestis pacis visionem doctor denunciat, si adhuc eam infirmari in suis actibus concipiat remissiorem & clementiorem se minimè ostendat. Vnde scriptum est. Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Infirmæ quippe animæ, atque appetitui mundi deditæ aliquando melius ex seueritate seruantur, vt obfirmata facies, id est, per seueritatis custodiam ab omni spe friuolæ remissionis abducta inconstantem animã terreat, atquè à delectatione vitiorum districtionis vigore constringat.* Ad eandem proprietatem S. Ambrosius in 118. psalmum,
A. serm. 18. refert, illud ex Canticis. *Fortis, vt mors, dilectio, dura sicut infernus æmula-*
Cant. 8.6. *tio Durus,* inquit, *zelus, quem vita huius nulla vincit illecebra Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, vt viuamus Deo.* Et S. Chrysost. homilia 52. in Acta de zeloso ita loquitur. *Qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans, adeo nihil curæ est ei gloria & ignominia. Tentationes autem sic contemnit & flagella & carceres, quasi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodum si adamantinũ possideret corpus. Quæ autem suauia sunt in hac vita ita ridet, & non sentit, sicut nos ipsi mortui corpora mortua. Et sicut muscæ in medium flammæ non incidunt, sed fugiunt, ita & affectiones illos accedere non audent.*

V. quod respuat carnis & sanguinis consilia cum instinctu vel voluntate Dei pugnantia, velut respuit S. Paulus: qui simul vt zelum
Gal. 1.15. hunc imbibit, ita scripsit ad Galatas. *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus, continuo non acquieui carni & sanguini* Vnde S. Ambrosius ibidem. *Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant, qui sunt hostes Dei, quamuis patrem, fratres, sorores. Omni-*

bus dicit. In hostes facti sunt mihi sicut Dauid ait. Talem zelum exegit quoque Christus in Apostolis & primis Christianis, cum dixit. [Luc.14.26.] *Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem, & vxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Hoc zelo accensus quondam Moyses dixit ad populum. [Exo.32.26.] *Si quis est Domini iungatur mihi, & ait ad filios Leui. Hæc dicit Dominus Deus Israhel. Ponat vir gladium super femur suum, & occidat vnusquisq; fratrem, & amicum & proximum suum. Feceruntq; filii Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntq; in die illa quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses. Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisq; in filio, & fratre suo, vt detur vobis benedictio.*

VI. Quod requirat virtutem discretionis. Queritur enim Apostolus de quibusdam, [Rom.10.2.] quod *æmulationem quidem Dei habeant, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Vnde B. Bernardus in Cantica. [B.ser.19.] *Deus vult se amari non solum dulciter, sed & sapienter. Vnde Apostolus. rationabile, inquit, obsequium vestrum:* [Rom.12.1.] *alioquin facillimè zelo tuo Spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. Nec habet callidus hostis machinamentum efficacius, ad tollendum de corde dilectionem, quàm si efficere possit, vt in ea incautè, & non cum ratione ambuletur.* Et [Id.serm.49.] iterum. *Importabilis,* ait, *absq; scientia est zelus. Vbi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absq; scientia minus efficax, minusq; vtilis inuenitur, plerumq; autem & perniciosus valde sentitur. Quo igitur zelus feruidior ac vehementior spiritus, profusiorq; charitas, eo vigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.* Hinc & B. Ambrosius. [A.l.cit.] *Aduertimus,* inquit, *quod mensura quadam & disciplina sit zeli, sicut disciplina virtutis. Et ideo beatus, qui zeli nouerit disciplinam.*

VII. Proprietas, quod hæc virtus maximè competat in Prælatos & Pastores Ecclesiæ, omnesq; Superiores. [Rom.13.4.] Et ratio est, quia eorum officio incumbit corrigere & punire subditos. Vnde B. Paulus ad Romanos. *Dei,* inquit, *minister est vindex in iram ei qui malè agit.* Et D. Gregorius in Pastorali. [G.2.p.c.6.] *Sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, vt & bonis in nullo se præferat, & cum prauorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat: quatenus & honore suppresso æqualem se subditis bene viuentibus putet & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formidet.* 2. quia munera, quę in veteri lege prophetis, & in noua Episcopis, & Pastoribus præscribuntur virtutem zeli exposcunt. In veteri enim iubentur à Deo prophe-

tæ, non populum modo, sed Reges etiam, de grauissimis criminibus reprehendere, eaque illis annunciare, quæ ipsos in luculentum vitæ discrimen vocarent. In noua verò à Pastoribus exigitur, vt parati sint animam pro ouibus ponere, incorrigibiles Ethnicos & publicanos declarare, atque etiã per sententiam excommunicationis Satanæ tradere, *peccantes corã omnibus arguere, instare opportunè, arguere, & obsecrare, increpare in omni patientia & doctrina, increpare quoque durè* cum opus est, sicut Apostolus putauit Cretenses increpandos, quia ventri dediti erant & ignaui. Hinc verò factum est vt Deus ad summam vtriusque Ecclesiæ, Veteris, & nouæ præfecturam & magistratum, non elegerit, nisi viros à zelo quantumuis infami celebratos, vt Moysen ad veteris, qui Ægyptium occiderat. Ad nouæ verò Doctorem gentium Paulum, qui persecutus fuerat Christi Ecclesiam, & Principem omnium Christianorum Petrum, qui Malcho ex prauo zelo amputarat auriculam.

Ioan.10.11. Matt.18.17. 1.Cor.5.5. 1.Tim.5.20. 2.Tim.4.2. Tit.1.14 Exo.2.12. Act.9.1. Ioan.18.10.

CAPVT IV.

De Zeli necessitate.

NECESSITATEM vel obligationem huius virtutis incumbere omnibus Episcopis & Pastoribus, quorum est curare animas, primum inde liquet, quod Spiritus sanctus in verbo diuino grauiter inuehatur in pastores ignauos, vt apud Ieremiam, cum ait, *Sacerdotes non dixerunt. Vbi est Dominus, & tenentes legem nescierunt me.* Et iterum. *Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus.* Et apud Ezechielem. *Fili hominis, propheta de pastoribus Israhel. Væ pastoribus Israhel qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis. Quod confractum est, non alligastis: & quod abiectum est non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis.* Et apud Zachariam. *Vox vlulatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum. Hæc dicit Dominus Deus meus, pasce pecora occisionis, quæ qui possidebant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea dicentes Benedictus Dominus, diuites facti sumus. Et pastores eorum non parcebant eis. Ego non parcam vltra super habitantes terram dicit Dominus.* Et in Apocalypsi de ignauia & tepore arguitur Episcopus Laodicenus

Ier.2.8. Ier.50.6. Ezech.34.2. Zach.11.3. Apoc.3.17.

cenus,& iubetur exemplo Dei Zelum assumere. Ego quos amo, inquit, *arguo & castigo. Æmulare ergo & pœnitentiam age* Deinde idē Spiritus sanctumonet eos & mandat, vt sedulo aduigilent supra gregē suum, vti imprimis Christ⁹ tertio monuit omniū pastorū Coriphæum apud B. Ioa. Io.21.16.
Pasce oues vel agnos meos. Et Apostolus Paulus alios. *Attendite,* inquiens, Act.20.28.
vobis, & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et Diuus Petrus. *Seniores ergo,* ait, *qui in vobis sunt obsecro, consenior, & testis Christi passionum, qui &* 1.Pet.5.
eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator: pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo. Auget obligationem Pastorum, quod pro animabus omnium subditorum reddituri sint rationem in die iudicii, vt indicat Apostolus scribens ad Hebræos. *Obedite Præpositis ve-* Heb.13.17.
stris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Et tradit Sanctus Gregorius, cum scribit ad Panthaleonem Episcopum Aphricæ non compescentem Donatistarum audaci- G.lib.3.ep.32.
am. *Perditorum,* inquiens, *animas Deum nostrum de manu vestra scitote requirere, si tantum nefas, in quantum possibilitas exigit, emendare negligitis.*

IAM verò non superioribus tantum, verumetiam subditis necessitas eadem quadātenus incūbere videtur procurandi spiritalem quendam zelum & feruorem in vitæ Christianæ institutione, aliisq; ad eam pertrahendis. *Vnicuique enim,* ait Sapiens, mandauit *Deus de* Eccli.17.12.
proximo suo. Vnde Sanctus Augustinus exponens verba Christi apud A.tract.56. in Ioan.
Ioannem. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Cum auditis,* inquit, Ioan.12.26.
fratres Dominum dicentem. Vbi ego sum, illic & minister meus erit: nolite tantummodo bonos Episcopos & clericos cogitare, etiam vos pro modulo vestro ministrare Christo, bene viuendo, eleemosynas faciendo, nomen, doctrinamq; eius, quibus poteritis prædicando. Vt vnusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo, & pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua Ecclesiasticum, & quodammodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo, vt in æternum sit cum ipso. Deinde, lege diuina non solum superioribus, sed etiam quibusuis hominib. imperatum est, vt corrigāt proximorum lapsus, quod Leui.19.17.
propriè est zeli. nam in Leuitico dicitur. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Et Chri-* Matt.18.15.
stus. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum. Et Sanctus Paulus. *Nolite* Eph.5.11.
communicare operibus infructuosis tenebrarū, magis autem redarguite. Ratio.

quoq;

quoque naturalis idem docuit Philosophos gentiles. Senecæ enim
S. in Prou. hæc feruntur dicta *Cum his conuersare, qui te corrigant. Vitia transmittit ad posteros qui præsentibus culpis ignoscit. Bonis necet, qui malis parcit.* Plura de
Cap. 2. 4. hac re titulo Correctio.

CAPVT V.

De Zeli multiplici Vtilitate.

PRIMA Vtilitas est, quod nulla re magis quam hac virtute, maximè, si sit zelus animarum Deum demereri possimus. Notum enim est aureum B. Dionysii Areopagitæ de cœlesti Hierarchia dictum.
D. c. 3. *Diuinorum omnium diuinissimum esse cooperari Deo in conuersione peccatorum.* Deo namque, vti est summa per essentiam bonitas proprium est, suam bonitatem communicare omnibus, omnes salutis capaces ad eandem perducere, cuique pro inopia subuenire. Vnde qui in hac re Deum imitantur Dei formes, diuini imò diuinissimi, atque adeo Dii sunt nuncupandi, de quibus in psalmis dictum & à Christo repetitum. *Ego*
Ps. 81. 6. *dixi, Dii estis vos, & filij excelsi omnes.* Vnde Richardus de S. Victore ali-
Ioan. 10. 34. cubi de talibus ita scripsit. *Nescio an maius beneficium possit homini à Deo conferri, quam vt per eius obsequium alii consequantur salutem, si tamen homo Deo cooperetur ex charitate.* Et B. Chrysostomus in Genesin. *Nihil ita*
Ch. hom. 3. *gratum est Deo, & ita curæ, vt animarum salus, sicut clamat Apostolus dicens.*
1. Tim. 2. 4. *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et ite-*
Ezech. 18. 23. *rum Deus ipse ait. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Talem igitur habentes Dominum, tam misericordem, tam benignum, tam mansuetũ, cum nostra, tum fratrum nostrorum salutis curam geramus. Et vt scias, quan-*
Ier. 15. 19. *tum bonum sit, cum salute nostra & alios lucrari, audi prophetam ex persona Dei dicentem. Qui educit pretiosum à vili, quasi os meum erit. Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili humano me imitatur, Etenim ipse cum Deus sit propter nihil aliud nostram induit carnem, & crucem quoque suscepit, nisi vt nos peccato obnoxios à maledicto liberaret. Si igitur ipse, qui Deus est ineffabilis essentia ob misericordiam ineffabilem hac omnia propter nos & nostram salutem sustinuit, cur non & nos erga fratres iustissimus, agnoscentesque eos vt membra nostra, & eripientes ex diaboli faucibus in viam virtutis inducamus? Nam vt anima corpore melior est, ita his qui indigentibus pecunias & facultates suppeditant, maioribus præmiis digni sunt hi, qui admonendo, & continuè docendo in viam actam supinos & desides inducunt, monstrando eis diuinarum*

virtutum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam. Hæc omnia cum sci mus, præ omnibus aliis vitæ curis, de salute animarum loquamur proximis, eandem illis solicitudinem ingerentes.

II. VTILITAS, quod angelorum quoque patrocinium hoc officio magis demereamur, cum nos socios ipsis adiungimus in procuranda hominum salute. *Omnes siquidem* teste Apostolo, *sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Hinc sequitur nos angelico prorsus munere fungi, cum aliorum saluti curandæ inuigilamus. Vnde S. Chrysostomus in commentario epistolæ ad Hebræos. *Proinde,* inquit, *hoc est opus angelicum omnia facere pro salute proximorum, magis autem hoc est corpus Christi. Ipse enim sicut Dominus saluat, isti verò sicut serui: & nos itaque etiamsi serui, angelorum tamen conserui sumus. Quamuis autem multum intersit inter angelos & homines, tamen propinquos eos nobis facit, vt pene dicere videatur, quia nobis laborant, nobis discurrunt, nobis suo funguntur officio: hoc est eorum ministerium, vt propter nos vbique mittantur. Et harum rerum exemplis pleni sunt libri veteris testamenti, pleni etiam noui.* Heb. 1. 14. Ch. hom. 3.

III. Quod huius virtutis beneficio gentilium facta sit conuersio in toto orbe terrarum, vt annotauit S. Ambrosius in psalm. 118. *Zelo fidei,* inquit, *populus gentilium vitam sibi acquisiuit æternam, quam negligentia atque desidia Iudæorum populus amisit, Ideoque scriptum est. Zelus apprehendet populum ineruditum. Quoniam populus, qui erat eruditus in lege, nullum fidei habebat ardorem. Contulit se zelus ad gentes: cuius tanta est gratia, vt electionis prærogatiuam vicerit, & eruditionis industriam superarit. Denique apprehendens populum ineruditum, fecit esse meliorem. Itaque ea gratia operata est in populo nationum, vt hæreditatem Domini mereretur quam operatus est Dominus vt Ecclesiam sibi ex nationibus copularet.* Alludit S. Ambrosius ad locum Apostoli in epistola ad Romanos, vbi disputans de causa excæcationis Iudæorum, & conuersionis gentium, ita scribit. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Nunquid non audierunt?* (Iudæi) *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico, nunquid Israhel cognouit? Primus Moyses dicit. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias autem audet & dicit. Inuentus sum à non quærentibus me. Ad Israel autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Et infra. *Nunquid sic offenderunt, vt caderent? absit. Sed illorum delicto salus est gentibus, vt illos æmulentur.* Et rursus, *Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israhel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israhel saluus fieret.* A. serm. 18. Rom. 10. 17. Psal. 18. 5. Deut. 32. 21. Isa. 65. 1. Ib. 2. Rom. 11. 11.

IV. est quod ignis huius zeli exurat omnia peccata nostra, eiusque fontem exsiccet, nempe prauas cupiditates consumat, mundet cor, & in notitia & amore affectus animi accendat. Sic idem S. Ambrosius ibidem A in. ps. 118.

explanans versum illum. *Ignitum eloquium tuum nimis, & seruus tuus dilexit
illud. Quem ait, Dominus ignem nouo sparsit testamento? Qui secretos mentium diuinæ
ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei & deuotionis adoleret, qui
Hier.20.9. cupiditatem virtutis accenderet. Hoc igne calefactus dicit Hieremias, Et erat ignis
flammigerans in ossibus meis. Hoc sermonum igne cælestium vaporati Cleophas & ille
alius, qui simul cum Domino ab Hierusalem vsque ad castellum confecerant iter, dice-
Luc.24.32. bant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis Scripturas? Ignis ergo
hic sermo Christi est. Et bonus ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata.
Hoc igne super bonum fundamentum posito, Apostolicum illud aurum probatur, hoc
igne illud morum vel operum examinatur argentum: hoc igne pretiosi illi lapides illu-
minantur, fœnum autem & stipula consumitur. Inundat ergo hic ignis animum, consu-
mit errorem. Hic est ignis, qui ardet ante Dominum. Nisi enim quis flagrantiam deuo-
Exod.3.2. tionis sumpserit, præsentiam Domini habere non poterit. Hoc igne vrebatur rubus, &
non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris, non exurit
vt perdat.*

V. est, quod dum zelo, maximè salutis animarum, accendimur, facilè
possimus aduertere præsentiam Spiritus sancti. Ita enim scribit talia exper-
Bern. serm.70. tus S. Bernardus in Cantica. *Si Dominus Iesus dignetur venire ad me, vel potius
in me in charitate & spiritu mansuetudinis, æmulans me Dei æmulatione (quidenim
ita Dei vt charitas? nempe & Deus est) si inquam in ista venerit, in hoc cognoscam, quod
non sit solus sed venerit etiam Pater suus cum eo. Nam quid æquè paternum? Propter
hoc nempe non Pater Verbi tantum, sed & Pater misericordiarum est appellatus, quod
innatum habeat misereri semper & parcere. Si sensero aperiri mihi sensum, vt intelli-
gam Scripturas, aut sermonem sapientiæ quasi ebullire ex intimis, aut infuso lumine de-
super reuelari mysteria, aut certè expandi mihi, quasi quoddam largissimum cæli gre-
mium, & vberiores desursum influere animo meditationum imbres, non ambigo spon-
sum adesse. Verbi siquidem hæ copiæ sunt, & de plenitudine eius ista accipimus. Quod si
se pariter infuderit humilis quædam sed pinguis internæ aspersionis deuotio, vt amor
agnitæ veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet & contemptum,
ne forte aut scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me, tunc prorsus pa-
terne sentio agi mecum, & Patrem adesse non dubito. Si autem perseuerauerit huic di-
gnationi dignis semper, quod in me est, affectibus, & actibus respondere, & gratia Dei
apud me vacua non fuerit, etiam mansionem apud me faciet tam Pater enutriens, quam
Verbum erudiens. Quanta putas ex hac mansione inter animam & Verbum familiarita-
tis gratia oriatur, quanta de familiaritate sequatur fiducia?*

VI. est, quam colligere possumus ab vno exemplo Phinees, Id his ver-
Num.25.6. bis describitur in Numeris. *Et ecce vnus de filiis Israel intrauit coram fratribus
suis ad scortum Madianitidem vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui fle-*

bant

Ibant ante fores tabernaculi. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in Lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem in locis genitalibus. Cessauitque plaga à filiis Israel, & occisi sunt viginti quatuor millia hominum. Dixitque Dominus ad Moysen. Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis auertit iram meam à filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo: idcirco loquere ad eum. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum Sacerdotii sempiternum, quia Zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel. Vnde psaltes Regius. *Et stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio. Et reputatum est ei in iustitiam in generationem & generationem vsque in sempiternum.* Liquet ergo quam multiplex ex vno zeloso facto manarit vtilitas. Psal. 105. 30.

CAPVT VI.

Quibus mediis obtineri queat zelus.

PRIMVM est vigilantia & studium continuum placendi Deo, quod suggerit paulo antè citatus S. BERNARDVS dicens. *Denique ait,* Deus, *Ego diligentes me, diligo, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Vides, quomodo non solum de amore suo certum te reddat, siquidem tu ames illum: sed etiam de solicitudine sua, quam pro te gerit, si te senserit solicitum sui. Vigilas tu? Vigilat & ille. Consurge in nocte, in principio vigiliarum tuarum. Accelera, quantum vis, etiam ipsas anticipare vigilias, inuenies eum non præuenies. Temerè in tali negotio, vel prius aliquid tribuis tibi vel plus, & magis amat, & ante. Si hæc anima scit, immò miraris, quod illa maiestatem quasi cætera non curantem soli sibi intendere glorietur, cui soli ipsa postpositis curis omnibus tota se deuotione custodit. Vnum dico spiritualibus, qui in nobis sunt, mirum quidem, sed verum: animam Deum videntem haud secus videre quam si sola videatur à Deo. Bonus es Domine animæ quærenti te, occurris, amplecteris, sponsum exhibes, qui Dominus es, immò qui es super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.* In Cant. serm. 70. Prouerb. 8.

II. Medium est, instruere se armis spiritalibus, congruentibus magnitudini belli. Zelo enim opus est in bello. Ea prolixè descripsit Apostolus ipse in epistola ad Ephesios. *Induite,* inquiens, *vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem,* Ephes. 6. 11.

& obsecrationem orantes omni tempore in spiritu; & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis & pro me. Quæ verba expendens S. Chry-
Ch. hom. 3. sostomus in Genesin. *Vidisti, inquit, quomodo omnia nostra membra Apostolus munierit: & quasi in prælium egressuros primum zona cingat, quo expeditiores simus ad cursum: deinde induat nos thorace, ne à iaculis vulneremur: sed & pedes munit & vndique armat fide. Quæ autem sunt ignita tela diaboli? malæ concupiscentiæ, immundæ cogitationes, pernitiosi affectus, furor, inuidentia, ira, odium, opum cupiditas, & omnis alia ignauia. Hæc ait, omnia extinguere poterit gladius Spiritus, Et quid dico extinguere, etiam ipsum hostis caput amputare valet.*

III. Tantum studii & laboris in zelo exercendo impendere, quantum suggerunt gratiæ diuinæ vires, quas nobis Deus subministrarit, neque
G. hom. 6. enim eadem ab omnibus expectanda sunt. Vnde S. Gregorius in Euangelia. *Nemo dicat, admonere non sufficio, adhortari idoneus non sum: quantum potes exhibe, ne male seruatum talentum, quod acceperas, in tormentis pendere exigatis.* Et rursus *In quantum vos profecisse pensatis, etiam vobiscum alios trahite, in via Domi-*
Apoc. 22. 17. *ni socios habere desiderate. Si ad Deum tenditis, curate ne ad Deum soli veniatis. Hinc in Apocalypsi scriptum est. Qui audit, dicat, veni; vt qui iam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiã proximis vocem exhortationis reddat; & fortasse panem vt indigenti porrigat non habet, sed maius est, quod tribuere valeat, qui linguam habet: plus enim est verbi pabulo victuram inperpetuum mentem reficere, quam ventrem moritu-*
A. tract. 10. *ræ carnis terreno pane satiare.* Eodem tendunt quæ monet S. Augustinus in Ioannem. *Vnumquemque Christianum Zelus domus Dei comedat. Verbi gratia. Vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere & inebriari velle, & hoc velle in locis sanctis, quod nusquam decet, prohibe quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere. Tamen si amicus est, admoneatur leniter. Vxor est, seuerissimè refrenetur: ancilla est, etiam verberibus compescatur. Fac quicquid pro persona quam portes.*

IV. Quod si fructus conatui tuo non respondent, atque etiam ludibrio aliorum zelus tuus excipiatur, & inde in animo oriatur mœror, non idcirco putes, te meriti tui iacturam fecisse, tantum memor esto, zelum esse actum charitatis, charitatis autem est omnia sufferre. Mœrebat enim in eiusmodi casibus & Zelosus Dauid, cum diceret. *Zelus*
Ps. 68. 10. *domus tuæ comedit me*; id est, exedit me. Et *Tabescere me fecit zelus meus,*
Ps. 118. 139. & 158. *quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et. *Vidi præuaricantes, & tabescebam.* Vnde B. Augustinus loco allegato. *Quis comeditur Zelo domus DEI? Qui*
A. in c. 3. Ioan. *omnia, quæ ibi videt forte peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit: si emendare non potest, tolerat, gemit. Non excutit de area granum, sustinet paleam vt intret in horreum, cum palea fuerit separata.*

V. Medium

V. Medium. Conſiderare exempla eorum, qui virtute Zeli, in veteri teſtamento, æquo ac nouo excelluere. vt Moſis, Phinees, Dauidis, Eliæ, Matathiæ, Ioannis Baptiſtæ, Petri, atq; imprimis S. Pauli, quem S. Chryſoſtomus in quodam ſermone de eius laudibus audet non ſolum exæquare illis, quod ad Zelum attinet, verum etiam angelis. *Quid ergo*, inquit, *in angelis magnificum prædicamus? profectò, quia cum omni cura obediunt Deo. Quod Dauid quoq; admirando dicebat. Potentes virtute, facientes verbum illius. Huic enim bono æquale eſt nihil. Prorſus etiamſi ſint millies incorporei, hoc eſt enim, quod maximè præſtat eos beatos, quia obediunt præceptis DEI, quia eum in nullo aliquando contemnunt. Hoc igitur & in Paulo plane animaduerti poteſt, cum omni diligentia & cautione ſeruatum. Non autem ſolum ſermonem eius impleuit, verum etiam præcepta. Super quæ præcepta hoc quippe declarans ait. Quæ eſt ergo merces mea, vt Euangelium prædicans ſine ſumptu ponam Euangelium DEI? Quid vero aliud in angelis propheta miratur. Qui facit, inquit, angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Sed hoc etiam in Paulo poſſumus inuenire, qui velut ignis ac Spiritus totum terrarum percurrit orbem, percurrendoq́; purgauit. Sed necdum cœlum iſte ſortitus eſt, & hoc omnino mirabile, quia talis verſabatur in terris, & mortali adhuc carne circumdatus cum incorporalium poteſtatum virtute certabat.* LEGE noſtrum Bernardinum Roſignolam de Actionibus virtutis cap. 23.

Ch.ſerm. 1. — Pſal.11.20. — 1.Cor.9.18. — Pſal.103.4.

EODEM pertinent exempla anachoretarum, qui ſpe lucri animarum etiam ſolitudines ſuas deſeruerunt, vt S. Antonius Magnus temporibus Imperatoris Conſtantii, qui relicta ſolitudine venit Alexandriam, & *totam illam*, teſte B. Theodoreto libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ quarto, *circuibat vrbem, quo omnes doceret, tum Athanaſium preconem veritatis, tum Arianos veritatis hoſtes eſſe. Itaq; non ignorabant*, inquit, *illi ſancti viri, quæ res cuiq; tempori eſſent accommodatæ & quando ſolitudinis otium eſſet amplectendum, quando rurſus vrbana negotia quieti ſolitariæ præferenda.* Th.c.25.

Deinde APHRAATES monachus qui tempore Valentis Ariani Imperatoris ex Zelo Antiochiam venit, quo conſpecto Valens dixit, vt eodem libro refert Theodoretus, *cedò quò te confers? Ille tum ſapienter & appoſite, pro tuo, ait, regno precaturus. Tum Imperator: At domi, inquit, tibi manendum eſt, & intra cellam, vti lex monaſtica poſtulat, orandum. Cui diuinus ille vir præclarè admodum dicis ò Imperator: iſtud ſane mihi faciendum eſt, & hactenus feci, dum oues Saluatoris pace fruerentur. Verum, quoniam iam magnopere conturbantur, & multum illis impendet periculi, neceſſe eſt omnes vias perſequi, non modo ne à feris capiantur, ſed etiam vt conſeruentur incolumes. Nam dic mihi quæſo, ò Imperator, ſi filia alicuius eſſem, & ſederem in conclaui, vti ædes curarem, atq; deinde cernerem flammam in eas incidiſſe, ædesq́; paternas iam conflagrare, quid me facere oporteret? intuſnè mane-* Ib. c. 24.

re, & ædes incensas negligere, an relicto conclaui sursum deorsumq́ cursitare, & aquam afferre, qua flammam extinguerem. Hoc certe te responsurum constat. Nam hæ sunt partes filiæ prudentis & prouidæ. Atq́ hoc ipsum nos agimus ò Imperator. Etenim cum tu iam in patris nostri ædes flammam inieceris, nos circum cursitamus, quo eam maturè poßimus extinguere. Quæ cum locutus esset Aphraates, Imperator ei interminatus conticuit. Cubicularius autem eius cum grauiores in eum iactasset minas, paulò post in calidißimum balneum, quod Imperatori parabat, de potestate mentis deturbatus se præcipitauit, & illicò extinctus est.

Chr. hom. 17. De pluribus aliis anachoretis refert S. Chrysostomus ad populum Antiochenum, quemadmodum è montium cauernis Antiochiam accurrerint, vt Theodosii Imperatoris indignationem auerterent, (populus siquidem Placillæ coniugis eius statuam deiecerat) quam etiam præclarè auerterunt. *Monachi,* inquit, *homines pauperes, pallio plus nihil habentes vili, viuentes in rusticitate, nulli esse apparentes, in montibus & saltibus versantes, velut quidam leones magno & alto sensu præditi, omnibus pauifactis & trepidantibus in medio consistentes, malum dissoluêre, non multis diebus sed breui temporis momento. Et sicut generosi athletæ non tantum aduersarios complexi, sed etiam visi tantum in oppositione & vociferati aduersarios conuertunt: Sic & hi die vna & descenderunt, & disseruerunt, & soluerunt calamitatem, & ad propria reversi sunt tabernacula. Tanti est Philosophia à Christo introducta.*

B. c. 12. Addo recentius exemplum de Zelo animarum D. Francisci, de quo ita scribit S. Bonauentura in eius Vita. *Fidelis reuera famulus & minister Christi Franciscus, vt cuncta fideliter & perfecte perageret, illis potißimum virtutum exercitiis intendebat, quæ Deo magis placere cognouerat. Dubitans autem an potius orationi, quam prædicationi vacandum esset, fratrum sententiam exquisiuit. Siquidem ego, inquiens, simplex & imperitus sermone maiorem orandi accepi gratiam, quam loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum, & cumulatio gratiarum: in prædicatione distributio donorum cœlitus acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, & vnitio ad vnum summum & verum bonum cum vigoratione virtutis: in prædicatione Spiritualium puluerizatio pedum, distractio multa & relaxatio disciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur, & audimus, & quasi vitam angelicam agentes inter angelos conuersamur; In prædicatione multa oportet vti condescensione ad homines, & humanè inter eos viuendo, humana cogitare, videre, dicere & audire. Sed vnum videtur præponderare his omnibus ante DEVM, quod vnigenitus DEI filius propter animarum salutem de sinu patris descendit, vt suo mundum informans exemplo verbum salutis hominibus loqueretur, & ideo videtur magis Deo placitum, quod intermissa quiete foras egrediar ad laborem.* Subiicit deinde Bonauentura,

tura, quod cum ex illa collatione cum fratribus nihil certi statuisset, eum confugisse ad preces S. Claræ aliorumq; sui ordinis Sanctitate præstantium, qui cum voluntatem Dei cognouissent, potius prædicationi esse vacandum, *continuo Franciscum succinxisse se & cum tanto feruore iter ingressum, ac si facta manu DEI super eum nouam induisset è cœlo virtutem.*

VIDE V. Charitas in Deum & proximum. Correctio proximi. Iustitia. Virtus.

LAVS DEO, DEIPARÆQ;



MEN-

MENDA

præcipua ſic emenda.

PAG. 15. verſu 3. lege, *veræ*. pag. 28. v. 6. *cætu Eccleſiæ*. p. 64. v. ult. *minuatur*. pag. 6. v. 16. *promiſſa*. pag. 70. v. 22. *percuſſus*. pag. 92. 24. γνῶθι 99. 19. *gerere*. 102. 25. *Firmianus*. 28. *naturaliter*. pag. 105. 2. inueniret. v. 17. dele, (*quare nec abſq; cognitione filii*) pag. 133. 12. *audit alios*. 28. *prodire vult*. 135. 26. volare. 163. 33. *exoneratum peccatis*. 166. 20. *Sunt enim*. 181. v. ult. *in mortem pro ſui exercitus ſalute de duobus Deciis*. 212. 18. modico. 228. 33. dele, *cat*. 256. 7. *S. Antonii*. 9. *infamiæ*. pag. 268. v. 1. II. *Proprietas eſt, quod certiſſima ſit, omnemq; prorſus dubitatio*, 273. Magum Pythag. 279. 30. *ſoliditatis cauſa*. v. ult. *iuuentus*. 281. v. penult. *fides*. 282. 31. *validior*. 290. 18. celauiſſet. 292. 28. *celebratis*. 315. 32. *premat*. 321. 12. *fregit*. 335. 3. *Diotrephen*. 335. 21. quotum. 334. 30. *teſte eodem*. 366. 19. difficile probare. Ibidem dele, *difficile*. 419. 9. *duo æra*, 451. 14. humilitate. 536. 1. *matribus vbera*. 5. *parentem ſuam*. 545. 7. *ſit infinita*. 561. 13. *ſuper terram*. 575. 22. *ſeruire regnare*, 609. 31. contemnenda & abiic.



INDEX COMMVNIS.

PANARIO, ET VIRIDARIO.

In quo P. Panarium. V. Viridarium significat.

Ope-

FINIS.

